F. IOSEPHI DE VITA SICVLI CALAXIBETTENSIS, ORDINIS PRAEDICATORVM

CONVENTVS S. ZITAE PANORMI

TRACTATVS SEX, DVOBVS TOMIS DISTRIBVTI,

Ex Libris Prioratus Quorum S.te Antonij De Orbe

TOMVS PRIMVS 1694.

TRACTATVM

DE PROPRIO ET PER SE PRINCIPIO,

VNDE PROVENIT PECCATVM IN ACTIONIBVS VOLVNTARIIS

Continet, in duas partes diuisum.

In quo

Celsa, clara, & firma sententia S. Thomæ proponitur: Conclusionesq; (ferè omnes) ad modum, quo agunt, & determinantur agentia omnia, siue naturalia, siue libera, & siue Deus, siuè creaturæ, spectantes, resoluuntur euidenti discursu ipsius S. Thomæ in principium illud per se notum:

VNVMQVODQVE AGIT INQVANTVM EST IN ACTV PER FORMAM.

Insuper

Infallibilis Ordo diuinæ Prouidentiæ secundùm miram eiusdem Angelici Præceptoris doctrinam explicatur, resecatis Recentium adinuentis.



DIVI THOMAE AQVINATIS

PANORMI, Apud ANDREAM COLICCHIA. M. DC. LXV.

Imp. Martinez Rubio G. & V.G. Imp. Abbas Don Octauius de Augustino, Pro Spet. de Dominici F. P.

Digitized by Google

DIVO AVGVSTINO
LITTERARVM PATRI
EIVSQVE DISCIPVLO FIDELISSIMO.

D. THOMAE AQVINATI
DOCTORI ANGELICO
DEVOTIONIS OBSEQVIVM, GRATIARVMQ; ACTIONES.

AD vos, Sanctiſſimi Præceptores, iure optimo redit, quod veſtrum eſt. Id ſcilicet, quod, vobis docentibus, à Deo bonorum omnium largitore, ex veſtrorum aſſidua lectione librorum fateor accepiſſe. Opus hoc non niſi veſtra eructat, ne aliquid, vel minimum quidem, ex veſtris libris non exceptum, Linceus oculus inueniret. Doctrinam tuam, Auguſtine, ex Thoma, & tuam, Thoma, ex Auguſtino defendit, ac vindicat. Idq; ſat clariùs innoteſcit ex ijs, quæ in prima Parte huius Tractatus §. XV. ex veſtris libris inueniuntur tranſcripta. Cùm igitur veſtra ſint omnia, quæ ſcripſi (& in poſterum ſcribam) atq; adeò non danda, ſed reſtituenda ſint; ea vobis pro gratiarum actione, ac deuotionis obſequio, tota cum libertate reſtituo. In veſtram amborum Gloriam, & Honorem redundet quidquid laboris, quidquid vigiliarum, quidquid timoris, quidquid periculorum pro iſto opere euulgando ſuſtinui, pertuli, ſuperaui. Vos vtiq; Teſtes coram Deo eſtis, ſi præter Cœleſtis Doctrinæ veſtræ manifeſtationem, defenſionem, & ab extraneis opinionibus tutamentum aliud quidpiam cogitaui. Ea igitur, Inuictiſſimi Tutelares, protegatis vt veſtra, dum veſtro ſub Numine, ſimul & Lumine (Gemini Soles) exeunt lucem publicam inſpectura. Et quidem tibi, Sanctiſſime Præſul Auguſtine, non ſolum doctrinam debeo; ſed & vitam, quam vtiq; meritis, & interceſſionibus tuis diuinitùs mihi conceſsam, tibi refero acceptam. Tu enim illam (triginta ferè anni ſunt) mihi grauiter ægrotanti, imò etiam agonizanti, modo quodam inopinato contuliſti. Humanis eram omninò deſtitutus auxilijs, atq; animam in extremis agebam; itaut Fratres mihi moribundo aſtarent, ſalutaria ſuggerentes, vt viderent finem. Iamq; vt moris eſt, ex religioſa Charitate, non ſine lacrymis, recitauerant precationem illam, quæ incipit: *Proficiſcere Anima Chriſtiana de hoc mundo*, quando, proh mirum! viſus eſt mihi, velut in ſomnis (ſeu quonam modo neſcio) vehemens quidam, ac terribilis aquarum Torrens, qui rapido curſu proximè accedens, in ſuam me ſecum illuuiem attrahere minabatur. At quãdo minus de te cogitabam (ò Pietas!) agnoui te mecum, Auguſtine, Auguſtiſſimum

Adiu-

Digitized by Google

Adiutorem,qui tota induſtria,totiſq;viribus effeciſti,vt vaſtiſſimus ille Torrens aliò diffluereret; atq; ita me prorsùs incolumem intactumq; ſeruaſti. Reſpirans, & tunc in me reuerſus intellexi, ab illa infirmitate,te intercedente, me liberandum.Et ſtatim vni ex aſtantibus dixi: Ne fleueris. Auguſtinus pijſſimus aduenit, vt me ab hac infirmitate ſeruaret incolumem. Id accidit circa veſperarum horam præcedentem diem Feſtiuitatis tuæ (quam ſine lacrymis pre lætitia pietatis tuæ cogitare nõ poſsum)ſcilicet,Die vigeſima ſeptima Auguſti. Et illuceſcente die feſtiuitatis tuæ,illicò febris receſſit, & ſeruatus incolumis ſalutem, & vitam recepi rediuiuus. O dies nouis Natalibus propitia,mihi perpetuò memoranda! De te autem,diuiniſsime Thoma,quid dicam? O quoties admirandam tuæ benignitatis abyſsum expertus ſum! O quoties (dicam ad maiorem tui gloriam) dum actualiter ſcriberem, difficultatibus obrutus ad extremum ſpiritum,tunc caſu aperiens libros tuos,obuiam venit,me ſtupente,doctrina,quam eidem loco, quaſi antea cogitatam,adiunxi,& ſic difficultates omnes rediuiuus euaſi! Suntne hæc beneficia humanis cordibus abolenda? Ad veſtros igitur pedes prouolutus, quid agam? Communibus amborum beneficijs cumulatus, communes reddo, ſimul & habeo gratias immortales. Opus hoc veſtrum,meq; totum,qui veſter ſum (ſi iterum dandum,quod datum eſt) do, dico, dedico. Agite precor, Glorioſi Heroes, vt quem ad veſtrum gloriam tot beneficijs repleſtis in temporali hac vita, poſt eius finem veſtris interceſſionibus ducatis ad Æternam.

Digitized by Google

FACVLTAS REVERENDISSIMI P. MAGISTRI GENERALIS.

NOS FRATER IOANNES BAPTISTA DE MARINIS S.T. P. Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Seruus. Harum ſerie, noſtrique authoritate officij, tibi Reuerendo Patri Baccalaureo Fratri Ioſeph de Vita facultatem concedimus imprimendi, ac typis mandandi infraſcriptos tractatus, videlicet. De *Obiecto Logicæ, & ſecundis intentionibus. De ſenſu compoſito, & diuiſo propoſitionum modalium. De Augmento, & Decremento formarum, tàm ſecundum ſe, quàm in ordine ad ſubiectum. De veritate illius Principij: Omne, quod mouetur, ab alio mouetur: & An fuerit ab Ariſtotele demonſtratum. De neceſſitate præcedente, & ſequente ſecundùm mentem* D. *Anſelmi. De proprio, & per ſe principio, ex quo prouenit peccatum in actionibus voluntarijs, &* De *Diuina Prouidentia.* dummodo ijdem tractatus fuerint prius examinati, recogniti, & approbati à RR. A.PP. Magiſtris, Fratre Paulo Candura Prouinciali Prouinciæ Trinacriæ, Fratre Ferdinando Volpi Priore Conuentus Sanctæ Zitæ Panormi, & à Patre Regente ſtudij Generalis Sancti Dominici eiusdem Ciuitatis, quibus reuiſionem, & examen prædictorum tractatuum committimus, & data eorum approbatione imprimi poſſint, & valeant, ſeruatis ſeruãdis iuxta Decreta S.C.T. & S.C. nec non iuxta noſtras Conſtitutiones, & ordinationes Capitulorũ Generalium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem, &c. Dat: Romæ in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam. Die x. Iunij 1656.

Frater Ioannes Baptiſta de Marinis Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 32. Frater Gregorius Areilza Magiſter Prouincialis Terræ Sanctæ.

SVBSTITVTIO REVISORIS IN PERSONAM ADM. REVERENDI P. MAGISTRI Fratris Thomæ Ancona Regentis S. Dominici de Panormo.

REuerendo Patre Bacc. Sal. In luogo del P. Maeſtro F. Ferdinando Volpi, con la preſente ſoſtituiſco à riuedere, & approuare i ſuoi trattati che vuole Stampare, il P. Maeſtro F. Tomaſo Ancona moderno Regente del noſtro ſtudio Generale di S. Domenico di cotesta Città, ſeruata la forma della licenza da me conceſſali ſotto gli x. di Giugno 1656., & mi racomando con Compagni alle ſue orationi; Roma. Minerua 3. di Luglio 1660.

R. V. Conſ. in Domino Frater Ioannes Baptiſta de Marinis Magiſter Ordinis.

P. Bacc. F. Gioſeppe de Vita. Palermo S. Zita.

ADM. REVERENDI PATRIS MAGISTRI FRATRIS PETRI MARIAE PASSERINI Procuratoris Generalis totius Ordinis Prædicatorum votum, & cenſura de Operibus Auctoris, per litteras eidem Auctori tranſmiſſas tenoris ſequentis.

A tergo.

Al Reuerendo Patre Lettore Fra Gioſeppe Vita de Predicatori. Roma. S. Siſto. Procurator Generalis Ordinis.

Intus.

REuerendo Patre Lettore. Puo V. P. venire, quando le piacerà, dal P. Generale per chiederli la licenza di Stampare le ſue opere. Perche io hò fatta relatione à Sua Paternità Reuerendiſſima, d'hauerle viſte, ſe non in tutto, nelle parti piu principali, & oue à me è parſo d'eſſer neceſſario il vederle. Et hò detto à Sua Paternità Reuerendiſſima, che la dottrina, che ſi contiene in quelle non ſolo è Thomiſtica, e buona, ma neceſſaria d'inſegnarſi nell'Ordine, che per tale io la ſtimo, come hò detto anche ad altri. Verrà però con ſuo commodo V. P. e mi raccomando alle ſue orationi. Nella Minerua li 17. di Nouembre 1654.

P. V. Conſ. in Domino Frater Petrus Maria Paſſerimus Magiſter Procurator Ordinis.

A P-

Digitized by Google

APPROBATIO, ET FACVLTAS

NOS ABBAS DON OCTAVIVS DE AVGVSTINO S. T. ET V. I. D. Prothonotarius Apostolicus, in Panormitana Diœcesi Iudex Synodalis, apud Illustrissimum, & Reuerēdissimum Dominū. D. D. Petrum Martinez Rubio Archiepiscopū Panormitanum, & à Consilio Status Suæ Catholicæ Maestatis Tribunalis Visitationis Deputatus, ac Confessariorum, Ordinandorum, & Prædicatorum Examinator, Carceratorum in Tribunali Sancti Officij Sacrosanctæ Inquisitionis in Regno à Secretis Aduocatus, olim in Romana Curia quondam Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini D. IVLII, S. R. E. Cardinalis ROMAE Sacri Colleggij Decani Auditor, ac Delegatus Excellentiæ Suæ pro Regia Iurisdictione Tuenda in Impressione Operum, & Librorum, loco Spectabilis Don Ioseph Dominici Fisci Patroni Tribunalis Magnæ Regiæ Curiæ ad concedendam licentiam eadem imprimendi &c.

INSIGNE hoc Opus inscriptum *De Proprio, & per se Principio, vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs* ab Admodū Reuerendo Patre Baccalaureo Fratre Ioseph de Vita ex Venerabili Prædicatorum Ordine Cōuentus Sanctæ Zitæ Panormi Alumno cōpositū, cum iucunda quadam animi oblectatione perlegimus, & à capite ad calcem euolutauimus, ac sedulò doctrinam excussimus; & cum nihil inconcinnum, aut dissonum, vel Regiæ Iurisdictioni obnoxium in eo repertum fuisset; perspicuitatem, methodum, & in re tàm difficili claritatem, acumen ingenij, & (vt verbo dicam) Auctoris eruditionem, ac sapientiam admirati, dignum planè arbitrati sumus, quod typis excussum Patrum Prædicatorum, hoc est, doctissimorum virorum, Orbem ex instituto docentium Ordinem deceat, ditetque rempublicam literariam. Proindè vt prælo imprimatur concedimus, eoque magis ad id etiam accedentibus Vōtis Theologorum, quibus reuisionem demandauimus. In cuius rei testimonium præsentes dedimus nostra subscriptione munitas. Dat. Panormi Die 25. Martij 1664.

Abbas Don Octauius de Augustino.

APPROBATIO ADMODVM R. P. M. PROVINCIALIS FRATRIS PAVLI CANDVRA.

EGO Fr. Paulus Candura de Regalbuto Magister Prouincialis Trinacriæ Ordinis Prædicatorum ex cōmissione Reuerēdissimi Patris Fratris Ioannis Baptistæ de Marinis Magistri Generalis Ordinis eiusdē diligenter examinaui, & actentè recognoui tractatū *de Proprio, & per se principio vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs*, compositum à Reuerendo Patre Fr. Ioseph de Vita præfati Ordinis, & Prouinciæ, illumque, vt potè nil contra Sanctam Fidem Catholicam, & bonos mores continentem, libenti animo approbo, & existimo dignissimum, vt in commune Philosophorum, & Theologorum bonum (seruatis tamen aliàs seruandis) Typis quamprimùm mandetur. Siquidem, præterquam quòd solida D. Thomæ Aquinatis Doctrina vndequaque redolet, vtilissimum, quin potius necessarium omninò censeo, ad tollendas, & enodandas grauissimas, quæ magnorum Virorum ingenia hucusque presserunt, & adhuc premunt, difficultates. Sic sentio Ennæ in Conuentu Sancti Dominici primo Aprilis 1657.

Frater Paulus Candura qui supra.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO ADMODVM REVERENDI PATRIS MAGISTRI FRATRIS IOSEPH GIGANTE Regentis Studij generalis S. Dominici de Panormo.

EGREGIVM opus [*De proprio, & per se principio vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs*] à R.P. Baccalaureo Fratre Ioseph de Vita ex Venerabili Conuentu Sanctæ Zitæ Panormi Ordinis nostri elaboratum; quòd olim in partes, cùm adhuc ab Auctore componeretur, præ manibus habere solitus eram, & ad otium, solatiumq; peruoluere satagebam. Nunc iterum ex integro cõmissione, & iussu Reuerendissimi Patris Fratris Ioannis Baptistæ de Marinis totius Ordinis Prædicatorũ Magistri Generalis accuratà, quà licuit, attentione lustraui. In eo (vt impositò muneri satisfaciam) nedùm aliquid, quod Orthodoxæ fidei disciplinam, sacramq; Theologiam, & bonos hominum mores, vel leuiter offenderet, non inueni: verùm plura sedulus obseruaui, vnde poterunt satis abundè fructus elicere Fidelis, Theologus, & Moralis. Ex hac igitur parte sum in voto, quòd liberè possit Typis mandari; vt tàm perutile Opus in commune omnium commodum elucescat. Quantùm enim spectat ad Thomisticam Doctrinam, nescio, an hucusque ab alijs magis appositè dictum sit: Quandoquidem Auctor iste in alta Aquinatis mente penetranda, ac medullitus eruenda totus, totusque est. Non ex riuulis rimatur flumen, sed ex ipsomet Fonte. Ex Thoma, Thomam loquitur. Abyssum inuocat ex Abysso. Thomistica verò Asserta, vel maximè ardua, tàm facilè solidèq; conciliat; vt etiam remotas, videas; & quasi attrectes manibus consequentias ex principijs per se notis. Non enim sistit in discursibus suis, nisi quatenus ad illa resoluat, ac resolutos ostendat à Diuo Thoma. Quæ de Diuina Prouidentia, de subordinatione causarum, De Motione Primi mouentis, & consimilibus, hoc præsertim sæculo, vel intricata nimis, vel non plenius explanata languescunt, Cherubica Sancti Doctoris intelligentia (tàm in hoc Tomo primo, quàm etiam in secundo, quem iam præparat idem Autor) fœliciùs, quàm Ariadnæ filo, resolutus explicat, ac explanat. Antecedentiam Diuinorum Decretorum, physicam eorumdem efficientiam, infallibilitatem, & efficaciam tuetur acerrimus Propugnator, seruata semper illæsa effectuum contingentia, & humanorum actuum libertate. Et quidem, non per tramites imperuios, & spinosos quos adire pertentant Moderniores, singulis quibusque passibus offendendo; sed per viam planam, Regiam, & expeditam; quam, scilicet, fœlicissimè sternit Lumen Ecclesiæ Sanctus Thomas. Illud in Autore mirandum, quòd omnes ferè difficultates, eas etiam, quas nouas existimant Nouatores ex vno Diuo Thoma dissoluit; euidenter ostendens, nihil vnquam alicuius ponderis extitisse in materia, de qua agit, vel à quopiam productùm in medium, quod non prius fuerit, aut fortius propositum, aut fœlicius absolutum ab Aquinate. Plura dixerim de præclaro Auctoris ingenio, in hac præsertim materia propè singulari; nisi Censoris metas excederem. Verùm de paucis hisce, quæ obiter dicta velim, siquid ambigis, lege Opus: si fortasse offenderis, non statim præcipites votum tuum. Iudicium vel ad horam suspende. Perlege totum, ad finem vsque. Cuncta enim ordinatim suis quæque locis sunt aptè disposita. Nihil in mente restabit ambiguum: Sed ferè fugatis nebulis egustabis omne serenum, ratione suffultum, claritate conspicuum. Experimento fateberis veritatem. Ita censeo. Ita voueo. Panormi in Conuentu Sancti Dominici, & solemnijs Sancti Thomæ die 7. Martij 1657.

Frater Ioseph Gigante Magister ac Regens studij Generalis eiusdem Conuentus Sancti Dominici de Panormo.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO AD. REVERENDI P. MAGISTRI FRATRIS THOMAE ANCONA Regentis Studij Generalis S. Dominici de Panormo.

TRACTATVM, *De proprio, & per se principio, vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs*, à Reuerendo P. Baccalaureo Fratre Ioseph de Vita lucubratum, nostri Reuerendissimi Patris Generalis Ioannis Baptistæ de Marinis mandato, summa, quà valui diligentia, & non parua animi voluptate perlustraui: in quo nihil Orthodoxæ fidei, bonisque moribus contrarium inueni: immò supra firmam doctrinæ Diui Thomæ petram fundatum reperij; ita vt (ni fallor) audeam dicere, quòd ex nostris, & exteris nemo circa prædictam materiam ipsius Angelici mentem attigisset, explanassetque. Quare magnifacio, nèdùm dignum esse, vt hic tractatus in publicum prodeat, typisque mandetur; verùm etiam è cunctorum D. Thomæ assectarum manibus, ore, & corde, aud vnquam corruat. Panormi in Conuentu S. Dominici 18. Octobris 1660.

Frater Thomas Ancona Magister, & Regens Studij Generalis S. Dominici de Panormo manu propria.

HIERONYMI MATRANGA PAN. CLER. REGVL. THEOLOGI; S. INQVISITIONIS huius Regni Qualificatoris, & Consultoris, & Tribunalis Visitationis M. C. Arch. huius F. V. Examinatoris.

IVDICIVM.

LEGERAM pluribus abhinc Annis Volumen à R. *P.* F. Iosepho de Vita Siculo Ord: Præd. sedulò & accuratè lucubratum, inscriptum: *De proprio, & per se Principio, vndè prouenit Peccatum in actionibus voluntarijs*. Crediderat mihi A. R. P. Mag. F. Gregorius Areilza Terræ S. Prouincialis, tùm huius Prouinciæ Generalis Visitator & Commissarius eiusdē Ordinis; vt si quid nouum, inauditum, vel absurdum offenderem, censor notarem; & si Doctoris Angelici doctrinæ, vel minimùm aduersari putarem, planè, & apertè proferrem. Multò post, & hoc tempore iterùm, atque iterùm in manus meas peruenit, iterùm euolui. Quæstiones, Conclusionesque singulas attentiùs perpendi. Ne multa: in primam sententiam vltrò abij, vt posthàc ad commune commodum publicum fieret. Mirum: rem captu perdifficilem, quam vt assequerentur, omnium ferè Ordinum doctissimi excursu potiùs hostili, quàm discursu Scholastico, non sine Veritatis iacturà ad extremum spiritum, & vsque ad hunc diem concertarant, vnum hunc, meo iudicio, Aquinatis munitum argumentis attigisse, & inprimis in illius mentem feliciter penetrasse. Commendes in viro, cæteroqui modestissimo, acerrimum ingenium, non contentiosà æmulatione, sed indagandi veri desiderio commotum: studiumque in elucidandis obscuris, in extricandis nodis, detegendisque inuolucris assiduum. Commendes opus, non vimineo contextu, in speciem Theologicum, sed doctrinæ soliditate omninò aureum. Dignum sanè omni ex parte laudatum, quod lucem, ne dicam videat, sed faciat, & cui Angelicæ tum Exedræ, tum Cathedræ complaudant; Panis in Aedibus S. Iosephi Prid. Non. Aug. labentis M. DC. LXV.

Hieronymus Matranga.

LE-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

HABES studiose lector oblatum à me opus, cui nec erratorum correctio, nec index aliquis est adiectus. Sed horum primum abundantia vetuit. Tot enim scatet ex impressorum incuria erratis, vt ad ea corrigenda integrum volumen necessarium fuisset. Quare satiùs existimauimus, humanitati, & beneuolentiæ tuæ committere corrigenda, quæ vel apparentia sunt, vel, habita antecedentium, & subsequentium ratione, facile dignoscentur, siquando in tale aliquid offenderis. At verò consultò non adiecimus indicem; quia opus ipsum indiget, vt totum legas. Et nihilominùs in Secundo Tomo dabimus copiosum indicem pro vtroq;. Ratio deniq; totius tractatus facillimè tibi innotescet ex vtriusq; partis vtroq; procœmio, & ex singulis singularum disputationum: quarum quæsita (quæ dumtaxat quatuor sunt) habes in calce procœmij secundæ partis fol. 86. Vnum aduerte: quòd videlicet, Disputatione Secunda à §. 19. ad 24. à fol. 237. ad 284. occasione habita ex doctrina Angelici Præceptoris, adiunximus integrum tractatum *DE DETERMINATIVO AGENTIVM OMNIVM AD ACTIONES*, iuxta maximam ab ipso Sancto Doctore demonstratam: *Determinatio agentis ad aliquam actionem, oportet, quòd sit ab aliqua cognitione præstituente finem actioni.* Vbi §. XX. fol. 240. agimus de Modo, quo à tali cognitione determinantur ea, quæ omni cognitione carent. §. verò XXI. fol. 246. de modo, quo determinantur ea, quæ agunt cognitione sensitiua, vt bruta. Et §. §. XXII. & XXIII. à fol. 253. ad 284. satis accuratè, reiectis, & confutatis aduersarijs, agimus de modo, quo ab eadem cognitione determinantur agentia per intellectum, qualia sunt homines Angeli, & Deus. Qualiter autem intellectus humanus determinet seipsum, sitque causa sui in iudicando de singularibus agendis per voluntatem suam, cui deseruit vt iudex, explicamus, & probamus diffusè disp. 3. §. 7. dubio primò à fol. 407. ad 412. Qualiter verò ad eadem agenda determinet seipsum, & sit causa sui, intellectus Angelicus, quod est valde difficile, explicamus eodem §. dubio 2. à fol. 412. ad 428. Deniq; qualiter intellectus Diuinus determinet suo modo seipsum, sit etiam suo modo, & resecatis imperfectionibus, causa sui in iudicando, siue de agendis, siue de efficiendis à sè, explicamus, & probamus eodem §. dubio tertio à fol. 419. ad 439. Quæ quidem non inuenies ab alio hactenùs explicata: Diuum Thomam excipimus, à quo ea didicimus, vt tibi patebit legenti loca à nobis adducta. Quare remanet, vt ea studiosè legas, & gratias agas Deo, à quo habuimus, vt in gratiam tui prædicta scripserimus. Vale.

ADM.

Digitized by Google

ADM. R. P. MAGISTRI FRATRIS THOMÆ MARIÆ SPADA.

Ordinis Prædicatorum.

De eodem Libro.

Ad Lectorem.

Anagramma purum.

FRATER IOSEPHVS DE VITA DOMINICANVS.

VIR PACIS, NATVS DIVI THOMAE DEFENSOR.

QVisnam Defensor Diui *super omnia* Thomæ
Vir *tantæ* Pacis *munere* Natus *erit*?
Hæc olim mecum. Dubius dum consulo Musam;
Musa mihi dulcis talia dicta dedit.
Verte notas Vates. Dictu mirabile! Vertens,
Inuenio tanti Nomina clara Viri.
Tutus crede nouum, Lector mi candidè, librum,
Qui Thomæ, & Ioseph *mutua sensa docet.*
Nempè quis ambigeret; quando vel Nomine iuncti,
Thomas, & Ioseph *fœdera* Pacis *habent*?

REVERENDI DON SANCTI GIGANTE CIMINNENSIS.

Ad Auctorem.

De præclaro eius libro.

Anagramma purum.

FRATER IOSEPHVS DE VITA DOMINICANVS.

INTERPRES DIVI THOMAE, CANO SVA; FIDVS.

DVlcia concentu, rationi consona Thomas
Composuit dictis dogmata sancta piis.
Ambigis, an sensu mentes, an vocibus aures;
Fortiùs alliciant: Vnio tanta viget.
At malè concordes animi dare dissona certant
Arcana eximij mente reposta Viri.
Tu seruandus eras, nostra hæc ad tempora Ioseph,
Qui petis alta Dei culmina, mente Sophus.
Tu certè es verax. quid enim? vel consona factis
Nomina versa loquens, talia verba sonas:
Fidus *ego, concors*, Diui *comes vndique* Thomæ;
Musicus Interpres, *ad* sua *dicta* cano.

ALIVD

ALIVD EIVSDEM DON SANCTI.

Ad eumdem Auctorem.

De eius libro.

Anagramma item purum.

PATER IOSEPHVS DE VITA DOMINICANVS.

HIC, VT VERA PANDENS; SOSPITO VIAM DEI.

PRominet ingenio Thomæ Labyrintica Moles,
Quam nouus erexit Dædalus, arte sacram
Hìc Arcana latent, captu nimis ardua. quorum
Vix potuit quisquam Sospes adire vias.
Haud facile euadunt tanta hæc Penetralia mentes,
Ni dederit filum Dux Ariadna suum.
Ast ea, quæ tandem vigeat Dux inclyta? quæris?
Crede mihi, Ioseph, *Mens tua tanta viget.*
Nil mirum, si tanta potes. Vel Nomine tradis,
Quanta sit ingenij Vis generosa tui.
Hìc *ego* (*sic ais*) Vt *ducto super omnia filo*,
Vera Dei pandens, Sospito *ad Astra* Viam.

ALIVD EIVSDEM DON SANCTI.

In egregium Auctoris Librum.

Pio Lectori.


Anagramma itidem purum.

PATER IOSEPH DE VITA DOMINICANVS.

O, VENI: PIA NITESCIT PHAROS AD DEVM.

MIlle profunda nimis produxerat Æquora Thomas,
Doctrinæ immensæ. Talis Abyssus erat.
Nequis aberraret; statuit propè littora Portum,
Quì Christus verè est. Vnde serena quies.
At confusa Ratis, prælongè deuia Veri,
Mersa inter Scopulos, victa peribat aquis.
Sat modò prouisum. Iam Turris ad æthera Ioseph
Surgit, & illustres pandit amica faces.
Allicit in Portum: proprio de Nomine clamat:
Accipe quæsò pijs auribus. ista monet:
O quis adire Deum quæris, Præcelsa nitescit
Sat pia, *clara* pharos. *Sedule Nauta*, Veni.

ALIVD



Digitized by Google

DIVO AVGVSTINO
LITTERARVM PATRI
EIVSQVE DISCIPVLO FIDELISSIMO.

D. THOMAE AQVINATI
DOCTORI ANGELICO
DEVOTIONIS OBSEQVIVM, GRATIARVMQ; ACTIONES.

AD vos, Sanctiſſimi Præceptores, iure optimo redit, quod veſtrum eſt. Id ſcilicet, quod, vobis docentibus, à Deo bonorum omnium largitore, ex veſtrorum aſſidua lectione librorum fateor accepiſſe. Opus hoc non niſi veſtra eructat, ne aliquid, vel minimum quidem, ex veſtris libris non exceptum, Linceus oculus inueniret. Doctrinam tuam, Auguſtine, ex Thoma, & tuam, Thoma, ex Auguſtino defendit, ac vindicat. Idq; ſat clariùs innoteſcit ex ijs, quæ in prima Parte huius Tractatus §. XV. ex veſtris libris inueniuntur tranſcripta. Cùm igitur veſtra ſint omnia, quæ ſcripſi (& in poſterum ſcribam) atq; adeò non danda, ſed reſtituenda ſint; ea vobis pro gratiarum actione, ac deuotionis obſequio, tota cum libertate reſtituo. In veſtram amborum Gloriam, & Honorem redundet quidquid laboris, quidquid vigiliarum, quidquid timoris, quidquid periculorum pro iſto opere euulgando ſuſtinui, pertuli, ſuperaui. Vos vtiq; Teſtes coram Deo eſtis, ſi præter Cœleſtis Doctrinæ veſtræ manifeſtationem, defenſionem, & ab extraneis opinionibus tutamentum aliud quidpiam cogitaui. Ea igitur, Inuictiſſimi Tutelares, protegatis vt veſtra, dum veſtro ſub Numine, ſimul & Lumine (Gemini Soles) exeunt lucem publicam inſpectura. Et quidem tibi, Sanctiſſime Præſul Auguſtine, non ſolum doctrinam debeo; ſed & vitam, quam vtiq; meritis, & interceſſionibus tuis diuinitùs mihi conceſsam, tibi refero acceptam. Tu enim illam (triginta ferè anni ſunt) mihi grauiter ægrotanti, imò etiam agonizanti, modo quodam inopinato contuliſti. Humanis eram omninò deſtitutus auxilijs, atq; animam in extremis agebam; itaut Fratres mihi moribundo aſtarent, ſalutaria ſuggerentes, vt viderent finem. Iamq; vt moris eſt, ex religioſa Charitate, non ſine lacrymis, recitauerant precationem illam, quæ incipit: *Proficiſcere Anima Chriſtiana de hoc mundo*, quando, proh mirum! viſus eſt mihi, velut in ſomnis (ſeu quonam modo neſcio) vehemens quidam, ac terribilis aquarum Torrens, qui rapido curſu proximè accedens, in ſuam me ſecum illuuiem attrahere minabatur. At quàm minus de te cogitabam (ò Pietas!) agnoui te mecum, Auguſtine, Auguſtiſſimum

Adiu-

Digitized by Google

Adiutorem, qui tota induſtria, totiſq; viribus effeciſti, vt vaſtiſſimus ille Torrens aliò diffluereret; atq; ita me prorsùs incolumem intactumq; ſeruaſti. Reſpirans, & tunc in me reuerſus intellexi, ab illa infirmitate, te intercedente, me liberandum. Et ſtatim vni ex aſtantibus dixi: Ne fleueris. Auguſtinus pijſſimus aduenit, vt me ab hac infirmitate ſeruaret incolumem. Id accidit circa veſperarum horam præcedentem diem Feſtiuitatis tuæ (quam ſine lacrymis præ lætitia pietatis tuæ cogitare nō poſsum) ſcilicet, Die vigeſima ſeptima Auguſti. Et illuceſcente die feſtiuitatis tuæ, illicò febris receſſit, & ſeruatus incolumis ſalutem, & vitam recepi rediuiuus. O dies nouis Natalibus propitia, mihi perpetuò memoranda! De te autem, diuiniſsime Thoma, quid dicam? O quoties admirandam tuæ benignitatis abyſsum expertus ſum! O quoties (dicam ad maiorem tui gloriam) dum actualiter ſcriberem, difficultatibus obrutus ad extremum ſpiritum, tunc caſu aperiens libros tuos, obuiam venit, me ſtupente, doctrina, quam eidem loco, quaſi antea cogitatam, adiunxi, & ſic difficultates omnes rediuiuus euaſi! Suntne hæc beneficia humanis cordibus abolenda? Ad veſtros igitur pedes prouolutus, quid agam? Communibus amborum beneficijs cumulatus, communes reddo, ſimul & habeo gratias immortales. Opus hoc veſtrum, meq; totum, qui veſter ſum (ſi iterum dandum, quod datum eſt) do, dico, dedico. Agite precor, Glorioſi Heroes, vt quem ad veſtrum gloriam tot beneficijs repleſtis in temporali hac vita, poſt eius finem veſtris interceſſionibus ducatis ad Æternam.

FACVL

Digitized by Google

FACVLTAS REVERENDISSIMI P. MAGISTRI GENERALIS.

NOS FRATER IOANNES BAPTISTA DE MARINIS S.T.P. Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Seruus. Harum ſerie, noſtrique authoritate officij, tibi Reuerendo Patri Baccalaureo Fratri Ioſeph de Vita facultatem concedimus imprimendi, ac typis mandandi infraſcriptos tractatus, videlicet. De *Obiecto Logicæ, & ſecundis intentionibus. De ſenſu compoſito, & diuiſo propoſitionum modalium. De Augmento, & Decremento formarum; tàm ſecundum ſe, quàm in ordine ad ſubiectum. De veritate illius Principij: Omne, quod mouetur, ab alio mouetur: & An fuerit ab Ariſtotele demonſtratum. De neceſſitate præcedente, & ſequente ſecundùm mentem* D. *Anſelmi. De proprio, & per ſe principio, ex quo prouenit peccatum in actionibus voluntarijs*, & De *Diuina Prouidentia*. dummodo ijdem tractatus fuerint prius examinati, recogniti, & approbati à RR. A.PP. Magiſtris, Fratre Paulo Candura Prouinciali Prouinciæ Trinacriæ, Fratre Ferdinando Volpi Priore Conuentus Sanctæ Zitæ Panormi, & à Patre Regente ſtudij Generalis Sancti Dominici eiusdem Ciuitatis, quibus reuiſionem, & examen prædictorum tractatuum committimus, & data eorum approbatione imprimi poſſint, & valeant, ſeruatis ſeruãdis iuxta Decreta S.C.T. & S.C. nec non iuxta noſtras Conſtitutiones, & ordinationes Capitulorũ Generalium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem, &c. Dat: Romæ in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam. Die x. Iunij 1656.

Frater Ioannes Baptiſta de Marinis Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 32. Frater Gregorius Areilza Magiſter Prouincialis Terræ Sanctæ.

SVBSTITVTIO REVISORIS IN PERSONAM ADM. REVERENDI P. MAGISTRI Fratris Thomæ Ancona Regentis S. Dominici de Panormo.

REuerendo Patre Bacc. Sal. In luogo del P. Maeſtro F. Ferdinando Volpi, con la preſente ſoſtituiſco à riuedere, & approuare i ſuoi trattati che vuole Stampare, il P. Maeſtro F. Tomaſo Ancona moderno Regente del noſtro ſtudio Generale di S. Domenico di coteſta Città, ſeruata la forma della licenza da me conceſſali ſotto gli x. di Giugno 1656., & mi racomando con Compagni alle ſue orationi; Roma. Minerua 3. di Luglio 1660.

R. V. Conſ. in Domino Frater Ioannes Baptiſta de Marinis Magiſter Ordinis.

P. Bacc. F. Gioſeppe de Vita. Palermo S. Zita.

ADM. REVERENDI PATRIS MAGISTRI FRATRIS PETRI MARIAE PASSERINI Procuratoris Generalis totius Ordinis Prædicatorum votum, & cenſura de Operibus Auctoris, per litteras eidem Auctori tranſmiſſas tenoris ſequentis.

A tergo.

Al Reuerendo Patre Lettore Fra Gioſeppe Vita de Predicatori. Roma. S. Siſto. Procurator Generalis Ordinis.

Intus.

REuerendo Patre Lettore. Puo V. P. venire, quando le piacerà, dal P. Generale per chiederli la licenza di Stampare le ſue opere. Perche io hò fatta relatione à Sua Paternità Reuerendiſſima, d'hauerle viſte, ſe non in tutto, nelle parti piu principali, & oue à me è parſo d'eſſer neceſſario il vederle. Et hò detto à Sua Paternità Reuerendiſſima, che la dottrina, che ſi contiene in quelle non ſolo è Thomiſtica, e buona, ma neceſſaria d'inſegnarſi nell'Ordine, che per tale io la ſtimo, come hò detto anche ad altri. Verrà però con ſuo commodo V. P. e mi raccomando alle ſue orationi. Nella Minerua li 17. di Nouembre 1654.

P. V. Conſ. in Domino Frater Petrus Maria Paſſerimus Magiſter Procurator Ordinis.

A P-

Digitized by Google

APPROBATIO, ET FACVLTAS

NOS ABBAS DON OCTAVIVS DE AVGVSTINO S. T. ET V. I. D. Prothonotarius Apostolicus, in Panormitana Diœcesi Iudex Synodalis, apud Illustrissimum, & Reuerēdissimum Dominū. D. D. Petrum Martinez Rubio Archiepiscopū Panormitanum, & à Consilio Status Suæ Catholicæ Maestatis Tribunalis Visitationis Deputatus, ac Confessariorum, Ordinandorum, & Prædicatorum Examinator, Carceratorum in Tribunali Sancti Officij Sacrosanctæ Inquisitionis in Regno à Secretis Aduocatus, olim in Romana Curia quondam Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini D. IVLII. S. R. E. Cardinalis ROMAE Sacri Colleggij Decani Auditor, ac Delegatus Excellentiæ Suæ pro Regia Iurisdictione Tuenda in Impressione Operum, & Librorum, loco Spectabilis Don Ioseph Dominici Fisci Patroni Tribunalis Magnæ Regiæ Curiæ ad concedendam licentiam eadem imprimendi &c.

INSIGNE hoc Opus inscriptum *De Proprio, & per se Principio, vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs* ab Admodū Reuerendo Patre Baccalaureo Fratre Ioseph de Vita ex Venerabili Prædicatorum Ordine Cōuentus Sanctæ Zitæ Panormi Alumno cōpositū, cum iucunda quadam animi oblectatione perlegimus, & à capite ad calcem euolutauimus, ac sedulò doctrinam excussimus; & cum nihil inconcinnum, aut dissonum, vel Regiæ Iurisdictioni obnoxium in eo repertum fuisset; perspicuitatem, methodum, & in re tam difficili claritatem, acumen ingenij, & (vt verbo dicam) Auctoris eruditionem, ac sapientiam admirati, dignum planè arbitrati sumus, quod typis excussum Patrum Prædicatorum, hoc est, doctissimorum virorum, Orbem ex instituto docentium Ordinem deceat, ditetque rempublicam literariam. Proindè vt prælo imprimatur concedimus, eoque magis ad id etiam accedentibus Vōtis Theologorum, quibus reuisionem demandauimus. In cuius rei testimonium præsentes dedimus nostra subscriptione munitas. Dat. Panormi Die 25. Martij 1664.

Abbas Don Octauius de Augustino.

APPROBATIO ADMODVM R. P. M. PROVINCIALIS FRATRIS PAVLI CANDVRA.

EGO Fr. Paulus Candura de Regalbuto Magister Prouincialis Trinacriæ Ordinis Prædicatorum ex cōmissione Reuerēdissimi Patris Fratris Ioannis Baptistæ de Marinis Magistri Generalis Ordinis eiusdē diligenter examinaui, & actentè recognoui tractatū *de Proprio, & per se principio vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs*, compositum à Reuerendo Patre Fr. Ioseph de Vita præfati Ordinis, & Prouinciæ, illumque, vt potè nil contra Sanctam Fidem Catholicam, & bonos mores continentem, libenti animo approbo, & existimo dignissimum, vt in commune Philosophorum, & Theologorum bonum (seruatis tamen aliàs seruandis) Typis quamprimùm mandetur. Siquidem, præterquam quòd solida D. Thomæ Aquinatis Doctrina vndequaque redolet, vtilissimum, quin potius necessarium omninò censeo, ad tollendas, & enodandas grauissimas, quæ magnorum Virorum ingenia hucusque presserunt, & adhuc premunt, difficultates. Sic sentio Ennæ in Conuentu Sancti Dominici primo Aprilis 1657.

Frater Paulus Candura qui supra.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO ADMODVM REVERENDI PATRIS MAGISTRI FRATRIS IOSEPH GIGANTE Regentis Studij generalis S. Dominici de Panormo.

EGREGIVM opus [*De proprio, & per se principio vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs*] à R.P. Baccalaureo Fratre Ioseph de Vita ex Venerabili Conuentu Sanctæ Zitæ Panormi Ordinis nostri elaboratum; quod olim in partes, cùm adhuc ab Auctore componeretur, præ manibus habere solitus eram, & ad otium, solatiumq; peruoluere satagebam. Nunc iterum ex integro cõmissione, & iussu Reuerendissimi Patris Fratris Ioannis Baptistæ de Marinis totius Ordinis Prædicatorũ Magistri Generalis accurata, quà licuit, attentione lustraui. In eo (vt impositò muneri satisfaciam) nedùm aliquid, quod Orthodoxæ fidei disciplinam, sacramq; Theologiam, & bonos hominum mores, vel leuiter offenderet, non inueni: verùm plura sedulus obseruaui, vnde poterunt satis abundè fructus elicere Fidelis, Theologus, & Moralis. Ex hac igitur parte sum in voto, quòd liberè possit Typis mandari; vt tàm perutile Opus in commune omnium commodum elucescat. Quantùm enim spectat ad Thomisticam Doctrinam, nescio, an hucusque ab alijs magis appositè dictum sit: Quandoquidem Auctor iste in alta Aquinatis mente penetranda, ac medullitus eruenda totus, totusque est. Non ex riuulis rimatur flumen, sed ex ipsomet Fonte. Ex Thoma, Thomam loquitur. Abyssum inuocat ex Abysso. Thomistica verò Asserta, vel maximè ardua, tàm facilè solidèq; conciliat; vt etiam remotas, videas; & quasi attrectes manibus consequentias ex principijs per se notis. Non enim sistit in discursibus suis, nisi quatenus ad illa resoluat, ac resolutos ostendat à Diuo Thoma. Quæ de Diuina Prouidentia, de subordinatione causarum, De Motione Primi mouentis, & consimilibus, hoc præsertim sæculo, vel intricata nimis, vel non pleniùs explanata languescunt, Cherubica Sancti Doctoris intelligentia (tàm in hoc Tomo primo, quàm etiam in secundo, quem iam præparat idem Autor) fœliciùs, quàm Ariadnæ filo, resolutus explicat, ac explanat. Antecedentiam Diuinorum Decretorum, physicam eorumdem efficientiam, infallibilitatem, & efficaciam tuetur acerrimus Propugnator, seruata semper illæsa effectuum contingentia, & humanorum actuum libertate. Et quidem, non per tramites imperuios, & spinosos quos adire pertentant Moderniores, singulis quibusque passibus offendendo; sed per viam planam, Regiam, & expeditam; quam, scilicet, fælicissimè sternit Lumen Ecclesiæ Sanctus Thomas. Illud in Autore mirandum, quòd omnes ferè difficultates, eas etiam, quas nouas existimant Nouatores ex vno Diuo Thoma dissoluit; euidenter ostendens, nihil vnquam alicuius ponderis extitisse in materia, de qua agit, vel à quopiam productum in medium, quod non prius fuerit, aut fortius propositum, aut fælicius absolutum ab Aquinate. Plura dixerim de præclaro Auctoris ingenio, in hac præsertim materia propè singulari; nisi Censoris metas excederem. Verùm de paucis hisce, quæ obiter dicta velim, siquid ambigis, lege Opus: si fortasse offenderis, non statim præcipites votum tuum. Iudicium vel ad horam suspende. Perlege totum, ad finem vsque. Cuncta enim ordinatim suis quæque locis sunt aptè disposita. Nihil in mente restabit ambiguum: Sed ferè fugatis nebulis egustabis omne serenum, ratione suffultum, claritate conspicuum. Experimento fateberis veritatem. Ita censeo, Ita voueo. Panormi in Conuentu Sancti Dominici, & solemnijs Sancti Thomæ die 7. Martij 1657.

Frater Ioseph Gigante Magister ac Regens studij Generalis eiusdem Conuentus Sancti Dominici de Panormo.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO AD. REVERENDI P. MAGISTRI FRATRIS THOMAE ANCONA Regentis Studij Generalis S. Dominici de Panormo.

TRACTATVM, *De proprio, & per se principio, vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs*, à Reuerendo P. Baccalaureo Fratre Ioseph de Vita lucubratum, nostri Reuerendissimi Patris Generalis Ioannis Baptistæ de Marinis mandato, summa, quà valui diligentia, & non parua animi voluptate perlustraui: in quo nihil Orthodoxæ fidei, bonisque moribus contrarium inueni: immò supra firmam doctrinæ Diui Thomæ petram fundatum reperij; ita vt (ni fallor) audeam dicere, quòd ex nostris, & exteris nemo circa prædictam materiam ipsius Angelici mentem attigisset, explanassetque. Quare magnifacio, nèdùm dignum esse, vt hic tractatus in publicum prodeat, typisque mandetur; verùm etiam è cunctorum D. Thomæ asseclarum manibus, ore, & corde, aud vnquam corruat. Panormi in Conuentu S. Dominici 18. Octobris 1660.

Frater Thomas Ancona Magister, & Regens Studij Generalis S. Dominici de Panormo manu propria.

HIERONYMI MATRANGA PAN. CLER. REGVL. THEOLOGI; S. INQVISITIONIS huius Regni Qualificatoris, & Consultoris, & Tribunalis Visitationis M. C. Arch. huius F. V. Examinatoris.

I V D I C I V M.

LEGERAM pluribus abhinc Annis Volumen à R. *P.* F. Iosepho de Vita Siculo Ord: Præd. sedulò & accuratè lucubratum, inscriptum: *De proprio, & per se Principio, vndè prouenit Peccatum in actionibus voluntarijs*. Crediderat mihi A. R. P. Mag. F. Gregorius Areilza Terræ S. Prouincialis, tùm huius Prouinciæ Generalis Visitator & Commissarius eiusdē Ordinis; vt si quid nouum, inauditum, vel absurdum offenderem, censor notarem; & si Doctoris Angelici doctrinæ, vel minimùm aduersari putarem, planè, & apertè proferrem. Multò post, & hoc tempore iterùm, atque iterùm in manus meas peruenit, iterùm euolui. Quæstiones, Conclusioneſque singulas attentiùs perpendi. Ne multa: in primam sententiam vltrò abij, vt posthàc ad commune commodum publicum fieret. Mirum: rem captu perdifficilem, quam vt assequerentur, omnium ferè Ordinum doctissimi excursu potiùs hostili, quàm discursu Scholastico, non sine Veritatis iactura, ad extremum spiritum, & vsque ad hunc diem concertarant, vnum hunc, meo iudicio, Aquinatis munitum argumentis attigisse, & inprimis in illius mentem feliciter penetrasse. Commendes in viro, cæteroqui modestissimo, acerrimum ingenium, non contentiosà æmulatione, sed indagandi veri desiderio commotum; studiumque in elucidandis obscuris, in extricandis nodis, detegendisque inuolucris assiduum. Commendes opus, non vimineo contextu, in speciem Theologicum, sed doctrinæ soliditate omninò aureum. Dignum sanè omni ex parte laudatum, quod lucem, ne dicam videat, sed faciat, & cui Angelicæ tum Exedræ, tum Cathedræ complaudant; Panis in Aedibus S. Iosephi Prid. Non. Aug. labentis M. DC. LXV.

Hieronymus Matranga.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

HABES studiose lector oblatum à me opus, cui nec erratorum correctio, nec index aliquis est adiectus. Sed horum primum abundantia vetuit. Tot enim scatet ex impressorum incuria erratis, vt ad ea corrigenda integrum volumen necessarium fuisset. Quare satiùs existimauimus, humanitati, & beneuolentiæ tuæ committere corrigenda, quæ vel apparentia sunt, vel, habita antecedentium, & subsequentium ratione, facile dignoscentur, siquando in tale aliquid offenderis. At verò consultò non adiecimus indicem; quia opus ipsum indiget, vt totum legas. Et nihilominùs in Secundo Tomo dabimus copiosum indicem pro vtroq;. Ratio deniq; totius tractatus facillimè tibi innotescet ex vtriusq; partis vtroq; procemio, & ex singulis singularum disputationum: quarum quæsita (quæ dumtaxat quatuor sunt) habes in calce procemij secundæ partis fol. 86. Vnum aduerte: quòd videlicet, Disputatione Secunda à §. 19. ad 24. à fol. 237. ad 284. occasione habita ex doctrina Angelici Præceptoris, adiunximus integrum tractatum *DE DETERMINATIVO AGENTIVM OMNIVM AD ACTIONES*, iuxta maximam ab ipso Sancto Doctore demonstratam: *Determinatio agentis ad aliquam actionem, oportet, quòd sit ab aliqua cognitione præstituente finem actioni.* Vbi §. XX. fol. 240. agimus de Modo, quo à tali cognitione determinantur ea, quæ omni cognitione carent. §. verò XXI. fol. 246. de modo, quo determinantur ea, quæ agunt cognitione sensitiua, vt bruta. Et §. §. XXII. & XXIII. à fol. 253. ad 284. satis accuratè, reiectis, & confutatis aduersarijs, agimus de modo, quo ab eadem cognitione determinantur agentia per intellectum, qualia sunt homines Angeli, & Deus. Qualiter autem intellectus humanus determinet seipsum, sitque causa sui in iudicando de singularibus agendis per voluntatem finem, cui deseruit vt iudex, explicamus, & probamus diffusè disp. 3. §. 7. dubio primò à fol. 407. ad 412. Qualiter verò ad eadem agenda determinet seipsum, & sit causa sui, intellectus Angelicus, quod est valde difficile, explicamus eodem §. dubio 2. à fol. 412. ad 428. Deniq; qualiter intellectus Diuinus determinet suo modo seipsum, sit etiam suo modo, & resecatis imperfectionibus, causa sui in iudicando, siue de agendis, siue de efficiendis à sè, explicamus, & probamus eodem §. dubio tertio à fol. 419. ad 439. Quæ quidem non inuenies ab alio hactenùs explicata: Diuum Thomam excipimus, à quo ea didicimus, vt tibi patebit legenti loca à nobis adducta. Quare remanet, vt ea studiosè legas, & gratias agas Deo, à quo habuimus, vt in gratiam tui prædicta scripserimus. Vale.

ADM.

Digitized by Google

ADM. R. P. MAGISTRI FRATRIS THOMÆ MARIAE SPADA.

Ordinis Prædicatorum.

De eodem Libro.

Ad Lectorem.

Anagramma purum.

FRATER IOSEPHVS DE VITA DOMINICANVS.

VIR PACIS, NATVS DIVI THOMAE DEFENSOR.

Quisnam Defensor Diui *super omnia* Thomæ
Vir *tantæ* Pacis *munere* Natus *erit*?
Hæc olim mecum. Dubius dum consulo Musam;
Musa mihi dulcis talia dicta dedit.
Verte notas Vates. Dictu mirabile! Vertens,
Inuenio tanti Nomina clara Viri.
Tutas crede nouum, Lector mi candide, librum,
Qui Thomæ, & Ioseph *mutua sensa docet.*
Nempè quis ambigeret; quando vel Nomine iuncti,
Thomas, *&* Ioseph *fœdera* Pacis *habent*?

REVERENDI DON SANCTI GIGANTE CIMINNENSIS.

Ad Auctorem.

De præclaro eius libro.

Anagramma purum.

FRATER IOSEPHVS DE VITA DOMINICANVS.

INTERPRES DIVI THOMAE, CANO SVA; FIDVS.

Dulcia concentu, rationi consona Thomas
Composuit dictis dogmata sancta piis.
Ambigis, an sensu mentes, an vocibus aures;
Fortiùs alliciant: Vnio tanta viget.
At malè concordes animi dare dissona certant
Arcana eximij mente reposta Viri.
Tu seruandus eras, nostra hæc ad tempora Ioseph,
Qui petis alta Dei culmina, mente Sophus.
Tu certè es verax. quid enim? vel consona factis
Nomina versa loquens, talia verba sonas:
Fidus *ego, concors*, Diui *comes vndique* Thomæ;
Musicus Interpres, *ad sua dicta* cano.

ALIVD

ALIVD EIVSDEM DON SANCTI.

Ad eumdem Auctorem.

De eius libro.

Anagramma item purum.

PATER IOSEPHVS DE VITA DOMINICANVS.

HIC, VT VERA PANDENS; SOSPITO VIAM DEI.

PRominet ingenio Thomæ Labyrintica Moles,
Quam nouus erexit Dædalus, arte sacram
Hìc Arcana latent, captu nimis ardua. quorum
Vix potuit quisquam Sospes adire vias.
Haud facile euadunt tanta hæc Penetralia mentes,
Ni dederit filum Dux Ariadna suum.
Ast ea, quæ tandem vigeat Dux inclyta? quæris?
Crede mihi, Ioseph, Mens tua tanta viget.
Nil mirum, si tanta potes. Vel Nomine tradis,
Quanta sit ingenij Vis generosa tui.
Hìc ega (sic ais) Vt ducto super omnia filo,
Vera Dei pandens, Sospito *ad Astra* Viam.

ALIVD EIVSDEM DON SANCTI.

In egregium Auctoris Librum.

Pio Lectori.

Anagramma itidem purum.

PATER IOSEPH DE VITA DOMINICANVS.

O, VENI: PIA NITESCIT PHAROS AD DEVM.

MIlle profunda nimis produxerat Æquora Thomas,
Doctrinæ immensæ. Talis Abyssus erat.
Nequis aberraret; statuit propè littora Portum,
Quì Christus verè est. Vnde serena quies.
At confusa Ratis, prælongè deuia Veri,
Mersa inter Scopulos, victa peribat aquis.
Sat modò prouisum. Iam Turris ad æthera Ioseph
Surgit, & illustres pandit amica faces.
Allicit in Portum: proprio de Nomine clamat:
Accipe quæsò pijs auribus. ista monet:
O quis adire Deum queris, Præcelsa nitescit
Sat pia, *clara* pharos. *Sedule Nauta,* Veni.

ALIV D

Digitized by Google

ALIVD EIVSDEM DON SANCTI.

De præclaro Auctoris Libro
Ad Lectorem.
Anagramma pariter purum.

PATER IOSEPHVS DE VITA DOMINICANVS:
PARADISVS: ET IN HOC POMA EDENS, VIVIT.

VErnabat Paradiſus Adæ: cui ſemper amœnam
Perpetuæ Vitæ Planta ferebat opem.
At malè cautus homo, pro Vita, funera mortis
Intulit ipſe ſibi, tranſtulit inde ſuis.
Debuerat vernare alter Mortalibus Hortus.
Qui bona poma ferens, funera nulla daret.
Hortus & ecce nouus. De Vita *cuncta vireſcunt,*
Arbor vbi Ioſeph *creſcit in alta, ferax*
En Paradiſus *adeſt.* & in hoc, *quæ* Poma *feruntur,*
Quiſquis edens, viuit. *Nomine tanta docet.*
Pandit amœna Liber. quid agas, bone Lector? in Hortum
Tutus adi, fructus collige, Viue Deo.

AD. R. P. MAGISTRI F. MARIANI PERRONI ORD. PRAED. S. INQVISITIONIS huius Regni Qualificatoris, & Conſultoris: ac Tribunalis Viſitationis M. C. Archiep: huius Fel: Vrbis Pan: examinatoris.
Anagramma purum.

IOSEPHVS DE VITA.
TV VAS SOPHIÆ DEI.

Ad Auctorem.
Vt nomen portet Paulus, vas dicitur eſſe:
Et tu vas ſophiæ *diceris eſſe* Dei.

R. P. F. PETRI MARTYRIS SCANNARIATI ORD. PRÆD: Baccallaurei ac Magiſtri ſtudentium in almo Generali ſtudio S. Dominici de Pan.
Ad idem Anagramma Epig.

EN vetus error adeſt: tranſmigrant corpora mentes:
Ingenium Thomæ, quis neget, eſſe tuum?
Ille profunda Dei, calamo myſteria ſcripſit:
Scripto, arcana Dei, tu *exprimis alta tuo.*
Nomine vterque pares: quid vas ſapientiæ? Abyſſus.
Vas ſophiæ *ambo* Dei, *vas & abyſſus vter.*

ALIVD.

Digitized by Google

ALIVD EPIGRAMMA

REVERENDI DON SANCTI GIGANTE CIMINNENSIS

AD IDEM ANAGRAMMA.

Ioſephus de Vita
Tu Vas Sophiæ Dei.

NEſſoreus Crater, vitam mortalibus augens,
Sat cordati hominis ſymbola certa dabat.
Cadant priſca nouis. TV VAS, hoc tempore, tantò
Nobilius, quantò nobiliora fluis
Nec dico nugas, quando tua nomina firmant
Ordine verſa nouo, quæ mea muſa docet.
Quàm bonè DE VITA VAS *es* TV *nobile*, IOSEPH,
Vnde fluit nobis alta SOPHIA DEI.

BREVIS NOTITIA

SENTENTIÆ AVCTORIS
In hoc Tractatu.

VT celeri ſtudioſitatis ardore, hilarique ac læto corde, (vt deſideramus) totum perluſtres tractatum hunc, ad fores eius appendimus tabellam hanc, exhibentem tibi breuem noſtræ ſententiæ notitiam.

BREVIS NOTITIA RESOLVTIONIS DVBII in prima parte huius Tract.

POrrò ſentimus, quòd cum doctrina S. Thomæ, eiuſque per ſe notis principiis, quibus demonſtrat, quòd tota entitas, & quidquid perfectionis eſt in actu peccati, eſt à Deo: non autem ab eo eſt eius deformitas; ſed à voluntate creata, habente, dum operatur, voluntarium, defectum, puta, carentiam regulæ rationis, & legis diuinæ, cohærere minimè poſſint modi dicendi Recentium: ſiue illorum, qui negant cauſas ſecundas indigere (ſiue ad mouenda alia diſtincta à ſe, ſiue ad mòuendas ſe ipſas) motu ſuperioris mouentis in ipſis recepto; ac per hoc aſtruunt, dari in Deo ſcientiam mediam ad hoc, vt ſaluari poſſit, Deum eſſe cauſam actus; non verò deformitatis peccati: ſiue illorum, qui, negantes ſcientiam mediam, imponunt motui Primi mouentis munus determinandi, & infallibiliter applicandi, ſeu inducendi cauſas ſecundas in determinatos effectus. Quare ſi inquiras.

1 An qui vtuntur ſcientia media, vt Suarius, Ruiz, & alij ſuæ Societatis, poſſint ſaluare prædictam doctrinam D. Thomæ, ſuaque dicta concordare cum definitione Concilij Tridentini Seſſ. 6. can. 6. vbi anathematizat dicentes:

a

tes: *Mala opera ita, vt bona, Deum operari; non permissiuè solùm; sed etiam propriè, & per se?* Nos respondemus negatiuè: idque probamus à num. marginali 94. ad 126. à fol. 13. ad 35. Immò etiam probamus, prædictos Doctores cogi, vel asserere contra relati Concilij Canonem, Deum non operari nostra bona opera propriè, & per sè, sed ita vt mala, scilicet permissiuè solùm: vel contra seipsos, veritatem; ac etiam contra eundem Concilij Canonem; Deum prædeterminare voluntatem creatam ad bona opera, ita vt non sit in potestate eius vias suas malas facere, idque à num. marg. 54. ad 80. à fol. 16. ad 24.

2 An imponentes motui Primi mouentis munus determinandi &c. possint saluare eandem doctrinâ D. Thomæ? Respondemus etiam negatiuè. Idque probamus à num. marg. 32. ad 44. à fol. 9. ad 13.

3 An detur motus Primi mouentis, quantùm est ex se, tendens in solam substantiam actus, non verò in perfectionem moralem eius? Respondemus negatiuè. vt probamus à num. marg. 41. à fol. 12.

4 An ad hoc, vt saluetur, Deum esse causam totius substantiæ actus peccati: non verò deformitatis eius, oporteat asserere, quòd motus primi mouentis Dei, quo voluntas, à Deo mota, seipsam mouet, tendat, quantùm est ex se, non in solam substantiam actùs moralis, sed etiã in eius perfectionem; & quod ex defectu voluntatis malè dispositæ ad recipiendum diuinum motum contingat, ipsum impediri, & tendere in solam substantiam actus? Respondemus affirmatiuè, idque probamus expressis auctoritatibus S. Doctoris à num. 9. ad 32. à fol 3. ad 9. Atque hoc vt explicatum concludimus à num. marg. 181. ad 202. à fol. 50. ad 56.

5 Si interrogas, per quid voluntas sit rectè disposita ad recipiendum diuinum motum, ita vt in tali dispositione existens semper operetur actum habentem perfectionem debitam; & per quid sit malè disposita ad eundem motum recipiendum, ita vt in tali dispositione operans semper pergat in actum peccati. Et quid importat iste diuinus motus: ac etiam qualiter in praxi appareat sententia S. Thomæ? Respondemus quod hæc omnia explicamus in hac prima parte huius Tract. §§. 9. & 10. fol. 47. vnde nu. marg. 179. ponimus sequentem conclusionem.

Dicendum primò, quòd voluntas per volitionem rectam vltimi finis, & per rectam apprehensionem eorum, quæ ordinantur in finem habet dispositionem, secundùm quam nec peccat, nec est possibile, quòd in tali dispositione peccet. &c. num. verò marg. 181. subiungimus.

Dicendum secundò. quod voluntas, habens rectum appetitum vltimi finis, si habeat apprehensionem non rectam, accipientem vt ordinatum in finem, quod non est ordinabile, habet dispositionem, secundùm quam actus, ad eam consequens, est mala, & peccatum. Has conclusiones deducimus ex dictis §. V. VI. VII. & VIII. à fol. 36. ad 47. eamque à dicto fol. 47. ad 50. probamus expressis locis S. D. Praxis verò nostræ sententiæ ponitur §. X. à fol. 50. ad 54. ex quibus deducimus num. marg. 202, fol. 54.

Qualiter sit rectè dictum à S. D. *quòd voluntas reddatur sub debito, vel indebito ordine ad finem per apprehensionem rationes*, & num. marg. 203.

Qualiter sit rectè dictum ab eodem S. D. quod defectus, qui præcedit actionem malam moraliter, est defectus apprehensionis & num. 205.

Qualiter intelligas D. Thomam asserentem 1. 2. q. 55. art. 2. in corp. quòd *Voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum peccati per se; sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem. Prouenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate.* Atque hoc declaramus in praxi euidenti exemplo. & confirmamus Doctrina Dionysij &c. Quòd si inquiris.

6 An, dari motum Primi mouentis, quantùm est ex se, ordinatum ad solam substantiam actus peccati probetur auctoritate Scripturæ, vt existimant Salmanticenses, & aliqui alij Recentes? Respondemus, quod non. Idque demonstramus à num. marg. 270. ad 280. à fol. 69. ad 71.

7 An idem probetur auctoritate Augustini, vt ijdem Doctores putant? Respondemus etiam negatiuè. Et probamus à num. marg. 240. ad 270. à fol. 62. ad 69. vbi tùm expressis auctoritatibus D. Thomæ exponentis Augustinum. tùm manifestissimis eiusdem Augustini, explicantis seipsum, & incidentis mirabiliter in expositionem, quam tribuit ei D. Thomas, defendimus ipsum Augustinum à prædictorum Recentium impostoris.

8 An Ruiz, alijque suæ factionis rectè probent auctoritate D. Thomæ; Deum non mouere voluntatem, dum ipsa labitur in actum peccati? Respondemus negatiuè. Idque euidenter demonstramus, detegendo fallacias, argumentandique defectus, quos manifestè incurrunt, & purus logicus euitaret, à num. marg. 218. ad 236. a fol. 57. ad 61.

9 An detur malitia positiua in actu peccati, vt putant plures Recentes? Respondemus negatiuè. Idque probamus tùm ijsdem auctoritatibus D. Thomæ allatis ab ipsis aduersarijs tùm quamplurimis alijs à num. marg. 288 ad 330. à fol. 73. ad 83. vbi solutis omnibus difficultatibus manifestamus, qualiter in sententia S. Thomæ acceptæ ab Aristotele, *Malum*, est differentia in moralibus; non ratione malitiæ; sed ratione bonitatis, cui inest malitia.

10 An rectè cohæreat doctrina S. Thomæ, qua simul docet duo. Primum: quòd Deus est causa actus peccati, non verò priuationis, & deformitatis actus. Secundum. Quòd quando priuatio sequitur rationem specificam actus (vt contingit, E. g. in actu odij Dei) quod non est causa priuationis, non est causa actus? Respondemus rectè cohærere à num. marg. 330. ad 333. à fol. 83. ad 85.

Digitized by Google

Breuis notitia disputationis primæ secundæ partis.

IN secunda parte quatuor excitamus disputationes. Sed cur? vide in proœmio fol 85. & 86. Harum prima est. *An illud axioma Commentatoris*: (*Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquid, quo determinatur ad vnum*) *sit à Sancto Thoma vniuersaliter approbatum, etiam in causis liberis: Sitque ab eodem S. Doct. euidenti discursu resolutum in illud principium per se notum*: Vnumquodque agit, in quantùm est in actu per formam.

1 Respondemus num. marg. 340. affirmatiuè quantùm ad vtrãque partem quæsiti: idque cõtra Iosephum Augustinum, Suarium, Fasolum, Ruizium aliosque Mediscientiantes. Vnde si inquiras.

2 An dẽtur loca S. Thomæ in quibus docet expressè nostram responsionem? Respondemus affirmatiuè, eaque, ad duodecim, referimus à numero marg. 341. ad 358. à fol. 87. ad 90. Quibus addes alium satis egregium, loquentem expressè de causis liberis, quem referimus num. marg. 438. fol. 107. ac etiam alios duos, quos referimus à num. marg. 1890. ad 1894. fol. 496.

3 An Pater Iosephus Augustinus relatus nu. 359. fol. 90. rectè interpretetur locum D. Thomæ, relatum à nobis num. marg. 357. fol. 89. Respondemus, eum interpretationem dare viro docto repugnantem, vt probamus à num. marg. 361. ad 365. fol. 90.

4 An Suarius, relatus num. 365. rectè interpretetur duo ex locis D. T. ab ipso allata? Respondemus eius interpretationem ostendere se conuictum ab aduersarijs: imponere D. Thomæ motum prædeterminatiuum, quem ab eodem D. Thoma excludit, ac etiam esse sibi, & D. Thomæ repugnantem, vt probamus à num. marg. 369 ad 385. à fol. 92. ad 95.

5 An benè interpretetur Ruiz. eundem D. Thomæ locum? Respondemus eum finxisse inutilem historiam: vt probamus à num. marg. 388. ad 392. fol. 95. & 96.

6 An eundem locum rectè interpretẽtur Iosephus Augustinus, & Fasolus, quorum primum referimus num. 392. alterum verò num. 415.? Respondemus negatiuè, vt probamus à nu. 394. ad 429. à fol. 97. ad 104.

7 Ampliùs, si inquiris: quis est rectus sensus Axiomatis? Respondemus, nos eum explicuisse toto §. 9. eiusdem disp. à num. marg. 434. ad 452. à fol. 105. ad 109.

8 Præterea si inquiris, Quibus rationibus Axioma demonstratur à D. Thoma? Respondemus, eas nos referre §. x. eiusdem disp. à num. marg. 353. ad 466. à fol. 109. ad 112.

9 An Suarius relatus à nobis num. marg. 467. fol. 112. rectè interpretetur principia assumpta in rationibus S. Doctoris? Respondemus negatiuè; ac contra ipsum Suarium statuimus conclusionem contradictoriam, quam probamus ijsdem auctoritatibus D. Thomæ quas pro se affert ipsemet Suarius à num. marg. 468. ad 481. à fol. 113. ad 117. Ampliùs indicamus principia ex quibus potest prædicta nostra conclusio demonstrari à dicto num. 481. ad 599. à fol. 117. ad 121.

Ampliùs ex dictis principijs formamus quatuor rationes, quas omni rigore demonstratiuas existimamus, disp. 3. à num. 1735. ad 1815. à fol. 450. ad 474.

10. An Fasolus, & Requesenius, à nobis relati num. 500. & 501. fol. 121. Suarij interpretationem rectè confirment auctoritate eiusdem S. Thomæ? Respondemus, nihil penitùs esse in D. Thoma ex ijs, quæ illi imponunt prædicti Doctores, vt probamus contra Fasolum à num. 502. ad 511. à fol. 122. ad 124. & contra Requesenium, à num. 512. ad 521. à fol. 124. ad 127. Immò etiam probamus in loco D. Thomæ ab ipsis citato inueniri oppositum. à num. 525. ad 541. à fol. 128. ad 132.

11 An Fasolus, relatus à nobis num. 542. fol. 133. rectè probet, esse falsam propositionem illam: A causa indifferenti, in quantùm indifferens non sequitur determinatus actus? Respondemus præcipium argumentum nil valere, tùm quia includit medium terminum in conclusione contra tricam regulam dialecticam, vt probamus à num: 544. ad 547. tùm quia incurrit plures alios defectus, vt probamus à num. 548. ad 575. à fol. 134. ad 140.

Breuis notitia secundæ disputationis, quæ fol. 141. inquirimus.

AN principium illud S. D. (*Motus Primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus sed in vnoquoque secundùm proprium modum*) possit auctoritate eiusdem S. Doct. vel alijs rationibus infirmari?

Hanc disputationem habemus cum quibusdam Recentibus, qui profitentur doctrinam S. Thomæ, & attribuunt motui primi mouentis naturam, proprietates, & munera, quæ virtuti prædicti principij repugnant. Vnde existimant per ipsum determinari agentia contingentia, & libera ad singulares effectus, ac ad eos infallibiliter inducendos applicari, non tribuendo agentibus aliquam virtutem: sed meram applicationem ad actum, seu effectum. Idque credunt probari auctoritatibus S. Thomæ, & rationibus naturalibus. At verò nos sentimus prædicta repugnare veritati prædicti principij: Motumque primi, & omnium superiorum mouentium, quo inferiora agentia indigent ad hoc, vt prodeant in suos effectus, esse in sententia S. Thomæ satis diuersæ naturæ, conditionis, & muneris. Vnde si interrogas.

1 An prædicti Regentes rectè discurrant, dũ ex eo, quòd *ab eo, quod est ad vtrumlibet non sequitur actio, nisi per aliquod, quod determinat ad vnum*, inferunt, quòd à causa libera, quæ se habet ad oppositã, non sequitur actio, nisi à Deo determinetur ad vnum per motum, quo ab ipso mouetur, vt à primo mouente? Nos respondemus, negatiuè, vt euidenter demonstramus à nu. marg. 594. ad 606. à fol. 147. ad 150.

Digitized by Google

2 An ex modo dicendi prædictorum Recentium rectè inferatur secundùm eadem principia D. Thomæ, quibus ipsi vtuntur, euerti liberum arbitrium? Nos respondemus affirmatiuè. Idque probamus, imò & demonstramus, expensis pluribus locis D. Thomæ, ac exclusis responsionibus eorundem Recentium à num. marg. 607. ad 646. a fol. 150. ad 160.

3 An ex dictis S. Thomæ sequatur, quòd tàm ponentes scientiam mediam, quàm munus determinandi in motu primi mouentis, euertunt liberum arbitrium? Respondemus affirmatiuè. vt probamus à num. marg. 647. ad 666. a fol. 160. ad 165.

An dicti Recentes rectè discurrant auctoritate Aristotelis? Respondemus negatiuè. vt probamus, à num. 667. ad 697. à fol. 166. 170.

5 An motus Primi, & omnium superiorũ mouentium conferat inferioribus mouentibus virtutem? Respondemus affirmatiuè. vt probamus à num. marg. 697. ad 757. à fol. 174. ad 189. vbi procedimus non solùm auctoritatibus D. Thomæ, sed etiam rationibus naturalibus, & (vt existimamus) demonstratiuè.

6 Si interrogas, cuius naturæ, conditionis, & muneris sit motus, quo in serie causarum per se ordinatarum omnia inferiora mouentia mouentur à superioribus, & à Primo ordinato descensu? Respondemus, quod rem hanc delicatissimè explicamus duobus dictis, ex S. Doctore desumptis, num. 760. & 762. fol. 190. & 191. Est enim secundùm naturam suam quantum ad productionem effectus determinandi per omnes causas inferiores, & secundùm modum inferiorum. Et habet duo munera. Vnum est: sustentare actiones omnium inferiorum agentium. Aliud est: eleuare actionem agentis inferioris ad attingendum id, quod maioris perfectionis est in effectu.

Hæc omnia probamus euidentibus, & expressis auctoritatibus D. Thomæ. Rationibus ostensiuis, ex ipso S. D. desumptis, quas demonstratiuas censemus. Ex implicantia sententiæ oppositæ. Et manifestis exemplis in praxi manifestis: idque à §. 9. ad 19. a fol. 191. ad 236.

7 An opinio Complutensium, quam sequũtur plures alij Recentes, eaque docent, quòd ideo secundùm S. Thomam non potest idem filius nasci, siue sit alius pater, siue alia mater; quia in nullius alterius hominis potentia generatiuæ obiecto continetur, cohæreat eum doctrina S. Thomæ à nobis inculcata pro nostra sententia? Respondemus negatiuè. Hinc prædictam opinionem esse D. Thomæ contrariam, & rationi naturali repugnantem, ostendimus à num. marg. 870. ad 888. a fol. 218. ad 221. Rationem verò, cur idem filius nasci non possit, siue sit alius pater, siue alia mater, assignamus à num. 888. ad 909. à fol. 221. ad 227. vbi à num 899. fol. 225. retorquemus eandem doctrinam D. Thomæ contra eosdem Recentes.

8 An, & quomodo motus Primi mouentis habet illud munus, puta: sustentare actiones inferiorum agentium? Et qualiter secundùm illud munus præcedit actiones inferiorum, ac per eos determinatur? Præterea. An, & quomodo habet munus eleuandi actiones inferiorum in sublimiorem finem, &c.? Respondemus, quòd hæc omnia explicamus §. XVIII. huius disp. a num. scilicet marg. 916. ad 947. à fol. 229. ad 236.

9 An omnis voluntas ad determinatos actus liberos determinet seipsam per formam singularis operabilis, apprehensam per iudicium proprium, seu inuentum per collationem sui proprij intellectus? Respondemus affirmatiuè, iuxta resolutionem, quam præstamus num. marg. 1001. fol. 253. & declaramus à 1002. ad 1012. à fol. 154. ad 157. Et probamus auctoritatibus S. Thomæ à num. 1013. ad 1024. à fol. 258. ad 260.

10 An secundùm sententiam Aluarez voluntas creata determinet seipsam ad determinatos actus liberos per prædictam formam apprehensam; ita vt ad prædictam formam sequatur per sequelam physicè necessariã actus liber electionis, ac per hoc non oporteat dari qualitatem impressam voluntati à Deo, ad hoc, vt exeat in determinatum actum, & ita doceat ipse Aluarez totam nostram sententiam? Respondemus affirmatiuè. Idque probamus euidentissimè à num. 1030. ad 1052. a fol. 261. ad 267. & concludimus num. 1082. & 1083. fol. 275.

11 An Aluarez contradixerit sibi ipsi, sitque in aliis quibusdam assertionibus sibi ipsi, & D. Thomæ contrarius? Respondemus etiam affirmatiuè. Et probamus à num. 1053. ad 1082. à fol. 268. ad 275.

12 An ex doctrina S. Thomæ, rationibusque ab ipso desumptis, rectè probetur, quòd determinatus actus liber voluntatis creatæ sequatur per sequelam physicè necessariam ad prædictam formam apprehensam, vt ad eam, quæ realiter, & physicè mouet voluntatem in talem determinatum actum liberum? Respondemus affirmatiuè. Idque probamus à num. 1082. ad 1117. à fol. 276. ad 284.

13 An rectè sibi cohæreat Doctrina S. Thomæ à nobis allata? Respondemus affirmatiuè. Idque propositis aliquibus locis, quæ sibi minimè cohærere videntur, probamus à num. 1118. ad 1171. à fol. 285. ad 300.

14 An Fasolus rectè concedat ex Suario, determinationem voluntatis creatæ ad determinatum actum, esse à sola voluntate creata, & non à Deo, idque secundùm sententiam Augustini? Respondemus negatiuè. Et hoc probamus num. 1178. f. 302. vbi afferimus verba Augustini eméndantis se, & recedentis, vt ab errore, à verbis citatis à Fasolo.

15 An hoc inconuenient, quod concedit Fasolus, rectè inferatur contra nostram sententiam argumento Recentium, quod proponimus num. 1176. fol 302.? Respondemus negatiuè. Idque probamus adductis pluribus instantijs à num. 1179. fol. 303. ad num. 1219. fol. 312. vbi terminatur secunda disputatio.

Breuis

Breuis notitia Tertiæ Disputationis, quæ inquirimus.

AN dictamen vltimatum rationis practicæ, seu eiusdem rationis imperium, comprehendens apprehensionem rectam, & non rectam, ad quod secundum sententiam S. Thomæ sequitur, necessariò, & infallibili consequentiâ, actus electionis conformis dictamini, repugnet libertati electionis; An verò sit necessarium libertati eiusdem.

SEntimus cum Aristotele, D. Thoma, Thomistisque communiter, non repugnare; sed esse necessarium libertati, ita vt sine eo nulla possit esse libertas; Idque contra Suarium, Requesenium, Arriagam, Ruiz. &c. vndesi interrogas.

1 An ratio, quam putat Suarius, & Requesenius irrefragabilem, quæ scilicet procedit ex ipsa ratione actus liberi: & nos eam referimus num. marg. 1221. fol. 313. conuincat, rationis imperium repugnare libertati? Respondemus negatiuè. Idque probamus à num. 1222. fol. 314. ad num. 1248. fol. 320. vbi retorquemus dicta aduersariorum in ipsosmet. Et ex Suario conuincimus Suarium, & ex Requesenio Requesenium.

2 An ad idem probandum sit efficax secunda ratio, quam nos proponimus num. 1249. fol. 321. & procedit ex illa interrogatione: An iudicium, fit absolutè, & simpliciter necessarium; An verò fit actus absolutè, & simpliciter liber? Respondemus negatiuè, vt probamus à num. 1252. fol. 321. ad nu. 1263. fol. 325.

3 An Tertia ratio eiusdem Suarij procedens ex eo, quòd iudicium rationis non mouet voluntatem, nisi mediante obiecto, quod proponit, quam nos referimus num. 1264. sit efficax? Respondemus negatiuè. vt probamus, propositis contra Suarium duobus dictis à num. 1265. fol. 325. ad num. 1298. fol. 333. vbi examinamus singulas propositiones Suarij; easque probamus esse falsas, & sibi repugnantes.

4 An D. Thomas, quem Suarius pro se adducit, illi suffragetur, & responsio Caietani, qua D. Thomam exponit sit falsa? Respondemus: D. Thomam illi non suffragari: & expositionem Caietani esse verissimam. Vt probamus à num. 1300. fol. 333. ad 1330. fol. 342.

5 An Vasquez, Arriaga, & alij idem probent, ex eo, quòd voluntas, posito imperio, nõ potest ei resistere, vt referimus num. 1331? Respondemus negatiuè num. 1332. & ad hoc melius explicandum excitamus dubium num. 1333.

6 *An excludatur libertas à voluntate propter hoc, quòd ponitur subordinata rationis imperio, non valens illi resistere?* Respondemus negatiuè; idque probamus euidenti ratione. fol. 343.

7 An prædicti Doctores ad idem probandum rectè procedant ex eo, quòd ex nostra sententia sequeretur, quòd omnis peccans esset hæreticus, vt obiectionem proponimus num. 1336. & 1337. Respondemus negatiuè à num. 1338. fol. 344. Et ad prædictam responsionem confirmandam excitantur tria dubia. videlicet,

& *Primum ad quintam obiectionem. An iudicium de hoc singulari operabili vt nunc, &c. quod nunquam potest esse contrarium appetitui, sit ab Aristotele, & D. Thoma confictum?* Respondemus, non esse confictum, sed experientia manifestum, vt probamus à num. 1341. fol. 345. ad num. 1352. fol. 348.

9 *Secundum dubium ad quintum. An iudicium quo, dum quis fornicatur, existimat bonum, vt tunc, fornicari, repugnet contradictoriè propositioni, quæ Fides vniuersaliter credit; fornicationem esse malam?* Respondemus negatiuè. Idque probamus Auctoritate D. Thomæ: Ratione, & ex Praxi Qualificatorum in Tribunali S. Officij. à nu. 1354. fol. 349. ad num. 1366. fol. 352.

10 *Tertium dubium ad quintam. An ratio, concludens, hoc esse, vel non esse agendum, significet necesse esse omninò, vt hoc nunc facias, vel non facias: vel teneris physicè ad hoc agendum?* Respondemus negatiuè: ac explicamus verum sensum prædictæ conclusionis num. 1368. Responsionemque probamus à num. 1371. fol. 353. ad num. 1396. fol. 359.

11 An prædicti Doctores rectè procedat, dum ex nostra sententia inferunt processum in infinitum, vt sextam obiectionem proponimus à num. 1397. ad 1400. fol. 359. & 360? Respondemus negatiuè, & excitamus quinq; dubia puta.

12 *Primum dubium ad sextam. An, dum aliquis liberè iudicat, aliquid esse his, & nunc agendum, voluntas determinet intellectum ad hoc, vt sic determinatè iudicet, ita vt electio præcedat iudicium?* Respondemus negatiuè contra Caietanum: & probamus ex ipsomet Caietano à num. 1403. fol. 361. ad num. 1426. fol. 368.

13 *Dubium secundum ad sextam. An, ex quo ad omnem electionem, præcedit deliberatio, seu iudicium practicum imperij, cogamur admittere processum in infinitum?* Respondemus negatiuè. Idque probamus auctoritate D. Thomæ Aristotelis, & ratione à num 1428. fol. 369. ad num. 1439. fol. 372. vbi referimus verba Aristotelis ex cap. 18. lib. 7. Moralium ad Eudemum.

14 *Dubium tertium ad sextam. An sit libera illa deliberatio, in quam mouetur ratio ab exteriori principio: eique prima in ordine ordinatarum deliberationum?* Respondemus

Digitized by Google

mus esse sub potestate nostræ voluntatis num. 1446 fol. 373. Idque explicamus, & probamus primò a num. 1447. fol 374. ad 1454. fol. 376. auctoritate S. Thomæ. Secundo ratione ostentiua, cuius robur manifestamus exemplo Principis, & Iudicis num. 1468. fol. 379. ad num. 1484. fol. 384.

15 An Patres Salmanticenses rectè satisfaciant difficultati, qua ex doctrina D. Thomæ, ponentis actum voluntatis sequi vltimatum iudicium rationis practicæ, videtur inferri, voluntatem non habere potentiam ad opposita, vt inculcamus instantiam num. 1455. fol. 376. ? Respondemus negatiuè, Et probamus, quòd distinctio illa de duplici iudicio practico; altero, quo proponitur agibile sub indifferentia: altero verò, quo proponitur determinatè, vt agendum, non congruit doctrinæ D. Thomæ, & veritati. à num. 1459. ad num. 1466. fol. 379.

16 *Dubium quartum ad sextam. An prima deliberatio sit sub libera potestate voluntatis, in quantùm ipsa voluntas applicat intellectum ad deliberandum?* Respondemus negatiuè contra eosdem Patres Salmanticenses. Idque probamus, tùm auctoritate D. Thomæ, tùm rationibus ex doctrina eiusdem S. D. acceptis, quas censemus demonstratiuas, à num. 1486. fol. 384. ad nu. 1528. fol. 394.

17 *Dubium quintum ad sextam. Quę, quotuplex, & qualis sit libertas primi iudicij deliberatis?* Respondemus num. 1529. fol. 395. duplicem rationem liberatis habere: alteram ex propria linea: alteram verò ex actu voluntatis sequête, & sibi coexistente. Idque probamus a nu. 1530. ad 1550. à fol. 395. ad 402.

18 An ex dictis nostris sequatur voluntatem se mouere naturali impetu, ac per hoc nõ liberè? Respondemus cum Caietano negatiuè. Licet ratio eius non videatur vndequaque sufficiens, vt probamus num. 1553. & 1554. fol. 403. Euacuamus autem difficultatem num. 1555. fol 404.

18 *Dubium sextum ad sextam. An ex dictis rectè occurratur sextæ obiectioni?* Respondemus affirmatiuè. Et applicamus obiectioni responsionem in forma à num. 1558. ad 1566. à fol. 405 ad 406.

19 An, dato iudicio practico inferente actum liberum voluntatis, sequatur processus in infinitum ex vi illius principij: Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur actio, nisi per aliquid, quod determinat ad vnum, vt inculcamus in obiectione septima num. 1567 fol. 407 Respondemus negatiuè, & ad hoc explicandum excitamus tria dubia.

20 *Primum dubium ad septimam. An ex quibus principijs, & quomodo virtus intellectiua rationalis determinet seipsam secundùm illam indifferentiam, quam habet ex propria linea?* Et respondemus num. 1569. fol. 407. quòd determinat se per collationem sui discursus, quo principia vniuersalia, per quæ habet indifferentiam, applicat singulari agibili, apprehenso per intellectum passiuum, quo indifferentia vniuersalis principij determinatur. Idque probamus a nu. 1570. fol. 408. ad num. 1588. fol. 411.

21 *Dubium secundum ad septimam. An & quomodo virtus intellectiua Angelica determinet seipsam in iudicando de singularibus agendis?* fol. 412. Et respondemus num. 1590. fol. 412. quòd determinat se, & est causa sui iudicij de agendis non per collationem discursiuam; sed altioris ordinis, &c. Idque suppositis quibusdam considerationibus, probamus a nu. 1591. ad 1635. à fol. 413. ad 402.

21 An sibi benè cohæreat D. Thomas in assignando discrimine inter intellectum, & voluntatem Angelicam, taleque discrimen rectè explicet Caietanus, vt difficultatem inculcamus à num. 1636. ad 1640. ? Respondemus: Doctrinam D. Thomæ rectè cohærere, sed non congruenter explicari à Caietano. Probamus hoc, euidenterque demonstramus à num. 1641. fol. 424. ad num. 1654. fol. 428.

22 *Dubium tertium ad septimam. An, & quomodo intellectus diuinus determinet seipsum in iudicando de agendis à Deo?* Respondemus, dubijque resolutionem ponimus num. 1655. fol 429. eam explicamus, & probamus adductis locis, verè admirandis, doctrinæ Angelici Præceptoris, à num. 1657. fo. 429. ad num. 1690. fol 439 vbi referimus Capreolum, ac explicamus, qualiter ferè in omnibus bene sentiat cum nostra, & D. Thomæ sententia, ac etiam in quo ab ea aliqualiter differat.

23 An modus dicendi Ferrariensis, quem referimus à num. 1691. fol. 439. suffragetur aduersarijs? Respondemus negatiuè. idque probamus à num. 1693. fol. 440. ad 1701. fol. 442.

24 An Ruiz de Voluntate Dei disp. 5. sec. 6. quem incipimus referre num. 1702. fol 443. rectè procedat contra nostram, & D. Thomæ sententiam? Respondemus negatiuè. Idque probamus à num. 1704. fol. 443. ad num. 1731. fol. 449.

25 Petes quibus rationibus demonstratur, necessarium esse libertati iudicium practicum, seu rationis imperium inferens voluntatem in determinatum actum liberum? Respondemus, quatuor. quas veras, & rigorosas demonstrationes censemus: & prosequimur à num. 1735. fol. 450. ad 1815. fol. 474. vbi terminatur disputatio.

Digitized by Google

Breuis notitia Quartæ disputationis quæ quærimus fol. 475.

AN certus, & infallibilis ordo diuinæ Prouidentiæ rectè cohæreat cum nostris dictis, quibus excludimus à motu primi mouentis, munus determinandi &c. ac etiam à Deo scientiam mediam.

SEntimus, quòd infallibilis ordo diuinæ Prouidentiæ saluatur, excluſa à Deo ſcientia media, & à motu Primi mouentis munere determinandi, & infallibiliter applicandi cauſas contingentes, & liberas ad ſuos actus. Vnde ſi inquiras.

1 Vnde habent diuina voluntas, & Prouidentia, quòd per cauſas contingentes, & liberas procedunt certitudinaliter, & infallibiliter in effectus earum, volitos, & diſpoſitos, ſalua illarum contingentia, & libertate? Reſpondemus ex vniuerſalitate cauſalitatis. Ex eo enim, quòd Deus per ſuam volutatem, & prouidentiam, eſt cauſa vniuerſaliſſima continens ſub ſuo cauſalitatis ordine omnes cauſas, ſequitur infallibiliter, quòd, nulla data in Deo ſcientia media, nec admiſſo in motu Primi mouentis munere determinandi, & inducendi infallibiliter cauſas contingentes in ſuos effectus, procedat per eaſdem cauſas contingentes &c. infallibiliter in effectus earum: vt explicamus in reſolutione num. 1821. & 1822. fol 477. & 478. Probamus hoc expreſſis auctoritatibus D. Thomæ, & ratione demonſtratiua, ex ipſo S. Doctore deſumpta, à num. 1823. fol. 478. ad 1884. fol. 494.

2 An P. Ioſephus Auguſtinus rectè interpretetur locum D. Thomæ adductum num. 1884. verbis relatis num. 1885. fol. 494.? Reſpondemus negatiuè. Et probamus à num. 1886. ad 1897. fol. 498.

3 An ex doctrina Suarij, relata à nobis à num. 1900. ad 1906. fol. 499. qua ponit diſcrimen inter effectum naturalem contingentem, & effectum contingentem ex libertate cauſæ, probetur; rationem S. Thomæ adductam pro noſtra ſententia non valere in cauſis liberis? Reſpondemus negatiuè. Vnde probamus, Suarium in relata doctrina deficere in pluribus: eſſe contra Ariſtotelem, & D. Thomam: immò, & ſibi ipſi repugnantem à num. 1907. ad 1963. à fol. 501. ad 515.

4 An in cauſa libera poſſit dari contingentia illa, quæ eſt vnicum fundamentum ſcientiæ mediæ, qua, ſcilicet, ex cauſa libera completa, & non impedita, aliquando ſequitur, & aliquando non ſequitur effectus? Reſpondemus ſpeciali concluſione num. 1967. fol. 5. 6. negatiuè, qua vt declaramus num. ſequenti 1968. euertimus ſcientiam mediam ex impoſſibilitate ſui proprij obiecti. Probamus eam primò, auctoritatibus S. Thomæ adductis in hac diſputatione, quas expendimus, & inculcamus ad propoſitum à num. 1970. fol. 518. ad num. 1981. fol. 520. Secundò eam demonſtramus ex principijs dialecticis à num. 1982. fol. 521. Tertiò ex rationibus, & auctoritatibus alibi allatis à num. 1985. fol. 522.

5 An, & cur contingentia in cauſis naturalibus ſit ex imperfectione, in cauſa verò libera ex perfectione iuxta doctrinam D. Thomæ à nobis allatam num. 1898. fol. 498.? Reſpondemus in concluſione poſita num. 1967. Eamque probamus ex prima radice à num. 1989. fol. 523. ad num. 2004. fol. 526. Et inde à num. 2005. ad 2019. à fol. 527. ad 530. ſoluimus principalem difficultatem in forma, & alias inſtantias.

6 An, & qualiter in praxi agens liberum gerat vicem oppoſitorum agentium, ſeipſumque, vt gerit vicem vnius, impediat, vt gerit vicem alterius? Explicamus hoc §. 8. à num. 2022. fol. 530. ad num. 2042. fol. 536.

7 An exemplis ad ſenſum manifeſtis, & in praxi occurrentibus, ac etiam ratione ex D. Thoma deſumpta manifeſtari poſſit, dari aliquam diſpoſitionem cauſarum in ordine ad actum futurum voluntatis, ex qua, ſuppoſito, quòd prædictæ cauſæ non ſint impediendæ, poſſit eſſe infallibile, quòd voluntas procedat in determinatum actum liberum? Reſpondemus affirmatiuè. Idque probamus §. 9. à num. 2043. fol. 536. ad num. 2069. fol. 543.

8 An poſſit explicari, qualiter, ſuppoſita diuina prouidentia diſponente omnium cauſarum ordines, voluntas noſtra poſſit eſſe via infallibilis ad proprios actus peccaminoſos, ſalua immunitate Dei à cauſalitate peccati? Reſpondemus affirmatiuè. Idq; inculcata prius difficultate, explicamus ſpeciali reſolutione, ac reſolutionem euidenter probamus §. X. à num. 2070. fol. 544. ad num. 2086. fol. 548.

9 An benè ex ſtabilitis à nobis ex mente S. Doctoris colligatur, eſſe rectè dictum ab eodem S. Doctore, hominem poſſe, & quandoque de facto reſiſtere motioni, & inſtinctui diuino, eoque quandoque abuti ad malum? Reſpondemus affirmatiuè. Idque probamus §. XI. fol. 549. à num. 2089. ad num. 2116. fol. 555.

10 An benè oſtendatur, ex allatis D. Thomæ auctoritatibus ſequi; Deum per ipſam rationem ordinis præconcepti, & excogitati per ſuam ſapientiam in ſuo toto vniuerſo certò ſcire, vt in ipſa conceptione, & excogitatione ordinis incluſas, omnes propoſitiones conditionales, ab ipſo reuelatas de futuro contingenti: vt eſt illa: ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere, & cilitio pœnitentiam egiſſent. Matt: XI. & Luc. 9.? Reſpondemus affirmatiuè. Idque

Digitized by Google

que probamus. §. XII. fol. 556. scilicet à num. 2117. ad 2143. fol. 562, vbi secluſa ſcientia media, ac ſecluſis decretis conditionatis (à quibuſdam recentibus excogitatis) res hæc manifeſtis exemplis, ratione, & auctoritate explicatur, & probatur.

11 An infallibilis ordo diuinæ prouidentiæ ſecundùm modum à nobis ex doctrina S. Doctoris explicatum in cauſis liberis, impugnari poſſit ex ratione neceſſitatis præcedentis explicatæ ab Anſelmo ? vt exiſtimat Ruiz. Vaſquez, & alij à nobis relati §. XIII. à num. 2145. ad 2152. fol. 563. & 564. ? Reſpondemus negatiuè num. 2153. Et num. 2154. ponimus contra dictos Recentes concluſionem, quam dicimus non eſſe in Anſelmo ea, quæ illi dicti Recentes imponunt circa neceſſitatem præcedentem, ſed doctrinam Anſelmi eſſe aliam ſatis diuerſam, quam fatentur cum Ariſtotele, D. Thomas, & alij Peripatetici. Concluſionemque probamus ex ijs, quæ ipſimet aduerſarij fatentur · ac etiam ex expreſſa doctrina ipſiuſmet Anſelmi. à num. 2155. fol. 565. ad num. 2192. fol. 576.

12 An impugnari poſſit ex ijs, quæ docet Auguſtinus de dono Perſeuerantiæ ? Reſpondemus negatiuè §. 14. idque probamus euidentiſſimè à num. 2194. fol. 577. vſque ad fol. 580. vbi eſt finis huius libri.

Tandem ſi interrogas, quæ eſt

Digitized by Google

SERIES PARAGRAPHORVM

QVIBVS PRÆDICTA NOSTRA SENTENTIA APERITVR, probatur, & vindicatur?

Respondemus, quòd Prima pars habet Paragraphos vigintitres: eorumque series est:

§. I. PVnctus difficultatis proponitur; Soluitur ex doctrina S. Thomæ, Instatur contra: & eadem solutio ex nostra sententia stabilitur. fol. 1.

§. II. Fundamentum, & radix veritatis, quam inquirimus, est. Quòd voluntas, & quælibet causa inferior, habet defectum in sua actione; quando non est in debita dispositione, & aptitudine, ad recipiendam motionem superioris mouentis. fol. 3.

§. III. Expenduntur dicta S. Thomæ relata pro prædicto fundamento. fol. 4.

§. IV. Ex adnotata doctrina D. Thomæ colligitur: quòd Recentiores, tàm sequentes Molinam, Suarez, & alios eiusdem familiæ, quàm sequentes, Salmanticenses, & cæteros eiusdem sententiæ, non possunt saluare: Deum esse causam actus, non verò deformitatis, quæ est in actu peccati. fol 9.

DIGRESSIO, in qua impugnantur modi dicendi Recentiorum, vsurpantium scientiam mediam ad soluendam difficultatem. fol. 15.

§. V. Explicatur in quibus actibus voluntatis possit, & in quibus non possit esse peccatum. fol. 36

Et probatur conclusio auctoritatibus D. Thomæ. fol. 38.

§. VI. Conclusio probatur rationibus. fol. 39.

§. VII. Probatur, quòd voluntas, quoties peccat, mouetur à seipsa. fol. 42.

§. VIII. Expenditur ad propositum, doctrina D. Thomæ, qua docet: libertatem voluntatis ad bonum, & malum prouenire ex indeterminatione apprehensionis, quæ potest esse recta, & non recta. fol. 45.

§. IX. Colligitur ex dictis, quæ sit dispositio voluntatis malè, & quæ benè eligotis, fol. 47.

§. X. Ex dictis deducitur primo: qualiter Deus, quantùm est de se semper mouet voluntatem ad actionem perfectam; Secundò: qualiter voluntas quandoque sit debitè disposita: quandoque non debitè disposita ad recipiendam motionem mouentis Dei. Tertiò: qualiter quandoque ex defectu dispositionis indebitæ contingat, voluntatem recipere motionem Dei indebito modo, & præter intentionem Dei mouentis: & ita peccare præter Dei intentionem; immò & præter intentionem voluntatis peccantis. fol. 50.

BREVIS explicatio propositæ sententiæ fol. 53.

§. XI. Corollariè deducitur: Primò, qualiter sit rectè dictum à Sancto Doctore, quòd voluntas redditur sub debito, vel indebito ordine ad finem per apprehensionem rationis. Secundò, qualiter sit ab eodem rectè dictum, quòd defectus, præcedens actionem, malam moraliter, sit defectus apprehensionis. Tertiò, qualiter intelligas S. Thomam, quoties asserit: voluntatem carentem directione regulæ rationis, & legis diuinæ esse causam inordinationis actus peccati per accidens, & præter intentionem. fol. 54.

§. XII. Concluditur principale intentum; ostenditur bona responsio data §. 1. Et soluitur obiectio ex auctoritate Augustini, proposita eodem §. 1. num. 5. Nota hic, quod nos locum citauimus num. marg. 2115. fol. 555. fol. 56.

§. XIII. Obiectiones negantium causam antecedentem vsum nostræ libertatis proponuntur, & soluuntur. fol. 57.

§. XIV. Dubium primum, quod posset recentioribus Thomistis difficultatem afferre in intelligenda proposita sententia D. Thomæ. fol. 61.

§. XV. Soluitur prædictum dubium, & vindicatur doctrina Augustini ab impositis Recentiorum. fol 62.

§. XVI. Proponitur secundum dubium: & explicatur iuxta doctrinam Sanctorum Augustini, & Thomæ: An, & quomodo sit volita à Deo actio positiua, quæ est materiale peccati. fol. 69.

§. XVII. Dubium tertium, quo proponuntur obiectiones desumptæ ex intrinseca natura actus mali moraliter. fol. 71.

§. XVIII. Quid sentiat Caietanus, Ferrariensis, & Capreolus circa materiam prædictarum obiectionum. fol. 72.

§. XIX. Vera sententia circa materiam primæ obiectionis; nec non quid sentiendum sit de recitatis opinionibus, aperitur. fol. 73.

§. XX. Probatur, quòd malum per accidens, & concretiuè, est differentia specificans in moralibus: non ratione malitiæ; sed ratione bonitatis, cui est coniuncta malitia. fol. 76.

§. XXI. Ex dictis deducitur, quid sit constitutiuum formale vitij, & peccati: & qualiter peccatum includat intrinsecè priuationem, vt possit diffiniri, actus humanus malus; sitque tale specificatiuum bonum, vel non bonum. fol. 80.

§. XXII. Soluitur prima obiectio fol. 83.

§. XXIII. Soluitur secunda obiectio, & manifestatur, qualiter Deus sit causa totius entitatis positiuæ, inuentæ in actu peccati; non autem deformitatis consequentis differentiam specificam actus. ibidem.

DISPV-

DISPVTATIO I. SECVNDÆ PARTIS.

fol.87.

An Axioma illud Commentatoris: Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquid, quod determinat ad vnum; sit à S. Thoma vniuersaliter approbatum, etiã in causis liberis &c. habet §§. quatuordecim. Hi sunt.

§. I. COntinet resolutionem quæsiti, & testimonia S. Thomæ. ibidem.

§. II. Afferuntur alia testimonia S. Doctoris, quibus discurrit subintellecto prædicto Axiomate Commentatoris. fol. 88.

§. III. Responsio P. Iosephi Augustini confutatur. fol.90.

§. IV. Responsio Suarij, & Fasoli confutatur. fol. 91.

§. V. Confutatur responsio Ruiz. fol 95.

§. VI. Alia responsio P. Iosephi Augustini cõfutatur. fol.96.

§. VII. Alia quædam specialis responsio Fasoli confutatur. fol.101.

§. VIII. Recensentur S. Doctoris loca, in quibus probat Axioma. fol. 105.

§. IX. Adnotatur sensus Axiomatis. Est vnus secundùm analogiam. Quod est ad vtrumlibet, per hoc, quòd, dum agit, determinatur ad vnũ ab alia causa, non amittit dispositionẽ intrinsecam, qua est ad vtrumlibet. fol. 109.

§. X. Discursus S. Thomæ, quo ostensiuè probatur Axioma proponitur. fol. 109.

Probatur idem Axioma ratione ducente ad impossibile. fol. 112.

§. XI. Responsiõ Suarij, & Fasoli proponitur: & stabilitur contra eos conclusio. ibid.

Nota hic quod prædicta conclusio probatur quatuor rationibus disp. 3. toto puncto secundo, à fol. 450.

§. XII. Prima obiectio ex Hieronymo Fasolo, & Iosepho Requesens proponitur: ipsiq; obijcientes conuincuntur. fol. 121.

DVBIVM APPENDIX. An secundum doctrinã S. Thomæ, quam Fasolus citat, & dicit notatu dignissimam, sint excludenda ab effectibus contingentibus, & liberis decreta diuina absoluta, seu antecedentia vsum nostræ libertatis. fol. 128.

§. XIII. Proponitur, & soluitur alia obiectio eiusdem Fasoli. fol. 133.

§. XIV. Proponuntur aliæ obiectiones Fasoli, soluuntur, & conuincitur Fasolus. fol. 138.

DISPVTATIO SECVNDA.

An principium illud S. D. Motus Primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus; sed in vnoquoque secundùm proprium modum &c. Habet §§. vigintisex. Hi sunt.

§. I. PRoponitur opinio existimantium, S. Th: docere: motum mouentis Primi determinare inferiora mouentia, in quibus recipitur. ibidem.

§. II. Aperiuntur spectantia ad secundum punctum: & probatur præcipuum fundamentum prædictæ opinionis esse principium illud Commentatoris: Ab eo quod est ad vtrumlibet, &c. fol. 143.

§. III. Consideratur discursus Aluarez: confertur cum Arist. & D. Thoma, sæpè discurrentibus ex eodem principio: ostenditur in multis deficiens, & S. D. repugnãs. fol. 147.

§. IV. Inculcatur contra hos Recentes insignis locus S. D. quo probatur, quòd si voluntas determinaretur ad vnum ex oppositis per aliquid sibi impressum à solo Deo, nõ haberet libertatem in agendo &c. fol. 150.

§. V. Inculcantur ad idem propositum alia duo loca S. Doctoris. fol. 152.

§. VI. Ex eadem doctrina S. Thomæ vtraque Recentium classis conuincitur negasse, dari agens liberum in rerum natura. fol. 160.

§. VII. Discursus, quo iidem Recentes procedunt ex testimonijs S. Thomæ, expenditur: ostenditur inutilis: & eisdem testimonijs repugnans. fol. 166.

§. VIII. Impugnatur secundò idem discursus Recentium, in quantùm eo inferunt: mouentia secunda moueri à superioribus mouentibus, & à Primo, motu quodam, qui nõ est virtus, sed mera applicatio virtutis. f. 174.

§. IX. Sententia S. Doctoris, qua explicat naturã, proprietates, & munera motus Primi mouentis, proponitur duobus dictis: explicantur; & afferuntur testimonia S. D. f. 190.

§. X. Prima ratio ex doctrina S. Thomæ desumpta, qua à priori probatur principalis punctus prioris dicti. fol. 194.

§. XI. Proponitur secunda ratio, qua manifestatur radix malæ consequentiæ, ex qua oritur deceptio in Aduersarijs. fol. 196.

Et colligitur ratio ostensiua. fol 205.

Corollaria ex dictis notatu digna. fol. 207.

§. XII. Secunda ratio, qua iuxta S. Thomæ doctrinam probatur à posteriori: influentiã causæ primariæ determinari ad effectum per causam proximam, proponitur. fol. 208.

§. XIII. Vltima pars conclusionis, scilicet: Influentia superiorum agentium ad agendum hunc effectum in individuo determinatur per virtutem singularem infimi agentis, & vltimatè per materiam designatam, &c. probatur auctoritate, & ratione. fol. 211.

§. XIV. Veritas nostræ conclusionis ostenditur, refellendo positionem Recentium, vt impossibilem. fol. 215.

§. XV. Instantiæ, ex quarum solutione veritas nostræ, & D. Thomæ sententiæ elucescit, proponitur. Opinio Complutentium refertur, & probatur, repugnare S. Th. fol. 217. & 218.

§. XVI. Soluitur tertia obiecto, & explicatur dictum illud S. Doctoris: Impossibile est, eundem filium nasci, siue sit alius pater, siue alia mater. fol. 222.

Retorquetur doctrina D. Thomæ contra dictos Recentes. fol. 225.

Alia responsio tertiæ instantiæ proponitur ex doctrina S. Thomæ. fol. 226.

§. XVII. Proponuntur quædam testimonia S. D. quæ sibi videntur repugnantia, & concordantur in secundo nostro dicto. fol. 228.

§. XVIII. Probatur secundum dictum, ac mira cõsonantia doctrinæ D. Thomæ dilucidatur. fol. 229.

DE

Digitized by Google

DE DETERMINATIVO AGENTIVM omnium ad actiones, iuxta S. Doctoris maximam

Determinatio agentii ad aliquã actionem oportet quòd fit, ab aliqua cognitione, præstituente finem actioni.

§. XIX. Explicatur, quæ sit secundum S. Doctoris mentem cognitio præstituens finem actionibus: ratioque, ob quam oportet, determinationem agentium à tali cognitione prouenire. fol.237.

Pro dictis in hoc §. nota, quod rationem demonstrantem, intentum asserimus in forma disp. 3. toto §. 9. à fol.451.

§. XX. Qualiter, & per quid, in ijs, quæ omni cognitione carent, determinatio agentis ad aliquã actionẽ est à cognitione, præstituente finẽ actioni, deciditur, & declaratur. f.240.

§. XXI. Qualiter, & per quid, in habentibus cognitionem sensitiuam, &c. fol. 246.

§. XXII. Explicatur modus, & per quid agentia, in quibus est cognitio præstituens finẽ suis proprijs actionibus, determinantur ad easdem actiones à propria cognitione. f.252.

§. XXIII. Probatur, quòd voluntas per formam apprehensam per iudicium deliberatum &c. est determinata, vt causa verè efficienter mouens, & reducens seipsam in determinatam actionem. fol. 261.

Afferuntur loca Aluarez, quibus expresse docet nostram sententiam. fol. 262.

Concluditur, docuisse totum, quod probare intendimus. fol. 267.

Sed tamen fuisse sibi repugnantem. fol. 268.

Recensetur doctrina S. Thomæ, qua probatur intentum, &c. fol.276.

§. XXIV. Proponuntur, & cõcordantur quædam testimonia S. Doctoris, &c. fol.285.

§. XXV. Obijciuntur quædam alia testimonia S. Doctoris: concordantur: & Ferrariensis vindicatur. fol.291.

§. XXVI. Soluuntur Recentium obiectiones, quibus existimant probari, motũ Primi mouentis esse formalem determinationem secũdorum agentium ad actiones. fol.301.

DISPVTATIO TERTIA.

An dictamen vltimatum rationis practicæ, &c. repugnet libertati electionis, &c.

Habet §§. duodecim. Hi sunt.

§. I. PRoponitur, & soluitur prima ratio Suarij, & Requesenij: & ex Suario conuincitur Suarius: & ex Requesenio Requesenius. fol.313.

§. II. Proponitur secunda ratio Suarij: soluitur: ostenditur inutilis, & in multis deficiẽs. f.321.

§. III. Tertia ratio Suarij soluitur, & redarguitur Suarius. fol. 325.

§. IV. Obiectio quarta ex P. Roderico de Arriaga, Vasquio, & alijs PP. Societatis soluitur, eiusque Auctores de mala consequentia conuincuntur. fol.342.

DVBIVM vnicum ad quartam obiectionem.

An excludatur libertas à voluntate propter hoc, quòd ponitur subordinata rationis imperio, non valens illi resistere. ibidem.

§. V. Obiectio quinta ex Ruiz, Arriaga, & alijs, soluitur, ipsismet obijciẽtibus cõuictis. f.343.

DVBIVM, primum ad quintam obiectionem.

An iudicium de hoc particulari operabili, vt nunc, &c. ad quod sequitur ex necessitate actus electionis conformis iudicio, &c. sit ab Aristotele, & D. Thoma confictum. fol.345.

DVBIVM secundum ad quintam.

An iudicium, quo, dum quis fornicatur, existimat, bonũ sibi, vt nũc, fornicari, repugnet cõtradictoriè propositioni, qua fides vniuersaliter credit, fornicationẽ esse malã. f.348.

DVBIVM tertium ad quintam.

An ratio concludens, hoc esse, vel non esse agendum, significet Necesse esse omninò, vt hoc nunc facias: vel non facias: vel teneris physicè, ad hoc agendum. fol.352.

§. VI. Proponitur sexta obiectio, continens præcipuum difficultatis punctum: ostenditur soluta, & excitantur sex dubia. fol. 359.

DVBIVM primum ad sextam.

An, dum quis liberè iudicat: aliquid esse hic & nunc agendum, voluntas determinet intellectum ad hoc, vt sic determinatè iudicet; ita vt electio præcedat iudiciũ. fol.360.

DVBIVM secundum ad sextam.

An, ex quo ad omnem electionem liberam præcedit deliberatio, &c. cogamur admittere processum in infinitum. fol.368

DVBIVM tertium ad sextam.

An sit libera illa deliberatio, in quam mouetur ratio ab exteriori principio: estq; prima in ordine ordinatarum deliberationũ. f.373.

DVBIVM quartum ad sextam.

An prima deliberatio sit sub libera potestate voluntatis, in quantùm ipsa voluntas applicat intellectum ad deliberandum. fol.384.

DVBIVM quintum ad sextam.

Quæ quotuplex, & qualis sit libertas primi iudicij deliberati, seu primi imperij, præcedentis primum actũ voluntatis liberũ. f.395.

DVBIVM sextum ad sextam.

An ex dictis rectè occurratur sextæ obiectioni. fol. 404.

§. VII. Septima obiectio proponitur, & pro eius solutione excitantur tria dubia.

DVBIVM primum.

An, ex quibus principijs, & quomodo, virtus iudicatiua rationalis, se habens ad vtrũlibet in iudicando de agendis, determinet seipsam secundùm illam indifferentiam, quam habet ex propria linea. fol.407.

DVBIVM secundum.

An & quomodo virtus intellectiua Angelica, quæ non est discursiua, determinet seipsã in iudicando de singularibus agendis. fol.412

DVBIVM tertium.

An, & quomodo intellectus diuinus determinet seipsum in iudicãdo de agendis à Deo fol.428.

§. VIII. Obijcitur quidã modus dicendi Ferrariensis: ostenditur D. Thomæ minimè repugnare: soluuntur cætera argumenta Recẽtiũ ex Ruiz: Et conuincũtur Recẽtes. f.439.

§. IX. Proponitur prima ratio fundamentalis, resoluẽs in illud principium, *Omne agens agit propter aliquem certum finem*, quòd est necessarium libertati imperium rationis. fol.450.

§. X.

Digitized by Google

§.X Proponitur secunda ratio resoluens eãdem conclusionem in illud principium per se notum: *Omne agens agit, in quantùm est in actu per formam.* fol.460.

§.XI. Proponitur tertia ratio S. D. procedens ex ipsa ratione actus voluntarij. fol.467.

§. XII. Proponitur quarta ratio, procedens ex ratione actus deliberati, desumpta ex Arist:& D. Thoma, &c. fol. 472.

DISPVTATIO QVARTA fol.475.

An certus & infallibilis ordo, secundùm quem Deus sua prouidentia, &c. assequitur certitudinaliter, & infallibiliter causarum cõtingentium effectus &c. rectè cohęreat &c. habet §§. quatuordecim. Hi sunt.

§. I. ADnotantur quædam, quæ ex mente S. Doctoris supponuntur: punctusq; difficultatis resoluitur. fol.476.

§.II. Referuntur loca Sancti Doctoris, quibus expressè nostram resolutionem docet. f.478.

§.III. Consideratur, ad resolutionem probandã ratio fundamentalis, qua S. D. sæpè probat: diuinam voluntatem semper impleri; Nihil posse contingere præter ordinem diuinæ prouidentiæ,& gubernationis: Prouidentiam diuinam habere certissimum ordinem ad omnes effectus causarum contingentium,&c.fol.484.

§. IV. Probatur ex dictis resolutio ratione.f.492

Confutatur responsio P. Iosephi Augustini à num. marg.1885. fol.494.

Corollarium, notatu dignum, contra vtranq; Classem Recentium. fol.497.

PVNCTVM SECVNDVM.

Inculcatur difficultas, à num. marg. 1899. Ex doctrina Suarij. fol.499.

§. V. Summissum inter philosophicas veritates fundamentum Suarij reijcitur: Quia contra D. Thomam: Quia contra Aristotelem,& Peripateticos: Quia falsum,& ad Stoicos spectãs. fol.500.

Responsio ex mente Mediscientiantium, insinuata à Suario proponitur. fol.515.

Impugnatur ponendo conclusionem, qua fundamẽtũ vnicũ scientiæ mediæ euertitur.f.516.

§. VI. Recensentur dicta in alijs locis, ex quibus probantur singula,quæ in dicta conclusione continentur. Et Primò: quòd datur, nec potest non dari ista necessitas in causis liberis, qua à causa contingenti completa, & non impedita necesse est effectum sequi. fol 518.

Secundò, quòd implicat contradictionem, dari contingentiam illam, secũdùm quàm ponitur, quòd à causa libera completa, & non impedita ad se mouendum in aliquam operationem, talis operatio potest non sequi. fol.521.

Tertiò explicatur propria radix, vnde in causis liberis contingentia est ex perfectione à num.marginali 1989.ad 2004. à fol.523.

§ VII. Difficultas proposita in principio huius puncti soluitur in forma: Et quæ sunt infra explicanda proponuntur. fol.526

§.VIII. Explicatur in praxi, qualiter agens liberum gerat vicem oppositorum agentium: seipsumque,vt gerit vicem vnius, impediat, vt gerit vicem alterius. fol.530.

§. IX. Exemplis ad sensum manifestis; ac etiam ratione ex D.Thoma desumpta manifestatur, qualiter possit dari aliqua dispositio causarum in ordine ad actum futurũ voluntatis,ex qua, supposito,quòd prædictæ causæ non sint impediendæ, possit esse infallibile, quòd voluntas procedet in determinatũ actũ liberũ. fol. 536.

§.X. Explicatur, qualiter, supposita diuina prouidentia, voluntas nostra possit esse via infallibilis ad proprios actus peccaminosos salua immunitate Dei à causalitate peccati.fol.544.

Soluuntur quædam dubitationes. fol.547.

§.XI. Manifestatur, deduci ex dictis, qualiter sit verum: Hominem posse, & quandoque de facto, resistere motioni, instintui, inspirationi, & vocationi Dei,&c. fol.549.

§.XII. Ostenditur, sequi ex dictis: Deum per rationem ordinis excogitati in suo toto vniuerso,certò scire, vt in ipsa excogitatione ordinis inclusas, omnes propositiones conditionales ab ipso reuelatas de futuro contingenti. Vt est illa: *Si* in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, &c. pœnitẽtiam egissent. fol. 556.

§. XIII.Fundamentũ vnicũ existimantium,necessariam esse Deo scientiã mediã ad hoc,vt possit prouidentiam habere de actibus liberis volũtatis creatæ proponitur, & diruitur. fol.563.

In hoc §. à num.1.ad 9. referuntur quæ Suarius, Vasquius, Ruisius, al.jq; PP. Societatis dicũt conuenire necessitati præcedenti (de qua loquitur Anselmus) quibusdam definitionibus, seù descriptionibus: à num. verò 9. ad vndecimum stabilitur contra eos conclusio, qua dicitur quòd non sunt in Anselmo ea, quæ suis descriptionibus explicant, sed aliud satis diuersum. fol. 565.

á num.12. ad 14. probatur secunda pars conclusionis (ex qua sequitur prima) ex ijs quę docet Fasolus. fol. 566.

à num.14.ad 17. conuincitur Vasquius afferere contradictoria. ibidem.

à num. 17. ad 21. Argumentatur Vasquius contra Fasolum. fol. 567.

à num. 21. ad 23. se defendit Fasolus contra Vasquium.à num.23.ad 41. Demonstratur nostra conclusio. à fol.568.ad 574.

à num. 41.ad 48. inclusiuè ponitur doctrina D.Thomæ approbata à prædictis Recentibus, ac etiam id,in quo ab eodem D. Th: recedunt, & probatur, quòd hoc, in quo recedunt à D. Thoma, D. Thomas didicit ab Anselmo,& ex illo eodẽ loco, quem ipsi Recẽtes citãt. f.575.

§. XIV. Excluditur falsa existimatio Recentiũ circa donum perseuerantiæ, & explicatur vera sententia ex doctrina Augustini, & Angelici Præceptoris. fol.576.

MONITIO LECTORI.

ECce habes (Charissimè Lector) ornatum aliquali Indice tractatum hunc, quem eo destitutum tibi obtulimus in epistola. Ne mireris. Oportuit nos amicorum consilijs acquiescere, ac mutato proposito, tuæ studiositati consulere. Vale.

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATVS

DE PROPRIO, ET PER SE PRINCIPIO, vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs.

PARS PRIMA.

TRACTATVM hunc (in quo, non nisi puram, & synceram S. Thom. doctrinam proponere intendimus) duabus partibus absoluemus. Prima, seu præsens, Resolutionem dubij secundum expressam S. Doct. mentem continet: secunda verò nonnullas disputationes excludentes Recentium existimationes, quibus non pauci detinentur. In prima autem duo præstabimus. Primò resoluemus dubium. Secundò soluemus obiectiones. Circa resolutionem dubij agemus tria. Primò proponemus puncti difficultatem. Secundò soluemus ex nostra, & D. Thomæ sententia. Tertiò explicabimus, & simul probabimus ea, quæ in nostra resolutione, vel supponuntur, vel continentur, aut etiam corollariè deducuntur. Ex quibus palam fiet proprium principium, vndè prouenit peccatum actionis voluntariæ.

§. I.

Punctus difficultatis proponitur, solvitur ex doctrina D. Th. instatur contra, & eadem solutio ex nostra sententia stabilitur.

1 PVnctus difficultatis oritur ex quadam D. Thom. & in eius schola stabilita sententia, puta. Quòd Deus, dum, vt prima, & vniuersalissima omnium causa, mouet, & inclinat voluntatem creatam in actus liberos bonos, est per sua decreta absoluta, & antecedentia, (quæ, scilicet, non supponunt scientiam vsus, & determinationis voluntatis creatæ sub conditione futurę) vera causa efficiens efficacissima omnium bonorum actuum ipsiusmet voluntatis creatæ. Causa, inquam, antecedens, & præueniens ipsummet vsum, & determinationem libertatis creatæ. Ita scilicet, vt à Deo sit, & procedat, tamquam à vera causa antecedente, ipse vsus, & determniatio ipsa eiusdem liberæ voluntatis. In hanc doctrinā offendunt scriptores, ferè omnes, Societatis post Molinam, credentes indè inter alia inferri, Deum esse causam peccati voluntatis creatæ, etiam quātum ad deformitatem. Et sic argumentantur.

Si Deus per sua decreta absoluta esset causa efficax antecedēs, & præueniēs vsum libertatis creatæ, mouens voluntatem in omnes actus bonos; deberet ex consequēti præueniendo mouere efficaciter eandem voluntatem in actus illos, quibus est necessario connexa, & in propria ratione imbibita deformitas peccati. e.g. ad physicam entitatem odij Dei, blasphemiæ, mendacij, furti, & similium. At si Deus, vt vera causa antecedēs, & præueniēs vsum nostræ libertatis, efficaciter moueret voluntatē ad physicam entitatem talium actuum, non posset non esse causa deformitatis. Ergo Deus non est causa antecedens, & præueniēs vsū nostrę libertatis. Minorē integris voluminibus credunt probare. Sed omnia libenter omittimus; eo quia, (vt infra patebit) minimè cōtra nostrū dicēdi modū procedūt;

Solutio difficultatis ex Doctrina D. Thoma.

Facilis solutio ex doctr. D. Th. ad ductū exēplo tibiæ, & sagittæ.

2 VErùm in sententia S. Doctoris facillimè dissoluitur. Nam admissa maiori in sensu infra §. 12. explicando, neganda est sequela minoris, cuius falsitas euidenter apparet exemplo, quo ad hanc rem explicandam sæpè vtitur S. D. Nam potētia motiua, mouens tibiam curuam, causa est præueniens, & antecedens, efficaciter causans motum eiusdem tibiæ curuæ, cui est necessariò connexa obliquitas claudicationis: & tamen non est causa obliquitatis in tali motu repertæ; sed solius entitatis, & perfectionis inuētæ in eodē motu. Similiter sagittator rectè proijciens in signum sagittam, quę præter intētionem suā est curua, causa est (eo ipso, quòd eam per violentiam impellit) antecedens, præueniens, & efficax motus sagittæ deuiantis à signo intento, & tendentis ad aliud non intentum. Et tamen sagittator recto impetu impellēs sagittam; licet sit causa motus efficacissima: non est tamen causa obliquitatis, per quam deuiat à signo intento, & procedit ad non intentum; quāmuis etiam in tali motu sit imbibita obliquitas. Dixi (quæ præter intentionem sagittatoris est curua) quia ad hoc, vt sagittatori non tribuatur obliquitas motus, oportet; vt ipse non elegerit curuam. Cæterum si ab alio datas deberet proijcere sagittas, & ille daret curuas; euidens est, quòd esset quidem causa entitatis motus, non autem obliquitatis, nec deuiationis ab intēto, nec accessus ad signum non intentum.

Applicatur exemplū ad propositum solutionis.

3 Ita in nostro proposito. Licet Deus sit causa præueniens vsum nostrę libertatis, efficaciter mouens voluntatem in bonum, tanquam in signum: poterit tamen cōtingere; quòd motus voluntatis sit obliquus, deflectens à signo; seù obiecto, in quod ex natura sua tenderet impetus Dei mouentis, puta bono; & attingēs aliud obiectum, quod est malum; & tamen Deus sit causa totius entitatis, & perfectionis physicæ inuentæ in motu voluntatis, hābentis imbibitam, & sibi necessariò connexam obliquitatem; non autem sit causa obliquitatis inuentæ in motu; nec quòd voluntas deflectat à bono; nec quòd tendat ad malū, obliquitate, & deflexione ab vno obiecto, & accessu ad aliud prouenientibus ab aliquo defectu, inuento in voluntate præter intentionem Dei; non autem à Deo mouente. Sicut obliquitas, & deflexio sagittæ à signo intento, & accessus ad aliud signū proueniunt ex defectu, inuento in sagitta præter intentionem sagittatoris, puta, à curuitate; non autē ex defectu sagittatoris.

In stantia ex discrimine inuēto inter exemplum, & solutionem datā.

4 Dices, quòd inter exemplum positum, & rem, de qua agimus, est latum discrimen; ratione cuius ex eodem exemplo inferri potest; Deum esse causam peccati. Nam sagittarius habet efficacem intentionem proijciendi sagittam ad determinatum signum; cui de facto imprimit impulsum, qui de se, nisi impediretur à curuitate sagittæ, causaret motum, quo sagitta pergeret ad signum intentum à sagittario. Et ita ex eo habet sagitta, quòd deficit à signo intento à sagittario, seù, quòd ab eo deuiat, & attingit aliud; quia curuitas illa inuenta in sagitta impedit impetum sagittarij, ne rectitudinem causet in motu, per quā peruenirent ad signum, & inducit obliquitatem, per quam deuiat ab intento, & attingit signum non intentum. Et indè est, quòd rationabiliter obliquitas ista motus, seù deflexio ab vno signo, & accessus ad aliud, attribuitur, nō quidem sagittario, qui, quantum in se est, intendit signum, & recto impetu in ipsum dirigit sagittam; sed curuitati, ratione cuius sagitta non recipit influxum sagittarij secundum illā perfectionem, secundum quam reciperetur in ipsa, si esset recta; & à qua impeditur sagittarius, ne influat sagittæ motum rectū. Cæterum, si curuitas sagittæ nullum impedimentum præstaret sagittario; nec ex ea proueniret, quòd influxus sagittarij recipitur in sagitta cum aliquo defectu, sine quo recipitur in sagitta, quæ caret curuitate: & tamen motus sagittæ esset obliquus; nulla esset rationabilis causa, qua possemus asserere: quòd obliquitas motus, seù deuiatio ab vno, & accessus ad aliud signum proueniret à curuitate, non autem à sagittario. Siquidem curuitas nihil obstaret sagittario, quominus suum sortiretur intentum. Vnde si sagittarius præstaret sagittæ ea, quæ necessaria sunt ad attingēdum signum, sine dubio peruenirent ad signum intentum. Causa. n. sufficiens, non impedita, necessariò habet effectum suum. Si verò deficit, & non est impedita; talis defectus non potest prouenire, nisi ex debilitate, & insufficientia agētis; & ita fit, quòd talis defectus non posset attribui curuitati; sed sagittario.

Retorquetur exemplū contra solutionē ex auctoritate Augustini.

5 Nunc ergo in casu nostro, res non primò; sed secundo modo se habet. Nam voluntas creata nullum præstat impedimētum Deo volenti; *quo minus* (vt in quodam loco inquit Augustinus) *faciat ipse, quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, dum vult, facit.* Si ergo voluntas creata non præstat impedimentū diuino decreto; quo minus Deus perueniat ad signum, in quod intendit peruenire, dum voluntatē mouet; iam nō potest admitti id, quod in prædicta respon-

Digitized by Google

reſpõſione ſupponitur, nempè: quòd Deus intendit mouere voluntatem in obiectum bonum; & quòd deindè contingat voluntatem deuiare à prædicto obiecto, & moueri in aliud obiectum, quod ſit malum. Quod quidem in exemplo ſagittarij, proijcientis recto impetu ſagittam curuam, contingit.

Exhis, quę ponũt Thomiſtæ, probatur exẽplum non valere ad ꝓpoſitum.

6 Præterea ſecundum aliquos recentiores Thomiſtas diuinus impulſus, quo Deus voluntatem mouet, nunquam impeditur ab effectu; & inſuper non prouenit ab aliquo defectu inuento in voluntate peccante, quòd in ea recipitur diuinus impetus, & impulſus, non in illa perfectione, quæ recipitur in alia voluntate, quæ non peccat; ſicut curuitas, quæ eſt in ſagitta, cauſa eſt, quòd impetus ſagittarij, in ſagitta receptus, deficiat ab illa perfectione, in qua illum reciperet ſagitta recta. Et indè eſt, quòd prædictum exemplum potius facit ad probandum peccatum, attribuẽdum eſſe Deo; quàm voluntati creatæ. Si enim voluntas nullum impedimentum præſtat Deo mouenti; nec ex ea prouenit quòd influxus mouentis Dei deficiat à ſuo effectu, & ſcopo, quẽ Deus intendit, dum eam mouet; nec etiam eſt cauſa, quòd in ipſa recipiatur, ſinè illa perfectione, qua recipitur in voluntate nõ peccante; ſi deinde cõtingat ipſam deuiare à debito fine, & obiecto; non videtur poſſe rationabiliter attribui voluntati. Siquidem ipſa, dum in nihilo obſtat mouenti Deo; ſi Deus præſtat ea, quæ ſunt neceſſaria ad perueniendum, ſeù attingendum bonum obiectum, non peccabit voluntas; ſed per ea pertinget ad finem debitum. Si autem non præſtat; & propter hoc quòd non præſtat, voluntas habet defectum; defectus debet imputari Deo, qui non mouet, non autem voluntati, quæ non obſtat.

Probatur, quod in noſtra, & S. Doct. ſententia currit paritas exempli.

7 Reſpondeo, quòd in noſtra ſententia currit paritas exempli. Siquidem voluntas creata, quoties peccat, ſemper impedimentum præſtat Deo mouenti ſecundum noſtram, & D. Th. ſententiam. Sicut ſagitta curua impedimentum præſtat ſagittario; & tibia curua potentiæ motiuæ: & inſuper habet Deus, quatenus eſt motor voluntatis creatæ, decreta requiſita, & neceſſaria ad hoc, vt dirigat voluntatẽ creatam ad verum bonum; à quo ipſa peccando deficit. Et præterea imprimit voluntati creatæ actualem impetum, ſeù motum; qui ſi non impediretur ex indiſpoſitione, qua voluntas malè ſe habet ad recipiendum prædictum motum, perduceret ipſam voluntatem in obiectum ſibi conueniens verè bonum. Vndè illo ſimili modo mouet Deus voluntatem; quãdo ipſa in ſua actione peccat, & declinat à vero bono in bonum apparens, quo ſagittarius mouet ſagittam (quæ præter intentionem ſuam eſt curua) dum ipſa declinat a ſigno intento, & incidit in non intentum. Sicut ergo ſagittarius imprimit ſagittæ impetum, qui quantum ad ea, quæ habet, vt prouenit ab ipſo ſagittario; ſi non impediretur ab indiſpoſitione ſagittæ, perduceret ſagittã ad ſignum intentum: taliter quòd ex defectu ſolius ſagittæ, & præter intentionem ſagittarij ſit deuiatio ſagittæ ab intento ad non intentum; licet tota entitas motus ſagittæ prouenial ab impetu ſagittarij. Ita Deus imprimit voluntati motum, qui, niſi impediretur ab indiſpoſitione voluntatis, male ſe habentis ad recipiendum diuinum motum, perduceret ipſam ad appetendum id, quod congruit fini ſibi debito, quod eſt verè bonum: taliter quòd prẽter intentionem Dei, & ex defectu ſolius volũtatis ſit, ipſam declinare à verè bono, & incidere in bonum apparens; quamuis tota entitas illius actus, & motus, quo voluntas recedendo à verè bono intendit bonum apparens, ſit à Deo.

Quoties homo peccat, impedimentum ꝓſtat Deo mouenti. ꝓſtat Deo voluntati actualem motũ, qui niſi impediretur ex mala diſpoſitione peccantis ꝓduceret voluntatẽ in actum verè bonũ ſicut impetus ſagittarij rectè mouẽtis ꝓduceret ſagittam in ſignũ, niſi impediretur ab eius curuitate.

8 Dices, quòd ſi res ita ſe haberet; quiſq; facile intelligeret, Deum non eſſe cauſam defectus, inuenti in actu voluntaris, & eſſe cauſam actus. Verùm, quòd res ita ſe habeat, debet demonſtrari. Nam in contrarium obſtant ea, quæ propoſuimus num. 5. ex Auguſtino. Vt ergo demonſtremus, quòd res ita ſe habeat, vt diximus; & ſimul etiam impugnemus opiniones Recẽtiorum, qui quæſtionem hanc nouis inuentionibus reddiderunt inſolubilẽ, hoc manifeſtare debemus; nempè: qualiter voluntas, quando peccat, ſit diſpoſita, tàm in ſeipſa, quàm in ordine ad Deum. Quando quidem ſupponẽdum eſt, tanquam fundamẽtũ & radix veritatis, quam inquirimus.

Fundamẽtum, & radix veritatis quã inquirimus.

§. II.

Quòd voluntas, & quælibet cauſa inferior, tunc habet defectum in ſua actione; quando non eſt in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendam motionem ſuperioris mouentis.

1 PRædicta propoſitione nihil aliud intendo dicere; niſi quod Sanctus Doctor lib. 3. contra gent. cap. 10. docuit, & demonſtrauit, inquiens: *Cuiuslibet ſiquidem actiui principij perfectio virtutis ex ſuperiori actiuo dependet. Agens enim ſecundum agit per virtutem primi agentis. Cum igitur ſecundum agit*

9 *Locus S. Th. ad propoſitum.*

manent sub ordine primi agentis, indefi-
cienter agit: deficit autem in agendo, si
contingat ipsum ab ordine primi agentis
deflecti; sicut patet in instrumento, cum
deficit à motu artis. Ita S. Doct.

10 *Alius locus ad idē propositū.*

2 Idq; est quod ad hāc ipsam rem (de qua agimus) explicandam diffusius habet q. 3. de malo. art. 2. in corp. vbi postquam probauit, quòd Deus est causa actus peccati, inquantum est actus, seù motus voluntatis ratione speciali, quam sequentibus, verbis expressit, nempè.

Verba S. Th. quibus probat actū peccati in quantū ē quidam motus voluntatis esse à Deo.

Necesse est enim omnes motus secundarum causarum causari à primo mouente; sicut omnes motus inferiorum corporum causantur à motu cœli; Deus autem est primum mouens respectu omnium motuū, & spiritualium, & corporaliū; sicut corpus cœleste est principium omnium motuum inferiorum corporum. Vndè cum actus peccati sit quidam motus liberi arbitrij: necesse est dicere, quòd actus peccati, in quantum est actus, sit à Deo. Postquam, inquā, prædictam rationē proposuit, statim explicat ex doctrina lib. 3. cōtra gent. proximè relata: qualiter, & vnde prouenit, quòd causa superior mouens sit causa motus, & actionis inferiorum causarum, quantum ad id, quod perfectionis est in motu, & actione: non autem quantum ad defectum. Sic autem subiungit.

Doctrina S. Doc. probans solā actionē, nō eius defectum esse à Deo.

11 *Motus primi mouētis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus.*

3 *Sed tamen attendendum est, quòd motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus: sed in vnoquoque secundum proprium modum. Alio enim modo causatur à motu cœli, motus corporum inanimatorum, quæ non mouent seipsa; & alio modo motus animalium, quæ mouent seipsa. Rursumque alio modo consequitur ex motu cœli pullulatio plantæ, in qua virtus generatiua non deficit, sed producit perfectum germen: alio modo pullulatio plantæ, cuius virtus generatiua est debilis, & produxit germen inutile.* Nunc audi qualiter ad propositum affert doctrinam relatam ex lib. 3. contra gent. nam subiungit: *Cum enim aliquid est in debita dispositione ad recipiendam motionem primi mouentis, consequitur actio perfecta secundum intentionem primi mouentis: sed si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi mouentis, sequitur actio imperfecta; & tunc id, quod est ibi actionis reducitur ad primum mouens, sicut in causam: quod autem est ibi de defectu, non reducitur in primum mouens, sicut in causam: quia talis defectus consequitur in actione ex hoc, quòd agens deficit ab ordine primi mouentis, vt dictum est. Sicut quicquid est de motu in claudicatione, est ex virtute motiua animalis: sed quicquid est de defectu non est à virtute motiua: sed à tibia, secundum quòd deficit ab opportunitate mobilitatis à virtute motiua. Sic ergo dicēdum, quòd cum Deus sit primum principium motionis omnium; quædam sic mouentur ab ipso; quòd etiam ipsa seipsa mouent; sicut quæ habent liberum arbitrium: quæ si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad recipiendam motionem, quā mouentur à Deo, sequentur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum, sicut in causam. Si autem deficiant à debito ordine, sequetur actio inordinata, quæ est actio peccati. Et sic id, quod est ibi de actione, reducitur in Deum, sicut in causam: quod autem est ibi de inordinatione, vel deformitate, non habet Deum causam; sed solum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, quòd actio peccati est à Deo: sed peccatum non est à Deo.* Hæc Sanctus Doctor valdè notanda.

Cum aliquid est in debita dispositione ad recipiēdū motionem primi mouentis, cōsequitur actio perfecta secūdū intentionē primi mouentis.

Nota b. quòd instactio primi mouentis ē ad actionē perfectam; quòd si nō sit in debita dispositione, sequitur actio imperfecta, scilicet posita eadem motione, & eadem intentione mouentis, & hoc est b. n.

12 *Valde nota hāc sētētiā: quēdā sic mouentur à Deo, quòd etiam ipsa se ipsa mouēt: sicut quæ habēt liberū arbitriū, quę si fuerint in debita dispositione ad recipiendā motionē, quā mouētur à Deo sequētur bonæ actiones, quæ totaliter reducūtur in Deū &c. Secus si non sint in debita dispositione.*

4 Valdè (inquam) notanda, considerāda, & expendenda est prædicta doctrina: quia in ea non solùm habetur euidenter nostra conclusio in illis verbis, nempè. *Cum aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi mouentis, consequitur actio perfecta secundum intentionem primi mouentis: sed si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi mouentis, sequitur actio imperfecta.* Sed etiam in ea benè expensa, & intellecta continetur primum principium, & radix, ex qua oritur, quòd motus, & actio inferioris mouentis habeat aliquando defectum, & aliquādo non habeat. Et insuper fundamentalis ratio ad prima principia per se euidentia reducta, propter quā prædicta actio, quæ defectum habet, efficitur à superiori causa, quantum ad id, quod perfectionis, & entitatis habet: non autem quantum ad defectum. Ex quibus apparet veritas nostræ sententiæ, quam proposuimus §. præcedenti num. 7. atque etiam falsitas, & implicantia contradictionis, quam continent modi, quibus rem hanc explicant recentiores.

Ex prædicta doctr. nō solū habetur quid intēdim⁹, sed ēt prima radix, ex qua actio inferioris mouentis habet aliquādo defectum, et aliquando non.

13 *Expenditur illa propositio S. Doctoris Cuiuslibet actiui prin*

§. III.

Expenduntur dicta Sancti Thomæ, in præcitatis locis.

1 EXpendamus ergo dicta S. Doctoris, & in primis consideremus discursum ipsius in lib 3. contra gent. cap. x. cuius prima propositio est ista, nempè *Cuiuslibet actiui principij perfectio virtutis ex superiori actiuo dependet.* Et circa eam attende qualiter, & per quid

quod

Digitized by Google

cipii perfectio virtutis ex superiori, actiuo depēdet.

quodlibet principiū actiuum recipit perfectionem suæ virtutis à principio actiuo superiori; idque intelliges, si perspexeris principium, ex quo talem propositionem deduxit, quod statim subiunxit, inquiens. *Quia agens secundū*, siuè inferius, *agit per virtutem primi agentis*. Idem .n. significant, (vt habet Ferrariensis infra citandus) primum, & secundum, quod superius, & inferius. Ex eo enim quòd agens inferius agit per virtutem superioris mouentis, & agentis, infert S. D. quòd virtus inferioris mouētis dependet in perfectione suæ virtutis à superiori actiuo. *Complementum enim virtutis agētis secundi est ex virtute agentis primi*, vt inquit S. D. eodem lib. 3. cōtra gent. cap. 66. & nos explicauimus in nostro Tractatu de principio philosophico a § 11. vsque ad 15. Certum est autem in sententia Sancti Doctoris, quòd inferius mouens per hoc accipit complementum, seù perfectionem virtutis à superiori mouente, quod ab illo recipit motum; in quo, & per quem communicatur ei participatio virtutis superioris. Vnde, & inferius agens, per hoc dicitur agere in virtute superioris, quòd agit vt motum à superiori agente. Quodlibet ergo principium actiuum, per hoc recipit perfectionem, seù complementum virtutis à superiori actiuo, à quo in tali perfectione dependet, quòd à superiori actiuo mouetur, per cuius motum perficitur, & completur virtus: dum per eum participat perfectionem virtutis ipsiusmet superioris actiui.

Agens secūdū agit in virtute agentis primi.

Cōplemētū, virtutis agētis secundi est ex virtute agētis primi.

14 *Probatur illatio illi⁹ propositionis S. Doc. Igitur cū secundum agens manet sub ordine primi agentis indeficiēter agit. &c.*

2 Perisa deinde, an benè ex prædicta propositione sic intellecta, & probata inferat S. D. illam propositionem, nempè: *Igitur, cum secundum agēs manet subordine primi agentis indeficienter agit; deficit autem, si contingat ipsum ab ordine primi agētis deflecti, sicut patet in instrumento cum deficit à motu artis;* atque aduerte, quòd talis conclusio sequitur ex prædicta propositione, in quantū est coniuncta cum alia propositione, quam paulum supra præmiserat, nempè; *quòd actus deficiens prouenit propter defectum actiui principij*. Ex qua, & priori propositione assumpta, & probata à S. Thoma, optimè sequitur prædicta conclusio. Nam si actus deficiens prouenit propter defectum actiui principij: dum principium actiuum habet perfectionem virtutis; seù caret defectu, indeficienter agit; sed dum agens inferius, seù secundum, manet sub ordine primi, seù superioris actiui, & mouentis, habet principium actiuum perfectum: patitur autem defectum, dum ipsum ab ordine primi agētis deflectitur. Ergo dum agēs secundum manet sub ordine primi, seù superioris agentis, indeficienter agit: deficit autē si ab ordine primi agentis deflectitur.

15 *Excitatur dubiū cōtra prædicta ex alio loco S. D.*

3 Vt melius, seù radicitus percipiatur prædictus discursus, qui demonstratiuus est: Dubitatur primo circa minorem. Falsum si quidem est, quod principium actiuum inferioris agentis; dum stat sub ordine superioris, & principalis, seù primi agētis habeat perfectionē virtutis, seù careat defectu. Nam vt habet S. D. p. p. q. 49. art. 2. in corp. *In actione causatur malum propter defectum alicuius principiorum actionis, vel principalis agentis, vel instrumentalis. Sicut defectus in motu animalis potest contingere, vel propter debilitatem virtutis motiuæ, vt in pueris: vel propter solam inaptitudinem instrumenti, vt in claudis*. Si ergo defectus, seù malum in actione inferioris agentis potest contingere ex defectu existente in principio actiuo superioris agentis; potest contingere, inferius agens stare sub ordine superioris agentis: & nō perfectè perfici, & agere defectiuè.

Responsio Ferrariensis.

4 Ad hoc dubium optimè respondet Ferrariensis, explicans eamdem Diui Tho. rationem §. *ad euidentiam eorū*, & inquit. *Considerandum est, quòd causa secunda, non agit: nisi secundum quòd à prima mouetur: & ideò perfectio virtutis ipsius est, secundum quòd perfectè subsitat virtuti primæ causæ. Quòd si secundam causam contingat deficere in agendo propter defectum tantùm primæ causæ: tunc defectus in actione secundæ causæ, non reducitur in defectum ipsius secūdæ causæ: sed primæ. Sicut cum accidit motus imperfectus, & deficiēs propter defectum virtutis motiuæ; crure in sua debita dispositione manente, defectus ambulationis non reducitur in defectum cruris, sed virtutis motiuæ tantùm. Si autem deficiat secunda causa in agendo: quia non perfectè subditur primæ causæ: sed ab ea deflectitur: tunc defectus actionis in defectum secundæ causæ reducitur: non in defectum primæ. Sicut claudicatio habentis virtutem motiuā perfectam reducitur in defectum cruris, non perfectè virtuti motiuæ substantis. Cum ergo dixit S. T. quoniā cum agit manet sub ordine primi mouentis indeficienter agit intelligitur de defectu, qui in ipsius secūda causa defectū reduci habeat, & sibi debeat imputari. Posset tamen in actione secunda causa accidere defectus propter defectum causæ primæ; sed tunc secunda causa non imputaretur, ipsa secūda causa manēte sub ordine suæ causæ prioris à qua, tanquam à proprio motiuo habet moueri.* Hæc Ferrariensis.

16

5 Itaque iam habes, quòd tunc solùm

in

in agendo deficit secunda causa; ita vt defectus sit proprius ipsius secundæ causæ, vtpotè originem trahens ab ipsamet secunda causa; quando ipsa non stat sub ordine primæ; seù, vt Ferrariensis habet, nõ perfectè substat, & subditur motioni primi mouentis. Nam si defectus sit in actione secundæ causæ debitam dispositionem habentis, per quam perfectè stat sub ordine, seú substat motioni primi mouentis: tunc secunda causa agendo non deficit: ita vt defectus sit suus, & proprius; sed deficit prima, cuius est proprius defectus.

Quando defectus actionis reducitur in solam secundam causam, et quando in solam causam superiorem.

17 6 Dubitabis secundò. Quid importat causã secundã stare sub ordine primæ: vel ab ea deflecti. Respondeo, quòd hoc optimè explicuit S. D. cit. num. 3. præcedentis §. illis verbis, nempè. ***Cum aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi mouentis, & consequitur actio perfecta secundum intentionem primi mouentis; sed si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendum motionem primi mouentis, sequitur actio imperfecta.*** Si enim agens secundum indeficienter agit, seù habet actionem, perfectam, & sine defectu, quando stat sub ordine primi, seù superioris agentis; & deficit in actione, cum à tali ordine deflectitur ex vna parte: & ex alia idem agens habet actionem perfectam secundum modum, quem intẽdit primum mouens, quando est in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendam motionem eiusdem primi mouentis; deficit verò, & habet actionem cum defectu, seù imperfectam; quando non est in debita dispositione, & aptitudine ad recipiẽdam eamdem motionem: clarè sequitur, quòd idem importat agens secundum stare sub ordine primi mouentis, quod agens secundum esse debitè dispositũ ad recipiendam motionem primi, secundum illum perfectionis modum, quem intendit ipsum primum, seù quem habet, vel haberet prout procedit à primo. Et idem importat agẽs secundum deflecti à tali ordine; quod agẽs secundum non esse debitè dispositum, & aptum ad recipiẽdum motionem à primo, secundum illum perfectionis modum intẽtum à mouente primo, vt in vltimo numero huius §. euidẽter demonstramus. Id autem; quod non est in dispositione debita, & debita aptitudine ad recipiendam motionem, oportet, quòd careat, vel habeat aliquid, quod obstat, & impedimentum præstat receptioni motus, secundum illam perfectionem, qua ipsum recipit mobile debitè dispositũ, & aptum: ac per hoc oportet, quod recipiat motum secundum modum conuenientem suæ malæ dispositioni, seu ineptitudini, & sic cadat à perfectione motionis, quam reciperet, si non præstaret obstaculum, & impedimentũ receptioni, secundum illam perfectionem intentam a primo agente. Hoc, & nihil aliud est: agẽs secundum deflecti ab ordine primi mouentis. Id autem melius apparebit si expendamus ad hoc propositum ea, quæ in Tractatu de Principio philosophico à §. primo vsque ad 26. probauimus, nempè, quod ordo causæ inferioris ad superiorem est ordo perfectibilis ad suum proprium perfectiuum. Tunc autem perfectibile est debitè ordinatum sub suo perfectiuo; quando potentia perfectibilis nihil habet, quod repugnat, & obstat receptioni perfectionis, quam in ipsam intendit inducere perfectiuum per suum actiuum principium. Et hoc est, potentiam esse debitè dispositã ad recipiendam motionem perfectiui. Tunc verò perfectibile habet aliquam deordinationem, quando potentia perfectibilis aliquid habet, quod obstat receptioni perfectionis, quam intendit in ipsam inducere suum perfectiuum. Et hoc est, potentiam non esse debitè dispositam ad recipiendam motiouem, &c. Verùm expendamus dictum D. Tho. citatum præcedenti nu. 2.

Quid importat causã secũdã stare sub ordine primæ; vel ab ea deflecti

18 7 Porrò id, quod maximè expendendum est ex verbis loco modo cit. adductis, est; quod D. Tho. posuit, vt principium, & fundamentum sui discursus: nempe. ***Motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus, sed in vnoquoque secundum proprium modum.***

Explicatur quid importat apud D. Thom. motum primi mouentis non recipi vniformiter in omnibus mobilibus; sed in vnoquoque secundum proprium modum.

8 VT mens S. D. circa hoc habeatur, aduerto; quod hoc idem principium sub eodem sensu assumpsit D. Th. lib. 3. contra gent. cap. 85. ratione 11. ad hoc vt probaret; quòd si corpora cœlestia per se, & directè imprimerent in intellectum, & voluntatem: omnis appetitus hominis, quo appeteret aliquod sensibile, esset conformis rationi rectæ; & ita nunquam peccaret. Quam rationem proponit his verbis.

19 9 ***Impressio vniuersalis causæ recipitur in vnoquoque secundũ modum suum. Effectus ergo stellæ mouentis ad delectationem, quæ est in coniunctione ordinata ad generationem recipietur in quolibet secundum modum sibi proprium. Sicut videmus, quòd diuersa animalia habent diuersa tempora, & diuersos modos commixtionis secundum congruẽtiam suæ naturæ, vt Aristoteles dicit in lib. de Hysterijs anima***

Si intellectus, & voluntas moueretur p impressionem cœlestiũ corporum, impossio reciperetur in

Digitized by Google

ipsis secũdum modũ modũ ipsorũ, et nunquã esset electio mala: ga cũ appetitus mouetur secũdum modũ rationis, non accidit peccatum.

malum. *Recipient ergo intellectus, & voluntas impressionem illius stellæ secundum modum suum. Cum autem aliquid appetitur secundum modum intellectus, et rationis, nõ accidit peccatum in electione: quæ quidem semper ex hoc mala est, quod non est secundum rationem rectam. Non igitur, si corpora cœlestia essent causa electionum nostrarum, esset vnquam in nobis electio mala.* Hæc. S.D.

10 Vbi, (vt vides) idem omninò principium assumpsit quod q. 3. de Malo. loco cit. quem examinamus. Et ficuti hìc, ex eo, quòd impressio vniuersalis causæ recipitur in vnoquoque secundum modum suum, infert: quòd si causa vniuersalis inclinans ad appetitum venereorum imprimeret in intellectum, & voluntatem: intellectus, & voluntas reciperent talem impressionem secundum modum suum, & sequeretur appetitus ad venerea, secundum modum, qui congruit rationi. Ita in loco, quem examinamus: ex eo, quòd motus primi mouẽtis non recipitur vniformiter; sed in vnoquoq; secundum modum proprium infert, quòd si recipitur in voluntate, & libero arbitrio, habente debitam dispositionem, & aptitudinem, seù ordinem debitum ad ipsum mouens: recipiet motum secundum illum modum perfectionis, quem intendit mouens: & sequitur actio perfecta, seù bona. Si autem in non habente debitam dispositionem, & debitam aptitudinem, seù ordinem ad recipiendam motionem primi mouentis: recipiet motum, non habentem illum perfectionis modum, quem intendit mouens: & sequetur actio imperfecta, seù peccati.

20 *Conclusio prædicta oritur ex eodẽ principio.*

21 *Eodẽ principio probat S.D. effectus in modo necessitatis, & contingentiæ sequitur modum causæ proximæ.*

11 Idem principium assumpsit S.D. in pr. dist. 28 q. p. art. 5. ad probãdũ, quòd effectus in modo necessitatis, & contingẽtiæ sequitur conditionem, seù modum causæ proximæ, & secundariæ, non verò remotæ, & primariæ. Et sic dicit: *Quandocunque sunt causa multæ ordinatæ, effectus vltimus non sequitur causam primam in contingentia, & necessitate, sed causam proximam: quia virtus causæ primæ recipitur in causa secunda secundum modum causæ secundæ. Effectus enim ille non procedit à causa prima, nisi secundum quòd virtus causæ primæ recipitur in causa secunda.*

22 *In omnib⁹ præcedentibus locis probat S. D. eamdẽ cõclusionẽ*

12 Itaq; sicut in authoritate inductæ ex eo quòd effectus vltimus procedit à virtute primæ causæ, prius recepta in causa secunda per modum causæ secundæ, infert; quòd effectus in modo necessitatis, & contingentiæ sequitur modum causæ secundæ, cuius modũ obtinuit virtus primæ in ipsa causa secũda recepta (intellige per motũ quo mouetur à prima) Ità in loco, quem examinamus, ex eo quòd actiones secundorum agentium procedunt à Primo per motum receptũ in ipsis inferioribus agentibus secundum modum ipsorum, infert: quòd actiones secundorum agentium, in modo perfectionis, & defectus, sequuntur modum dispositionis, & aptitudinis, quem habent ipsa inferiora agentia ad recipiendam motionem primi mouentis: taliter, vt ad motionem primi mouentis receptam in secundo agente debitè disposito, & apto ad recipiendam motionem, sequatur actio perfecta, & secundum modum, quem intendit primum mouens: ad receptam verò in agente, non habente debitam dispositionem, nec debitam apritudinem, seù ordinem ad recipiendam motionem, sequatur actio inordinata, seù imperfecta, quæ deficit ab ordine, & intentione primi mouentis.

23 *Prædictũ principiũ cõtinetur sub illo axiomate: vnũquodque recipitur secundũ modum recipientis.*

13 Et collatione horum locorum modò percipi potest qualiter intelligi debeat dictum illud S. Doctoris, nempè: *Motus, & virtus primi mouentis recipitur in agentibus secundis, non vniformiter, sed in vnoquoque secundum modum ipsorum.* Est enim hoc quoddam particulare cõtentum sub illo vniuersali, & vulgato axiomate, vnumquodque recipitur secũdum modum recipientis: de quo agemus in secunda parte huius Tractatus disp. 8. §. 9. num. 4. & & sequentibus; vbi probabimus motum, & influentiam superioris causæ, receptam in causis inferioribus, determinari, & modificari per ipsas inferiores causas, in quibus recipitur.

24 *Explicatur axioma: vnumquodq; recipitur secundũ modum recipientis.*

14 Et quidem hoc axioma vnũquodq; recipitur secundum modum recipientis, hoc designat, nempè: Receptum determinari, & mensurari secundum determinationem, & mensuram recipientis. Porrò hæc dictio, modus, prout in prædicto axiomate accipitur, importat (vt notauit D. Th. p. p. q. 3. art. 5. in corp. & de Verit. q. 21. art. 6. in corp. & p. 2. q. 49. art. 2. in corp. vbi omninò videri debet) determinationem secundum aliquam mensuram. Quoniam autẽ res recepta recipitur secundum aliquam mensuram, & determinationem proportionatam determinationi, & mensuræ recipientis (limitatur enim determinatur, & mensuratur receptum à recipiente) indè vulgatum est prædictum axioma. Quodlibet recipitur secundum modum recipientis. Hinc S. Th. q. cit. de ver. art. 6. ad 5. sic habet. *Vbicunque est aliquid receptum: oportet ibi esse modum, cum receptum limitetur secundum recipiens. Et ideo cum esse creaturæ sit essentiale, & accidentale sit receptum: sic modus non solùm inuenitur*

in ac-

in accidentalibus: sed etiam in substantialibus. Hæc D. Thom. vbi (vt vides) per hoc probat, quòd omnis creatura habet modum, dum habet esse receptum: quòd res recepta, limitatur, seù mensuratur secundum mensuram, & determinationem eius, in quo recipitur. Quæ sententia componenda est cum dictis ab ipsomet S. D. in corp. articuli; vbi sic inquit. *Cum creaturæ non sint suum esse; oportet, quòd habeant esse receptum; & per hoc earum esse est finitum, & mensuratum, secundum mensuram eius, in quo recipitur.* Ex quo deinde infert; quòd quælibet creatura habet suum determinatum modum, seù mensuram, & determinationem, secundum modum, mensuram, & determinationem recipientis.

25 *Conclusio D. Thomæ.*

15 Deniq; expendere oportet totum discursum D. Tho. Et quidem ipse intendit probare hanc conclusionem, nempè. *Quæ habent liberum arbitrium; si fuerint in debita dispositione, & ordine ad recipiendam motionem, qua mouentur à Deo; sequuntur bonæ actiones quæ totaliter reducuntur in Deum, sicut in causam; si autem deficiant à debito ordine, sequitur actio inordinata, quæ est actio peccati. Et sic id, quod est ibi de actione, reducetur in Deum sicut in causam; quod autem est ibi de inordinatione, vel deformitate, non habet Deum causam; sed solùm liberum arbitrium.*

26 *Conclusio duo principaliter cõtinet. Si liberũ arbitriũ est in debita dispositione ad Deũ: sequũtur actiones bonæ, si vero à tali dispositione deficiat: sequũtur actiones malæ.*

16 Hanc conclusionem sub prædictis formalibus verbis posuit S. D. & duo principaliter continet. Primum est hoc, nempè: si habens liberum arbitrium fuerit in debita dispositione; & ordine debito ad recipiendam motionẽ, qua mouetur à Deo; sequentur actiones bonæ: si autem deficiat à debito ordine sequetur actio in ordinata, quæ est actio peccati. Secundum est hoc aliud, nempè: Actiones bonæ totaliter reducuntur in Deum sicut in causam: actio verò peccati, quo ad id, quod habet de actione reducitur in Deum, sicut in causam; non autem quo ad id, quod habet de deformitate, & deordinatione; sed solùm in liberum arbitrium.

Actiones bonæ totaliter in Deum: non sic malæ.

17 Vbi aduertendum est, quòd S. D. neutrum horum probat aliqua speciali ratione; sed vtrumque infert ex his, quæ vniuersaliter demonstrauerat inueniri in omnibus agentibus secundis, quæ agunt, vt mota à primo per motũ, in ipsis receptum non vniformiter, sed in vnoquoque secundum proprium modum. Et sic procedit. In agentibus ordinatis hoc est vniuersaliter verum; quòd cum aliquid est in debita dispositione ad recipiendam motionem primi mouentis, consequitur actio perfecta secundum intentionem primi mouentis: sed si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendam motionem; sequitur actio imperfecta. Et tunc id, quod est ibi actionis, reducitur in primum mouens, sicut in causam: quod autem est ibi de defectu, non reducitur in primum mouens, sicut in causam; quia talis defectus consequitur in actione ex hoc, quòd agens deficit ab ordine primi mouentis; vt dictũ est. Sed Deus est primum mouens; & liberum arbitrium est agens motum à Deo. Ergo si liberum arbitrium fuerit in debita dispositione, & ordine ad recipiẽdam motionem, qua mouetur à Deo; sequentur actiones bonæ, quæ totaliter reducuntur in Deum, sicut in causam: si autem deficiat à debito ordine, sequetur actio inordinata, quæ est actio peccati. Et sic id, quod est ibi de actione, reducetur in Deum, sicut in causam: non autem, quod est ibi de deformitate: sed in solùm liberum arbitrium.

28 *Quæ cõsiderãda sũt in prædicto discursu*

18 In quo discursu multa considerãda sunt. Primum est: quòd S. D. actionem bonam totaliter reducendã esse in Deum, sicut in causam, non autem actionem malam, probat ex eo, quod est vniuersaliter verum in omnibus actionibus causarũ inferiorum: quando sunt, vel non sunt in debita dispositione, & debito ordine ad recipiendum motum, quo mouentur à superioribus causis.

29 *Radix actionis perfectæ, et imperfectæ.*

19 Secundò adnotari debet radix, ex qua oritur, quòd aliquando actio inferioris agentis est perfecta; aliquando verò est imperfecta. Radix enim est, quia motus primi mouentis non recipitur vniformiter in illis, sed in vnoquoque secundũ modum suum, videlicet: quia aliquando motus primi mouentis recipitur in mobili debitè dispositio, & debitè ordinato ad recipiendam motionem mouentis: aliquando verò in mobili non debitè dispositio, & non debitè ordinato ad recipiendam motionem mouentis.

30 *Quare actio perfecta totaliter reducitur in Deũ, non autẽ imperfecta.*

20 Tertiò adnotari debet ratio, propter quam actio perfecta inferioris agentis totaliter, ideſt, tam secundum id, quod habet de actione, quàm secundum id, quod habet de perfectione reducitur in causam mouentem, seù superiorem. At verò actio imperfecta solùm quantum ad id, quod habet de actione; non verò, quantum ad id, quod habet de defectu. Illa enim est: quia defectus in actione inferioris consequitur ex hoc, quòd agens deficit ab ordine primi mouentis; seù quia agens non est debitè dispositum ad recipiendam motionem primi mouẽtis: & sic defectus non oritur ex agente superiori: sed ex agente inferiori, quod non recipit motionem, seù mo-

Digitized by Google

motum ſuperioris ſecundum illum perfectionis modum, qui intenditur ab agente ſuperiori; vt patet in tibia curua, quæ ratione ſuæ curuitatis inhabilis eſt, & inepta ad recipiẽdum motum cum illa perfectione rectitudinis, ſecundum quam intenditur à potentia motiua. Et ſagitta curua propter eamdem cauſam non recipit motum rectum dirigentis ipſam in ſignum. Ex quo fit, quòd talis defectus euenit in actione inferioris præter intentum cauſæ ſuperioris, quæ, quantũ eſt de ſe, intendit motum rectum. At verò perfectio in actione inferioris prouenit ex hoc, quòd agens ſuperius influit inferiori perfectionem virtutis, per quam inferius agens producit actionẽ perfectam. Atque adeo agens ſuperius aſſequitur in effectu inferioris illam perfectionem, quam intendit ipſummet ſuperius; vtpote quia inferius agens agit in virtute ſuperioris, à quo mouetur, & per cuius motum recipit perfectionem virtutis. Et inde eſt, quòd perfectio effectus inferioris agẽtis attribuitur ſuperiori mouenti, à quo procedit perfectio virtutis inferioris. Immo quantò maior eſt perfectio in effectu inferioris agentis, eò magis attribuitur, vt proprius effectus, ſuperiori cauſæ. *vltimũ enim in perfectione; intenea, in quæ poteſt agens ſecundum, eſt illud, in quod poteſt ex virtute agentis primi: nam complementum virtutis agentis ſecundi eſt ex virtute agentis primi*, vt inquit D. Th. 3. con. gen. cap. 66. ratione 4.

31

21 Quartum, quod adnotari debet, eſt id, quod aduertimus in hoc §. num. 15. nempè: quòd idem ſignificat apud S. D. agens ſtare ſub ordine, vel deficere ab ordine primi mouentis; quod agens eſſe in debita diſpoſitione, & aptitudine: vel non eſſe in tali diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi mouentis. Apparet hoc euidenter. Nam volens probare S. D. quòd id, quod eſt de defectu in actione inferioris agentis, non reducitur in primum mouens, vt in cauſam; ſic habet; nempè. *Quia talis defectus conſequitur ex hoc, quod agens deficit ab ordine primi mouentis, vt dictum eſt*, nota modò ly, vt dictum eſt, & deindè attende, quid dictum ab ipſo ſit, & inuenies ipſum dixiſſe hoc, nempè, *ſi agens non ſit in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi mouentis; ſequitur actio imperfecta*. Hoc ergo ſignificat ſecundum D. Thom. Agens deficere ab ordine primi mouentis, quod agens non eſſe in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi mouentis, &c.

§. IV.

Ex adnotata doctrina Diui Thomæ colligitur, quòd Recentiores tàm ſequentes Molinam, Suarez, & alios eiuſdem familiæ quàm ſequentes Aluarez, Salmãticenſes, & cæteros eiuſdem ſententiæ, non poſſunt ſaluare, Deum eſſe cauſam actus; non verò deformitatis, quæ eſt in actu peccati.

1 NOtauimus in fine §. ſecundi huius Tractatus quod ex doctrina D. Th. quam hùcuſque expendimus, colligitur, falſos eſſe, & implicantes contradictionem varios modos, quibus recẽtiores credunt explicari poſſe, Deum eſſe cauſam actus peccati, quoad id, quod habet de actione: nõ autem quoad id, quod habet de deformitate. Quòd autem hoc verum ſit, in ſequentibus demonſtrare debemus. 32

2 Et quidem modus dicendi Aluarez Salmãticenſium, & aliorum ponentium, motum, quo mouentur cauſæ ſecundæ à prima non impediri in inducendis actionibus cauſarum ſecundarum per hoc, quòd recipitur in hoc, vel illa cauſa inferiori, non habente diſpoſitionem debitam ad recipiendam motionem mouentis primi; ſaluat quidem, Deũ eſſe cauſam actus, cui eſt annexa deformitas peccati; non autem poſſt ſaluare, quòd deformitas actus non poſſit reduci in Deum. Siquidem ſecundum modum dicendi horum Recẽtiorum, vel homo non poſſet peccare, ſeù indeficienter in omnibus actibus ageret; vel ſi peccaret, deformitas peccati eſſet reducenda in Deum; ſicut reduceretur in potẽtiam motiuam claudicatio hominis, qui habens tibiam rectam, ex induſtria moueret debiliter tibiam; & ſic claudicaret. 33

Modus dicendi Aluarez impugnatur. Quia homo, vel nõ poſſet peccare, vel peccatum eſſet refundẽdum in Deum.

3 Hoc autem ſic oſtenditur ex dictis. Nam ſecundum D. Thom. cit. §. 2. num. p. *Cum ſecundum agens manet ſub ordine primi agentis, indeficienter agit: deficit verò in agendo, ſi contingat ipſum ab ordine primi agentis deflecti: ſicut patet in inſtrumento, cum deficit à motu artis.* Sed ſecundum prædictos Doctores nulla cauſa ſecũda deficit à motu primæ cauſæ: nec deflectitur ab eius ordine, & omnis manet ſub illo. Ergo nulla cauſa ſecunda deficit agendo, & omnis indeficienter agit. Maior eſt D. T. minor verò eſt horum Recentiorum. Siquidem ipſi volunt, quod motus primi mouentis, non eſt ſicut motus, quo mouetur à pictore penicillus defectuoſus, qui modificatur ſecundum modum diſpoſitionis penicilli per hoc, quod in ipſo recipitur, taliter vt pictore mouente ſecun- 34

Probatur ſequela, & nunq̃ peccaret ſeu non poſſet peccare.

Digitized by Google

dum regulas artis ad pingendum naſum rectum, & benè diſpoſitum, penicillus deficiat à motu illo, quo mouetur à pictore, & moueatur ſecundum modũ defectus ſui, pingens naſum, nõ ſecundum illam diſpoſitionem, & rectitudinem, quam intendit pictor per motum, quo penicillum mouet; ſed ab illa diſpoſitione deficientem. Non inquam huiuſmodi eſt motus primi mouentis ſecundum hos Doctores: ſed omnis cauſa ſecunda recipit motum ſecundum illum perfectionis modum, quem intendit cauſa prima; nec deficit in modo perfectionis propter defectum ſubiecti indebitè diſpoſiti ad recipiendum motionem mouentis primi; taliter vt, ſi ſubiectum eſſet debitè diſpoſitum ad recipiendam motionem mouentis, reciperet motionem ſecundum alium modum perfectiorẽ. Omnis ergo cauſa ſecunda nõ deficit, nec deflectitur ab ordine primi mouentis: ſed sẽper indefectibiliter ſtat ſub eius ordine. Porrò (vt ex D. Tho. probauimus num 6. & 21. præcedentis §.) Idem eſt cãuſam ſecundam ſtare ſub ordine primi mouentis; quòd eſſe debitè diſpoſitam, & aptam ad recipiendam motionem mouentis; & idem eſt ipſam deflecti à tali ordine; quod non eſſe in debita diſpoſitione, & aptitudine debita ad recipiẽdam motionem. Ex quo oritur, quòd cauſa prioris conditionis recipiat motionẽ ſecundum modum perfectũ, & ſequatur ad ipſam operatio perfecta; ad cauſam verò poſterioris conditionis ſequatur operatio imperfecta propter oppoſitam rationem. Atqui ſecundum hos Doctores omnes cauſæ ſecundæ ſunt indifferenter diſpoſitæ ad recipiendã motionem primi mouentis, cuius motio non modificatur, ſeù determinatur diuerſimodè per hoc, quòd recipitur in cauſis inferioribus diuerſimodè diſpoſitis: ſed ipſa determinat cauſas, taliter vt omnes eam recipiant ſecundum modum intentum à primo mouente. Nulla ergo cauſa deflectitur ab ordine primi mouentis.

35 *Formatur ratio ex doctr. D. T. Per qd cauſa ordinantur in actu primo, & per qd in actu ſecũdo.*

4 Prædicta ratio ex doctrina D. Tho. deſumpta, ſic poteſt in forma proponi. Cauſæ efficientes per hoc ſunt per ſe ordinatæ in actu ſecundo; quòd ſuperior mouet inferiorem ad agendum: per hoc verò ſunt per ſe ordinatæ in actu primo; quòd ſuperior habet aptitudinem, ſeù virtutem ad mouendam inferiorem ad agendum; & inferior habet aptitudinem ad recipiendum motum ſuperioris cauſæ. Per hoc ergo prædictæ cauſæ poſſunt eſſe non debitæ ordinatæ in actu primo; quòd inferior non habet illam aptitudinem, quam debet debere ad recipiendum motum, ſecundum modum, quem expoſtulat aptitudo, & virtus ſuperioris mouentis: & per hoc poſſunt eſſe non debitè ordinatæ in actu ſecundo; quòd inferior non recipit motum ſecundum illum modum, quo eam mouet cauſa ſuperior. Sed ſecundum hos Recentiores omnes cauſæ inferiores ſunt æquè aptæ ad recipiẽdam motionem primi mouẽtis: vel etiam ſi non eſſent æquè aptæ: tamen omnes recipiunt motum primi mouentis ſecundum illum modum, perfectionis, quo procedit ab ipſo primo mouẽte; cum per ſuum motum determinet ipſas cauſas. Omnes ergo ſunt in actu ſecũdo ſub debito ordine primi mouentis; nec à tali ordine deflectuntur: & ita omnes earum actiones erunt perfectæ, & ſine defectu.

36 *Probatur ſequela, ſi homo peccaret refũderetur in Deum.*

5 Quòd autem ſecundum modum dicendi horum Recentium, ſi homo peccaret, actus peccati, etiam quoad deformitatem, eſſet reducendus in Deum, patere poteſt ex his, quæ diximus §. primo huius Tractatus num. 4. & 6. Et præterea ſecundum doctrinam Diu. Thom. quam expendimus §. præcedenti num. 20. Poteſt ſic proponi ratio. Ideo per D. Thom. defectus inuentus in actione inferioris agentis, non reducitur in agens ſuperius, ſeù primum, vt in cauſam: quia defectus in tali actione conſequitur ex hoc, quòd agens inferius non eſt debitè diſpoſitum ad recipiendam motionem primi mouentis; ac proindè propter defectum, quem habet ipſum agens, non recipit motionem mouentis ſecundum modum debitum intentum à mouente; & eo modo, quo eam recipit agens debitè diſpoſitum. At verò ſecundum hos Doctores, defectus in actione voluntatis peccantis non prouenit ex eo, quòd voluntas non eſt debitè diſpoſita ad recipiendam motionem Dei mouentis voluntatem; nec ex eo, quòd propter defectum diſpoſitionis indebitæ recipit motionem ſecundum alium modum ab eo, quem intendit Deus; & quo eam reciperet ſi non haberet defectum iſtum diſpoſitionis indebitæ. Non ergo ſecundum hos Doctores adeſt ſufficiens ratio, propter quam negari debet, Deum eſſe cauſam defectus exiſtentis in actione voluntatis peccantis.

37 *Probatur exẽplo D. Thom. quo vtuntur Salmãticenſes.*

6 Explicatur hoc exemplo, quo ſæpè ad hanc rem explicandam vtitur D. Tho. & quod aſſerũt, vt ex S. D. allatum ipſimet Recẽtiores quos impugnamus; puta. Salmãticenſes tom. 1. tract 4. diſp. 10. dub. 7. §. 5. nu. 155. vbi loquuntur vt infra.

Nam & ſi vna, & eadem claudicatio procedat à tibia curua, & à virtute progreſſiua animalis; attamen in ratione motus ſit à virtute progreſſiua rectè tibiam curuam, quantùm eſt ex ſe, mouente: at

quoad

quoad defectum naturalem, quem habet, ſiù vt eſt claudicatio, procedit non à virtute progreſſiua; ſed à tibia curua. Idemq; accideret ſi pictor v. g iuxta regulas artis penicillo defectuoſo, inculpabiliter tamen aſſumpto depingeret. Nam tunc pictura, quoad, id quod eſt perfectionis, & artis in ea, procederet à pictore; & quoad defectus artis ab ipſo penicillo defectuoſo; rectè tamen, quantum eſt ex parte pictoris, & iuxta regulas artis moto: non tamen talis defectus tribuendus eſſet eidem pictori. Ita Salmăticenſes.

38 7 Itaque ad hoc, vt defectus picturæ non attribuatur pictori; ſed penicillo; & claudicatio attribuatur tibiæ; nõ verò potentiæ motiuæ, hoc requiritur; vt pictor, quantum eſt ex ſe, moueat rectè penicillum, & iuxta regulas artis, quo quidem motu ſolet depingere imagines perfectas, & pulchras; & quòd ex defectu penicilli deindè, qui non recipit debitè motum pictoris, proueniat, quòd talis motus non habeat perfectam actionem, quam habet in penicillo benè diſpoſito. Et ſimiliter requiritur, quòd potentia motiua, quantum eſt ex ſe, moueat ad faciendum greſſum rectum; & quòd ex defectu tibiæ proueniat, quòd greſſus non veniat rectus; in quãtum non recipit motum ſecundum illum modum, quem intendit potentia motiua, quæ quantum in ipſa eſt, mouet rectè. Cæterum ſi pictor, quantum eſt ex ſe, daret penicillo motum, qui eſſet talis conditionis, vt ex ſe, ſolam ſubſtantiam pictionis produceret: non autẽ pictionẽ artificioſam, in quocũq; penicillo talis motus poneretur; ſiuè penicillus eſset defectuoſus. ſiuè non. Et ſi potentia motiua, quantum eſt ex ſe, daret motum, quo ſolam ſubſtantiã greſſus; non verò greſſum rectum produceret, ſiuè tibia eſſet recta, ſiuè non; tunc nullam haberemus rationabilem cauſam, propter quam poſſemus dicere, quòd defectus, cõſequens actionem, proueniret ex defectu penicilli; non autem ex defectu pictoris. Siquidem pictor per illum motum, quo ſubſtantiam pictionis producit, poſſet etiam malè depingere, & potentia motiua poſſet debiliter mouere. Ad hoc ergo, vt rationabiliter defectus actionis, puta claudicationis, in defectum ſolius tibiæ, & defectus picturæ in defectum ſolius penicilli reducatur, hoc indiſpenſabiliter exigitur, quod potentia motiua, quantum eſt ex ſe, moueat motione, quæ faceret greſſum rectum. ſi tibia non haberet curuitatem, per quam deficit à debita diſpoſitione, & non poteſt recipere motum ſecundum illam perfectionem, ſecundum quam mouet potentia motiua. Et ſimiliter, quòd pictor, quantum ex ſe eſt, moueat penicillum motu recto, & iuxta regulas artis, & eo modo, quo mouet penicillum benè diſpoſitum ad pulchrè depingendũ. Et quòd deindè, quia penicillus eſt defectuoſus, & non debitè diſpoſitus ad recipiendam motionem pictoris, inperfectè recipiat talem motum, & extortè, & contra regulas artis depingat.

8 Hoc ergo ipſum eſt, quod D. Thom. docet eſse indiſpenſabiliter neceſsarium ad hoc, vt defectus actionis cauſarum inferiorum non proueniat, tanquam à cauſa, à ſuperiori agente; nempè: quòd cauſa inferior non ſit debitè diſpoſita ad recipiendam motionem mouentis. Ita vt, dum mouens ſuperius mouet inferiorẽ cauſam motu, quo induceret perfectam actionem; cauſa inferior nõ recipiat motionem mouentis ſuperioris, ſecundum modum intentum à ſuperiori mouente; ſed ſecundum modum ſui proprij defectus. Ex quo deindè optimè infertur, quòd defectus, qui inuenitur in actione inferioris, non proueniat à ſuperiori mouente, quod, quantum eſt in ſe, mouet ad inducendam actionem perfectam; ſed ex defectu cauſæ ſecundæ non recipientis benè, & modo debito motionem mouentis. 39

Ne tribuatur Deo defectus actionis, indiſpẽſabiliter requiritur quod Deus moueat motu tendẽte nõ in ſolã ſubſtantiã actus, ſed in rectã actionem.

9 Et hoc etiam eſt, quod ſententiam prædictorum Recentium reddit inintelligibilem. Ipſi enim ponunt, quòd Deus mouet voluntatẽ motu quodam, qui, etiam vt venit à Deo, non mouet voluntatem ad operationem rectam, & conformem regulis rationis; ſed ad ſolam ſubſtantiam actus; taliter vt non proueniat ex defectu voluntatis creatæ, quòd diuinus motus ſolam ſubſtantiam actus attingat; non verò perfectionem tali actui debitam, puta cõformitatem ad regulas rationis: ſicut prouenit ex defectu penicilli, quòd pictor ſolam ſubſtantiam pictionis attingit; non verò artificioſam picturam. Pictor enim ſuo motu, quo mouet penicillũ defectuoſum, niſi obſtaret defectus penicilli, non ſolam ſubſtantiam pictionis haberet; ſed etiam artificioſam picturã. At verò Deus per iſtum ſuum motum, quem cogitauerũt iſti Recentiores, nihil aliud poteſt attingere, niſi ſolam ſubſtantiam actus. Vndè quòd ſolam ſubſtantiam actus, non verò perfectionem ipſius attingat, nõ prouenit ex defectu voluntatis, non recipientis modo debito motionẽ Dei; ſed ex ipſo Deo, qui ex induſtria mouet voluntatem, non ad actionem perfectam, & conformem regulis legis naturalis, & diuinæ; ſed ad ſolam ſubſtantiam actus. Et deindè volunt; defectum actiõnis voluntatis, quo actio non eſt conformis regulis legis, non poſſe 40

Quid reddit prædictum mouẽdicendi inintelligibilem.

Digitized by Google

reduci in Deum, sicut in causam, sed in solam voluntatem. Quæ duo nō benè cohærent cum doctrina D. Th. & veritate, supra explicata. Siquidem (vt dicebamus nu. 5. huius §.) tunc defectus actionis inferioris agētis reducitur in defectum principij solius inferioris agentis; quando superius agens, quantum est de se, mouet inferius ad habendam actionem perfectam; & inferius agens, ex eo, quòd non est debitè dispositum ad recipiendam motionem mouentis, eam recipit, non secundū modum intentum à mouente: Sed secundum modum sui defectus. Hæc autem ratio non extat secūdum hos Doctores in isto casu, quo Deus, secundum modum ab ipsis excogitatum, moueret voluntatem. Cum secundum ipsos hæc duo simul stare non possint, nempè: quòd Deus moueat voluntatem ad habēdam actionem perfectam, & quòd voluntas ratione dispositionis indebitæ, recipiat motum deficiētem à tali modo perfectionis. Secundum ipsos enim Deus mouet voluntatem motu, quo solam substantiam actus intendit; quam substantiam actus Deus semper obtinet: nec ab ea deficit ob defectum causæ secundæ. Vndè ergo est, quòd, dum in actione causæ secundæ simul cum substantia est defectus, non debeat defectus reduci in causam primam; sed in solam causam secundam? Porrò defectus actionis reduci debet per se, non in principium actionis, in quod solùm per accidens reducitur; (vt infra §. 11. num. 4. ex S. D. demonstrabimus) Sed in defectum principij; (vt §. 3. huius tract. num. 3. ex eodem S. D. monstrauimus. Inuento ergo defectu in actione voluntatis; vndè cōstare poterit, talem defectum reduci debere in defectum voluntatis creatæ, non autem in defectum motionis diuinæ, quæ mouet voluntatem, non ad actionem perfectam; sed ad solam substantiam actus? In sententia S. Thom. quam hucusque explicuimus, hoc ideo est: quia Deus, quantum est ex se, dat motionem, quæ duceret ad actionem perfectam: voluntas deindè, existens non debitè dispositа ad recipiendam motionem, recipit illam deficiēter, & sine debito modo: & sic defectus prouenit ex voluntate, quæ nō recipit motionem modo debito, non autem ex Deo mouente. Quod quidem in sententia horum Doctorum dici nequit.

Dicta Recentiorum de hac re non benè cohærēt cū doct. D. T. & veritate.

Defectus actionis nō reducitur per se in principiū actiuū sed solùm per accidēs reduci potest; sed in defectum principij actiui.

Defect⁹ actionis esset tribuēd⁹ Deo, nō voluntati creatæ in sententia Recentiorum.

Adde, quòd secundum doctrinam D. Th. à Ferrariensi explicatam verbis relatis §. 3. num. 4. in illo modo dicendi Recentiorum, defectus in actione voluntatis non posset attribui voluntati creatæ: sed soli Deo, superiori mouēti. Ratio est. Quia secundum S. D. quoties inferius mouens nō obstat per suam malam dispositionem motui superioris mouentis, defectus inuētus in actione inferioris mouentis, non potest attribui ipsi inferiori mouenti, vt eius proprius defectus; sed solum superiori mouenti. Sicut claudicatio tibiæ rectæ debiliter motæ à potentia motiua, non potest tribui tibiæ, quæ hoc ipso, quòd ponitur recta, non obstat potentiæ motiuæ; sed solùm ipsi potentiæ motiuæ debiliter mouenti. In casu autem nostro, secundum hos Doctores, voluntas creata non obstat: immò nec obstare potest motui Dei superioris mouentis: cum per ipsum determinetur, & infallibiliter applicetur ad actum, secundum illum perfectionis modum, in quem tendit ipse motus, seu motio Dei, ipsi volūtati impressa. Defectus ergo in actione voluntatis non poterit ipsi voluntati ascribi, tamquam proprius eius defectus: Sed solùm Deo ex industria mouenti ad solam substantiam actus.

41

10 Dices, ideo defectus, inuentus in actione voluntatis, reducitur, nō in Deum, sed in solam voluntatem: quia cum Deus moueat ad solam substantiam actionis, voluntas nō solam substantiam producit: sed substantiam cum defectu. Qui defectus, quoniam est extra limites obiecti attingibilis à diuina potentia: quia non est ordinabilis in diuinam bonitatem, in Deum reduci nō debet, sed in solam voluntatem creatam. Ita Salmāticenses loco supra cit. scilicet tom. 1. tract. 4. disp. 10. dub. 7. num. 153. 154. 155. & 156.

Responsio Recētiorū.

Salmāticenses.

42

11 Sed contra est. Tùm quia iste modus dicendi nō quadrat exemplis ab ipsis met Salmāticensibus positis de tibia curua, & puella rectè motis; nec doctrinæ D. T. iam explicatæ.

Cōfutatur dicta responsio.

Tum secundò, quia falsum est (vt infra probabimus) dari posse motum superioris causæ; qui, inquantum prouenit ab ipso agente superiori, solùm tendat ad causandam actionem inferioris, tantùm quoad substantiam actus; nō autem quoad perfectionem. Cum illud, quod maioris perfectionis est in effectu inferioris agentis, procedat à motu superioris, tamquam ab eo, qui pertinet ad perfectionem virtutis inferioris agentis, vt patet ex locis D. Th. relatis §. 2. nu. 1. & §. 3. num. item primo, & nos diffusè probabimus loco ibidē citato.

Primò qa non correspōdet exēplis ex D. Tho.

Secūdò: qa non datur motio primi mouētis ad solā substantiā actus.

Tum tertiò, quia falsum est, quòd malū, seù defectus actionis sit aliquid pertinens, seù cōtentum infra limites obiecti alicuius potentiæ actiuæ, etiam creatæ. Defectus enim in actione (vt supra notauimus ex S. Doct.) non prouenit per se ex principio actiuo, quod respicit obiectum. Sed ex defectu & carentia inuēta in dicto principio.

Tertiò qa malum nō spectat ad obiectū alicuius potentiæ.

Obie-

Digitized by Google

Obiectum autem virtutis est id, in quod fertur virtus: non autem id, quod prouenit ex defectu principij, seù virtutis. Si ergo propter hoc nõ refunderetur in Deum, vt in causam deformitas actionis; quia est extra limites obiecti adequati potẽtiæ diuinæ. Propter eandem rationem non deberet refundi in potentiã volũtatis creatæ: quia etiam ipsa deformitas, seù defectus actionis ipsiusmet voluntatis creatæ, est extra limites obiecti adequati suæ virtutis.

Quartò quæ nec ẽt malum actionis naturalis reducitur in Deũ.

Tum quartò. Quia non solùm nõ reducitur in Deum, vt in causam, malum defectus actionis voluntariæ, seù culpa, qua homo recedit à Deo, vt ab vltimo fine; sed nec quodcumque aliud malum, seù defectus actionis naturalis agentis. Vnde claudicatio, quæ non reducitur in potentiam motiuam, vt in causam: sed in curuitatem tibiæ: multo minus potest reduci in Deum, vt in causam. Similiter defectus pullulationis plantæ, habentis defectiuam virtutem, producentisq; germen inutile, qui nõ reducitur in Solem, vt in causã, nec etiam reducitur in Deum. Et tamen isti defectus in actionibus naturalibus non habent illam repugnantiam ad Deum, vt ad vltimum finem, quam habet malum morale. Non ergo causa adequata, quare defectus actionis non reducitur in Deum, est repugnantia, quam habet malum morale ad vltimum finem. Secundum autem S. Thom. in loco, quem examinamus, propter illam causam non reducitur in Deum defectus, qui est in actione voluntaria; propter quẽ, nèc in Deum reducitur quilibet alius defectus actionis naturalis, vt notauimus §. precedenti num. 17. & 18.

43

12 Quòd autem nullum malum consistẽs in defectu actionis, etiam naturalis, reducatur in Deum, vt in causam, docuit S. D. p. p. quæst. 49. art. 2. in corp. his verbis. *Dicendum quòd, sicut ex dictis patet, malum, quod in defectu actionis consistit, sẽper causatur ex defectu agentis. In Deo autem nullus defectus est: Sed summa perfectio, vt supra ostensum est. Vnde malum, quod in defectu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, non reducitur in Deum, sicut in causam.* Hæc S. Doctor.

Nullũ malum consistẽs in defectu actionis est à Deo. Verba D. Tho.

Vltimò quia in eorũ opinione nõ verificatur principiũ S. Thomæ.

Denique rem concludo: quòd D. Tho. veritatem huius rei deduxit ex illo principio, nempè: *Motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus; sed in vnoquoque secundum modum suum*, quòd principium non verificatur, secundum hos Doctores, de illo motu prædeterminante. Quippè quia (vt notauimus §. præcedenti num. 14.) idem est, motum superioris mouẽtis recipi in vnoquoq; secundum modum suum, quod motum mensurari, & determinari per conditiones subiecti, in quo recipitur. At verò isti Recentiores dicunt totum oppositum de isto suo motu, nempe: per ipsum determinari virtutem inferioris agentis ad exeundum in actionem secundum modum, & mensuram, intẽtam per ipsum motum, seu motionem mouentis. Ideo est, quod secundum hos Doctores explicari nequit modus, quo Deus est causa actus peccati, quo ad substantiam, & perfectionem in eo inuentã, absq; eo quòd sit causa deformitatis.

DIGRESSIO
in qua.
Impugnantur modi dicendi aliorum Recentium oppositæ classis.

44

13 QVòd autem ex eadem Doctrina D. T. expensa §. præcedenti, sequatur, non posse saluari, Deum esse causam actionis; non vero deformitatis actus peccati, secundũ modos dicẽdi Molinæ Suarez, Ruiz, & aliorum Patrum Societatis, inde patet; quòd omnes hi Doctores negant causam primam mouere causas inferiores motu recepto in ipsis causis inferioribus secundum modum ipsarum; taliter quód, si secundum agens fuerit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi mouentis, sequatur actio perfecta: sin minus, actio imperfecta. Hæc autem est prima, & vera radix, vnde oritur, quòd actio perfecta totaliter, tàm scilicet, inquantum actio est, quàm inquantum perfecta est, reducitur in Deum: actio verò imperfecta non totaliter; sed solùm quantum ad substantiam actus; non autem quantum ad defectum. Ergo secundum modos dicendi horum Doctorum saluari nequit, Deum esse causam actionis, non verò deformitatis. Maior patet: Nam hi Doctores, vt se è diametro opponerent sentientibus; causam primam mouere inferiores, & per motum prædeterminare eas ad agendum; vniuersaliter negauerunt, causam primam mouere inferiores per motum receptum in ipsis causis. Vt videre est apud Suarium parte 2. de diuina gratia lib. 3. ferè per totum, præsertim cap. 39. & 40. Minor verò patet ex discursu D. Tho. Sed agè iam manifestemus hoc, quod intendimus, discurrendo per speciales responsiones, quibus hi Doctores difficultatem propositam euasisse existimant.

PP. Societatis non possũ euadere propositã difficultatẽ: quia vniuersaliter negãt principium S. D. ex quo pẽdet difficultatis solutio.

Digitized by Google

Communis doctrina Patrum Societatis, ac prima responsio Suarij & Ruiz interpretantium Canonem Concilij Tridentinò proponitur.

45

Suarius cogitauit cõcursum Dei simultaneum in differẽter oblatum.

14 ITaque præfati Doctores recedentes à prædicto D. Thomæ principio existimarunt Dei influentiam, seu concursum effectiuum, quo operatur cum creaturis effectus earumdem, & cum creata voluntate eiusdem voluntatis actus, siuè liberos, siuè non liberos, esse simultaneum cõcursui creaturæ; ipsumque circa actus liberos voluntatis esse oblatum indifferenter ad bonum, & malum actum, si in actu primo consideretur. Secundum quam rationem nihil aliud importatur, (vt vult Suarius par. 2. de diuina gratia lib. 3. cap. 25. num. 9. Quem sequuntur Fasolus, Ruiz & alij) quàm (verba sequentia sunt Suarij) *voluntas Dei parata ad concurrendum: & sic dicitur de se indifferens: quia parata est voluntas Dei ad concurrẽdum cum voluntate creata iuxta modum cooperationis eius, tàm ad actus naturales, quàm ad supernaturales, & ad bonos, & ad malos.* Hæc Suarius, vel etiam importatur, vt ipsemet Suarius, & alij eiusdem familiæ communiter loquuntur) ipsa diuina omnipotentia, ab ipso Deo quasi habitualiter accommodata voluntati creaturæ, ad concurrendum ad omnem eius actum, siuè bonum, siuè malum, in quem se determinauerit ipsa voluntas creata.

Fasolus. Quid importat indifferẽtia concursus

Importat & Diuinã Omnipotẽtiã accomodatam ad concurrendum.

46

Deus non est causa antecedẽs actus peccati secũdum Suar.

15 Hoc posito dicunt; quòd Deus nõ est causa actus, cui est coniũcta deformitas peccati, sumpti pro materiali, & secundum realem entitatem, si nomine causæ veniat causa antecedens vsum nostræ libertatis, seù determinationis liberæ voluntatis: à qua, scilicet, fit, vt voluntas se determinet in hanc potius partem, quàm in illam; seù à qua fit, quòd sit in rerum natura à voluntate productus hic potius actus, quàm oppositus. Si verò nomine causæ veniat causa per concursum effectiuum simultaneum influens in actum, dicunt Deum esse causam propriè, & per se actus, seù actionis materialis, cui est coniũctus defectus peccati. Hinc Ruiz tom. de voluntate Dei disp. 32. sec. 7. num. 8. sic habet. *Respondeo: Deum non esse causam efficientem propriè, & per se, à qua proueniat, vt existant in rerum natura materiales actiones peccatorum potius, quàm contrarias honestas: nihilominus est causa propriè, et per se efficiens cum creata voluntate actionem quamlibet.* Suarius etiã Opus. de concursu, lib. 1. cap. 4. nu. 2. sic habet: *Vera & certa doctrina est, omnem virtutem creatam, atque etiam voluntatem liberam ad actus liberos, præter conseruationem sui esse, quam habet à Deo, indigere actuali eius auxilio vel concursu, quo talis actus verè propriè ac per se fiat.* Et parte 2. de diuina gratia lib 3 cap. 45. in principio fol. 209. *Supponimus (inquit,) actus peccatorũ, prout actus sunt, non minus dependere à generali concursu primæ causæ, quàm actus boni: in quo defensores vtriusque sententiæ conueniunt.*

Verba Ruiz ad idem.

Deus est causa efficiens propriè & per se actionẽ quãlibet. Idẽ docet Suarius.

alia verba Suarij ad idem.

Dicunt deindè, quòd non debet reduci deformitas peccati in Deum: inquantum Deus offert voluntati concursum, non determinatum ad actum malum: Sed indifferentem, quo scilicet posset procedere, tàm ad bonum, quàm ad malum actum, & voluntas de se, & ex propria libertate se determinat ad actum malum, potens se determinare ad actum bonum. Quia ergo non est Deus per suum concursum, qui determinat voluntatem ad actum malum: cum ipse offerat etiã concursum in actum bonum. Sed voluntas creata est, quæ se determinat ad actum malum, & sua determinatione determinat etiam diuinum cõcursum in eundem actum: ideo non Deus: sed creata voluntas est causa, quòd actus sit malus. Et sic non in Deum: sed in voluntatem creatam refundi debet malitia actus peccati.

Mod⁹, quo secundum PP. Societatis Deus est causa actus peccati, non verò deformitatis.

47

Obiectio Suarij ex Tridẽtino.

16 Porrò Suarius lib. 2. de Concursu Dei cap. 2. num. 23. in fine Obijcit contra cõcursum simultaneum Dei in actum peccati Canonem sextum Concilij Tridentini sess. 6. dicentis. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere: sed mala opera, ita vt bona. Deum operari non permissiuè solùm: sed etiam propriè, & per se: adeo vt sit proprium eius opus, non minùs proditio Iudæ: quàm conuersio Pauli. Anathema sit.* Et obiectionem proposuit his verbis. *Dices si definitio Concilij efficax est contra prædeterminantes, etiam est excludendus concursus generalis ex vi eiusdem definitionis. Nam per concursum generalem verè Deus est causa per se effectus, inquem iusfluit. Si ergo Concilium loquitur de toto actu, etiam pro materiali, & negat Deum operari illum propriè, & per se, negat sanè generalem concursum.*

48

Responsio Suarij interpretantis Tridẽt. De causa ꝓdeterminante cõcursum so um ad actũ malum

17 Respondet autem his verbis, videlicet. *Hinc optimè percipi mentem Concilij. Cum enim ait permissiuè tantùm, significat subindè permissionem natura sua requirere oblationem cõcursus de se indifferentis: seu non determinantis ad vnum, nec prædeterminantis ad vnum eum, cui datur: quia hac iam non esset permissio; sed omnimoda determinatio. Eãdem significat,*

Digitized by Google

ficat, ideo non posse dici, Deum propriam, & per se causam mali operis: quia non prædeterminat ad illud, vt hæretici dicitt, neque offert determinatum concursum ad illud solùm Concedo igitur, loqui Concilium de actu malo secundum se, etiam vt actus est à tali voluntate creata liberè, positiuèque factus: hunc verò negat posse refundi in Deum, vt in proprium auctorē & causam propriam, id est, ex se determinantem absolutè, & efficaciter suum influxum in illum. Et ideo non sequitur excludi generalem concursum, qui de se indifferens est. Hæc Suarius.

49 In quibus (vt vides) per hoc saluat cōcursum generalem, per quem (vt ipsemet Suarius in obiectione dixerat) verè Deus est causa per se actus, inquem inflate, non excludi per definitionem Concilij dicentis: Deū non operari mala opera propriè, & per se: quia Concilium per tale dictum asserit; Deum non esse per se causam antecedentem, & determinantem per suam influentiam voluntatem ad vnum. Itaque vult, Concilium loqui de actu peccati, etiā sampto per materiali. Vult etiam Deum esse causam propriè, & per se talis actus per generalem concursum indifferenter oblatum: negat deinde tale dictum excludi per diffinitionem Concilij: quia solùm causa per se determinans ad malum opus excluditur. Sic igitur ad veritatem prædicti Canonis saluandam, recurrit ad primā nam partem distinctionis positam nu. 15. huius §, qua negatur, Deum esse causam antecedentem, siuè determinantem ad actum positiuum peccati, sumpti etiam pro materiali.

Verè Deus est causa actus peccati secundum Suar.

50 19 Eundem dicēdi modum sequitur Ruiz. Qui licèt tom. de voluntate Dei disp. 27. sec. 3. num. 2. conclusionem ponat his verbis, *Materialis actionis mala Deus nō est causa physica, si propriè, absolutè, & sine distinctione loquendum sit.* num. tamen 21. sequenti docet talem conclusionem intelligendam esse de causa physica prædeterminante, & sic habet: *Colligitur locutiones Scholasticorum supra citatas,* (quibus scilicet dicebatur, quòd actio peccati est à Deo: sed peccatū non est à Deo, vt loquitur D. Thomas ab ipso Ruiz relatus num. 13. precedenti) *Nihil repugnare cum nostra assertione prima. Quia, vt Deus absolutè, & simpliciter, & sine vlla distinctione diceretur esse causa physica materialis actionis, qua mala est: oporteret Deum esse causam physicam determinantem ad totam actionem, & præsertim ad rationem specificam, à qua habet, vt sit mala.* Hæc Ruiz, quibus non solùm habes, quid ipse intendat, dum negat, Deum esse causam physicam materialis actionis, cui est coniuncta malitia: sed etiam (& hoc est valde notandum ad ipsummet reuincendum) quid apud ipsum intelligatur nomine causæ physicæ, absolutè, & sinè vlla distinctione sic dicta. Concedit denique, Deum per concursum generalē simultaneum, & indifferenter oblatum, esse causam propriè, & per se cuiuslibet actionis, etiam illius, cui est coniuncta malitia; vt patet ex verbis relatis num. 14. huius §. puta illis *Nihilominus Deus est causa propriè, & per se efficiens cum creata voluntate actionem quamlibet,* vbi ly, *quamlibet,* distribuit pro actione bona, & mala, vt patet ex cōtextu. Ex quibus patet eū incidisse in eundem modum dicendi cum Suario.

Ruiz sequitur modū dicēdi relatum ex Suario.

Negat Deum esse causam actus peccati.

Qualiter intelligēdus Ruiz negās Deū esse causā actus peccati.

Causa physica absolutè, et simpliciter ē causa prædeterminās secundū Ruiz.

20 Et in speciali circa intelligentiam Cōcilij Tridentini. Porrò sec. 1. Dispu. 32. eiusdem Tom. de voluntate Dei affert cōtra Doctores oppositæ classis supradictum Canonem Concilij, ipsumq; contra eosdē vrget ferè eodem modo, quo Suarius. Et deindè sec. 7. eiusdem disputationis refert quosdam, vertentes contra ipsummet Ruiz verba eiusdem Canonis, & sic habet: *Aliqui probant primò: quoniam, etiam in nostra sententia, materialem actionem peccati produxit Deus concurrendo ad illam effectiuè, propriè, & per se. Ergo Deus illam non operatur merè permissiuè. Quapropter Concilium non agit de materiali actione, quando decernit, Deum permissiuè solùm operari,* (& subdit) *Cōfirmatur: quia aliàs reperiretur aliquod ens, cuius Deus non esset causa efficiens propriè, & per se, etiam per generalem concursum.*

51 *Obiectio quam sibi proponit Ruiz ex Conc. Tridentino.*

Confirmatur.

21 Denique ad prædictum argumentum respondet num. 7. eiusdem sec. & sic habet. *Respondetur ad primum. Aliud est Deum effectiuè concurrere ad materialem actionem peccati: aliud est tandem actionem operari propriè, & per se. Nam hoc secundum requirit, quòd Deus pro sua libera voluntate faciat, nos facere actionem materialem peccati; determinando, aut saltem impellendo nos ad illam. Hic igitur modus recèdit à se, Deum non merè permissiuè se habere circa materialem actionem peccati. At verò prior ille concursus, quod ex se est, potius inclinans ad bonum, non repugnat meræ permissioni: sed potius in illa includitur.* Hæc Ruiz ad argumentum.

52 *Responsio Ruiz ad dictā obiectionem.*

53 *Responsio ad confirmationē. Deus est causa propriè, et per se efficiēs cū creata voluntate actū peccati.*

22 Ad confirmationē autem Respondet num. 8. sequenti, & sic dicit. *Ad confirmationem respondetur. Deum non esse causam efficientem propriè, & per se, à qua proueniat, vt existant in rerum natura materiales actiones peccatorum potius; quàm contrariæ actiones honestæ.*

Ni-

Digitized by Google

1 *Nihilominus est causa propriè, & per se efficiens cum creata voluntate actionem quamlibet.* Ita Ruiz. Ex quibus clarum est, ipsum non negasse, illam propositionem argumenti, puta: secundum opinionem Patrum Societatis, materialem actionem peccati producit Deus, concurrendo ad illam effectiuè propriè, & per se; sed illam concessisse: propositionem autem Cõcilij interpretatsse cum Suario, dicendo; Deum operari mala opera propriè, & per se, significare, Deum pro sua libera voluntate facere, vt nos faciamus actionẽ materialem peccati, determinando ad illam. Et hoc excludi per Concilium; dum dicit; Deum operari mala opera permissiuè solùm, non propriè, & per se. Ex quibus omnibus patet Ruiz, quoad istum punctũ, sequutum fuisse Suarium, cuius verba transcripsit; non quidem ex Opus. de Cõcursu Dei; sed ex lib. 3. tom. 2. de Diuina gratia, cap. 47. à num. 8. vsque ad finem capitis; quæ licet proximè typis mandata sint; scripta, tamen iam antea ad manus Doctorum eiusdem familiæ peruolauerant.

Ruiz trãscripsit ex Suario.

Impugnatur prædicta Responsio; quia si per eam saluatur, Deum non esse operatorem malorum operum propriè, & per se; sed permissiuè solùm; debet ex cõsequenti asseri, vel Deum non esse operatorem bonorum operum propriè, & per se: sed solùm permissiuè: vel Deum prædeterminare voluntatem ad opera bona; ita vt non sit in potestate hominis vias suas malas facere. Quod est expressè contra Concilij canonem.

54 23 MIrum esset, si quæ posuimus in titulo probaremus: Sed adeo clarè in his, quæ ex Suario recensuimus continentur, vt mirum sit, viros tàm celebres id non aduertisse. Porrò ipse asserit: *Ideo non posse dici, Deum propriam, & per se causam mali operis; quia nõ prædeterminat ad illud, neque offert determinatum concursum ad illud solùm.* In hac autem propositione euidentissimè continentur, quæ in titulo posuimus. Siquidem, si secundum Concilium Tridentinum, ideo dici non potest, Deum operari mala opera, ita vt bona, idest, non permissiuè tantùm; sed propriè, & per se; quia Deus nõ prædeterminat ad mala opera; nec offert determinatum concursum ad illa solùm; sequitur euidenter, quòd si Deus operatur nostra bona opera propriè, & per se, non permissiuè tantùm; quòd prædeterminat ad illa, & offerat concursum determinatũ ad illa solùm; vel si non prædeterminat ad illa, nec offert determinatum concursum ad illa solùm; operatur bona opera, ita vt mala, idest, permissiuè tantùm, non propriè, & per se. Quod est contra eundem Concilij Canonem. Quid ad hæc respondebit Suarius? Num dicet Deum prædeterminare voluntatem nostrã ad bona opera, & offerre ei concursum ad illa solùm? Sed iam indè, secundum eundẽ Suarium, alioſque Doctores Societatis, sequeretur, quòd non esset in potestate hominis vias suas malas facere; vtpote quia esset prædeterminatus ad bonum: & prædeterminatus ad bonum non habet, secundum præfatos Doctores, in sua potestate malũ facere. Consequens autem est etiam principaliter damnatum in prædicto Canone. Num dicet Deum non determinare voluntatem nostram ad bona opera, nec offerre ei determinatum concursum ad illa solùm? Nõ ergo Deus operatur nostra bona opera propriè, & per se; sed permissiuè solùm. Quòd etiam est contra eumdem Concilij Canonem. Et consequentia est euidens ex illa causali, posita à Suario; nempe: ideo non posse dici Deum propriam, & per se causam mali operis: quia non prædeterminat ad illa, nec offert concursum determinatum ad illa solùm.

Verba Suarij interpretantis Tridentinum, ex quibus conuincitur ipsemet Suar.

Impugnatur iterum Suarius: quia probat esse definitam de fide opinionem sibimet contrariam, quæ asserit Deum prædeterminare voluntatem nostram ad actus bonos offerendo concursum determinatum ad illa solùm.

55 24 HInc apparet magna Suarij inaduertentia, quam interpretando Concilij Tridentini Canonem incurrit: dũ S. T. doctrinã, supra à nobis inculcatam, neglexit. Nam talem Concilio dedit intelligentiam: vt volẽs impugnare tamquam fidei repugnantem opinionem Doctorum, sibi oppositæ classis (quos verbis relatis num. 16. huius §. prædeterminantes vocat, & nos in hoc eodem, §. ex doctrina S. Doct. iam exclusimus) eam probet esse definitam de fide.

56 25 Porrò Suarius (vt videre est apud ipsum tom. 2. de Diuina gratia lib. 3. cap. 45.) sæpissimè sic discurrit. Si ad hoc, vt Deus, inquantum prima causa, operaretur opera libera nostræ voluntatis, oporteret, vt prædeterminaret eandem voluntatem in dicta opera, quãdo sunt bona, oporteret etiam, vt eamdem volũtatem determinaret ad realem entitatem nostrorum operum, quando sunt mala, & habent malitiam sibi necessario coniunctam, sed hoc admitti non potest. Ergo neque primum, puta quod Deus prædeterminat nostram volun-

Discursus Suarij, quo impugnat eos, quos prædeterminantes vocat.

Digitized by Google

voluntatem ad opera noſtra, quando ſunt bona. Maiorem probat loco proximè cit. num. 1. dicens: *Quia actus peccatorum, prout actus ſunt, non minùs dependent à generali concurſu phyſico primæ cauſæ, quàm actus boni.* Minorem probat. Quia ſi prædeterminaret ad realem, & poſitiuam entitatem noſtrorum malorum operum; eſſet cauſa propriè, & per ſe eorundem operum. Conſequens autem eſt contra definitionem Concil. Trident. in recitato Canone, quo anathematizat dicentes: Deum noſtra mala opera operari propriè, & per ſe, non permiſſiuè ſolùm. Ergo non poteſt admitti, &c. Minorem huius ſubſyllogiſmi probat. Quia Concilium loquitur de opere malo, ſumpto pro materiali, ſeù pro reali, & poſitiua entitate talis operis; quod ſe probaſſe exiſtimat Opuſ. de Concurſu Dei lib. 2. cap. 1. & lib. 3. de Diuina gratia cap. 47. à num. 8. & deinceps. De tali autem opere, ſic ſumpto, non potuit Concilium negare illam cauſalitatem, quæ includitur, in ratione permiſſionis, quam dictum Concilium admittit circa opera mala. Qualis cauſalitas eſt, qua Deus propriè, & per ſe, ſimul cum voluntate cauſat opera mala per cõcurſum ſimultaneum, indifferenter oblatum. Negauit ergo, Deum cauſare propriè, & per ſe opera mala, ſumpta pro reali entitate, illa cauſalitate, quæ exercetur prædeterminãdo ad ipſum opus malum, & offerendo concurſum determinatum ad illud ſolùm. Et ad iſtud propoſitum affert Suarius illa verba, ſupra relata. *Concilium ideo dicit mala opera Deum non operari propriè, & per ſe; quia nõ prædeterminat ad illa; nec offert determinatum cõcurſum ad illa ſolùm.* Si ergo Concil. negat Deum operari mala opera propriè, & per ſe, prædeterminando ad illa, iam inde habetur, quòd ſi Deus prædeterminaret ad realem, & poſitiuam entitatem operis, cui eſt connexa malitia, eſſet cauſa propriè, & per ſe malorũ operum in illo ſenſu, quo hoc ipſum negat Concilium. In quo diſcurſu (vt vides) ex eo probat Suarius, Deum non prædeterminare ad opera bona, quia non prædeterminat ad mala ſecundum definitionem Concilij.

57 26 Sed planè in hoc diſcurſu inconſideratè proceſſit Suarius, non aduertens, ſuam ipſam interpretationẽ Concilii reddere definitam de fide illam eandem propoſitionem, quam per idem Cõcilium laborat excludere, puta: Deum prædeterminare voluntatem noſtram ad bona opera. Quod quidem ſic euidẽter demonſtratur.

Ratio euidens ad ꝓ poſitum.

Nam verba Concilij ſunt (vt refert ipſemet Suarius lib. 3. de Diuina gratia cap. 47. num. 7. & Ruiz. De voluntate diſp. 32 num. 1.) *Si quis dixerit &c. Mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolùm; ſed etiam propriè, & per ſe; adeo vt ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ; quàm vocatio Pauli. Anathema ſit.* Quorum planus ſenſus eſt. Si quis dixerit, mala opera Deum operari nõ permiſſiuè ſolùm; ſed etiam ita, vt bona, eo ſcilicet, modo, quo operatur bona, puta, propriè, & per ſe. Anathema ſit. Atque adeo definit Concilium, quòd Deus dicitur operari mala opera, nõ illo modo, quo dicitur operari bona, puta propriè, & per ſe; ſed alio modo, puta, permiſſiuè ſolùm; & oppoſitum damnat. Ac per hoc illã Dei operationem negat à malis operibus, quã concedit bonis, dum anathematizat dicẽtes; *mala opera Deũ operari, ita vt bona, &c.* Hoc aũt poſito, iam apparet; quòd, ſi vera eſt interpretatio Suarij dicentis; ideo definiri per Concilium, Deum non operari mala opera propriè, & per ſe, quia non prædeterminat ad illa; inde ſequitur; Concilium concedere, Deum operari bona opera propriè, & per ſe; quia prædeterminat ad illa. Et ita apparet, quòd ſecundùm interpretationem Suarij, illa eadẽ propoſitio fuit à Concilio conceſſa in illo Canone, quam ipſemet Suarius ex verbis eiuſdem Canonis intendit excludere, tanquam eidem Canoni repugnantem.

Ex dictis deducitur, Suarium, alioſque eius ſectatores, ſaluare minime poſſe veritatem Canonis Concilii Trid. diffinientis, Deum non eſſe propriè, & per ſe cauſam malorum operum.

27 TAndem infero; quòd ſi ſemel ponatur cum Suario, eiuſq; ſectatoribus Tridẽtini Canonem, quo definit; Deum nõ eſſe propriè, & per ſe operatorem malorum operum, intelligendum eſſe de opere malo, non ſolùm conſiderato, vt malum eſt; ſed etiã conſiderato ſecũdum realem, & poſitiuã entitatẽ: tũc oportet aſſerere, quòd prædicti Doct. nõ ſolùm non ſaluant Deum non eſſe operatorem malorum operum; ſed quòd euidenter docent oppoſitum. Et hoc ſic oſtenditur. 58

Nam (vt ſupra probauimus) Conciliũ ꝓ ly operari propriè, & per ſe, excludit à malis operibus, illam cauſalitatem propriam, & per ſe, quam Deus exercet circa actus bonos liberos, quæ ſunt in noſtra poteſtate, de quibus definit idem Concilium eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere. At verò Deus circa nullum actum

Digitized by Google

liberum exercet causalitatem propriam, & perse determinatiuam ad actum; sed solùm simultaneam, & oblatiuam concursus indifferentis, secundum hos doctores. Ergo secundum eosdem doctores oporteret; quòd hanc causalitatem propriè, & per se, quam exercet Deus per concursum indifferenter oblatum negaret Concilium de actibus malis, si verè talis modus concurrendi daretur, Deoque non repugnaret, maximè circa actus liberos; vt nos infra ex principijs naturalibus per se euidentibus demonstrabimus. At verò prędicti Doctores vnanimiter concedunt Deo dictã causalitatem propriam, & per se per concursum oblatum indifferẽter circa actus maloseonsideratos secundum realem, & positiuam entitatem, vt patet ex locis cit. nu. 15. & 21. huius §. concedunt ergo Deo illam causalitatem propriè, & per se, quam Concilium negaret, attentis eorundem principijs.

Impugnatur specialiter modus dicendi Ruiz.

59 28 DIcet fortè nonnullus, prædicta procedere merè contra Suariũ, cuius sunt propositiones, ex quibus processimus; cæterum non procedere cõtra alios, præsertim contra Ruiz, dicentẽ; ad hoc, vt Deus mala opera, sumpta pro reali actione, diceretur operari propriè, & per se, requiri, quòd Deus pro sua libera voluntate faceret, nos facere actionẽ peccati, prædeterminando ad illam, aut saltẽ impellendo; seù quòd sit causa, à qua procedat, quòd in rerum natura sint actiones malæ potiùs, quàm honestæ: Et quòd generalis concursus Dei, quod ex se est, potiùs inclinat ad bonum.

60 *Scriptores Societatis oẽs simul sunt impugnati. Oẽs conueniũt in interpretatione Trident. ducti affectu impugnandi prædeterminantes.*

29 Sed contra est. Nam omnes scriptores Societatis (quos vidi) dicunt, prædictum Tridentini Canonem intelligendũ esse de opere malo, sumpto etiam pro naturali, seù reali entitate positiua actionis, cui aliàs est necessariò connexa malitia. Ducti enim fuere vno eodemque motiuo, quo impugnare affectabant oppositæ partis doctores, ponentes motum prædeterminatiuum ad entitatẽ operis mali. Quoniam autem isti interpretabantur Concilium, dicentes, illud loqui de peccato, & malo opere, vt malum est, non verò de actu peccati, considerato præcisè secũdum id entitatis, & perfectionis physicæ inuentæ in tali actu; ideo, vt in istos possent vrgere Concilij Canonem, voto vnanimi cogitarunt, Concilium intelligi debere de toto actu, etiam si consideraretur præcisè secundum id physicæ entitatis inuentæ in actu. Ex alia verò parte omnes hi Doctores astruunt generalem influentiam, seù concursum, quo Deus simul cum creatura operatur eandem operationem, & actũ, cui est necessario cõnexa malitia peccati. Hæc autem duo, simul sumpta, sunt, quæ cogunt istam doctorum classem ad interpretandum Concilium, dicendumque illud loqui, non de Dei generali concursu; sed de causa prędeterminante, dum negat, Deum operari mala opera propriè, & per se. Et ex hoc sequuntur absurda, quæ intulimus contra Suarium. Quare, vno impugnato, omnes pariter impugnati credendi sunt.

Quantùm verò spectat ad Ruiz, iam dixi num. 22. huius §. quòd, quantùm ad istum punctum, substantiam doctrinæ trãscripsit ex Suario; in modo autem loquendi addidit ex suo quædam, quæ talem dicendi modum difficultatibus maioribus implicarunt.

61 *dicta Ruiz & eius intentio.*

30 Porrò Ruiz duo dicit requiri ad hoc, vt Deus, iuxta verba Tridentini, diceretur operari propriè, & per se, actum peccati. Vnum est: quòd faciat, nos facere actionem peccati, prædeterminãdo ad illam. Aliud est, quòd hoc faciat Deus pro sua libera voluntate: quæ duo transcripsit ex Suario lib. 3. de Diuina gratia cap. 47. num. 1. 9. 10. licèt corruptè, quantum ad hoc secundum. Voluit autem per hæc significare; quòd, dum Deus concurrens generali concursu simultaneo in actum peccati, non habeat illa duo, non sit per illam Trid. definitionem, qua dicitur; *Deum nõ operari mala opera proprie, & per se*, excluso cõcursus generalis simultaneus in actiones malas; sed solùm operatio Dei procedens ex libera voluntate, facienſque nos facere operationes malas, prædeterminando ad illas.

62 *Deum cõpulsum, et quasi coactũ cõcurrere in entitatẽ peccati existimat Ruiz.*

31 Quòd autem Deus, concurrens generali concursu simultaneo in actiones malas, non habeat illa duo, credit esse manifestum in sua, suorumque doctrina, qua astruunt: Deum concurrere in actum peccati, determinatum a voluntate creata, se determinante in talem actum. Ex quo est, quòd dum ita concurrit, non influit in actus malos ex sua libera voluntate; sed cõpulsus à malitia voluntatis creatæ, & munere primæ causæ, vt loquitur ipse Ruiz disput. 17. de voluntate Dei sec. 3. nu. 25. in fine, seù etiam (vt loquitur disp. 28. sequenti sec. 3. num. 1. infra num. 44. huius §. referendus) quasi coatus, determinatus, & flexus ab alio agente, ideſt, à voluntate creata liberè se determinante in actus malos. Et ita Deus in actiones peccatorum volũtatis creatę procedit, non ex sua libera vo-

lunta-

luntate; sed ex libera voluntate creaturæ, à qua, tamquam ab alio agente, determinatur, compellitur, & quasi cogitur, vt in tales actiones concurrat.

63 *Licentia Ruiz in loquendo. Fasol° criminatur Nauarret. fuisse mẽdacem.*

32 Sed magnã accepisse videtur Ruizius loquendi licentiam. Vnde noto hic, quasi per parentheſim, quòd Fasolus prima parte quæst. 23. art. 4. num. 22. refert Nauarrette verba, dicentis, quòd à suæ partis oppositæ doctoribus *fingitur Deus æque, ac si sub quodam genere compulsionis cõcurrat ad materiale peccati.* Ad quę respondet idem Fasolus num. 23. sequenti, & cõqueritur de Nauarr. vti de ipsis, fingẽte, quòd ipsi non dicunt, & sic habet. *Ad argumentum Nauarrette dico, illud, quod Deus sub quodam genere compulsionis concurrit ad materiale peccati, non fingi à nobis; sed fingi ab arguente de nobis. Ipse met Deus, ab Aeterno, nemine prorsus compellente, liberrime condidit hoc decretum: vellem non concurrere. v. g. cum Petro ad negationem Christi; sed potius ad confessionem: sed si Petrus pro innata sua libertate absolutè se determinauerit ad negationem Christi, volo ad illam absolute concurrere; quod Decretum, post prauisam liberam Petri determinationem negandi Christum, absolutè futuram, statim de cõditionato transit in absolutũ. vbi nulla planè compulsio apparet, nisi fingatur.* Hæc Fasolus; quæ notaui, vt videas, tantùm ei displicuisse loquendi licentiam, in quam videtur excessisse Ruiz, vt miser Nauarrette, obijciens in suos aduersarios duritiem, excessumque loquendi: quem fortè vel legerat, vel audierat, vel ex aduersariorum dictis conceperat; responsum tulerit à Fasolo, mentiris, non ita est, non nos hoc fingimus; sed tu fingis dictum esse à nobis. Sed defensionem accepit Nauarrette à Ruiz, suis sctiptis probante, non mentitum Nauarrette. Hic etiam, quasi per transennam, protestor, quòd dum vtriusque classis Doctorum impugno modum loquendi, corde teneo, eos quoad veritatis substantiam conuenire, licèt eam explicent quibusdam admistis falsis conceptibus; vt ex decursu huius, & aliorũ tractatuum, quibus puram S. Thomæ doctrinam secundum modum loquendi eiusdem S. D. proponemus, probabit quilibet fidelis lector. Sed redeamus ad Ruiz.

Ruiz scriptis probat non fuisse mentitum Nauarr.

Protestatio auctor.

64 33 Supponit igitur præterea Ruiz, esse in suo, suorumque modo dicendi manifestum; quòd Deus, dum concurrit suo generali cõcursu in operationes nostras prauas, non facit prædeterminando nostram voluntatem, vt nos faciamus dictas operationes. Et addit.

Primò: Deum non esse causam, cur non sint in rerum natura actiones malę potiùs, quàm bonæ; sed potiùs è conuerso. Nos determinando nos ipsos in actionem malam, determinamus, & (vt loquitur Ruiz) compellimus, & quasi cogimus Deum; vt concurrat nobiscum in eandem operationem prauam. Vndè quod sint in rerum natura actiones malæ potiùs, quàm bonæ; nõ procedit à Deo, qui, quantum ex se est, erat paratus concurrere ad actionem bonam; sed solùm à voluntate creata, se determinante in actiones malas. Et hoc est, quod Ruiz relatus num. 22. huius §. intendit dicens: Deum non esse causam operationis malæ, tãquam à qua procedit, quòd sint in rerum natura actiones malæ potius quàm honestæ. *dicta Ruiz*

65 34 Addit secundò aliud, nempè, concursum generalem, & simultaneũ, quod ex se est, inclinare in actionem bonam.

66 *Conclusio.* 35 Dico modò. Quòd, quantum spectat ad interpretationem Tridentini, eodẽ modo conuincitur Ruiz, quo Suarius. Duo verò, quæ addit, suam, suorumque sententiam difficultatibus maioribus implicant.

Probatur. Probo primum. Nam si Tridentinum sic deberet intelligi, vt ad hoc, vt Deus diceretur propriè, & per se operari opera nostra praua, requireretur; vt pro sua libera voluntate faceret, nos facere actiones peccatorum, prędeterminando ad illas; ita vt prædictum modum operandi opera nostra, venientem ex Dei libera voluntate, remouerit Concilium sub anathemate ab operibus malis; sequeretur, quòd hunc eundem modum operandi, venientem ex sua libera voluntate, concederet Concilium Deo circa opera bona. Cum (vt probauimus num. 26. huius §) illam eandem operationem Dei concedat Concilium operibus bonis, quam remouet à malis. Ergo oporteret, quòd Deus operationes nostras bonas operaretur, faciendo pro sua libera voluntate, vt nos faceremus easdem actiones, prædeterminando nos ad illas: quod est oppositum eius, quod ijdem Doctores probare intendunt; estque euidentissimè falsum ex eorumdem doctorum sententia.

67 *Eadẽ ratio proponitur ducẽs ad impossibile.* 36 Vnde possemus sic alio modo formare argumentum. Deum operari opera nostra propriè, & per se, in sensu Concilij, importat Deum pro sua libera voluntate facere, vt nos faciamus eadem opera, prædeterminando nos ad illa: sed Deus non operatur nostra bona opera, faciendo pro sua libera voluntate, vt nos faciamus dicta opera, prædeterminando nos ad illa. Ergo Deus nõ operatur nostra bona opera propriè, & per se. Consequens est contra Cõcilium, maior est propositio Ruiz; minor verò tam à Ruiz, quàm ab alijs eiusdem fa-

milię, & conceditur, & est necessario concedenda. ergo

Probatio minoris in sentētia Ruiz Deus nō facit ex sua libera volūtate, vt nos faciamus opera bona

Minorem igitur probo, & primò quòd in sententia horum *Doctorum* debet dici, *Deum* nō facere pro sua libera voluntate, vt nos faciamus opera bona. Nam ideo, secundum hos doctores, Deus procedit in actiones nostras malas non pro sua libera voluntate; quia procedit in eas determinatus à nostra libera voluntate; sed, secundū eosdem *Doctores*, ad omnes operationes liberas nostræ voluntatis, siuè bonas, siuè malas procedit Deus concomitando determinationem voluntatis. Ergo ad nullam actionem liberā nostræ voluntatis, siuè bonā, siuè malam, procedit Deus pro sua libera voluntate; sed in omnem secundum liberam determinationem volūtatis creatę.

65 37 Amplius: Deus, secundum eosdem doctores, in nullam nostram operationem liberam potest sic influere; vt suo influxu faciat nos facere eandem nostram liberam operationem, prædeterminando ad illam: immò talis modus non est possibilis Deo circa dictas nostras operationes liberas. Ergo vera est illa minor, in sententia eorumdem doctorum.

69 *Responsio ex Ruiz.* 38 Dices ex Suario, infra num. 61. referendo. Deus cupit, vellet, optat &c. quòd voluntas creata faceret actiones honestas. Similiter prohibet, & nollet à nobis fieri actiones malas. Ergo Deus ad bonas, non ad malas actiones ex libera sua voluntate concurrit. Sed mala est hæc consequentia in sensu Doctorum, cum quibus disputamus. Nam licèt verum sit, *Deum* velle nos operari actiones honestas, in eo sensu, quo verum est, ipsum Deum velle, omnes homines saluos fieri: attamen concursus *Dei* actualis, siuè in actionem honestam, siuè malam, nunquam esset pro sua libera voluntate faciente nos facere; sed semper secundum liberam voluntatem creaturæ, determinantis sua propria determinatione concursum diuinum in eam actionem, siuè honestam, siuè malam, in quā se determinauerit. Nam secundum hos *Doctores*, Deus circa operationes nostras liberas est paratus concurrere indifferenter ad bonam, & malam, secundum quòd se determinauerit creatura pro sua libera volūtate. Indè aūt fit cōsequēs, quòd Deus, siuè in bonam, siuè in malam actionem concurrat, semper concurrit determinatus per liberam voluntatem creaturæ. Et quidem si per ly, *Deum* operari pro sua libera voluntate, veniat diuinum operari, quod nō comitatur determinationem voluntatis creatæ; sed potius antecedit: eoq. *Deus* operatur absolutè ex sua libera volūtate, idest, per decretum antecedens vsum

Cōfutatio.

nostræ libertatis, tunc, in sententia horum *Doctorum*, Deus nullam operationem liberam nostræ voluntatis operatur pro sua libera voluntate; si vero veniat diuinum operari, quo *Deus*, simul cum creatura, & concursu comitante determinationem nostræ libertatis, operatur nostras operationes, siuè bonas, siuè malas, tunc, in sentētia eorumdem doctorum, oportet dicere, quòd, vel neutram, vel vtramque operationem nostram operatur *Deus* pro sua libera voluntate; quia in vtramque concurrit comitans determinationem voluntatis creatæ: ac per hoc vtramque eodem modo libertatis operatur.

39 Dices: Deus aliter se habet circa nostras actiones honestas, quas de facto operamur; aliter circa malas. Nam circa honestas habet, tàm actum liberum voluntatis antecedentis, quo vellet nos operari illas, quàm liberum actum voluntatis consequentis, quo vult, vt de facto eas operemur. Circa malas autem, quas, Deo permittente, de facto nos operamur, habet actum voluntatis antecedentis oppositum operationi earumdem, quo scilicet Deus vellet, vt nos illas non operaremur. Et indè est, quòd, dum nos ex proprio nostro defectu peccamus, agendo contra diuinam voluntatem antecedentem, & Deus inuenitur operans nobiscum substantiam actus mali, videtur *Deus* procedere contra inclinationem suæ primariæ voluntatis, & ex consequenti quasi compulsus ex nostro defectu. Ille.n. qui sic procedit in effectum, vt illud agat, quod ipsemet non vellet, ni obstaret defectus alterius, videtur quasi coactus operari. Amplius: quia voluntas *Dei* antecedens, secundum *Damascenum*, est (vt refert S. *Doct.* quæst. 23. de ver. art. 2. in corp.) acceptio Dei ex ipso existens; Consequens autem, concessio ex nostra causa, inde fit, quòd *Deus* circa actiones honestas procedat ex sua libera voluntate absolutè loquendo, quia ex libera voluntate antecedenti, qua accipit *Deus* id, quod liberè vult ex se ipso; in malas autem actiones, consideratas præcisè quātum ad substantiam actus, sola voluntate sequenti (vt docet S. *Doct.* loco proximè citato) quæ est concessio ex nostra causa. In quantum ergo *Deus* contra propriam inclinationem voluntatis primariæ, seù antecedentis, occasione accepta ex nostra causa, influit in operationem, cui est connexa deformitas, videtur congruenter posse dici, quod *Deus* in tales actiones procedit non ex libera voluntate, & quod quasi compulsus munere primæ causæ influit in eas.

70 *Respō. ex differētia inter bonas, & malas actiones.*

40 Respondeo, concedo totum, immo

71

mo etiam admitto accõmodatitium, modum loquendi sub prædicto sensu, in quo non propria; sed translatitia est locutio. Sed quid inde? Num propter hoc Deus nõ erit propriè, & per se causa, à qua procedit, tanquam ab antecedenti causa, totum id, quod entitatis est in actione peccaminosa? Deciperetur euidentissimè arguens, si ex prædicta doctrina Damasceni, explicata à S. Doctore loco citato, tale consequens induceret. Et hoc sic ostendo. Nam Deus non vult voluntate antecedenti punire homines. Nullum. n. vellet punire, attento actu voluntatis antecedentis, quo vellet omnes homines saluos fieri; & neminem perire; sed omnes ad pœnitẽtiam reuerti. Et similiter ad puniendum procedit, quasi coactus, & compulsus agere contra inclinationem primariæ voluntatis, quam habet ex seipso, vt loquuntur communiter proclamatores diuini verbi. Sed quid inde? Num propter hoc, quod Deus homines impœnitentes punit ex sola libera voluntate sequente, vt docet Damascenus allatus à Ruizio de voluntate disp. 19. sec. 3. nu. 3. ideo Deus non est causa propriè, & per se, operans, & infligens illum effectum, quo homo torquetur? sicut ergo Deus liberè implet ordinem suæ iustitiæ puniendo, sic (inquit D. Thomas loco proximè citato) implet munus gubernatoris, influendo totum illud, quod entitatis est in actu peccati: & sicut illud sola voluntate sequenti, & quasi compulsus nostris sceleribus agere contra id, quod ipse vellet primaria, & antecedenti voluntate; ita etiam quod est entitatis in actu peccati causat; & operatur; & sicut illud propriè, & per se; ita & istud. Sed hoc infra melius explicabitur. Redeamus ad Ruiz.

Impugnatur: quia q Deus facit sola voluntate sequẽti, facit, et operatur vti causa proprie, & per se.

41 Itaque Ruiz addit primò. Ideo Deum non dici absolutè causã propriè, & per se actionis, cui est connexa necessariò malitia; quia non est causa, à qua procedit, vt sint in rerum natura actiones malæ potiùs, quàm honestæ.

72 *Dictum Ruiz.*

Impugnatur qa contra se, suo rũq; cõmunemẽ doctrinam.

Sed contra hoc dictum Ruiz pugnat primò illud vulgatum assertum ab omnibus suæ familiæ, & ab ipsomet infra referendo, quo dicunt: Quòd Deus (sciens de qualibet voluntate creata, quòd si poneretur in his, vel illis circumstantijs, & sit adiuta his, vel illis auxilijs, vitaret peccatum, & operaretur actiones honestas, & quòd si poneretur in alijs similibus, vel dissimilibus circumstantijs, & sit adiuta ijsdem, vel alijs auxilijs, peccato cõsentiret operans actiones malas) vult ex suo mero beneplacito collocare voluntatem, non in illis circumstantijs, & auxilijs, sub quibus scit, eam esse operaturam actiones honestas; sed in illis, sub quibus scit, eam esse operaturam actiones malas.

42 Pugnat, inquam, contra dictum Ruiz tale assertum. Nam, quòd sint in rerum natura actiones peccatorum potiùs, quàm honestæ, pendet propriè, & per se ex illo diuino decreto, quo Deus sciens circumstantias, sub quibus voluntas sit operatura bonum, & sub quibus sit operatura actiones malas, vult potiùs collocare voluntatem in illis circumstantijs, sub quibus scit, eam esse operaturam malas, quàm in illis, sub quibus scit, eam esse operaturã bonas. Eo enim decreto posito sequitur, quòd erunt in rerum natura actiones malæ, & quòd non erunt honestæ. Vnde, si Deus ex suo mero beneplacito aliquàm volũtatem collocaret sæpiùs in illis circumstantijs, sub quibus scit, eam esse operaturam actiones malas, tunc sæpiùs essent in rerum natura per talem voluntatem actiones malæ; & si semper in similibus circumstantijs, semper essẽt in rerum natura actiones malæ; & si nunquam, nunquam essent. Ergo quod sint in rerum natura actiones, siuè bonæ, siuè malæ, ex tali decreto propriè, & per se pendet, quo posito ponuntur, & quo ablato auferuntur. Sed de hac re infra redibit sermo. 73

43 Pugnat secundò contra idem dictum ratio, sæpiùs supra inculcata. Quia, scilicet, propter eandem rationem non posset Deus dici absolutè causa propriè, & per se actionis honestæ, loquendo in sententia Suarez, Fasoli, eiusdem Ruiz, & aliorum communiter eiusdem Societatis. Nam ideo Deus non est causa, à qua procedit, quòd sint in rerum natura actiones malæ potiùs, quàm honestæ; quia Deus secundũ præfatos Doctores concurrit suo generali concursu in actiones malas, determinatus à voluntate creata, se determinante in actiones malas, determinatione, quæ non est à Deo, vt ab antecedenti causa; ex quo est, quòd, vt Deus concurrat in actiones malas potiùs, quàm honestas, procedit non à Deo, qui, quantum in se est, erat paratus ad concurrendum in actiones honestas; sed à voluntate creata, se determinãte in actiones malas, relictis honestis. Hæc autem ratio militat etiam in actionibus honestis. Nam secundum eosdem doctores, dum Deus concurrit in actiones honestas, concurrit determinatus à voluntate creata in easdem actiones, cuius determinatio nõ est à Deo, vti ab antecedenti causa. Et inde similiter sequitur, quòd, vt Deus concurrat in actiones honestas potiùs, quàm in malas, non procedit à Deo, qui, quantum in se est, ex vi concursus indifferentis in actu primo, erat paratus concurrere in

74 *Ruiz impugnatur secundo; qa ex dicto eius sequitur Deum nõ esse causã propriè, et per se actionis honestæ.*

actio-

actiones malas, si ad eas se determinasset voluntas creata; sed ab ipsa voluntate creata, se potiùs determinante in actiones bonas; cum posset se determinare ad malas. Et inde postea sequitur, quòd Deus non est causa, à qua procedit, vt sint in rerum natura actiones honestę potiùs, quàm malæ: & quòd non poterit dici absolutè causa propriè, & per se actionis honestæ. Quod est contra Tridentinum.

75 *Secũdum dictũ Ruiz*

44 Dices id, quod secundo loco addidit idem Ruiz de voluntate Dei disp. 32. sect. 7. num. 7. in fine, nempè, quod concursus diuinus, *quod ex se est, potius inclinat ad bonum*, quod etiam docuerat prius disp. 27. sec. 3. num. 25. his verbis. *Aliud est Deum concurrere ad vltimam, & infimam quamlibet rationem realẽ actus peccati; aliud est absolutè, et simpliciter eam causare. Nam primum concedendum est Deo, secundum verò negandum, quando infima ratio est cõtraria diuinę legi Quia Deus non est causa, vt existat talis ratio specifica; sed potius, quantum ex se est, causaret, vt non existeret; nisi creata voluntatis malitia, & manus prima causæ compelleret.* Et disp. 28. sequenti sect. 3. num. 1. sic dicens. *Qui concurrit ad actionem, quod ex se est, inclinans ad amorem Dei, & quasi coactus, determinatus, & flexus ab alio agente ad materialem actionem odij Dei; ille non est causa huius, vt actio sit sub defectu.* Hæc Ruiz, qui hoc vltimo loco per totam sectionem intendit, præsertim auctoritate S. Tho. probare, influentiam generalem Dei, quantum est ex se, inclinare in actiones bonas. Si ergo diuinus concursus, quantum ex se est, inclinat ad bonum, posset ex hoc capite prouenire, quòd procedit à Deo, vt sint in rerum natura actiones honestæ potiùs, quàm malæ.

Dicit Ruiz Deũ flexũ, et determinatum ab alio agẽte cõcurrere in actionẽ peccati.

45 Sed contra est: Nam licet verum sit, quòd Deus vult antecedenti, & primaria voluntate, vt à nobis fiant actiones honestæ; attamen loquendo de concursu generali, quo, secundùm modum imaginatum ab his Recentioribus, quos impugnamus, concurrit Deus cum causis secundis, omnino falsum est; concursum diuinum inclinare voluntatem in actionem: & multo minus dici potest, eum inclinare potiùs in hanc, quàm in illam. Nam talis concursus defensores proclamant, eum esse indifferentem, & esse comitantem determinationem voluntatis creatæ. Atque dicunt, eum sumi posse in actu primo, & in actu secundo. Et in actu primo sumptum, importare voluntatem diuinam, paratam ad concurrendum in eum actum, in quem se determinauerit voluntas creata: ita vt determinationem in actum, siue bonum, siue malum sumat a voluntate creata: In actu verò secundo importare ipsam operationem, seu actum liberè elicitum à creatura. Ergo secundum nullam rationem potest exercere munus inclinantis in actionem: & multo minus munus inclinantis potiùs in actionem bonam, quàm malam. Probo consequentiam. Nam, non prout sumitur in actu secundo, & prout importat ipsam operationem voluntatis creatæ, siue bonam, siue malam, inquantum procedit à Deo concomitante determinationẽ eiusdem voluntatis: quia ipsa operatio non potest, nec intelligi, vt inclinans voluntatem in eandem operationem, & multò minùs si est mala, potest intelligi, vt inclinãs in bonam. Nec etiã prout sumitur in actu primo, & importat diuinam voluntatem indifferenter paratam ad influendum in eam actionem, siue bonam, siue malam, in quam fuerit determinata per determinationem voluntatis creatæ. Nam secundum talem rationem consideratus, si præscindatur determinatio voluntatis creatæ, remanebit voluntas diuina parata indifferenter, & ad neutrum inclinans. Amplius: simultaneus concursus secundum hos Doctores est influentia in actionẽ, seu operationem creaturæ, non autem in causam, eam inclinans in actionem. Dictum ergo Ruiz non coheret cum suis. Circa hunc punctum possent plura dici, sed non expedit amplius immorari.

76 *Impugnatur Ruiz, quia ei cõtradicunt cõmunia dicta Patrũ Societatis.*

46 Dices secundo ex eodem Ruiz sec. 3. disp. 28. cit. Colligitur ex D. Tho. quod diuina influentia, seu motio, qua mouet causas secundas ad agendum, quantum ex se est, inclinat ad bonum, vt patet ex verbis eiusdem S. D. quæst. 3. de malo art. 2. citatis ab ipso Ruiz num. 6. eiusdem sectionis, puta: *Cum aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi mouentis, consequitur actio perfecta secundum intentionem primi mouentis; sed si non sit in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi mouentis, sequitur actio imperfecta; & tunc quod est ibi actionis reducitur in primum mouens tamquam in causam.* Hæc Ruiz ex S. Tho. de quo nu. sequenti notat. Quod secundum prædicta verba S. Doctoris, *motio Dei, qua secundum intentionem primi mouentis dirigebatur ad bonũ, detorquetur ad malum ob defectum nostra dispositionis*, & addit glosam dicens. *Verò S. Thom. hoc loco, dispositionem appellat nostram cooperationem.*

77 *Ruiz cit. S. T. dicit tẽ diuinã motionẽ, quantũ est ex se, tendere in actionẽ perfectam.*

Glosa Ruiz in verba D. Thomæ

78

47 Respondeo mirum esse, ipsum legisse prædicta S. Doctoris verba, ipsiusque approbasse sententiam, docentis motionem

Digitized by Google

nem secundum intẽtionem mouentis Dei dirigi in bonum, simulque potuisse intelligere, quod sua imaginatio cohæreat cum relata S. Th. doctrina, qua euidentissimè exterminatur; estque solidissimum fundamentum nostræ sententiæ, quod iecimus §. 2. num. 2. & 3. vbi totum tenorem prædicti articuli retulimus.

Doctrina S. Th. cit. à Ruiz pugnat cõtra ipsummet Ruiz.

Dico igitur, doctrinam S. Doct. verissimam esse de motione, seu motu primi mouentis, recepto in agentibus inferioribus secundum eorum conditionem: esse autem falsissimum, per motionem diuinam prædictam intelligi à S. Doctore, vel voluntatem diuinam paratam ad cõcurrendum indifferenter in operationes nostras bonas, & malas, vel dictas operationes, vt probauimus. Potest enim motus receptus in creatis agentibus, ob indispositionem recipientis aliquam imperfectionem contrahere, qua impeditur, ne perueniat ad perfectum effectum, in quem perueniret, ni esset impeditus ob imperfectionem recipientis, vt patet de motu, quo mouentur hæc inferiora à Cœlo, qui (vt habet hoc loco S. Doctor) receptus in planta habente debilem virtutem generatiuam, impeditur, ne producat perfectum germen, & de motu tibiæ curuæ rectè motæ à virtute gressiua, qui impeditur ne perueniat ad gressum rectum, in quem perueniret ni obstaret curuitas tibiæ. Voluntas autem diuina, prout consideratur, vt parata ad concurrendum indifferenter in actiones bonas, & malas; non habet dispositionem, qua inclinatur in vnum, in ordine ad quod possit recipere impedimẽtum ob indispositionem subiecti mobilis; sed qua se habet indifferenter ad opposita: vnde in quodlibet ex oppositis dirigatur, semper dirigetur secundum illam inclinationem, quam habet, vt indifferens ad opposita.

79 *Impugnatur Ruiz: quia nomine dispositionis, non põt intelligi nostra cooperatio.*

48. Similiter falsum est, S. Doctorem loco relato ab ipso Ruiz, nomine dispositionis, intellexisse nostram cooperationẽ. Tum quia S. Doctor prædictis verbis proponit vniuersalem doctrinam, quæ, scilicet, habet locum in omnibus agẽtibus inferioribus in ordine ad motũ primi mouentis: tàm, scilicet, in agentibus corporalibus, quàm spiritualibus: & tàm agentibus ex necessitate naturæ, quàm ex libero arbitrio. Per illud ergo nomen, *dispositio*, non potuit S. Doctor intelligere nostram cooperationem, quæ esse non potest in corporalibus agẽtibus; sed aliquid aliud commune, quod potest esse in omnibus agentibus creatis. Vnde cum S. Doct. hoc loco docet, quòd tibia recta est rectè dispositia ad recipiendum motum potentiæ, gressiuæ, & quòd curua non habet dictam dispositionem; & quòd plãta habens perfectam virtutem generatiuam est disposita ad recipiendum motum cœli ad generandum perfectum germen; non sic autem habens debilem virtutem; certum est nomine dispositionis debitæ, vel indebitæ, tã plantarum in ordine ad motum cœli, quàm tibiæ in ordine ad virtutem gressiuam, nõ potuisse intelligere S. Doct. nostram cooperationem. Immo nec cooperationem plantæ ad generandum germen vtile, vel inutile; nec cooperationem tibiæ ad gressum; sed rectitudinem, vel curuitatem tibiæ, & perfectionem, vel debilitatem virtutis generatiuæ. Et addo, quod inde apparet, falsum etiam esse, quòd dum S. Doctor hoc eodem loco loquitur de causis liberis, habentibus, vel non habentibus dispositionem debitam ad recipiẽdam motionem mouentis Dei, per talem dispositionem intelligat nostram cooperationẽ. Sicut enim in alijs agentibus creatis, debita, & indebita dispositio ad recipiendam motionem mouentis, est aliquid præsuppositum motioni Dei: cum sit dispositio ad illam, non autem est ipsa operatio perfecta, vel imperfecta, quæ sequitur ad motionem Dei receptam in agente inferiori habente debitam, vel indebitã dispositionẽ. Vnde sicut rectitudo, vel curuitas tibiæ, quæ sunt bona, & mala dispositio ad recipiendum motionem potentiæ gressiuæ, præsupponuntur dictæ motioni; & non sunt ipsa recta ambulatio, vel claudicatio. Ita in agentibus voluntarijs debita, vel indebita dispositio ad recipiendam motionem Dei, mouentis, est aliquid, quod, saltem natura, præsupponitur motioni Dei, ex qua, recepta in habente dispositionem debitam, sequitur operatio volũtatis perfecta, & ad receptã in non habente talem dispositionem, sequitur operatio imperfecta, seù peccatum: nõ autem est ipsa operatio defectiua, seù imperfecta, & peccatum, nec operatio perfecta, & honesta; vt putat Ruiz, dicens: D. Thomam nomine dispositionis ad motionem mouentis Dei intelligere nostram cooperationem, quæ est ipsamet operatio, & potest esse defectiua, & ipsum peccatum, & sine defectu, & operatio honesta. Cæterum nos infra à §. 6. & deinceps diffusè probabimus, adductis euidentissimis locis S. Doctor. quòd talis dispositio, siuè debita, siuè indebita, est aliquid, saltem natura, præcedens operationem liberam, siuè bonam, siuè malã; quando etiam ex eodem S. Doctore explicabimus, quæ nam sit in causis liberis debita, vel indebita dispositio ad recipiendam motionem Dei primi mouentis.

Doctrina

Digitized by Google

Doctrina, & responsio Suarij, qua creditur saluare, Deum per concursum simultaneum esse causam actus peccati; non verò malitiæ, & deformitatis.

80 49 HActenus probauimus, classem Doctorum, negantium, Deum esse causam antecedentẽ vsum nostræ libertatis, ne inde sequatur, Deum esse causam peccati; habere contra seipsos Sacri Tridentini Concilij definitionem, qua contra aduersarios suos ipsimet vtuntur: cogique secundum sua principia asserere, Deum esse operatorem malorum operum, quod ipsimet vitare contendunt. Probandum nunc remanet, quòd eadem Doctorum classis, negligens doctrinam S. Tho. supra à nobis relatam, & admittens concursum simultaneum in actum peccati (vt sic sit Deus causa entitatis talis actus) saluare nequit, quin Deus sit causa deformitatis; & quòd nulla ab his Doctoribus est inuenta via, quæ circa istum punctum habeat exitum.

81 *Verba Suarij sibi proponentis difficultatem.* 52 Itaque Suarius lib. 2. de Concursu Dei cap. 3. obijcit contra se tertiò loco, vt infra. *Tertiò potest obijci ratio, desumpta ex necessitate diuini concursus in actum peccati. Nam si rationes superius factæ, quidpiam probant; etiam concludunt, Deũ nullo modo per se, & directè efficere, actum peccati; quia efficit actum hic & nunc, à quo non est separabilis malitia.*

82 *Alia ratio ad idẽ.* 51 Et parum infra sic subiungit. *Item in moralibus perinde est inducere aliquẽ ad malum, & cooperari illi. Si ergo Deo malum non est, cooperari nobiscum ad actum, qui est malus, quod facit concurrendo; etiam non erit malum inclinare voluntatem in actum eundem.* Hæc Suarius in obiectionibus. Videamus nunc, quam viam inuenerit ad euadendam hanc difficultatem.

83 *Suarius respondet prædictæ difficultati.* 52 Porro nu. 20. eiusdem capitis respondet inquiens. *Ad tertiam ergo obiectionem in forma respondetur, negando sequelam, scilicet, Deum posse dici auctorem peccati ratione generalis concursus prout à nobis est explicatũ. Tum propter dicta, quòd Dei concursus offertur indifferenter. Tum etiam, quia tota illa actio realis, quæ est à Deo, prout ab ipso est, manere potest sine verâ ratione culpæ, & mali moralis: vt si homo cum ignorantia inuincibili, & inaduertentia naturali eundem actum realem haberet, careret malitia peccati, & Deus eundem influxum numero præberet, & hac etiam ratione nec dici posset Deus causa per se & physica peccati.*

53 *Rursus propter eandem rationem non potest Deus dici ratione cõcursus cooperari ad malum. Tum quia eius cooperatio abstrahit à malitia; tum quia non debet illam negare, sed concedere propter generalem rationem prouidentiæ, & propter alia maiora bona.* Hæc Suarius. 84

Prædicta responsio explicatur, & confertur cum responsione S. Thomæ.

54 VErùm hæc responsio, qua Suarius, vt Deum seruet immunem à causalitate deformitatis, recurrit ad ista duo; nempe, ad indifferentiam concursus oblati, & ad separabilitatem, qua tota actio realis actus peccati, quæ est à Deo, prout ab ipso est, manere potest sinè vera ratione culpæ, Deo in ipsum actũ præbente eundem numero influxum; ijsdẽ implicatur difficultatibus, quibus præcedens hactenus impugnata. Quamuis hoc secundum principium, seù viam seruandi illæsum Deum à deformitate peccati, ipsemet Suarius videatur oblitioni tradidisse, & ad primam dumtaxat viam, tamquam ad vnicam pro difficultate euadenda, confugisse. Vt patet Parte 2. de Diuina gratia lib. 3. cap. 46. num. 18. vbi sic loquitur. 85

86 *Verba Suarij suã Responsionem explicantis.* 55 *Potissima ratio, & fortasse vnica, cur Deus concurrendo in totum materiale peccati, nullo modo causat formale, est; quia ad illum actum, cui coniuncta est malitia, non impellit vllo modo humanam voluntatem: sed sinit illam se determinare, & ex parte sua solùm offert cõcursum, modo quodam de se indifferente ex generali lege non subtrahendi causis secundis cooperationem necessariam, & suis naturalibus facultatibus consentaneam. Nam quia liberum arbitriũ duplicis determinationis est capax, in bonum scilicet, & in malum, licèt Deus ex se bonam eius determinationem cupiat: nihilominus neutrum dare voluit, generaliter loquendo: ne vsum naturalis libertatis impediret; ac propterea voluntati commisit, vt in quam vellet partem, se determinaret: & ad vtramque determinationem concursum sufficientem obtulit. Ideoque licèt determinatio ad obiectum prohibitum non fiat sine concursu Dei; radix tamen eius, & propria origo est voluntas creata. Et ideo ipsa est causa illius mali, quod ex tali actu sequitur; non Deus. Et ideò etiam Deus proprijssimè dicitur illam permittere: quia illam non intendit, nec aliquid, ex quo illa necessariò sequitur; sed solùm sinit voluntatem, vt ipsa se, quò voluerit, determinet, neutram partem impediendo effi-*

Deus voluntati cõmisit propriam determinationem.

Quid sit proprijssimè permittere in sẽtẽtia Suarij.

Digitized by Google

Si Deus esset prima radix faciēs volūtatem determinari, esset causa peccati.

efficaciter. Et hoc est proprijssimè permittere. At verò si Deus esset prima radix, & causa faciens voluntatem determinari ad obiectum, cui est vel intrinsecè vel hic, & nunc, inseparabiliter coniuncta malitia; sibi esset tribuendus lapsus, tamquam impellenti in illum, & non posset dici solùm permittere illum; sed potiùs facere. Nec haberet excusationem vllam; quia non ex vi generalis necessitatis causæ primæ; sed ex sua tantùm voluntate determinaret suum concursum ad hanc partem potiùs; quàm ad illam. Quod non ita est in concursu concomitante, quem negare non debet, neque impedire; quominus in particulari talis sit, qualis per liberi arbitrij cõcomitantiam fuerit determinatus. Hæc Suarius. Quæ meritò ita per extensum, & secundùm totum eius tenorem retuli; quia ipsissima hæc eius excogitatio in omnes alios suæ familiæ scriptores transmissa est. Ac proinde idem fuit solum Suarium circa hunc punctum retulisse, ac si omnes alios eiusdem familiæ transcripsissemus.

87 *Docet Suarius. Ideo Deũ esse causã actus peccati; nõ verò deformitatis: quia determinatio voluntatis in actum malũ est volũtati cõmissa, & non est à Deo.*

56 Summa autem responsionis est, quam in hoc §. numero 15. in fine recitauimus: videlicet: Quòd ideo Deus, concurrendo in actum, seù materiale peccati per concursum simultaneum indifferenter oblatum, nõ causat formale, seù deformitatem; quia sic concurrendo, non impellit voluntatem in actum, cui est connexa deformitas; faciendo, scilicet, vt voluntas in talem actum se determinet; quia sic esset causa peccati, & reduceretur in ipsum, non minùs materiale, quàm formale peccati: vt ipsemet Suarius cap. cit. num. 11. credit se probasse. Sed determinatio voluntatis est ipsi voluntati commissa, inquantum est libera, ad determinandum se. Vnde quòd in actum, siuè bonum, siuè malum, se determinet, est ab ipsa voluntate creata tamquam à prima radice, & propria origine. Et licèt actum, quo voluntas se determinat, faciat simul cum Deo concurrente in eundem actum: non tamen determinatio in actum est à Deo, vt à faciente voluntatem se determinare in talem actum. Et inde est, quòd deformitas actus praui reducitur in voluntatem creatam, quæ ex se ipsa, & ex propria libertate se determinat in talem actum; non autem in Deum, à quo non fit, vt voluntas in talem actum se determinet, & cuius determinatio, vt est voluntatis determinatio, non est à Deo: vt diffusè explicat ex doctrina eiusdem Suarij Fasolus par. 1. quæst. 14. art. 13. à num. 156. ad 165. & num. 351. & 352. qui etiam postea num. 384. circa medium ex eadem doctrina putat se saluare non refundi in

Fasolus existimat, determinationem voluntatis nõ esse à Deo.

Deum, concurrentem in actum peccati, deformitatem actus.

88 *Resp. Suarij confertur cũ respõsione S. Tho.*

57 Denique, vt videas qualiter, & in quo Suarius prædicta responsione à Sancto Doctore recedat, considera eiusdem S. D. responsionem, qua p. 2. quæst. 79. art. 2. soluit simile argumento Suarij, quod secundo loco proposuit his verbis.

Verba S. Tho proponẽtis obiectionem.

Homo non dicitur causa peccati; nisi quia homo est causa actus peccati; nullus enim intendens ad malum operatur, vt Dionysius dicit 4. cap. de Diuinis nominibus. Sed Deus non est causa peccati. Ergo Deus non est causa actus peccati. Respondet enim his verbis.

Responsio S. Thomæ.

Ad secundum dicendum: quod in hominem, sicut in causam, reducitur, non solùm actus; sed etiam defectus: quia scilicet, non subditur ei, cui debet subdi; licèt hoc ipse non intendat principaliter: & ideo homo est causa peccati. Sed Deus sic est causa actus, quòd nullo modo est causa defectus concomitantis actum: & ideo non est causa peccati. Hæc Sanctus Doctor, qui eandem obiectionem sibi opposuit primo loco quæst. 3. de malo art. 2. & soluit simili responsione.

89 *Responsio S. Tho. in forma.*

58 Considera secundò, qualiter Sanctus Doctor soluat in forma argumentum. Et inuenies eum negasse illam propositionem exceptiuam, scilicet; Homo non dicitur causa peccati; nisi quia homo est causa actus peccati. Cuius negationis assignat rationem, quia, inquit, reducitur in hominem, vt in causam, non solùm actus: sed etiam defectus, seù, quia homo non solùm est causa actus; sed etiam defectus. Hoc posito negat inde sequi, Deum esse causam peccati: & rationem assignat; quia Deus sic est causa actus, quòd nullo modo est causa defectus concomitantis actum. Quod autem in hominem reducatur, tanquam in causam, non solum actus; sed etiam defectus, probat ex eo; quia defectus in actu peccati contingit ex hoc, quod homo nõ subditur ei, cui debet subdi.

90 *Explicatur respõsio S. Tho.*

59 Et hîc recole dicta S. Doctoris, à nobis relata in hoc tractatu à §. secũdo, & deinceps. Quòd scilicet, defectus in actione procedit ex defectu principij actiui inferioris agentis; ratione cuius inferius agens non bene substat superiori mouenti, seù ratione cuius non est in debita dispositione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi, seù superioris mouentis. Et inde percipies, quòd homo ideo dicitur causa defectus inuenti in suo proprio actu operationis: quia, quòd talem defectum habet in operatione, prouenit ex defectu sui proprij principij, per quod agit; & ob quem defectum non est oportunum

Digitized by Google

mobile, seù debitè dispositum in ordine ad suum motorem; vt ab eo recipiat motionem debito modo, & secundum illam perfectionem, qua eam reciperet, si esset debitè dispositum. Et hoc est, quod dicit S. Doctor in responsione relata, dum habet: *Homo est causa defectus; quia non subditur ei, cui debet subdi.*

Hoc considerato, reuertamur ad Suariū, cōsideremusq; quòd verbis relatis n. 50. huius § format contra se idē argumentum, quod S. D. verbis relatis nu. 57. & sic habet.

Verba Suarij proponētis obiectionem.

Si Deus per concursum generalem esset causa actus peccati, esset dicendus causa peccati. Sed non est dicendus causa peccati. Ergo Deus per concursum generalem non est causa actus peccati. & sic videtur excludendus generalis concursus.

Consideremus secundò, qualiter Suarius respondens in forma prædicto argumento verbis relatis num. 52. negat sequelam illius conditionalis, si Deus esset per concursum generalem causa actus peccati, esset dicendus causa peccati, in quo Suarius optimè conuenit cum responsione S. Tho.

91 *Differētia inter S.T. & Suariū cōsistit in assignatione rationis negationis cōsequentiæ.*

61 Et tandē percipiemus punctū dissēsionis inter S. Th. & Suariū. Nam S. D. negās consequentiā, rationē negationis dixit esse; quia causa peccati dicitur, quæ non solùm est causa actus; sed etiam defectus consequentis actum. Ex quo sequitur, quòd Deus, qui nullo modo est causa defectus concomitantis actū, non sit dicendus causa peccari; licèt sit causa actus. Homo verò est dicendus causa peccati; quia non solùm est causa actus; sed etiam defectus. Eo quia defectus in actione hominis incidit ex hoc, quod non subditur ei, cui debet subdi; seù non est debitè ordinatus ad suum motorem, & in debita dispositione ad recipiendam motionem Dei mouentis. Ex quo prouenit, quòd tàm actus peccati, quàm eius deformitas, reducitur in hominem, vt in causam. Actus quidem, quia est productus ab ipso homine, tanquam à causa proxima: deformitas verò; quia defectus iste actionis prouenit, tāquam ex propria radice, & prima sui origine, ex illa mala dispositione, seù defectu principij actionis, ex quo habet, quòd non benè subditur Deo mouenti, seù ei, cui debet subdi. Sicut claudicatio, seù defectus gressus habentis tibiam curuam, motam à potentia gressiua perfectionem habente, reducitur, vt in suam radicem, & primam originem, in curuitatem, seù defectum tibiæ.

Ratio negationis consequētiæ secūdū Suariam.

62 At verò Suarius, eiusque sectatores, negantes eandem consequentiam, rationem negationis dicunt esse: Quia causa peccati dicitur, à qua prouenit determinatio in actum malum; non verò quę offert concursum indifferentem, mota non ex sua libera voluntate, sed ex necessitate, quam habet ex munere primæ causæ, volentis conseruare libertatem voluntatis creatæ; quam minimè seruaret, si suum cōcursum offerret solùm ad bonum. Et quia Deus non est causa, à qua procedit, vt voluntas humana se determinet in actum malum; sed voluntas est radix, & origo suæ liberæ determinationis; ideo Deus non est dicendus causa peccati, licet concurrat in actum peccati.

Refellitur responsio Suarij; quia derogat Doctrinę D. Thomæ: & quia ijsdem difficultatibus implicatur.

63 SEd hæc Suarij excogitatio, & derogat Doctrinę Sancti Thomæ; & ijsdem implicatur incommodis, quibus præcedens responsio, quam exclusimus. Derogat quidem doctrinę S. Tho. illis verbis. *Potissima ratio, & fortassè vnica, cur Deus concurrendo in totum materiale peccati, nullo modo causat formale, &c.*

Nam qui talia audit, & simul aduertit, S. Doct. multoties prædictam difficultatem in proprijs terminis sibi opposuisse, & soluisse; nullibi autem meminisse huius excogitationis Suarij; nec eam ad difficultatem soluendam vsurpasse; posset existimare, ignorasse S. Thomam vnicam, & potissimam rationem difficultatis soluendæ, sicque insolutam reliquisse. Sed planè res nō sic se habet. Nā excogitatio hæc Suarij, non solùm non est potissima, vnica, vel etiam vtilis pro difficultate soluenda; sed (gratis admisso cōcursu simultaneo, quem infra ex principijs S. Doctoris demonstrabimus contradictionem implicare) est inutilis, & soluendæ difficultati repugnans; ita vt, vel non defendat Deum, ne dicatur causa deformitatis peccati; vel ipsum satis offendat, abscindens ab eius causalitate bonitatem moralem actus honesti. Et hoc sic fit manifestum.

Ratio allata à Suario nō est vnica, & potissima.

Ex ea sequitur, Deum non esse causā bonitatis moralis.

64 Nam. Quia Deus offert concursum indifferentem in bonum, & malū actum, & voluntati committit, vt se determinet in quē voluerit: si voluntas deinde se determinat in actum habentē malitiam, & moralē deformitatē; moralis malitia non reducitur, vt in causam, in Deū concurrentē, & influentē in eundē actū; eo quia determinatio in actū malū, tāquā à prima radice, & origine, est à voluntate creata, quę ex commissa sibi potestate se determinat in hunc, & nō in illū actū. Pari igitur ratione; quia Deus offert cōcursū indifferētē ad bonū, & malū actū, & voluntati comisit suā propriā determinationē in quemuis ex prædictis; si

92 *Probatur prædicta illatio.*

volun-

Digitized by Google

voluntas deinde se determinauerit ad bonum honestum; moralis bonitas actus honesti nõ debet refundi in Deum, vt in causam; eo quia determinatio in hunc actum, qui est bonus, est à voluntate creata: vt à prima radice, & origine; fuitque pari modo voluntati commissa, reduciturque vt in causam, ad solam voluntatem creatam, vt existimat ex Suario Fasolus, & conatur probare locis citatis in hoc §. num. 56. in fine, adductis quibusdam verbis ex *D.* Augustino, &c. Vel si non obstante, quòd nõ fit à Deo determinatio in actum bonum; adhuc in ipsum *D*eum refunditur, vt in causam, bonitas moralis actus; simili modo, non obstante, quòd nõ fit à Deo determinatio voluntatis ad actũ malum, adhuc refunditur in *D*eum malitia moralis actus.

*D*icat Suarius: quare Deus committens voluntati, vt se determinet, siue in bonum, siue in malum actum, determinatione proueniente ex eadem radice, & origine libertatis, cui est determinatio commissa: si voluntas se determinat in actum moraliter bonum, est causa bonitatis moralis, influendo in illum simultaneo concursu, non obstante, quòd ipse Deus non sit causa, à qua fit, vt voluntas se determinet in eundem actum bonum: si autem se determinat in actum malum moraliter, nõ est causa malitiæ moralis actus, in quem simultaneo concursu influit; eo quia huic causalitati obstat; quia à Deo non fit, vt voluntas se determinet in actũ malum? Cur determinatio voluntatis à se, non obstat Deo ad causandam bonitatem eiusdẽ actus determinati à se; obstat verò ad causandam malitiam?

93 *Nõ iuuat illa additio: licet Deus cupiat.*

65 Num dices (quod fortè in istum finem posuit Suarius in sua responsione.) *Deus bonam determinationem voluntatis cupit.* Sed quid inde? Num per hoc, quod bonam determinationem volũtatis cupit, ratione huius cupidinis (pareo improprio modo loquendi) est *D*eus magis, vel minus influens seù causans liberam determinationem voluntatis creatæ? Si enim secundùm hos *D*octores determinatio voluntatis creatæ in quemlibet actũ liberum, non habet Deũ causam; sed Deus, tali cupidine non obstante, offert concursum indifferentem, & voluntati committit, vt se determinet; quid efficiet ista cupido ad influendum magis, vel minus eorum, quæ consequuntur determinationem voluntatis in actum?

94 *Nõ potest Suarius rationẽ discriminis assignare.*

66 Et verè, attenta facti realitate, nõ potest Suarius rationem huius differentiæ assignare. Nam, vt supra §. 3. num. 2. & §. 4. num. 12. ex D. Tho. notauimus, defectus actionis non potest aliunde prouenire, tam quam ex propria radice, & principio per se (eo modo, quo negationi conuenit habere principium per se) quàm ex defectu principij actiui. Ex quo est, vt infert S. *D.* relatus hoc vltimo loco, quod *nullum malum, quod in defectu actionis consistit, vel ex defectu agentis causatur, reducitur in Deum, sicut in causam.* Quia, scilicet, principium actiuũ, quo agit Deus, nullũm admittit in se defectum. Et inde etiam est, quod oportet, omnem actionẽ defectiuam præcedere à principio actiuo creato, in quo sit defectus; ex quo, existente cum defectu prouenit actio defectiua; ita vt defectus actionis reducatur, tamquam in sui primam radicem, & principium, vnde per se primò originatur, in defectum illum, quo est affectum principium actiuum, quo agẽs creatum agit. Hoc autem posito (quod est demonstratum à S. Doctore, vt infra manifestabimus) non potest Suarius assignare rationem, quare deformitas, seù defectus actionis peccaminosæ, qui secũdum ipsum Suarium prouenit, tamquam ex propria radice, ab illa determinatione, qua voluntas creata, magis in hunc, quàm in oppositum actum, se determinat, non refundatur, sicut in causam, in Deum influẽtem in actum, in quem ipsa voluntas se determinat. Nam ad seruandum Deum, ne sit causa defectus existentis in actione peccaminosa, non recurrit ad defectum adhærentem principio operatiuo, quo creatura agit; ex quo sequitur, quòd defectus actionis non refunditur in Deum agentem per principium carens omni defectu; sed recurrit ad id, quod secundum ipsummet Suarium, est maximæ perfectionis in principio libero, puta, ad determinationem à se; inquantum Deus excluditur ab antecedenti causalitate talis determinationis. Ex hoc autem sequitur, quod etiam debet excludi a diuina causalitate id, quod sequitur ad determinationem voluntatis in actum bonum. Nam ista perfectio esse ndi à se, quam habet, inquantum est libera, determinatio voluntatis in actum, qui est malus, reperitur etiam, & potiori iure, in determinatione libera, qua voluntas se determinat in actum, qui est bonus. Ergo si determinatio in actum, qui est malus; propter hoc quod est exempta à diuina causalitate præcedente, à qua non fit, vt voluntas se determinet in talem actum; est causa, & ratio, ne refundatur in *D*eum deformitas, consequens ad determinationem in actum malum; potiori iure determinatio in actum bonum, quæ est eodem modo exempta à diuina causalitate, præcedente, à qua non fit vt voluntas se determinet in actum, erit ratio ne refundatur in Deum bonitas moralis

Verba S. Th. explicãtis principiũ, vnde est malũ actionis

Suarius vt defendat Deũ, ne sit causa peccati, nõ recurrit ad proprium principiũ defectum.

ralis consequens determinationem voluntatis in eundem actum. Vel è contra, si determinatio à se, quæ inuenitur in actu libero tendente in bonum honestum, non impedit, quin refundatur in Deum bonitas moralis actus; nec etiam determinatio à se in actum prauum faciet, ne in ipsum refundatur prauitas actionis.

95 67 Quòd si à me hìc obiter inquiras, à quo est determinatio voluntatis in actũ, siue bonum, siue malum? Diço determinationem in actum bonum, vt à causa proxima, esse à voluntate creata; à Deo autem esse, vt à causa prima mouente, & faciẽte, vt voluntas se determinet in talem actum; & hoc non repugnare libertati. Determinationem verò in actum malum, vt malũ, non esse à Deo, à quo est totum id, quod realitatis est in tali determinatione; Sed esse à sola voluntate creata; non propter hoc, quod intendit principaliter actum malum, vt malum; sed propter hoc, quod carẽs regula rationis, & legis diuinæ, liberè procedit in actum, quo intendit aliquod bonum. Mouet autem tunc Deus voluntatem, non adhoc, vt se moueat, seù se determinet in actum malũ; sed vt se moueat, & determinet in bonum. Quod autem ipsa se mouet, & determinat in malum, contingit ex hoc, quod habens illum defectũ, seù carentiam regulæ, non recipit debito modo motum illum, quo mouetur à Deo, vt se determinet in bonum; & sic determinat se in malum, agendo irregulatam actionem. Et quidem Deus, mouens voluntatem, remanet causa totius entitatis inuentæ in actu deformi; non verò deformitatis; homo verò etiam deformitatis, quæ prouenit ex illa voluntaria carentia regulæ, cum qua operatur. Sicut quicquid est motus, & entitatis in motu deuiationis sagittæ curuæ à signo, in quod impellitur à sagittatore, totum est ab impetu sagittatoris impellentis sagittam in rectum: licèt ipse non moueat sagittam ad deuiandum, nec ab ipso sit, quòd deuiat à signo; sed ex defectu sagittæ curuitatem habẽtis. Sed hæc omnia infra demonstrabuntur, & multa dicemus §. vndecimo huius tractatus. Redeamus ad Suarium.

Vnde sit determinatio voluntatis.

Impugnatur secundò responsio relata num. 55. huius §. quia ex ea sequitur, vel quòd Deus non possit non permittere voluntatem peccare; vel quòd sit causa peccati.

96 68 POrrò in responsione relata num. 55. habetur, quòd sicut ex hoc, quòd à Deo non est illa determinatio, qua voluntas creata se determinat in actum malum, non est Deus causa deformitatis talis actus, dum in eum influit generali concursu; ita ex eo, quòd Deus voluntati commisit, vt se determinaret, in quem voluerit actum, offerendo ei concursum indifferentem, & sinendo eam se determinare; quò voluerit, habet quòd (proprijssimè loquendo) permittat voluntatis determinationẽ in actum malum. Ex quo sequitur, quòd Deus permittit, non facit voluntatem peccare, seù quod permittit peccatum; non est causa peccati, Recole igitur hìc illa verba responsionis.

Verba Suarij explicãtis, quid sit proprijssimè Deum pmittere determinationem.

Deus voluntati commisit, vt, in quam vellet partẽ, se determinaret, & ad vtrãq; determinationem concursum sufficientem obtulit. Ideoque licèt determinatio in obiectum prohibitum non fiat sine concursu Dei; radix tamen eius, & propria origo est voluntas creata. Et ideo ipsa est causa illius mali, quod ex tali actu sequitur, non Deus. Et ideo etiam Deus proprijssimè dicitur illam permittere; quia illam non intendit, nec aliquid, ex quo illa necessario sequitur; sed solum finit voluntatem, vt ipsa se, quò voluerit, determinet, neutram partem impediendo efficaciter. Et hoc est proprijssimè permittere.

97 69 Diço modò, quòd ex prædicta doctrina, inquantũ explicat proprijssimã rationẽ permissionis, sequitur, quòd Deus, vel non possit non permittere voluntatem peccare; vel quòd esset causa peccati.

Quid sequitur ex dicta doctrina.

Itaque peto. An data dicta doctrina, possit Deus, conseruando libertatem voluntati creatæ, nõ permittere eam peccare? Si dicatur non posse: iterum peto. An Deus reddiderit non liberam Beatissimam Virginem Dei Matrem, in hac vita existentem, & Sanctos Apostolos postquam fuerunt Spiritu Sancto repleti, & in gratia confirmati; vel eos permiserit mortaliter peccare? neutrum planè dici potest. Quia vtrumque esset hæreticum. Dum vel sinè merito prædictos sanctos, vel eos post confirmationem in gratia Deum permisisse peccare mortaliter, oporteret asserere. Potest ergo Deus salua libertate, nõ sic se gerere cum volũtate creata, vt eam finat determinare, quò voluerit, neutram partem impediendo efficaciter. Quòd falsum est secundum datam responsionem, qua dicitur; sic Deum debere se gerere cum voluntate ad saluandam eius libertatem, nempe, sinendo eam se determinare, quò voluerit: vel sinere voluntatem se determinare, quò voluerit, neutram partem impediendo efficaciter, non est proprijssimè Deum permittere illam determinationem, qua voluntas se determinat in obiectũ prohibitũ. Quòd etiam est contra eãdem responsionẽ.

Probatur quod, vel Deus non potest non permittere volũtatem peccare, vel non est verum dictũ Suarij:

70 Dices

Digitized by Google

98 *Responsio, quæ posset afferri.*

70 Dices doctrinam prædictæ responsionis subintelligere in Deo scientiam mediam, qua scit Deus, quòd si voluntas creata collocaretur in his, vel illis circumstantijs peccaret. Et voluit dicere: quòd Deum sinere se determinare, quò voluerit voluntatem, collocatam in illis circumstantijs, sub quibus scit, eam esse se determinaturã ad obiectum prohibitum, sit proprijssimè permittere talem determinationem

99 *Pòt Deus nõ permittere hominẽ peccare & eum seruare liberum.*

71 Sed adhuc persisto in eadem interrogatione. An Deus sciens, quòd si voluntas poneretur in his, vel illis circumstantijs, determinaret se ad obiectum prohibitum, possit hanc eandem voluntatem non permittere se determinare in obiectum prohibitum? Porrò certum est, Deum posse hominem quemlibet, quem voluerit, præseruare à peccato, non permittendo eum peccare; eundemque in operibus, quibus vitat peccata, liberum conseruando. Idque de Deo credimus, dum instructi à Christo Domino ab ipso Deo petimus in oratione dominica: *Ne nos inducas in tentationem*; quòd idem est (vt Augustinus loco statim citando dicit) quòd ne nos permittas peccare. Quòd vtique (vt idem Augustinus sæpè aduertit) *à Deo non peteremus; nisi crederemus, eum posse facere, quod petimus.*

100 *Verba Aug. probãtis, Deũ posse non permittere nos peccare.*

72 Et notanda sunt ad hoc propositum verba ipsius Augustini lib. de Dono Perseuerantiæ, seu secundo de Prædestinatione Sanctorum cap. 6. circa medium. Vbi sic habet. *Dicat mihi quisquis audet; vtrũ Deus dare non posit, quod à se posci imperauit? Hoc certè qui sapit, non dico desipit; sed insanit. Imperauit autem Deus, vt ei sancti eius dicant orantes. Ne inferas nos in tentationem. Quisquis igitur exauditur, hoc poscens, non infertur in contumacia tentationem, qua possit, vel dignus sit, perseuerantiam sanctitatis amittere. At verò voluntate sua quisque deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo. Quis hoc negauerit? Sed ideò petimus, ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat. Et si exaudimur, vtique non fit; quia Deus non permittit, vt fiat. Nihil enim fit; nisi quod, aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est, & à malo in bonũ flectere voluntates, & in lapsum pronas conuertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustra dicitur: Deus tu conuertens viuificabis nos. Non frustra dicitur. Non des ad mouendum pedem meum. Non frustra dicitur. Ne tradas me à desiderio meo peccatori. Postremò (ne multa commemorem; cum nobis plura fortassè occurrant) non frustra dicitur. Ne nos inferas in tentationem. Nam quisquis in tentationẽ non infertur; profectò nec in tẽtationẽ suæ malæ voluntatis infertur; & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur.* Et parum infra subdit. *Quod itaque dicimus Deo, Ne nos inferas in tentationem quid dicimus, nisi nos inferri non sinas? Vnde sic orant nonnulli, & legimus in codicibus pluribus. Et hoc sic posuit beatus Ciprianus. Ne permittas nos inferri in tentationem.* Hæc Augustinus.

73 Ex quibus apparet, certum, & indubitabile esse, posse Deum quamlibet voluntatem humanam non sinere, vt inferatur in tentationem determinationis suæ propriæ voluntatis. Cum possit quamlibet voluntatem in lapsum pronã conuertere, & dirigere in sibi placitum gressum. Idque probetur efficaciter ex orationibus, quibus sancti instinctu Dei instructi, cõsueuerunt Deum orare. Quales sunt recitatæ ab Augustino, & innumerabiles aliæ, vt illæ. *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.* Et illa. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniustitia.* Cui orationi, quasi exauditæ respondet Deus per alium Prophetam dicens. *Ducam te per semitas æquitatis.* Num dicet aliquis, non posse Deum facere, quod se facturum esse promittit? potest ergo sic ducere voluntatem, vt se determinet ad ambulandum per semitas æquitatis: immo ita perficere gressus operationum nostrarum in semitis diuinis, seu mandatorum Dei, vt non moueantur vestigia nostrarum operationum à prædictis semitis, taliter vt omnem iniustitiam vitemus, vtique non permittendo, vt volũtas nostra se determinet in actum, quo aliquam iniustitiam incurrat. 101

102 *Proponitur difficultas contra responsionem.*

74 Quare remanet, vt Suarius dicat, salua doctrina suæ responsionis. Qualiter Deus facit, dum non vult permittere, seu sinere aliquam voluntatem se determinare in actum iniustitiæ, si, ne iura libertatis exterminet, debet cum voluntate sic se gerere, vt sinat eam determinare, quò voluerit, siue in bonum, siue in malum, neutram partem impediendo efficaciter? Ac etiam quid faciet Deus, dum vult permittere aliquam voluntatem se determinare ad malum?

103 *Responsio ex doctrina Suarij.*

75 Dices, facilem esse responsionem ex doctrina Suarij. Porrò ipse cum multis alijs Recentioribus putat; scire Deum de qualibet voluntate humana, quòd si collocatur in his, vel illis circumstantijs, sitque adiuta, vel destituta his, vel illis auxilijs, & simul sinatur se determinare, quò voluerit, se determinabit ad bonum: & quòd si in alijs multis circumstantijs, adiuta, vel destituta

ſtituta iſdem, vel alijs, ſimillibus, vel diſſimilibus auxilijs, ſinatur ſe determinare, quò voluerit, ſe determinabit ad malum, & peccabit. Hoc poſito poſſet reſponderi. Quòd dum Deus non vult permittere aliquam voluntatem peccare, vult eam ponere in circumſtantijs, & auxilijs, ſub quibus ſcit, quòd ſe determinabit ad bonum. Cum autem vult permittere eam peccare; collocat eam in illis circumſtantijs, & auxilijs, ſub quibus ſcit, quòd ſe determinabit ad malum. In vtroque autem caſu ſimul vult finere voluntatem ſe determinare quò voluerit, in quantum offert concurſum indifferenter, quo voluntas poteſt ſe determinare, tàm in bonum, quàm in malum, neutram partem impediendo efficaciter. Per hoc ergo, quod Deus offert ad actum voluntatis concurſum indifferentem, dicitur Deus velle finere voluntatem ſe determinare, quò voluerit. Per hoc verò, quod Deus vult voluntatem ponere in illis circumſtantijs, & cum auxilijs, ſub quibus ſcit, quòd ſe determinabit ad bonum, habet Deus voluntatem nõ permittendi eam peccare. Sic ergo ſtant ſimul illa duo, ſcilicet quòd Deus non velit permittere voluntatem peccare, & quòd vult finere voluntatem ſe determinare, quò voluerit, ſiuè ad bonum, ſiuè ad malum, neutram partem impediendo efficaciter. Doctrinam huius reſponſionis inuenies etiam apud Ruiz de voluntate Dei diſp. 50. ſec. 2. nu. 13

eadẽ reſpõſio affertur à Ruiz

Impugnatur prædicta reſpõſio: quia per eã non fit, nè ſit doctrina primæ reſponſionis diminuta, neuè illatio contra Suarium efficax. Sicque iudicant Ruizius, & Faſolus.

76 SEd contra eſt primò. Quia reſponſio relata num. 70. non prohibet, quin ſit diminutum, improprium, & falſum dictum illud primæ reſponſionis, puta: Deus proprijſſimè dicitur illam (ideſt determinationem volũtatis ad actum prohibitum) permittere: quia illam non intendit, nec aliquid, ex quo illa neceſſariò ſequatur: ſed ſolùm finit voluntatem, vt ipſa ſe, quò voluerit, determinet, neutram partem impediendo efficaciter. Et hoc eſt proprijſſimè permittere. Quippe quia totum id, quod prædictis verbis exprimitur, iam Deus facit, dum homines conſeruat in bonis, & ſanctis operibus; etiam ſi eos ducat vſque ad finem vitæ per ſemitas æquitatis, & mandatorum Dei, quibus vitatur determinatio voluntatis in obiectum prohibitum. Nam Deus ſic ducens voluntatẽ, non intendit determinationem eius in obiectum prohibitum; neque facit aliquid, ex quo talis determinatio neceſſariò ſequitur; & ſimul offert concurſum indifferentem, neutram partem impediendo efficaciter. Et ſic Deus diceretur proprijſſimè permittere illam voluntatem peccare, quam vſq; in finem vitę ducit per ſemitas æquitatis. Quod eſt inconueniens illatum cõtra Suarium. Vel ſi hoc non obſtante Deus ducens voluntatem per ſemitas æquitatis, nõ poteſt dici proprijſſimè permittere voluntatem peccare; proprijſſima ratio permittendi determinationem in actum prohibitum, malè explicatur præfato dicto.

77 Quòd autem Deus, ducens voluntatem per ſemitas æquitatis, neutram partem determinationis impediat efficaciter, patet. Nam ſecundùm doctrinam dictæ reſponſionis, per hoc Deus neutram partẽ determinationis impedit efficaciter, quòd, nè vſum naturalis libertatis impediat, volũtati commiſit; vt, in quam vellet partem, ſe determinaret. At verò Deus, volũtatem ducens per ſemitas æquitatis, vſum naturalis libertatis non impedit, Commiſit ergo illi, vt ſe, in quam vellet partem, determinaret. Neutrã ergo partem impedit efficaciter ſecundum modum loquendi Suarij in dicta reſponſione.

78 Hinc eſt, quòd licèt Faſolus fidelis, ſeueruſque fuerit Suariſta; nihilominùs non illam Suarij; ſed aliam poſuit rationem propriam permiſſionis peccati. 1. par. quæſt. 14. art. 13. num. 145. ſic dicens. *Suppono veram ſententiam de peccati permiſſione; quæ ſcilicet, aliud non ſit; niſi voluntas Dei de non dando auxilio efficaci, cum quo prænidit per ſcientiam conditionatam, quòd, ſi daretur, creatura non ſe determinaret ad peccandum; ſed de dando ſolùm auxilio ſufficienti, cum quo poſſet voluntas creata non peccare, & benè operari, quę tamen conditionatè prænisa eſt, quòd, ſi haberet illud auxilium, adhuc cum illo ſe determinaret ad peccandum.* Hæc Faſolus.

Verba Faſoli circà permiſſionẽ peccati

79 Eadem p. p. quæſt. 23. ar. 2. num. 32. ſic habet. *Eſt enim permiſſio peccati negatio illius efficacis auxilii, cuius vi impediretur peccatum. Sicut igitur Deus per ſcientiam, & voluntatem ſuam cauſat tale auxilium, ita cauſat negationem illius, quã vocamus permiſſionem.*

Quid eſt propriè permiſſio peccati ſecũdũ Faſolũ.

Ex quibus patet, quòd ad hoc, vt Deus dicatur permittere determinationem voluntatis in obiectum prohibitum, requiritur ſecundum Faſolum, quòd Deus deneget voluntati creatæ auxilium efficax, cuius vi impediretur determinatio eiuſdem voluntatis in obiectum prohibitum, & inſuper, quòd conferat eidem voluntati ſolũ auxilium

104 *Suar. dixit ptinere ad ppriſſimã permiſſionem peccati, cõuenit præſeruato ab omni peccato.*

105

106

107

Digitized by Google

auxilium ſufficiens, cum quò ſcit per ſcientiam conditionatam, voluntatem creatam ſe determinaturam in idem obiectum prohibitum.

108 80 Hæc autem explicatio permiſſionis peccati, ſeu determinationis voluntatis in obiectum prohibitū, ſatis eſt diuerſa ab illa Suarij. Illa quippe (vt iam oſtendimus) competit voluntati liberè operāti, tametſi numquam permitteretur peccare: hæc verò, non niſi ſe determinati in obiectum prohibitum. Quæ, hoc ipſo, quòd ei denegatur auxilium efficax, cuius vi impediretur determinatio in obiectum prohibitum, & ei confertur auxilium ſufficiens, cum quo ſcitur ſe determinatura in idem obiectum: iam inde habetur, quòd talis determinatio eſt ei permiſſa, & quòd Deo permittente ſe determinabit in illud.

109 *Ruiz cōuenit cū Faſ. in explicāda propria rōne permiſſionis.* 81 In eandem Faſoli cogitationem, verbis aliquanto differentibus, videtur deueniſſe Ruiz diſp. 31. de voluntate Dei ſec. 1. num. 7. vbi explicans permiſſionem peccati ſtrictè ſumptam, ſeu propriè dictam (vt loquitur in fine eiuſdem numeri) ſic habet. *In ſacris literis permittere ſtrictè ſumptum, ſignificat ſubtrahendo protectionem, & gubernationem non impedire actionem peccati.*

110 *Ruiz quòd ſignificat ly non permittere.* 82 Quod num. ſequenti 8. probat ex ratione contraria; & ſic habet. *Nam è cōtrario non permittere ſignificat, conferendo protectionem, & fauorem in opus bonū, impedire non ſolum malitiam; ſed etiam materialem actionem vigori contrariam.* Hæc Ruiz. Qui planè idem videtur intelligere per ſubtractionem protectionis, & gubernationis, quòd Faſolus per denegationem efficacis auxilij; licèt improprie, & minùs caute quàm deberet, loquatur in his materijs, dum vtitur illis verbis, *Subtrahendo gubernationem.*

111 *Non poteſt rectè dici, Deum ſubtrahere gubernationē in permiſſione peccati.* 83 Porrò falſum eſt, & auditu ſatis durum, hoc dictum: Deus permittit peccata ſubtrahendo gubernationem. Deus enim gubernationem ſuam à rebus ſubtrahere, minimè poteſt; nec etiam per miraculum, ita, ſcilicet, vt ſupponantur eſſe, & operari, diuina gubernatione ſubtracta. Sicut nec poſſunt res eſſe, Deo ab eis ſubtrahente ſuam gubernationem, qua conſeruantur in eſſe. Inquit enim D. Thomas ſæpiſſimè, quòd ad diuinam Prouidentiam, & Gubernationem pertinet permittere peccata, & defectus in rebus; non autem quòd ſpectat ad ſubtractionem gubernationis. Addo, quòd ipſemet Ruiz confitetur oppoſitum, verbis illis relatis in hoc §. num. 44. nempè, Deus compellitur munere primæ cauſæ ad concurrendum in actiones materiales peccatorum; quòd idem eſt, ac Deus compelitur ex officio, quod habet ſummi, & vniuerſaliſſimi gubernatoris, ad concurrēdum in actiones materiales peccatorum. Non ergo Deus permittit actiones materiales peccatorum, ſubtrahendo ſuam gubernationem; ſed potiùs ſuam gubernationem adhibendo: & vt adimpleat munus primæ cauſæ cuncta gubernantis, concurrendo (vt ipſe loquitur Ruiz) in actiones materiales peccatorum. Denique ſicut Deus non permittit determinationem in actum prohibitum (loquendo, vt hi Doctores loquuntur) ſubtrahendo ſuum diuinum concurſum; ita nec ſubtrahendo gubernationem, quæ per dictum concurſum adimpletur.

112 *Defenſio Ruizy pe ꝑtinēr.* 84 Dices, poſſe exponi de ſubtractione gubernationis, quantum ad hoc, quod Deus non præſtat auxilium efficax; neque liberat ab occurrentibus tētationibus eum, quem peccare permittit. Reſpondeo, quòd totū hoc intelligi poteſt per ly *Subtrahendo protectionem*: non autem per ly, *Subtrahendo gubernationem.* Nam ad gubernationem ſpectat tàm dare, quàm negare protectionem: tàm dare, quàm negare auxilia. Sic enim Deus gubernat, & dando, & denegando. Vnde ex hoc, quòd non dat hunc, vel illum effectum, non ſequitur quòd non gubernat; immo quòd gubernat: quia ſic gubernat, non dando, & denegando. Subtractio verò gubernationis vtrumque tollit. Sed hæc ſint per tranſitum dicta. Redeamus ad rem.

113 *Inuoluitur in rōne ꝑmiſſionis explicatæ à Ruiz, et Faſol. impedtio partis oppoſitæ.* 85 Itaque ex his, quæ notauimus, approbata à Faſolo, Ruiz, & alijs eorum ſectatoribus, clarè habetur: Quòd ad hoc, vt Deus dicatur permittere determinationē voluntatis creatæ in actum prohibitum, nō ſufficit; *Quòd illam non intendat, quòdq; non faciat aliquid, ex quò illa neceſſario ſequatur; ac etiam quòd ſinat voluntatem ſe determinare, ſic, quò voluerit.* Immò etiam habetur, quòd illud reliquum, quod Suarius addit, puta: *Neutram partem impediendo efficaciter*: non ſolùm ſit inutile; ſed repugnans rationi permiſſionis, cui debet conuenire ratio oppoſita contradictoriè, nempè, alteram partem impediendo efficaciter, attenta doctrina Ruiz, & Faſoli. Et hoc ſic demonſtratur. Nam hi doctores volunt, Deum per hoc permittere determinationem voluntatis in actum prohibitum; quòd non impedit determinationem in eundem actum prohibitum; ſubtrahendo, ſeu denegando auxilium efficax, cuius vi impediretur peccatum, ſeu determinatio in actum prohibitum. Impediretur autem vi auxilij efficacis per hoc, quòd auxiliū efficax adducit determinationē in actum honeſtum, qua impeditur, tamquam ab oppoſita forma, determinatio in actum

prohi-

prohibitum. Hinc Ruiz, relatus num. 82. huius §. ait: *non permittere significat, conferendo protectionem, & fauorem in opus bonum impedire actionem virtuti contrariam.* Videlicet determinationem in opus prohibitum. Et inde est, quòd in hoc, quod dico: Deum non permittere determinationem in obiectum prohibitum, inuoluitur totum hoc, nempè: Deum per collationem auxilij efficacis, cuius vi volũtas pergit in determinationem ad actum honestum, seu opus bonum (vt loquitur Ruiz) impedire determinationem in actũ prohibitum contrarium virtuti. Ergo etiã in hoc, quod est, Deum permittere determinationem voluntatis in opus prohibitũ, debet inuolui totum hoc, puta: Deum per subtractionem, seu denegationem auxilij efficacis, & collationem auxilij sufficientis, cum quo scit, voluntatem se determinaturam in opus prohibitum, impedire determinationem in opus honestũ; qua determinatione (si adesset) impediretur determinatio in opus prohibitum. Sic enim remaneret non impedita: sed permissa determinatio in actum prohibitum. Et consequentia ista est euidens. Nam (sicut opponitur determinatio in opus bonum determinationi in opus prohibitum; ita opponitur determinatio in opus prohibitum determinationi in opus bonum. Et similiter sicut illa impedit istam; ita ista illam.

Corollariũ quoddam ex dictis.

Hoc posito, iam clarum est, quòd in sententia Fasoli, & Ruiz ly, *Neutram partem impediendo efficaciter*, non potest pertinere ad rationem permissionis; sed ad eius rationem debet pertinere ratio opposita contradictoriè, videlicet, alteram partem impediendo efficaciter. Siquidem, si determinatio voluntatis in opus prohibitum est permissa, id est per hoc, quòd per denegationem, seu subtractionẽ auxilij efficacis in opus bonum impeditur, seu etiam sequitur, quòd nõ sit, determinatio in opus honestum, quæ, si adesset impediret determinationem in opus prohibitum, eiusque tolleret permissionem. Ergo hoc, quòd est, per subtractionem, seu denegationem auxilij efficacis, impediri determinationem in opus honestum, qua (si adesset) impediretur determinatio in opus prohibitum, involuitur in ratione permissionis, qua permittitur determinatio in idem opus prohibitum. Num dices determinationem in opus honestum non debere esse impeditam efficaciter?

Sed quis hoc dicet? quando eam impediri, vel non impediri, prouenit ex collatione, vel subtractione auxilij efficacis; à quò, inquantum efficax est, efficaciter prouenit quicquid prouenit? Scio Suarium respondisse, non opponi hoc, quod modo intulimus, dicto suo; quo dicit Deum permittere determinationem voluntatis in obiectum prohibitum, neutram partem impediendo efficaciter. Quippe quia eo dicto excludit impeditionem efficacem, præuenientem vsum nostræ libertatis: non autẽ eam, quę vsum nostræ voluntatis supponit; qualis est, quæ prouenit ex auxilio efficaci. Verùm licèt hoc ita sit in eius sententia; non tamen propter hoc, dictum eius continet veritatem. Deficit enim; quia ad proprijssimam permissionem determinationis voluntatis in obiectum prohibitum explicandam, ea solùm ponit, quæ ipsemet existimat pertinere ad rationem actus liberi. At verò, ad proprijssimam rationem permissionis actus peccati plùs requiritur, quã quod spectat ad libertatem actus. Quod tamen Suarius loco relato omisit. Illud autem, quod ad rationem permissionis peccati pertinere dixerunt alij eius socij, potest verbis supra inductis explicari.

Responsio Suar. non valet.

Impugnatur secundò, eiusdem responsionis doctrina: quia inde non habemus principium defendendi, non esse Deum causam deformitatis peccati.

86 Circà doctrinam verò responsionis relatæ occurreret diligentia P. Magist. Hieronymi Viues, qua lib. 1. de Primatu diuinæ libertatis disp. 11. distinc. 7. per totam probat; quòd si supponatur doctrina prædictæ responsionis, omnia argumenta, quibus Oppugnatores causæ antecedẽtis vsum nostræ libertatis, mediæque scientię Assertores, vtuntur aduersus prædeterminationis physicæ Defensores, efficaciam habent in ipsosmet responsionis Auctores. Vbi etiam P. Ribadeneyræ, Præpositi Valentini, aliorumque Recentium responsa refert, & impugnat. Probat itaque iste Doctor, quòd illæ rationes, quibus Recentes putant probari, quòd ex vi prædeterminationis physicę in actum peccati fieret Deus causa deformitatis; probant etiam, quòd ex vi relatæ responsionis esset etiam Deus dicendus causa deformitatis peccati. Quòd autem hoc non leuiter probet, angustiæ, quibus ad nouas inuentiones recurrunt respondentes, demõstrant. Sed non est huius loci rem hanc aggredi, vbi perfũctoriè Tractatus semitas digredientes, indicare intendimus, non inuenisse hos Doctores propriam originem, vnde est defectus actionis liberæ; & eos non posse, dato concursu simultaneo in actum peccati, defendere Deum non esse causam deformitatis. Sed tamen non leuè

114 P. Hieron. Viues retorquet argumenta Suar. in responsionem Suar. et probat ea inferre, Deũ esse causã peccati ad mẽtẽ Suar.

signum

signum huius, quod intendimus est, quòd illas eadem rationes soluere cogũtur, quibus ab ipsis suos aduersarios ligari putant.

Sufficit igitur nobis hìc ostendere, quod ex doctrina predictæ responsionis aliqua maior difficultas habeatur, per quam impediatur defensio Dei ab incursu deformitatis peccati.

115 *Triæ notãda in respõsione rectium.*

87 Itaque in doctrina præfatæ respõsionis tria sunt, quibus modus diuinæ operationis in nostras operationes liberas explicatur, puta. Oblatio concursus indifferentis. Actualis concursus concomitans determinationem voluntatis creatæ. Et libera diuina voluntas, qua, sciens, quòd si voluntas poneretur in his circumstantijs non peccaret: si verò in alijs, peccaret; si vult ex sua libera voluntate non permittere aliquã voluntatem peccare, collocat eam in circumstantijs, & cum auxilijs, cum quibus scit, quòd se determinabit ad opus bonum moraliter. Si verò vult permittere eam peccare, collocat eam in circumstãtijs, & cum auxilijs, cum quibus scit, quòd se determinabit in opus prohibitum.

116 *Verba Ruiz ad propositũ. & cir*

88 Et notanda sunt pro hoc puncto verba Ruiz disp. 50. de voluntate Dei sect. 2. num. 13. vbi sic habet: *Ad materiales actiones peccatorum, quæ de facto non eliciuntur, Deus voluntatem creatam constituere vult in circumstantijs, sub quibus scit, eas actiones fore liberè vitandas: quoniam eas non vult permittere; sed suauiter impedire: quamuis necessarium concursum generalem non subtrahat. Contra verò cæteras actiones materiales peccatorum permittere vult, & non impedire. Ideoque voluntatem creatam constituere vult in circumstantijs, sub quibus scit eas fore committendas.* Hæc Ruiz.

Notanda circa verba Ruiz.

In quibus nota illas duas propositiones causales, videlicet illam, *Deus voluntatem constituere vult in circumstantijs, sub quibus scit eas actiones fore liberè vitandas: quoniam eas non vult permittere, sed suauiter impedire.* Et illam aliam; *Cæteras actiones materiales peccatorum permittere vult, & non impedire. Ideoque voluntatem creatam constituere vult in circumstantijs, sub quibus scit, eas fore committendas.* Et inde accipe; quòd quia Deus ex sua libera voluntate vult aliquando permittere, & non impedire aliquam voluntatem peccare; ideo collocat eam in circumstantijs, sub quibus scit actiones materiales peccatorum fore committendas. Et similiter, qnia aliquando ex sua libera voluntate vult aliquas actiones &c. impedire, & non permittere; ideo collocat voluntatem in circumstantijs, sub quibus scit fore liberè vitandas.

89 Hoc posito: clarum est, quòd si considereremus oblationem concursus indifferenter ad bonum, & malum actum, non habemus aliquod principium, vnde colligere possimus, Deum influxurum in solam entitatem actus mali; non verò in eius deformitatem. Si enim Deus se offert ad cõcurrendum indifferenter in bonum, & malum actum subordinando suum concursum determinationi volũtatis creatæ; iam ipse Deus habet istam voluntatem conditionalem. Si voluntas creata se determinat in actum bonum, volo in eum concurrere, & si se determinat in actum malũ, volo etiam concurrere in actum malum. Modò nulla apparet ratio, cur Deus habens hanc indifferentem promptitudinem concurrendi in actum malum, & bonum, non debeat in ipsum refundi malitia actus; sicut in ipsum refunditur bonitas eiusdem.

117 *Ex ratione indifferentiæ cõcursus in bonum, & malũ non potest Deꝰ defendi à causalitate deformitatis.*

90 Num dices cum Suario verbis relatis n. 55. huius §. quòd Deus non causat deformitatẽ; quia nõ ex sua libera voluntate; sed ex vi generalis necessitatis causæ primę talem concursum offert sub indifferentia? Verùm hoc, licèt posset Deum iuuare, ne in ipsum refundatur deformitas actus, tãquã in causam, à qua fit electio talis actus; vel à qua fit, tamquam à peccante, & culpam habente: non tamen posset ad hoc conducere, vt in ipsum non refundatur, tãquam in causam realiter influentem, vel cooperantem, vel etiam ex necessitate, vel saltem comitanter influentem, tàm in actum, quàm in deformitatem actus.

118 *Responsio, quæ posset adduci ex Suario.*

Nõ potest per talem respõsionẽ defendi Deus.

91 Amplius vellem discere: cur Deus adimplens munus primæ causæ (de cuius ratione est, quòd in agendo ad extra sit libera) euadat necessitatus, & (vt loquitur Ruiz) compulsus, & quasi coactus, dum concurrit in actum peccati. Dum verò cõcurrit in actum honestum, euadit agens ex sua libera voluntate, nulla necessitate, nulla compulsione, nulla quasi coactione inductus? Num circa actus honestos non adimplet munus primæ causæ; aut ex eodẽ munere primæ causæ minus tenetur ad influẽdum in actiones honestas, quàm in prohibitas? Si ergo vt adimplieat munus primæ causæ, talique ex munere tenetur influere in actiones honestas potiùs, quàm in malas; cur non dicemus, Deum non ex propria voluntate; sed ex vi generalis necessitatis causæ primæ, & compulsum proprio munere, influere in actionem honestã, sicut hoc dicitur, dum influit in actionẽ peccatiã Cur ista causalitas agẽtis liberrimi dicitur ex vi necessitatis generalis, & cõpulsa munere primæ causæ; aliæ verò causalites in alias actiones, ad quas etiam Deus tenetur concurrere ex eodem munere, non sunt ex

119 *Impugnatur respõsio.*

Digitized by Google

vi necessitatis generalis; & compulsæ? Et si ista est ex vi generalis necessitatis cõpulsa; cur nõ dicemus, Deum ex vi generalis necessitatis, & compulsum proprio munere influere, tam in actum, quàm in actus deformitatem? cur ista compulsio, quæ influentiam in actum peccati non impedit; sed seminoluntariam reddit, non poterit similiter seminoluntariam reddere; non autem impedire causalitatem, in ipsam actus deformitatem?

120 *Responsio rectionũ.* 92 Si dicas cum Suario, & alijs, quod Deus vellet, & cupit influere in actum bonum; odit autem influere in actum malũ; & ideo non ex libera voluntate. Tunc primò inquiro: qualiter in aliquo vero sensu dici potest, quòd Deus odiens influat bonum esendi ei, quod odit; maximè cum scriptura clamet. *Sap.* 11. 23 *Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Secundò peto. An ista velleitas influendi in actum bonum, & nolleitas influendi in actum malum, tollat liberam illam promptitudinem, seu paratam voluntatem ad concurrendũ indifferenter in actum bonum, & malum, quæ idem est, quod oblatio concursus indifferentis? Si ergo non tollit. Quæro iterum. An causalitas Dei in actiones nostras proueniat ab illis velleitatibus, & nolleitatibus; an verò à voluntate diuina offerente concursum sub indifferentia, quæ de conditionata transit in absolutam, posita cõditione determinationis volũtatis creatæ? Cur ergo dicemus Deum causare actum bonum ex sua libera voluntate; actum verò malum nõ ex sua libera voluntate; cum tamen influentia, & causalitas in vtrumq. actum procedat ab eadem libera voluntate, qua libere offert suum concursum indifferenter?

Impugnatio.

Quòd autẽ ex ratione determinationis prouenientis à voluntate creata, non possit haberi immunitas Dei à causalitate peccati, iam sup. num. 64. & 66. huius §. probauimus.

221 93 Denique si tertium cõsiderabimus, multò magis constabit hoc, quod intendimus. Nam si Deus, sciens de qualibet voluntate creata, quòd si collocaretur in his circumstantijs, & auxilijs, se determinaret in opus prohibitum: si verò in alijs, se determinaret in opus honestum; vult aliquando ex sua libera voluntate eam collocare, non in illis circumstantijs, sub quibus scit, quòd se determinaret in opus honestũ; sed potius in illis, in quibus scit, quòd se determinabit in opus prohibitũ. Tunc nullã possumus habere rationem, cur minus sit referenda in Deum, vt in causam, malitia actus peccati; quàm bonitas operationis honestæ. Non enim potest dici, quòd collocatio voluntatis in circumstantijs, in quibus scitur determinatura se in opus bonũ, & vitatura opus prohibitũ, sit ex libera voluntate, & quòd nõ sic fit collocatio in circumstantijs, in quibus scitur peccatura. Quia vtraque supponitur esse ex mera, & simplici Dei libera voluntate.

222 *Si Deus p collocationẽ volũtatis in circumstãtijs est causa bonitatis: per eandẽ debet esse causa malitiæ.* 94 Amplius. Secundũ Auctores prædictæ responsionis, Deus dum collocat volũtatem in illis circumstãtijs, sub quibus scit, eam determinaturã se in opus honestũ; id facit ex speciali benevolentia, qua prosequitur talẽ voluntatem. Nam sciens, quòd si eam collocaret in alijs circũstantijs, peccaret: voluit tamen non in illis; sed in istis eam collocare, sub quibus scit eã esse operaturã opus honestũ. Et sic quia Deus ex sua libera voluntate, & speciali benevolẽtia collocauit voluntatẽ, non in circumstãtijs, sub quibus eam sciebat peccaturã; sed in quibus sciebat eam operaturã opus honestũ, dicitur specialis causa donans nobis bona opera, & protegens, & liberans nos à malo. Verùm si ita est. Cur simili modo nõ possumus dicere? Quia Deus, sciens quòd si voluntas collocaretur in illis circumstantijs liberaret se à peccato operãs bonũ; si autem in istis amplecteretur opus malum, ruens in peccatum; voluit tamen ex sua libera voluntate eam collocare, non illis, in quibus se liberabat à malo, agendo opus bonum; sed in istis, in quibus ipsemet Deus sciebat, eam prolapsuram in malum culpæ amplectendo opus prohibitũ. Ideo Deus sit ex speciali odio, quo prosequitur talem volũtatem, specialis causa inferens eam in malum culpæ, cuius esset specialis liberator, si eam maluisset collocare in alijs circumstantijs? Cur collocatio in circumstantijs cum præscientia, quòd voluntas erat operatura bonum, facit Deum collatorem bonitatis, amatoremque animę, quã in talem infert bonitatem: collocatio verò in circumstantijs cum præscientia, quòd erat prolapsura in malum, non facit Deum collatorem malitiæ, odientemq. animam, inferentemq. eã in malitiã? Cur prior collocatio causa boni, & tã immensa Charitas; posterior verò nõ odium, & causa mali; cum tamen sicut illa in bonum, sic ista ducat in malum?

223 95 Ergo vel dicẽdũ est; q̃ dũ Deus collocat voluntatẽ in circũstantijs, sub quibus scit, eam nõ esse cõsensurã peccato, & operaturã opus honestum, non refunditur in Deũ (vt in causam ex speciali benevolẽtia præseruantẽ à malo, & inducentẽ in bonũ opus) quòd ipsa voluntas nõ fit inducta in opus malũ, & perducta ad opus honestũ: vel dicẽdum est, quòd dum Deus collocat voluntatẽ in circumstantijs, sub quibus scit

eam

eam contempturam opus bonũ, & operaturã opus prohibitũ, reducatur in Deum, vt in causam ex speciali odio inducentem in malum; quòd voluntas sit neglecta opus bonum, & inducta in opus prohibitum, quod nefas est dicere. Etenim vtrumque eodẽ modo prouenit ex illa positiua collocatione voluntatis in circumstantijs, facta ex libera Dei voluntate cum præscientia futuri. Propter hoc autem, quod Deus collocat eam in circumstantijs, sub quibus scit, eam esse operaturam bonum, dicitur perducere voluntatem in bonum, & causa quòd ipsa sit bona. Ergo propter hoc q Deus collocat eam in circumstantijs, sub quibus scit esse operaturam opus malum, dicetur perducere eam in malum, & causa quòd sit mala. Cur non?

Atq; hæc sint satis ad aliqualiter ostendẽdum, quòd per primã illam responsionem relatam num. 52. huius §. non habent hi Recentes verum principium, vnde originatur peccatum, ex quo possint saluare, esse à Deo, vt à vera causa, totam entitatem actus peccati; non autem ab eo esse eius deformitatem, seu Deũ esse quidem causam totius entitatis illius actus, cui est inseparabiliter connexa deformitas peccati; non autem causam deformitatis. Nunc videndum est breuiter; An saltem secunda responsio, ibidem allata, afferat sufficiens principium seruandi Deum immunem à deformitate peccati.

Alia responsio Suarij impugnatur; quia incidit in idem inconueniens: quia non cohæret cũ Doct. D.T. quia nõ est aportunum medium ad defendẽdam fidem.

124 *Si propter separabilitatẽ malitiæ ab entitate actionis Deꝰ nõ est causa malitiæ: propter separabilitatẽ moralis bonitatis ab eadem actione, Deus non esset causa bonitatis.*

96 VErùm eam responsionem non attulisse verum principium soluendę quæstionis, constare potest. Primo, quia incidit in idem inconueniens inculcatum contra præcedentem responsionem. Nam si diuina influentia, seu concursus in actum peccati, ideo non reddit Deum causam deformitatis; quia tota entitas actus, prout attingitur per talem concursum à Deo, potest esse, & separari à malitia morali: vt si homo cum ignorantia inuincibili, & inaduertentia naturali eundem actum realem haberet, & Deus eundem numero influxum præberet, vt inquit Suarius; sequitur, quod; quia actus virtutis moralis puta, obedientiæ, &c. deberet posse quantum ad suam entitatem realem separari à ratione virtutis moralis, si simili modo per inaduertentiam, vel ignorantiã produceretur, Deo dante eundem numero concursum; non posset ex consequẽti Deus dici causa moralis virtutis; vnde sicut dicitur non esse à Deo inobedientia mandatorum; ita posset dici non esse à Deo eorumdem obedientia. Vel si non obstante tali separabilitate, adhuc in Deum resunditur, vt in causam, obedientia: separabilitas ista entitatis actus à deformitate morali non poterit esse sufficiens principium non reducendi in Deum deformitatem peccati inobedientiæ.

97 Secundò. Quia secundùm S. Tho. in hac quæstione non intendimus seruare immunem Deũ à causalitate malitiæ; quia actus effectus Dei, numericè sumptus, est separabilis à malitia; sed quia, esto sit inseparabilis, & consequens ipsam essentiam, vel genericam, vel specificam actus (vt ex S. Th. supponimus) adhuc Deus causat entitatem actus, & non malitiam. Et notanda sunt verba D. Tho. in secundo sent. dist. 37. quæst. 2. art. 2. vbi quintum argumẽtum proponit, & soluit vt infra. *Rei nõ assignatur causa efficiens, secundum quod est in intellectu: sed secũdũ quod in re. Sed quidã actus sũt, in quibus nõ potest separari illud, q̃ est de natura actus à deformitate; nisi secundũ intellectũ; quia benè fieri nõ possunt. Ergo nõ causantur, nisi secundũ quod fiant sub illa deformitate: sed vt sũt sub deformitate nõ sunt à Deo. Ergo nullo modo à Deo sunt.* Sequitur responsio. *Ad quintum dicendum. Quod sicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona, inquantum est actio bonitate naturæ, non propter hoc, quod aliquando inueniatur separata à deformitate; sed quia bonitas illa naturæ deformitati subsitat: ita etiam Deus dicitur esse causa illius actionis, in quantum est actio; & non inquantum est deformis; non hoc modo, quod actionem faciat à deformitate separatam; sed quia in actione deformitati coniuncta, hoc, quod est actionis, facit: & quod deformitatis, non facit. Et si enim in aliquo effectu plura inseparabiliter coniuncta sunt; non oportet, vt quicquid est causa eius quantũ ad vnum, sit causa eius quantũ ad alterũ, sicut natura est causa oculi quantum ad substantiã eius; & nõ quantum ad defectũ cæcitatis, quæ ex naturę defectu incidit.*

125 *Nõ propter separabilitatem deformitatis ab actione; sed propter aliud principium Deus nõ est causa deformitatis.*

Verba D. Thomæ.

Cõcedit S. D. inseparabilitatẽ deformitatis ab actione peccati: negat tamen Deum esse causam deformitatis

126

Hæc S. Doct. in quibus, vt vides proponit obiectionem de inseparabilitate reali deformitatis à quibusdam actibus peccatorum. Soluit autem, non negando hanc inseparabilitatem; sed ea concessa. Non oportet ergo recurrere cum Suario ad realem separabilitatem entitatis actus à deformitate, ad defendendum Deum immunem à causalitate deformitatis.

98 Tertiò. Quia, quod Deus non sit causa peccati, vt peccatum est, seu quantum ad deformitatem, est de fide. Ad defendendas autem propositiones de fide

Digitized by Google

non est expediens medium recurrere ad inueniendas opiniones, contra quas maior pars Doctorum putat demonstratiuè procedere; sicut de facto est prædictum refugium, vt alio oportuniori loco ostendemus. Et hęc satis sint de hac digressione.

ORDO DICENDORVM.

Circa Tertium principale agendum.

1 1 POstquam ex S. Tho. doctrina, quam §. 2. & 3. proposuimus, vt fundamentum, & radicem Resolutionis dubij propositi in hoc Tract. exclusimus modos dicendi Recentiorum; debemus nunc ex eadem S. D. Doctrina explicare, & deducere veritatem nostræ resolutionis stabilitæ §. 1. num. 2. & 3. Diximus autem num. 7. eiusdem §. exemplum de tibia curua, rectè mota à virtute gressiua, habere paritatem ad explicandum modũ, quo Deus, mouens voluntatem nostram, causa est, à qua procedit tota entitas actionis peccaminosæ; non verò à qua procedit deformitas eiusdem. Idque probauimus euidenter ex verbis S.D. relatis §. 2. num. 3. Adhuc tamen tenemur explicare, quomodo, & per quid voluntas nostra fit habens, vel non habens dispositionem debitam, seu rectitudinem, per quam formaliter fit habens, vel non habens debitum ordinem ad recipiendam influentiam diuinæ motionis. Scimus sanè tibiam habere dispositionem debitam, ad recipiendã rectitudinem motus à virtute gressiua, per rectitudinem: per curuitatem verò carere dicta dispositione, fierique non idoneam ad eiusdem motus rectitudinem. Vnde & ipsa tibia ob curuitatẽ, quam habet, incidit in motum obliquũ claudicationis; cum tamen esset mota rectè à virtute gressiua. Propter quod deinde est, quòd tota substantia motus claudicationis reducitur in virtutẽ gressiuam, vt in causam, non autem defectus claudicationis.

Hoc ergo circa allatam nostram Resolutionem explicare tenemur: quomòdo, & per quid nostra voluntas fit formaliter habens, vel non habens rectam dispositionẽ, seù rectitudinem in ordine ad diuinã motionem; ex qua possit deinde prouenire, quòd mota à Deo semper in rectum, ipsa non semper in rectum se moueat; sed aliquando obliquè, agendo actionem deficientem à rectitudine rationis, quæ est actio peccati. Adhoc autem explicandum, sic procedemus.

Primò inuestigabimus: quibus actionibus voluntas possit, & quibus nõ possit peccare: idque præstabimus §. 5. 6 7. & §. proximè sequentibus.

Secundò ex dictis eliciemus, quæ nam sit recta, & quæ obliqua, seu curua dispositio voluntatis: idque explebimus §. 9.

Tertiò deducemus explicationem eorũ, quæ ad nostram Resolutionem dilucidandam, nobis remanserant explicanda §. 1. num. 7. idque perficiemus §. 10.

Quartò tandem deducemus aliqua corollaria, quibus nostra Resolutio fit euidentior.

§. V.

Explicatur in quibus actibus voluntatis possit, & in quibus non possit esse peccatum, seu deformitas culpæ.

1 1 VT mentem S. Doctoris circa hunc punctum aperiamus, cõsideranda est in primis ipsius doctrina, qua sæpissimè docet, quòd voluntas nostra per hoc mouet se ipsam illo modo motionis, quo mouet alia, quòd ex volitione finis reducit seipsam ad volendum aliquid aliud propter finem. Hinc p. 2. quæst. 9. art. 3. probat voluntatẽ mouere seipsam sequenti discursu. *Dicendum* (inquit) *quòd sicut supra dictum est, ad voluntatem pertinet mouere alias potentias ex ratione finis, qui est voluntatis obiectum; sed sicut dictum est, hoc modo se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus. Manifestum est autem, quod intellectus per hoc, quod cognoscit principia reducit seipsum de potentia in actum quantum ad cognitionem conclusionum, & hoc modo mouet seipsum. Et similiter voluntas per hoc, quod vult finem, mouet seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem.* Hæc S. D. quæ breuiter repetit sequenti art. 4. eiusdem quæst. inquiens. *Et quidem, sicut dictum est, voluntas mouet seipsam, inquantum per hoc, quòd vult finem, reducit seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finẽ.* Quam doctrinam repetit etiam quæst. 6. de malo in corpore art. vnici, & alibi frequenter. D. Tho. *Volũtas se ipsam mouet, inquãtũ ex volitione finis reducit seipsã ad volẽdum ea, quæ sunt ad finem.*

Consideranda est, inquam, prædicta doctrina ad explicandam mentem S. Tho. circa punctum quem inuestigamus: ex ea enim in primis euidenter habes, quod voluntas in mouendo seipsam, procedit simili modo, quo intellectus in acquirendis scientijs, sicut enim intellectus ex assensu principiorum per discursum se reducit in assensum cõclusionum, & sic mouet seipsũ, reducendo se de potentia in actum: ita voluntas ex volitione finis procedit ad volendum aliquid propter finẽ, & sic mouet seipsam,

Digitized by Google

seipsam, reducendo se in actum volendi illud, quod solùm erat potentia volitum. Et inde etiam secundò

129 *Sicut in processu, quo intellectus seipsũ mouet, nõ põt dari processus in infinitũ; ita nec in processu, quo voluntas seipsã mouet.*

2 Considerandum est, quòd sicut in intellectu, si principium, vnde incipit processus, non est per se notum, illud non potest esse primum principium, & immediatum; sed in assensum illius ducitur per aliũ processum quo ratio seipsam ducit in talẽ assensum ex alio priori principio. Et idem facit circa istud, vsque quò perueniat ad principium per se notum, quod est primũ & immediatum; in quod scilicet assentit sine discursu per habitum naturalem primorum principiorum, seu cognitis terminis. Quod quidem necessarium est (vt probat Aristoteles) ne daretur processus in infinitum in resolutionibus conclusionum. qui, si daretur, nullus esset certus, & scientificus assensus in intellectu. Ita in voluntate, si principium, seu finis volitus, vnde procedit voluntas ad reducendum se in volitionem eius, quod est ad finem, non est per se volitum, seu non est primum principium omnium volibilium, puta vltimus finis; oportet, quòd voluntas ad illud volendum se moueat ex aliquo priori volito per aliũ processum appetitiuum, & ita fiat assensus ad primum volitum, seu vltimum finem, in quem voluntas fertur sine processu appetitiuo, ex sola naturali inclinatione, seu per instinctum naturæ sibi collatum ab ipso authore naturæ.

Hinc S. Doct. p. 2. q. 9. art. 4. in corp. post verba illa proxime relata, puta, voluntas *mouet seipsam in quantum per hoc, quod vult finem, reducit seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem.* Sic subiungit. *Hoc autem non potest facere, nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare, quomodo hoc consequi possit, & per talem cogitationem peruenit ad hoc, quod potest sanari per medicum, & hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est, quod inciperet velle sanari ab aliquo mouente. Et si quidem ipsa moueret seipsam ad volendum, oportuisset, quòd mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsupposita. Hoc autem non est procedere in infinitum. Vnde necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis voluntas procedat ex instinctu alicuius exterioris mouentis.* Hæc S. Doctor.

130 *Vt intellectus firmiter assentiat alicui cõclusioni sufficit procedere, vel ex principio aliàs demonstrato, vel cognito ex diuina reuelatione.*

3 Vbi aduertendum est, quod sicut intellectus ad hoc, vt firmiter assentiat alicui conclusioni, tunc solùm cogitur expresse ascendere ad principium per se notum, quando ascendendo non peruenit ad aliquod principium, à se demonstratum, vel cognitum per aliquam superiorem illuminationem, quàm sit illuminatio procedens per intellectum agentem, à qua procedit clara notitia primorum principiorum. Nã cum primùm ascendendo intellectui occurrit, vel principium aliàs demonstratum, vel aliquod diuina reuelatione specialiter cognitum, tunc intellectus adhæret firmiter conclusioni, & cessat vlterius inquirendo ascendere. Verùm attendenda est hic quædam differentia. Nam quando principium est notum per diuinam reuelationẽ, potest obtinere locum primi principij. Intellectus enim ratione superioris luminis potest se habere ad illud particulare reuelatum, sicut se habet ratione luminis habitus principiorum naturalium ad principia per se nota, vt patet in nostra Theologia. At verò quando principium occurrens est aliàs demonstratum, non potest habere locum primi principij; sed ipsum in quantum continet virtutem principiorum, ex quibus fuit demonstratum, determinat intellectum ad assensum conclusionis.

131 *Applicatur exẽplũ ad propositum.*

4 Ita voluntas, ad hoc vt eligat, tunc solum cogitur explicitè procedere ex appetito vltimi finis, & ex ipsa ratione boni communis; quando non habet appetitum alicuius particularis boni, cui consentit per diuinum instinctum Deo solo mouẽte voluntatem ad appetitum talis particularis boni, vel cui priùs non conseserat ex desiderio superioris finis. Si enim ponatur, voluntas habere appetitum alicuius particularis boni, quod voluntas ipsa determinauerat appetendum esse ex appetitu vltimi finis, siuè mediatè, siuè immediatè; talis appetitus mouebit voluntatem virtute omnium superiorum finium; etiam si nihil actu cogitetur de superioribus finibus. Sicut principium demonstratum mouet intellectum virtute principiorum, ex quibus fuit demonstratum; etiam si intellectus actu non cogitet de superioribus principijs. Quando autem hoc modo voluntas se mouet, poterit procedere ex appetitu proximi finis, & ex ratione particularis bonitatis, quæ in proximo fine inuenitur. E. g. ponè finem vltimum esse sanitatem; medium verò electum ad sanitatis finem esse recreationem animi, vel musicum cantum; poterit iste, qui iam elegit ad sanitatem habendam recreationem, & cantum, cogitando de solo cantu, & recreatione, ex bonitate inuẽta in cantu, procedere ad eligenda talia instrumenta, & c. quæ magis delectant, nil cogitando de sanitate. Vt docet S. Doctor p. 2. quæst. 1. art. 6. ad 3. & alibi sæpe.

132

5 Et similiter, si ponamus voluntatem ex diuino instinctu motam ad diligendum Deum, vel aliquod aliud particulare bonũ; tunc voluntas poterit se mouere ex ratione par-

particularis boni, Deo inclinante voluntatem in particulare bonum, ſicut illam inclinauit in vltimum finem. Et tunc talis inſtinctus Dei poterit obtinere locum, quaſi primi principij, vt diximus de intellectu perfuſo lumine fidei, quando procedit ad cognoſcēdas veritates Theologicas.

123 *Dantur in voluntate actus, quibus mouetur voluntas à ſeipſa. Et dātur actus, quibus nō à ſeipſa; ſed tātū à Deo.*

6 Suppoſito ergo, quòd voluntas ſupradicto modo ſe ipſam mouet; iam dari debent in voluntate mouente ſeipſam aliqui actus, quibus voluntas mouetur à ſeipſa, (vt ſūt omnes actus perfectę electionis, ſupponentes determinationem conſilij, ſeu diſcurſus practici noſtræ rationis) & aliqui, quibus voluntas eſt tantùm mota à Deo, ſiuè in bonum commune, & vltimum finem; ſiuè in aliquod particulare bonum. Et iſti actus, ſeù motus ſunt appetitus vltimi finis, & appetitus aliquorum particularium bonorum, in quæ Deus, velut agens quoddam ſpeciale, immediatè mouet voluntatem. Quo ſuppoſito

Concluſio.

134 *Actꝰ peccati nō eſt ex illis, quibus volūtas mouetur mota im à Deo.*

7 DIco, quòd eſt impoſſibile, actum peccati eſſe ex illis, in quos voluntas prodit, vt mota tantùm à Deo, ſiuè vt generali, ſiuè vt ſpeciali motore; ſed neceſſariò, & indiſpenſabiliter quilibet actus peccati erit ex illis, in quos voluntas prodit, vt mota etiam à ſeipſa.

Salmātic.

Hanc concluſionō docent Salmāticenſes trac. 7. de Angelis diſp. 11. dub. vnico num. 23. Docēt etiam eam Martinez Caietanus; & alij. Et nouiſſime Ioannes à S. Thoma 1. p. quæſt. 59. diſp. 23. art. 2. num. 41. & deinceps, vſque ad finem articuli, præſertim num. 44. 45. & 46.

Mart. Caietan. Io. à S. Thom.

Probatur Concluſio auctoritatibus S. Doctoris.

135

8 PRobatur in primis ex Diuo Thoma, qui prima ſecundæ quæſtion. nona, articulo ſexto, tertio loco tale ſibi propoſuit argumentum. *Deus non eſt cauſa niſi bonorum, ſecundum illud Geneſis, primò. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Si ergo à ſolo Deo voluntas hominis moueretur; nūquam moueretur ad malum. Cum tamen voluntas ſit, qua peccatur, & rectè viuitur, vt Auguſtinus dicit.* Reſpondet autem vt infra.

Verba D. Th. pro noſtra concl.

Ad tertium dicendum, quòd Deus mouet voluntatem hominis, vt vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum; & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum: ſicut in his, quos mouet per gratiam, vt infra dicetur. Hæc D. Th. in reſponſione, quæ continet concluſionem noſtram; quoad omnes partes.

136 *In dicta authoritate habētur quattuor, exquibꝰ infertur cō cluſ.*

9 In primis, ergo habes, quòd Deus vt vniuerſalis motor mouet voluntatem ad eius vniuerſale obiectum, quod eſt bonum. Habes ſecundò, quòd motio à Deo habita, ſine qua volūtas creata non poteſt aliquid velle, eſt iſta, qua voluntas à Deo mouetur in vniuerſale obiectum; puta bonum commune. Habes tertiò, quòd homo per rationem ſe determinat ad aliquod particulare bonum volendum, ſiuè verum, ſiuè apparens. Habes quartò, quòd Deus interdum mouet voluntatem ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum. Habes quintò, quod per hæc ipſa, quæ adnotata ſunt ſoluitur argumentum propoſitū. Ex quibus omnibus habes expreſſam in *D. Thoma* noſtram concluſionem, quoad omnes partes.

137 *Motꝰ, quo voluntas mouetur à Deo vniuerſali motore in obiectū vniuerſale voluntatis.*

10 Conſidera, quid intelligit S. D. nomine illius motionis, qua voluntas mouetur à Deo, vt vniuerſali motore in obiectū vniuerſale ipſius met voluntatis; ſine qua motione voluntas non poteſt aliquid velle. Id enim in primis debet eſſe aliquis motus receptus in voluntate. *Actus enim mouentis in mobili eſt motus*, vt inquit S. D. p. 2. q. 110. art. 2. in corp. Præterea per iſtum motum volūtas mouetur in obiectum vniuerſale, puta bonum, vt ſic, ſcù vniuerſaliter ſumptum. Inſuper voluntas tali motione mota ſe determinat per conſilium rationis ad particulare bonum, aliquando verum; aliquando apparens. Et inuenies quòd nomine prædictæ motionis, nihil aliud potuit intelligere; quàm actum, ſeù motum volitionis boni communiter ſumpti; in quem motum, & actum voluntas prodit mota à Deo authore eiuſdem volūtatis. Si quidem illa tria nulli alteri motui conuenire poſſunt. Vt optimè ad prædictam reſponſionem adnotat Caietanus dicens:

138 *Cōfirmat. ex Caiet.*

11 *Aduerte ſecundò, quòd in reſponſione ad tertium habetur, quòd Deus non ſolum potentiam voluntatis dat; ſed actum volendi clauſum in omni actu volendi; ipſam, ſcilicet volitionem boni. In omni enim volitione, hac volitio clauditur, vt principium in concluſione. Et propterea in litera dicitur; quòd ex hac volitione voluntas per rationem determinat ſe ad hoc, vel illud bonum, verè, vel apparenter; & ſine illa præſuppoſita volitione nihil omnino velle poteſt; ſicut nec ſine principiorū cogni-*

Digitized by Google

cognitione intellectus aliquid nosse potest. Et hæc volitio est illa, ad quam dictum est, voluntatem moueri ab alio, etiam quòad exercitium actus. Secundum hanc enim fertur actu in finem, & ex hac vult, quicquid vult. Hæc Caietan. valdè notanda. Excludes obiter ex prædicta auctoritate D.Thomę opinionem Aluarez. Si quidem illa motio Dei vniuersalis mouentis, sine qua voluntas non potest aliquid velle, non est illa motio prædeterminans ad particularem actum bonum; vel etiam malum, quantum ad substantiam actus. Vult enim S.Doctor, quòd voluntas, mota à Deo hac motione, ab ipso procedente, vt ab vniuersali motore, se determinat per rationem ad bonum particulare, siuè verum, vt cum non peccat, siuè apparens, vt cum peccat.

Motio Dei vniuersalis mouentis non est illius cõditionis, cuius est illa, q̃ ponit Aluarez.

Si diuina motio haberet munus p̃determinãdi ad particulare actũ, S. Doc. nõ solueret arg.

Præterea: Si motio diuina haberet munus prædeterminandi ad actum particularem, D.Thomas non soluisset argumentum; sed efficacius reddidisset. Siquidem si sine motione *Dei* vniuersalis motoris, non potest voluntas aliquid velle, vt dicit S. Doctor in responsione, & motio Dei vniuersalis motoris esset illa particularis motio, qua mouetur ad volendum bonum apparens: iam voluntas sine tali Dei motione non posset velle tale bonum apparens. Quomodo ergo poterit esse peccatum, & malum in tali actu, in quem mouetur à Deo, cum Deus non sit causa nisi boni? Quid posset valere doctrina respõsionis ad solutionem argumenti? Sed de hac re agemus in secunda parte huius tractatus.

139 12 Deinde considera qualiter per ea, quæ S. Doctor in responsione docet, soluatur argumẽtum, cuius verba in hunc finem retulimus, vt facile possis ei applicare responsionem. Argumentum ducit ad impossibile, & à destructione consequentis infert oppositum antecedentis, hoc modo, videlicet. Si voluntas moueretur à solo Deo, numquam moueretur ad malum; sed aliquando mouetur ad malum, vt dum peccat. Ergo voluntas non mouetur à solo *Deo*. Maiorem probat ex eo, quod Deus non est causa, nisi bonorum. Ex quo infert, quod motus ille voluntatis, quo voluntas mouetur à solo Deo, non potest esse nisi bonus. Nũquã ergo volũtas moueretur ad malum, si à solo *Deo* moueretur.

140 *Resp. S.D. applicatur arg. in forma.*

13 Respondet S. Doctor per ea, quæ adnotauimus n.8.& 9. huius §.& sic in forma adaptatur responsio ad argumentum. Concedo, quòd si voluntas moueretur à solo Deo, numquam moueretur ad malum. Sed voluntas non semper mouetur à solo Deo, sed aliquando mouetur etiam à se ipsa; & tunc quandoque mouetur ad malum. Mouetur enim à solo Deo, vt ab vniuersali motore ad vniuersale obiectum. Et quando sic mouetur, mouetur ad bonum. Quia vniuersale obiectum voluntatis est bonum. Cœterum voluntas mota à Deo in bonum, *Sine qua motione non potest aliquid velle*, ipsa per rationem se determinat ad hoc, vel illud particulare bonum verè, vel apparenter: & tunc quandoque peccat. Et interdum etiam voluntas mouetur à solo Deo, vt à speciali motore ad aliquid particulare volẽdum: & hoc etiam est bonum. Hoc & nihil aliud intendit S. Doctor in prædicta responsione. Quod euidenter continet nostram conclusionem quoad omnes partes. Siquidem concedit, quòd quoties volũtas mouetur à solo Deo, siuè vt generali, siuè vt speciali motore, mouetur in obiectum verè bonum, & quòd tunc solùm mouetur ad malum, seu apparenter bonum, quando mouetur à seipsa.

Cõtinet nostrã concl. quoad oẽs partes.

141 *Mot', quo mouetur voluntas in vniuersale obiectũ, nõ potest esse malus. Demõstratio S.Th.*

14 Præterea, quod actus ille, quo voluntas mouetur à Deo in suum vniuersale obiectum, puta appetitio, seu volitio boni, vt sic, nullo modo sit malus: demonstrat S.Doctor multoties agitans illam quæstionem. *An Demones sint natura mali.* Sed 1.p.quæst.63.art.4. probat tali ratione. Ille motus, seu actus voluntatis, qui tendit in bonum, quod nullam habet adiunctam priuationem boni, nec etiam per accidens, tendit in malum. Sed prædictus actus voluntatis tendit in bonum, quod nullam habet adiunctam priuationem boni. Ergo nullo modo, nec etiam per accidens, tendit in malum. Et sic non potest esse nisi bonus. Maior patet, quia per hoc appetitus alicuius boni inuenitur per accidens appetitus mali: quia tale bonum inuenitur coniunctum cum priuatione alterius boni, quod conuenit appetenti. Minor etiam patet. Nam bonum, vniuersaliter sumptum, nullum habet adiunctum malum; & prædictus actus tendit in bonum vniuersale. Hæc demonstratio est euidentissima. Vide tamen, si placet, alias rationes, quas ad hoc propositum affert S. Doct. lib. 3. cõtra gen. cap. 107. & de malo quæst. 16. art. 2.

§. VI.

Conclusio Probatur Rationibus.

142 15 QVòd autem illi actus, quibus voluntas vult aliquod particulare bonum, vt mota à solo Deo, vt speciali motore, non possint esse peccata; seu quòd non est possibile, vt voluntas peccet illo actu, & motu, quo mouetur à solo *Deo* ad aliquod particulare bonum appetendum, probari potest multipliciter ex principijs D. Thomæ, scilicet ostensiuè,

&

& ducendo ad impossibile.

146 *Rō prima ostēsiua ex eo, ꝙ bonū, in ꝙmouet Deus, vt ſpecialis motor, non pōt nō eſſe cōforme rō ni rectę.*

16 Primò sic. Bonum illud particulare, in quod voluntas fertur, vt inclinata, & mota à solo Deo, non potest esse; nisi verè bonū, & conforme rationi rectæ, & regulis legis diuinæ. Ergo motus, & inclinatio volūtatis motæ à solo Deo non potest esse peccatum. Patet consequentia. Quia peccatum est motus, seù actus voluntatis tendentis in aliquod particulare, non verè, sed apparenter bonum, non conforme; sed dissonū rationi, &c. Antecedens probatur. Quia tunc voluntas fertur in aliquod particulare bonum, vt mota à solo Deo, quando fertur in aliquod iudicatum bonum, non per consilium rationis applicatæ à voluntate ex priori volitione præsuppositа; sed applicatæ ad sic iudicandū speciali modo à *Deo*. Sed quod est iudicatum bonum ab intellectu moto specialiter à Deo ad sic iudicandum, non potest esse nisi verè bonum, & conforme rationi rectæ, & legi diuinæ. Ergo illud bonum in quod voluntas fertur, vt mota à solo Deo, non potest esse, nisi verè bonum, & conforme rationi rectæ, &c. Maiorem docet expresè ex Diuo Thoma Caietanus prima secundæ quæstione 111. articolo secundo, ad quem te remitto. Minor verò nunc probatur. Intellectus enim per se, & directè non mouetur, nisi ab illuminante ipsum ad cognitionem veritatis; vt inquit S. Th. p. 2. q. 80. artic. 2, in principio corporis. Præcipuè autem hoc est verum de *Deo*, qui est lux, & veritas. Hinc psalmista psal. 4. multis interrogantibus, & dicentibus. *Quis ostendit nobis bona?* Respondet. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Lumen ergo vultus Domini, mouentis intellectum, ipsum mouet ad cognoscendum id, quod verè bonū est. Non enim Deus mouendo intellectum, ipsum obtenebrat; vt intelligendo decipiatur. Id enim est opus Diaboli, vt notauit ipse met D. Th. loco proximè citato. Illud ergo, quod intellectus noster indicat bonum, & ad sic iudicādum est specialiter motus à *Deo*; non potest esse, nisi verè bonum conforme rationi, & legi diuinæ.

147 *Secūda rō ostensiua, Quia motꝰ, quo ſpecialiter mouet Deꝰ vo luntatē, nō pōt nō eſſe conformis naturali inclinatiōni.*

17 Secundò sic. Motus ille, seù actus, quo voluntas tendit in aliquod particulare bonum, *Deo* solo ipsam mouente, & inclinante in tale bonum, non potest esse, nisi motus conformis naturali inclinationi ipsius voluntatis; seù veluti naturalis inclinatio in illud particulare bonum, data voluntati ab ipso authore suæ naturæ. Ergo talis motus, & actus voluntatis non potest esse peccatum. Patet consequentia. Nam inclinatio conformis naturali inclinationi in bonum data ab auctore naturę non potest esse, nisi in illud, quod est verè bonum consonum naturæ; aliàs ipse auctor naturæ deciperetur in tribuendis inclinationibus naturalibus. Inclinatio autem in id, quod est verè bonum, & consonum naturæ voluntatis, non potest esse peccatum: cum motus voluntatis, qui est peccatum, sit contrarius naturali inclinationi ipsius voluntatis; vt ex Damasceno docet S. D. p. 2. q. 75. artic. 2. in 3. argumento, & in responsione ad idem. Et vniuersaliter de omni vitio, id docet ex Augustino eadem p. 2. q. 71. artic. 2. Sicut enim agens naturale, si sua actione producit effectum, in quē ex natura sua inclinatur, impossibile est, quòd habeat defectiuam actionem. Ita impossibile est, quòd voluntas habeat defectiuam actionem, dum mouetur in obiectum, in quod naturaliter inclinatur ab ipso auctore naturæ.

148 *Probatio antec. ex dicto Th.*

18 Antecedens docuit multoties D. Thom. dum per hoc probat, solùm Deum, nullumque agens creatum posse directè immutare voluntatem; quia operatio voluntatis, nihil aliud est, quàm inclinatio voluntatis in volitum: & immutare inclinationes naturales pertinet ad authorem naturæ. Hinc p. 1. q. 106. ar. 2. in corp. sic habet. *Ex parte ipsius potentiæ, voluntas nullo modo potest moueri, nisi à Deo. Operatio enim voluntatis est inclinatio quædam volentis in volitum. Hanc autem inclinationem solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturæ contulit; sicut & naturalem inclinationem solùm illud agens potest mutare, quod potest dare virtutem, quam consequitur inclinatio naturalis. Solus autem Deus est, qui potentiam volendi tribuit creaturæ.* Et lib. 3. cont. gent. cap. 88. ratione 3. sic habet.

19 *Sicut in re inanimata se habet inclinatio naturalis ad proprium finem, quę appetitus dicitur naturalis: ita se habet in substantia intellectuali voluntas, quæ dicitur appetitus intellectualis. Inclinationes autem naturales dare non est; nisi illius, qui naturam instituit. Ergo, & voluntatem inclinare in aliquid, non est, nisi eius, qui est natura intellectualis causa.* Hæc D. Thomas.

149 *Alius locꝰ D. Tho. ad idem.*

20 Ex quibus patet; quòd cum voluntas mouetur, seù immutatur à solo Deo specialiter in aliquod particulare bonum; ille motus est veluti inclinatio naturalis, voluntati data ab auctore naturæ. Ex quo sequitur euidenter; quod talis inclinatio non potest esse, nisi in id, quod est verè bonum, & voluntati consentaneum, cuius appetitus nullo modo potest esse peccatū voluntatis. Si enim appetitus bruticus particularis boni, etiam si sit coniunctum cum

aliquo

Digitized by Google

aliquo malo; non tamen est malum bruto, propter hoc solùm, quòd talem appetitum dedit auctor naturæ; vt ex Dionysio probat S. Doctor p. 1. q. 63 artic. 4. ad 3. dicens: *Animalia bruta secundum naturam sensitiuam habent naturalem inclinationem ad quædam particularia bona, quibus coniuncta sunt aliqua mala: sicut vulpes ad quærendum victum sagaciter, cui adiungitur dolositas. Vndè esse dolosum non est malum vulpi; cum sit ei naturale. Sicut nec esse furiosum est malum cani; sicut Dionysius dicit 4. cap. de diuinis nominibus.* Hæc D. Th. Multo ergo minus poterit esse malum voluntati, & peccatum appetitus particularis boni, in quod specialiter voluntatem inclinat auctor naturę.

150 *Prædictam veritatem cognouit Aristot.*

21 Cognouit veritatem hanc etiam Aristoteles solo lumine naturę ductus, quę citat D. Th. p. 2. q. 68. artic. 1. in fine corp. & sic habet: *Philosophus etiã dicit in cap. de bona fortuna: quòd his, qui mouentur per instinctum diuinum, non expedit consiliari secundum rationem humanam: sed quod sequantur interiorem instinctum: quia mouentur à meliori principio, quàm sit ratio humana.* Hæc D. Th. ex Aristotele. Si ergo secundum philosophum, his, qui mouentur per instinctum diuinum (sicut accidit, quando voluntas nostra mouetur à solo Deo) non expedit consiliari: sed expedit sequi diuinum motum absque consilio; non poterit in tali motu accidere malum, & peccatum. Nam si semel posset accidere malum, expediret consiliari ad vitandum malum; nec esset melius principium Deus, si ab ipso solo ducta, & mota voluntas humana in aliquod speciale bonum, illud esset sibi malum. Siquidem, quando voluntas ducitur à ratione humana; sic solùm potest incurrere malum. quòd ratio per consilium, vel errãs, vel non considerans ea, quæ considerare oporteret, dictat aliquid esse bonum, quod tamen non est sibi bonum; sed malum, puta priuans eam aliquo meliori bono. Per hoc, ergo voluntas, dum mouetur à Deo ad aliquod speciale bonum, dicitur moueri à meliori principio: taliter vt expediens non sit ei cõsiliari: quod illud bonum in quod mouetur à Deo, non est coniunctum cum aliquo malo; sicut accidit ei, quando mouetur per rationis consilium. Motus ergo, quo mouetur voluntas à solo Deo ad aliquod speciale bonum, non potest esse peccatum: Siquidem peccatum est motus voluntatis in bonum, cui per accidens est coniunctum malum bono rationis oppositum; vt ex D. Th. diximus in hoc §. num. 14.

Cũ voluntas mouetur diuino instinctu, nõ expedit cõsiliari.

22 Dices, prædictas rationes solùm probare, prædictos motus voluntatis, in speciale bonum, quibus voluntas mouetur à solo Deo, non esse peccata, quibus appetitur aliquod per se malum, falsò existimatum bonum. Non autem non esse peccata, quibus appetitur aliquod per se bonum; sed non cum ordine debitæ mensurę & regulæ; secundum quem modum, quando voluntas peccat, defectus inducẽs peccatum, non se tenet ex parte rei appetitæ; sed ex parte ipsius appetitus, non seruantis debitum ordinem, quando etiam non oportet, vt iudicium præcedens talem appetitum sic errans, & iudicans rem, non verè bonam, esse bonam; secundum doctrinam, Diuui Thomæ part. 1. quæstion. 63. articulo primo, ad quartum, vbi sic habet: *Peccatum mortale in actu liberi arbitrij contingit esse dupliciter: vno modo ex hoc, quòd malum eligitur; sicut homo peccat eligendo adulterium, quod secundũ se est malum, & tale peccatum, semper procedit ex aliqua ignorantia, vel errore, &c.*

151 *Obiectio.*

Peccatum mortale in actu libarbitrio cõtigit dupliciter. Verba S. Doct.

Alio modo contingit peccare per liberũ arbitrium, eligendo aliquid, quod secundũ se est bonum; sed non cum ordine debitæ mensuræ, aut regulæ; ita, quod defectus inducens peccatum sit solùm ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinem: sed non ex parte rei electæ. Sicut si aliquis eligeret orare, non attendens ad ordinem ab Ecclesia statutum. Et huiusmodi peccatum, non præexigit ignorantiam: sed absentiam solum considerationis eorum, quæ considerari debent. Hæc D. Tho. Sic ergo rationes prædictæ, cum procedãt ex eo, quod id, in quod mouet, & inclinat solus Deus, non potest esse malum: sed dumtaxat verè bonum, solum probant, quod talis motus, & inclinatio non potest esse peccatum, quo appetitur bonum apparẽs, quod est simpliciter malum: non autem probant, quod non potest esse peccatum, quo appetitur verè bonum; non cum ordine debitæ mensuræ.

23 Respondeo, quòd falsum est, prædictas rationes eo modo, quo propositæ sunt, probare solùm id, quod proponit obiectio: etiam si supponatur id, quod in supra posita auctoritate Diui Thomæ adducitur, quod qualiter intelligendum sit, ex infra dicendis in sequentibus paragraphis apparebit. Et insuper iam etiam in motibus prædictis, quibus voluntas mouetur à solo Deo ad appetendum aliquod particulare bonum, repugnat inueniri defectum prouenientem ex absentia considerationis debitæ. Si enim semel voluntas in motibus dictis nõ applicat intellectum

152 *Resp. ad dictam obiectionem.*

Digitized by Google

ad considerandum cõditiones obiecti; nec illi incumbit applicare intellectum ad prędictam considerationem: impossibile est, eam habere debitum considerandi circũstantias obiecti; dum à solo Deo mouetur in illud. Oportet ergo, quòd tale debitum habeat Deus, qui applicat intellectum in considerationem obiecti, in quod ipse solus mouet voluntatem. Impossibile est autem, Deum deficere in his, quæ debet. Nõ ergo erit possibile, hominem carere consideratione debita de particulari bono, quãdo à Deo solo mouetur ad appetendum tale particulare bonum.

Probatur ducendo ad impossibile.

153 *Quia Deus esset causa peccati.*

24 DVcendo ad impossibile. Probatur. Quia aliàs sequeretur, quòd defectus peccati in tali motu inuentus reducendus esset in Deum, vt in causam. Qd est impossibile. Sequela probatur, quoniã (vt supra notauimus ex *D. T. 1. p. q. 49. ar. 1.* in corp.) *In actione causatur malũ propter defectum alicuius principiorum, siue principalis agentis, siue instrumentalis.* Si ergo in tali motu, quo voluntas mouetur, non à seipsa, sed à solo Deo, esset malum; oporteret, quòd tale malum proueniret, vel propter defectum principalis agẽtis, vel instrumentalis. Respectu autem talis motus, principale agens, solus Deus est: instrumentale verò est solum iudicium intellectus, quo mediante Deus mouet voluntatem; voluntas autẽ respectu talis motus nõ habet rationem principij motiui; cùm seipsã non moueat; sed solũ est res mota. Sic ergo, si malum esset in prædicto motu illud deberet causari, vel propter defectũ solius intellectus, sic iudicantis de obiecto appetitus; vel etiam propter defectũ Dei mouentis voluntatem. Primum dici non potest; nam intellectus; quando mouetur à Deo, vt à speciali mouẽte, ad sic iudicãdũ, non potest habere defectum, qui possit reduci, vt in principium, in defectum ipsius solius intellectus. Remanet ergo, quòd malum inuentum in prædicto motu, quo voluntas non à seipsa; sed à solo Deo mouetur, reducendum esset in defectum mouentis Dei.

154 *Intellectus mot⁹ ad iudicãdum à Deo, vt speciali motore, non hẽt defectũ in iudicando.*

25 Quòd autem intellectus; quando ad iudicandum de obiecto est applicatus à Deo, vt à speciali mouente, nõ possit habere defectum in iudicando de tali obiecto, qui possit reduci solùm in ipsum intellectum: patet. Nam iste defectus consisteret, vel in eo, quòd iudicaret bonum id, quod secundum se est malum; vel in eo, quòd non attenderet ad iudicandum de omnibus pertinentibus ad obiectum: & ita non consideraret consideranda de tali obiecto. Neuter autem ex his defectibus potest reduci in solum intellectum. Non secundum: siquidem, quòd intellectus attendat, vel non attendat, debet ei aduenire ab applicante ipsum ad obiectum; & ita talis effectus, puta; quòd intellectus attendat, vel non attendat debet attribui applicanti; quod in isto casu est solus Deus. Similiter, quòd sic, vel sic iudicet de obiecto in isto casu; non potest prouenire, nisi a Deo, qui ad sic iudicandum intellectũ mouet, vt specialis motor, cui incumbit illuminare, & instruere intellectum de obiecto, ad quod intelligẽdum ab ipso applicatur.

26 Obijcies contra prædicta. In tali motu, quo voluntas mouetur à solo Deo, potest esse meritum. Ergo in eo etiam potest esse demeritum, & peccatum. 155 *Obiectio.*

27 Concesso antecedenti, nego consequentiam. Nam etiam si esset verum, quòd illa voluntas, quæ potest habere meritum, posset etiam peccare (quòd tamen esse falsum apparet in Christo Domino, qui, dum erat passibilis, per suas actiones habebat meritum; peccare autem nullo modo poterat.) non tamen est verum, quòd per illud genus operum, per quod potest habere meritum, potest habere demeritum. Nã per illos actus voluntatis, quibus voluntas tendit in bonum ex obiecto, circumstantijs, & fine, potest habere meritum: non autem per eas potest habere demeritum. Similiter in illis actibus, quibus voluntas non mouetur à seipsa, sed à solo Deo, potest habere meritum, non autem demeritum. Demeritum enim, & peccatum exigit determinatè motorem deficientem, qui respectu voluntatis non potest esse, nisi ipsa voluntas. Quoties ergo motus voluntatis non prouenit à tali motore, non potest esse demeritum, vt ex locis D. Tho. adducendis in sequenti §. constabit. 156 *Responsio.*

§. VII.

Probatur, quod voluntas quoties peccat, mouetur à seipsa.

1 EX dictis modò patere potest secunda pars conclusionis positæ §. præcedenti. num. 7. nempè. Voluntas illis solis motibus peccat, quibus mouetur à seipsa. Si enim voluntas nostra aliquando peccat (vt experientia, & fide constat) &, vt probatum est, nõ peccat illis actibus, & motibus, quibus mouetur à solo Deo: oportet ergo, quòd peccet in alijs actibus, quibus non mouetur à solo Deo; sed etiam a seipsa. 157

Ratio-

Digitized by Google

158 *Probari potest duplici ratione.*

2 Rationem à priori duplicem assignare possumus: alteram desumptam ex ipsa ratione obiecti; circa quod potest esse peccatum: alterà verò, ex ratione principij actiui, quod potest peccare.

1. Rō desūpta ex rōne obiecti.

3 Ex priori capite sic formatur ratio. Voluntas non potest peccare circa quodlibet obiectum: cum circa illud, ad quod est à natura determinata, puta circa finem peccare non possit; sed solum circa quædam, ad quę, scilicet, nō est à natura determinata, puta circa media ad finē. Sed circa media ad finem voluntas non mouetur tantùm ab alio; sed etiam à seipsa; si seruetur exigentia naturalis ordinis; quæ seruari debet, quando voluntas peccat. Ergo voluntas peccare non potest, nisi dum mouetur à seipsa. Maior est euidens; non enim voluntas peccat appetendo beatitudinem vt sic in communi. Minor etiam est manifesta; nam voluntas, circa media in finem, non mouetur; nisi ex voluntate finis; & sic mouetur à seipsa: sic enim voluntas seipsam mouet.

159 *Voluntas circa particulare bonū dupliciter ferri potest.*

4 Dixi in minori: si seruetur exigentia naturalis ordinis: nam voluntas circa particularia bona dupliciter moueri potest. Vno modo à seipsa per discursum rationis, & consilium, se determinando per rationem boni communis ad particulare bonum: & ista est exigentia ordinis naturalis. Alio modo specialiter à Deo per internum instinctum; & hoc modo voluntatem moueri in particulare bonum, non est secundum exigentiam naturalis ordinis, qui est inter obiecta ipsa voluntatis. Sicut in intellectu, naturalis ordo exigit, vt cōclusiones cognoscamus per principia per se nota. Si autem aliquis ex speciali lumine sibi præstito à Deo directe ferretur ad cognoscendas conclusiones; id non esset secundum exigentiam naturalis ordinis. Sic in proposito naturalis ordo exigit, vt contingentia, & quæ non sunt per se, & naturaliter volita, appetamus moti ex appetitu alicuius per se, & naturaliter voliti. *Hoc autem* (vt inquit D. Thom. p. 2. quæst. 10. ar. 1. in corp.) *Est bonum in communi, in quod voluntas naturaliter tendit; sicut etiam quælibet potētia in suum obiectum, & etiam ipse finis vltimus, qui hoc modo se habet in appetibilibus, sicut prima principia demonstrationum in intelligibilibus; & vniuersaliter omnia illa, quæ conueniunt volenti secundum suam naturam, vt cognitionem veri, esse, viuere, & alia huiusmodi.* Hæc D. Thom. Si autem contingat voluntatem specialiter moueri à Deo in aliquod bonum non naturaliter volitum; id non erit secundum exigentiam naturalis ordinis.

5 Dixi etiam in prędicta minori; quòd exigentia naturalis ordinis seruari debet, quando voluntas peccat; vt innuerem id, quod supra probauimus, nempè, quòd voluntas non peccat, quando aliquod particulare bonum appetit in illud specialiter mota à Deo; sed solùm, quando in illud mouetur à seipsa, secundum quod exigit naturalis ordo, qui est inter obiecta ipsa voluntatis. 160

161 *Prædicta rō est desūpta ex S. Thoma.*

6 Prædictam rationem sic intellectā, & explicatam desumpsi ex D. Thom. partim, quidem ex quæst. 16. de malo artic. 4. ad vigesimum; vbi ponit, quòd voluntas quando peccat, mouetur à seipsa, quæ non potest se mouere, nisi secundum exigentiā naturalis ordinis obiectorum; Et sic habet.

1. locus S. Doct.

Ad peccatum mouetur mens rationalis creatura à seipsa: quæ non potest se mouere, nisi secundum exigentiam naturalis ordinis. Hæc D. Thom. partim verò ex q. 22. de veritate ar. 6, in corp. cuius tenorem referemus in nostro Tract. de Principio philosophico. Quo in loco Diuus Thom. explicat, qualiter voluntas nostra habet indeterminationem; & ex consequenti libertatem, circa hæc tria; nempè: Primò ad volendum hoc, vel illud, quæ est indeterminatio, & libertas in ordine ad obiecta. Secundò ad exercendum, vel non exercendum suum actum, quæ est indeterminatio, & libertas in ordine ad exercitium actus. Tertiò tandem ad volendum aliquid ordinatum in finem verè, vel apparenter; quæ est indeterminatio, & libertas ad volendum bonum, & malum? Et de hoc tertiò sic habet.

162 *Alius locus S. Doct.*

7 *Tertiò. Indeterminatio voluntatis est respectu ordinis in finem; in quantùm voluntas potest appetere id, quod secundum veritatem in finem debitum ordinatur, vel secundum apparentiam tantùm. Et hæc indeterminatio ex duobus contingit; scilicet ex indeterminatione circa obiectum in his, quæ sunt ad finem; & iterum ex indeterminatione apprehensionis, quæ potest esse recta, & non recta. Sicut ex aliquo principio vero dato, non sequitur falsa conclusio; nisi per aliquam falsitatem rationis; vel assumentis aliquā falsam; vel falsò ordinantis principium in conclusionem. Ita ex quo inest appetitus rectus vltimi finis; non posset sequi, quòd aliquis aliquid inordinatè appeteret; nisi ratio aciperet aliquid, vt ordinatum in finem, quod non est ordinabile in finem. Sicut qui appetit beatitudinem appetitu recto; numquam deduceretur in appetendum fornicationem; nisi in quantum apprehendit eam, vt quoddam hominis bonum; in quantum est quoddam delectabi-*

Digitized by Google

le bonum; & sic vt ordinabile in beatitudinem, velut quamdam imaginem eius. Ex hoc sequitur indeterminatio voluntatis, qua bonum potest, vel malum appetere. Cum autem voluntas dicatur libera, in quantùm necessitatem non habet; libertas voluntatis in tribus considerabitur; scilicet, quantùm ad actum, in quantùm potest velle, vel non velle; & quantùm ad obiectum, in quantùm potest velle hoc, vel illud, & eius oppositum; & quantùm ad ordinem finis in quantùm potest velle bonũ, vel malum (Explicãs deindè hoc tertium, parum infra sic habet) *Tertium verò non est respectu omnium obiectorum; sed quorumdam eorum, scilicet, quæ sunt ad finem, nec cuiuslibet status naturæ; sed illius tantùm, in quo natura deficere potest. Nam vbi non est defectus in apprehendendo, & conferendo, non potest esse voluntas mali, in his, quæ sunt ad finem: sicut patet in beatis.* Hæc D.Thom. valdè consideranda pro re, de qua agimus.

163 8 Porrò in auctoritate priori loco allata habes, tàm conclusionem, quàm principium ad probandum conclusionem; cõclusionem quidem in illis verbis, nempè. *Mens rationalis creatura ad peccandum mouetur à seipsa.* Et hoc, quod dicit: mouetur à seipsa, idem significat, quod, voluntatem mouere seipsam; vt posteriora verba declarant, dum subdit: *Quæ non potest se mouere, nisi secundum exigentiã naturalis ordinis.* Idque est, quod nos in conclusione diximus. Principium verò ad probandum conclusionem explicant hæc ipsa verba, quæ modo retulimus, nempè. *Voluntas nõ potest mouere seipsã, nisi secundum exigentiam naturalis ordinis.*

In ꝓdictis auctoritatib⁹ hẽtur cõcl. & ꝓncipiũ, quo probatur.

164 9 Exigit autem naturalis ordo voluntatis, vt in ea, quæ sunt ad finẽ, se moueat ex volitione finis. Porrò voluntas peccare non potest, nisi circa ea, quæ sunt ad finẽ, vt habes in auctoritate secundo loco adducta illis verbis, nempè: *Hæc indeterminatio contingit ex indeterminatione circa obiectum in his, quæ sunt ad finem*, & in illis alijs.

Tertium verò nõ est respectu omnium obiectorum; sed quorumdam, scilicet; quæ sunt ad finem, Sequitur indè euidenter, q voluntas peccare nõ possit; nisi dum seipsã mouet ad eligendum ex volitione finis.

165 10 Præterea in auctoritate posteriori loco adducta habes euidẽs principium, ex quo formes rationem ex 2. capite, superiori num. 2. insinuato. Hæc ratio sic formari potest.

Voluntas nostra peccare non potest; nisi dum ipsa potest esse principium habẽs defectum, ex quo procedat, vt in ea sit voluntas mali. Sed non potest esse principiũ, habens talem defectum; nisi dum seipsam mouet per consilium rationis deficientis in apprehendendo, & conferendo. Ergo voluntas nostra non potest peccare; nisi dum seipsam mouet. Maior est per se euidens, & toties supra inculcata ex doctrina D.Th. *Peccatum enim actionis* (vt num. 24. §. præcedentis notauimus) *procedit propter defectum alicuius principiorum, vel principalis agentis, vel instrumentalis.* Minor est D.Th. in 3. sent. dist. 18. q. 1. art. 3. ad 4. dicens. *Ad finem naturaliter desideratum appetendum, non indigemus deliberatione, &c. Sed peccatum contingit ex hoc, quod voluntas mouetur in aliquid, quod non competit fini naturaliter desiderato. Vndè oportet, quòd contingat ex falsa collatione illius ad finem; & ideò requiritur ad peccandum collatio eius, quod habet apparentem, bonitatem ad id, quod est per se bonum naturaliter desideratum.* Hæc D.Thomas. In quibus habes, & minorem, & integram probationem cõclusionis. Idem habes in auctoritate inducta; vbi vult, quòd ex quo ineſt voluntati appetitus rectus vltimi finis, non potest ipsa aliquid inordinatè appetere; nisi ratio accipiat, vt ordinatum in finem id, quod non est ordinabile in finem. Hoc autem tunc contingit; quando voluntas seipsam mouet ad eligendum propter finem ex appetitu finis. Sic ergo voluntas non potest esse principium habens defectum, nisi dum seipsam mouet. Hoc ipsum significauit D.Thom. illis verbis: *Vbi nõ est defectus in apprehendendo, & conferendo, non potest esse voluntas mali, in his, quæ sunt ad finem.* De qua re in sequenti §.

Rõdes ꝓpta ex principio, q̃ põt peccare.

Maior est D.Thom.

Minor ẽt est S.Th. in 3. sentent.

Alius locꝰ S.Doc. pro minori.

11 Dices contra prædicta: Voluntas nostra, non solùm potest peccare, habendò peruersam, & inordinatam electionem mediorum; sed etiam habendo peruersum appetitum vltimi finis; dum, scilicet, amat aliquam rem creatam, vt vltimum finem, puta, diuitias, delectationes venereas, &c. Nulla ergo expredictis rationibus conuincit, quarum vtraq. in opposito principio fundatur.

166 *Instantia cõtra prædicta.*

12 Respondes ex doctrina eiusdem S. Doct. de ver. q. 22. art. 7. in corp. quòd voluntas, quando sic peccat, scilicet appetẽdo, vt vltimum finem aliquod particulare, in quo non est verè ratio vltimi finis; peccat mouendo seipsam per consilium rationis erroneæ indicantis tale particulare bonum esse suam beatitudinem, & vltimum finem; & sic peccat eligendo tale particulare bonum, quod vt sic habet aliquo modo rationem medij in ordine ad finem vltimum, in quem ipsa voluntas est determinata

Resp. ex doctrina S.D. Cum voluntas tendit in aliquod bonũ creatũ vt vltimũ finem, mouet seipsam.

167

Digitized by Google

nata à natura, & inquem non, nisi rectè tendit. Explicatur hoc, ponendo D. Thomæ verba, ex quibus colligitur prædicta respon sio: sic ergo habet,

168 13 *Homini inditus est appetitus vltimi finis sui in communi; vt scilicet, appetat naturaliter, se esse completum in boni ratione. Sed in quo ista completio consistat: vtrum in virtutibus, vel scientijs, vel delectabilibus, vel huiusmodi alijs, non est ei determinatū à natura. Si ergo aliquis per rationem erroneam deducatur vt appetat aliquid speciale, vt suam beatitudinem, puta, corporales delectationes; in quibus tamen secundum rei veritatem sua beatitudo non consistit: sic appetendo beatitudinem, demeretur; non quia appetit beatitudinem; sed quia indebitè appetit hoc, vt beatitudinē in quo beatitudo non est.* Hæc D. Th. In quibus, vt vides, vult, quòd finis vltimus, in quem voluntas nostra est determinata à natura; & inquem non, nisi rectè tendit, est bonum completum sic in communi sumptum. Et quòd ex tali appetitu, deindè voluntas deducitur per rationem erroneam ad appetēdum hoc, vt beatitudinem. Quando autem voluntas ex appetitu boni, sic in communi sumpti, ducitur per rationis discursum, siuè verum, siuè erroneum, ad appetendum aliquid in particulari; iam voluntas mouet seipsam, & illud particulare appetitum est electū, quasi medium propter finem volitū. Dum ergo voluntas peccat, indebitè appetendo, vt vltimum finem id, quod non est vltimus finis; id per electionem facit, & mouendo, & determinando seipsam ad eligendum propter finem. Vide Suarium lib. 3. de Diuina gratia cap. 44 nu. 28. post medium, ab illis verbis: *Et hinc fit, vt quando.*

Verba S. D. ad intētū responsionis.

In qua re considerandum est; quòd sicut creatura intellectualis diligit seipsam amore naturali; & tamen, quando appetit hoc, vel illud bonū sibi, diligit se amore electiuo, vt docet D. Tho. p. 1. q. 60. art. 2. in corp. sita in proposito beatitudinem, vt sic, appetit voluntas appetitu naturali: quādo verò appetit hoc, vel illud, vt beatitudinē, appetit beatitudinem appetitu electiuo.

§. VIII.

Expenditur ad propositum doctrina Diui Thomæ, qua docet libertatem voluntatis ad bonum, & malum prouenire ex indeterminatione apprehensionis, quæ potest esse recta, & non recta.

169 1 DIxi num. 7. præcedentis §. doctrinam Diui Thomæ ibidem adductam, valdè considerandā esse pro re, de qua agimus. Maximè autem considerare, & expendere debemus id, quod S. D. docet de radice, ex qua prouenit, quòd voluntas nostra habet indifferentiam, seù libertatem ad appetendum bonum, & malum. Punctum enim hunc si perceperimus; intelligemus non solùm, quam dispositionem voluntas habeat, secundùm quam, vel peccat, vel benè agit (quod intēdimus inuenire) sed etiā qualiter verificetur, quòd Deo mouente voluntatem ad habendam actionem perfectam; voluntas à Deo mota, ita se moueat, vt intendens actionem perfectam, perueniat, quasi præter intentionem, & per accidens ad habendam actionem imperfectam, & peccatum. Quod est aliud, quod principaliter explicare intendimus.

Radix, ex qua habet volūtas indifferētiā bonum, & malum.

170 2 Itaque considero primò, quòd illa indeterminatio, seù libertas, quam habet voluntas ad appetendum id, quod secundum veritatem in finem debitum ordinatur, vel secundum apparentiā tantùm, *ex duobus contingit* (inquit Diuus Thomas) *scilicet, ex indeterminatione circa obiectū in his, quæ sunt ad finem: & iterum ex indeterminatione apprehensionis, quæ potest esse recta, & non recta.* Et quidem prima indeterminatio pertinet ad ipsam essentiā libertatis quoad specificationē actus. Vndè omnis voluntas, siuè sit diuina, siuè angelica, siuè humana, in quantùm est libera, oportet, vt habeat istā indeterminationē

Cōsiderāda in doct. S. Doct.

In determinatio, pertinens ad essētiā libertatis, quæ sit.

Quoniam autem non omnis voluntas, quæ est libera, & habet hanc indifferentiam, potest peccare, euidens est, quòd possibilitas ad peccandum, non sequitur proximè ad hanc indifferentiam: solùm enim hæc indifferentia est, quid superius prærequisitum in subiecto, quod talem potentiam habet. Nam sicut, quia non omne animal est risibile, & omne risibile est animal, clarè colligimus, quòd risibile non sequitur proximè ad animal: sed animal est quid prærequisitum, & superius ad illud subiectum, ad quod sequitur ly esse risibile, Ita in proposito: quia omne potens peccare, habet indeterminationem circa obiectum in his, quæ sunt ad finem; non autem omne habens istam indeterminationem, potest peccare: clarè colligitur, quòd possibilitas ad peccandum non sequitur proximè ad prædictam indeterminationem, quam importat essentialiter ipsa communis ratio libertatis; sed talis indeterminatio est quid præsuppositum, & prædicatum superius ad subiectum illud, ad quod sequitur possibilitas ad peccandum.

Possibilitas ad peccādum nō sequitur proximè, ad indifferentiā, in qua fundatur libertas.

171 3 Et indè inferes, quòd proxima radix, ex qua volūtati liberę aduenit possibilitas ad peccandum, sit indeterminatio apprehensionis;

Proxima radix possibilitatis

Digitized by Google

sibilitatis ad peccãdã, est indeterminatio apprehensionis ad rectũ, & non rectum.

sionis: quæ potest esse recta, & non recta. Siquidem omnis voluntas indeterminata circa media ad finem, habens apprehẽsionem, seù iudiciũ, quod circa prædicta potest esse rectum, & non rectum: potest peccare. Et similiter è contra, vt in calce articuli Sanctus Doctor concludit, dicens: *vbi non potest esse defectus in apprehendendo, & conferẽdo, non potest esse voluntas mali.* Proprium ergo principium, ex quo habet voluntas, vt possit peccare, est ista indeterminatio apprehensionis, secundum quam potest esse recta, & non recta, circa ea, quæ sunt ad finem.

172 *aduertẽtia & præcedẽti doctrina. Indeterm. volũtatis, quatenus est ad non rectũ, fundat possibilitatem ad peccandũ.*

4 Verùm aduerte hìc; quòd cum dico, quòd possibilitas ad peccandum sequitur indeterminationem apprehensionis, quæ potest esse recta, & non recta; id non sic intelligitur, quasi possibilitas ad peccandum sequatur ad apprehensionem, quatenus potest esse recta; sed inquantùm potest esse non recta. Ad talem enim indeterminationem sequitur, quòd voluntas habeat indeterminationem, seù libertatẽ ad bonum, & malum; sed ad bonum, quatenus potest esse recta; ad malum verò, quatenus potest esse nõ recta. Et indè est, quòd si aliqua apprehensio esset determinata; ita vt non posset esse, nisi recta; voluntas esset determinata ad bonum: qualis est (inquit D. Thomas) voluntas Beatorum, quæ licet libera sit circa ea, quæ sũt ad finem: quia tamen apprehensio Beatorum non potest esse, nisi recta, eorum voluntas est determinata ad bonum. Et hoc est, quod dicit S. Doctor illis, verbis. *Nam vbi non potest esse defectus in apprehendendo, & conferendo, non potest esse volũtas mali, in his, quæ sunt ad finem, vt patet in Beatis.*

Voluntas Beatorum ideo est determinata ad bonũ: quia eorũ intellectus est determinatus ad rectum

173 5 Et similiter, si aliqua apprehensio esset determinata aliqualiter ad nõ rectũ, voluntas esset determinata aliqualiter ad malũ, vt patet in Dæmonibus, & dãnatis. Dixi aliqualiter; quoniam non potest dari apprehensio simpliciter determinata ad non rectum; sicut datur simpliciter determinata ad rectũ. Illud. n. est malum, quod datur in bono. Sic igitur quando apprehensio est indeterminata, & potest esse recta, & non recta; sequitur, quod voluntas sit indeterminata, & libera, ac potens in bonum, & in malum; sed in malum, in quantùm potest esse non recta.

174 *Aliud confirmandũ.* 6 Secundò. Consideranda est ratio, qua S. Doc. probat hoc, quod modò diximus, nempè; quòd principium, ex quo voluntati prouenit, habere volitionem mali, seù malam electionem, sit apprehensio non recta, qua apprehenditur, vt ordinatum in finem id, quod nõ est ordinabile in finem. Id enim probat illis verbis. *Sicut ex aliquo principio vero dato, non sequitur falsa conclusio; nisi per aliquam falsitatem rationis, vel assumentis aliquam falsam; vel falsò ordinantis principium in conclusionem; ita, ex quo ineſt appetitus, rectus vltimi finis, non posset sequi, quòd aliquis aliquid inordinatè appeteret, nisi ratio acciperet, vt ordinatum in finem, quod non est ordinabile in finem.* Et idem docuit q. 16 de malo art. 5. in corp. his verbis, nempè. *Cum voluntas ordinetur in bonum, sicut in proprium obiectum; quòd in malum tendat, non potest contingere, nisi ex hoc, quod malum apprehenditur sub ratione boni, quod pertinet ad defectum intellectus, vel rationis, vndè causatur libertas arbitrij.* Hoc ipsum diffusiùs repetit, & probat q. 24. & veritate ar. 8. in corp.

Sicut dato principio verò, nõ sequitur falsa cõcl. nisi p malum discursũ, vel falsã subsũptã: ita dato recto motu volũtatis in finẽ, nõ sequitur mala electio, nisi per apprehẽsionẽ nõ rectã

175 *Rõ S. D. in forma.*

7 Prædicta ratio in forma est sequens, nempè. Dato vno vero principio, non sequitur assensus falsæ conclusionis; nisi ex aliquo alio falso principio, quod sub illo per rationem assumitur, vel ex falsa, seù mala ordinatione principiorum ad conclusionem. Ergo, existente recto appetitu vltimi finis, non potest sequi inordinata electio, nisi ratio esset non recta, & apprehenderet, vt ordinatũ in finem id, quod non est ordinabile in finem. Principium ergo, ex quo volũtati prouenit, quòd habet inordinatam electionem, est apprehensio non recta. Hæc vltima consequentia constat: primam verò D. Tho. tanquam euidentem omittit propter paritatem rationis, & conuenientiam, repertam inter intellectum, & voluntatem.

176 *In quibus cõsistit paritas, & portio inter intellũ, & voluntatem.*

8 Paritas autem rationis consistit in hoc; nam sicut ratio procedit ex assensu principiorum ad assensum conclusionis: ita voluntas ex appetitu, seù volitione finis, qui est principium in appetibilibus, in appetitum mediorum. Amplius, sic se habet verũ, & falsum in ordine ad rationem: sicut se habet bonum, & malum ad voluntatem. Præterea, illa ratio, ex qua prouenit, quòd in intellectu assensus falsus conclusionis nõ potest prouenire, nisi ex falsitate alicuius principiorum, & dato vno principio vero; oportet falsitatem prouenire, vel ex alio principio: vel ex falsa ordinatione principiorum in conclusionem; probat etiam, quòd data bona voluntate finis, nõ potest mala electio prouenire; nisi ex apprehensione non recta. Et hoc sic demonstratur. Nam ideo assensus falsus non potest esse ex veris præmissis; quia defectus actionis non potest prouenire, nisi ex aliquo defectu inuento in principijs ex quibus prouenit actio, vt toties ex D. Tho. diximus. Cum ergo assensus falsus sit actio habens defectum;

Digitized by Google

ctum; oportet, quòd non proueniat; nisi ex aliquo principio habente defectum; & sic oportet, quòd aliquod principium habeat defectum: vel in quantum est fallus assensus; vel in quantum falsè, vel malè ordinatur in conclusionem. Et hæc eadē est ratio, qua probatur, quòd supposito recto appetitu vltimi finis, mala electio sequi nō potest; nisi ex non recta apprehensione, qua apprehenditur, vt ordinatum in finē, quod non est ordinabile in finem.

177 *Ratio probans, quòd posito recto appetitu vltimi finis, mala electio seq nō pōt; nisi ex apprehēsione nō recta.*

9 Siquidem malum in actione, non potest prouenire; nisi ex aliquo defectu alicuius principiorum. Principia autem, ex quibus procedit electio, sunt volitio finis, & consiliū rationis, quo venitur ad apprehensionē illius, quod est proportionatum fini. Electio enim sequitur volitionē finis; & determinationem consilij dictantis, talem rem esse conuenientē fini volito. Defectus ergo electionis prouenire debet ex aliquo defectu alicuius ex prædictis principijs. Supposito ergo, quòd volitio vltimi finis sit sine defectu, sequitur euidēter, quòd defectus debet esse in ratione apprehendente tanquam bonum, quod est non bonum, seù malum; siuè sit malum secundum se (vt cum intellectus errat) siuè sit malum collatum ad aliud ad quæ ex incōsideratione non confert; quæ duo in vnum coniunxit Sanctus Doctor dicens: *Defectum esse in apprehensione accipiente, vt ordinabile in finem, quod non est ordinabile, &c.* Aliquas obiectiones, quæ possent fieri contra prædicta, ex infra dicendis soluentur.

§. IX.

Colligitur ex dictis, quasi dispositio voluntatis malè & quæ benè eligentis.

178 1 EX hactenus dictis circa doctrinam Diui Thomæ inductam, colligere possumus, quam dispositionem habeat voluntas, dum non peccat; & secundum quam non potest; nisi benè ageret & quam dispositionem habet, dum peccat; & secundum quam semper agit actionem malam.

179 *Dispositio voluntatis benè eligētis.*

2 Dicendū est ergo primò secundum prædicta; quod voluntas per volitionem rectam vltimi finis, & rectam apprehensionem eorum, quæ ordinantur in finem, habet dispositionē secundum quam, nec peccat; nec est possibile, q̄ in tali dispositione peccet: seu clarius, nec vult malum, nec potest secundū eam habere volitionem mali. Conclusio hæc clarè colligitur ex dictis; siquidem si (vt Sanctus Doctor dicit) posito recto appetitu finis, nō potest sequi, quod aliquis habeat volitionem mali; nisi habeat apprehensionem nō rectam, per quā accipiat, vt ordinatum in finem, quod non est ordinabile in finem: indè fit consequēs, quod si quis erit ita dispositus; vt habeat rectam volitionem finis, & rectam apprehensionem, quæ non accipit, vt ordinatum in finem, quod non est ordinabile; sed accipit, quod verè congruit fini, seù bonum conueniens voluntati supposita, habebit vtique dispositionem, secundùm quam, dùm voluntas se mouet, non peccat, & ad quam semper sequetur volitio bona, & actio debita.

3 Posuit hanc conclusionem S. Doct. ipsamq; ex primis principijs per se notis probauit lib. 3. cont. gent. cap. x. vbi post discursum modo infra ponendum, sic concludit. 180 *S. D. probat prædictā conclusionem.*

Cum igitur voluntas tendit in actum, mota ab apprehensione rationis representantis sibi proprium bonum, sequitur debita actio. Hæc S. Doctor. vbi nomine *apprehensionis representantis voluntati proprium bonum*, intelligit idem; quod loco supra citato intelligit nomine *apprehensionis rectæ*, vt ex contextu patet. Idem concluſit q. 16. de malo art. 5. in corp. verbis relatis §. præcedenti num. 6.

4 Dicendum est secundo, quod voluntas habens rectum appetitum vltimi finis; si habeat apprehensionem non rectam accipientem, vt ordinatum in finem, quod non est ordinabile; habet dispositionē, secundum quam, actio, ad eam consequens, est mala, & peccatum. 181 *Dispositio volūtatis peccantis.*

5 Patet hæc conclusio secundum prædicta. Nam sicut se habet apprehensio recta ad electionem bonam; ita apprehēsio non recta, & quæ accipit non ordinabile in finem, ac si esset in finem ordinatum, ad electionem malam. Sed dum voluntas moueatur secundum illam dispositionē priorē, non potest; nisi procedere in bonam electionem. Ergo dum mouetur secundum posteriorem dispositionem; non potest procedere, nisi in malam electionem. Porrò voluntas est indeterminata ad bonam, & malam electionem, secundum indeterminationem apprehensionis, quæ potest esse recta, vel non recta. Sicut ergo per apprehensionem rectam determinatur, & disponitur ad bonam electionem, ita per apprehensionem non rectam determinatur, & disponitur ad electionem, non rectam, seù malam. 182 *Probatio præcedētis dicti.*

6 Prædictam cōclusionem; sed distinctiùs explicatam posuit S. D. loco proximè cit. ex lib. 3. cont. gent. vbi *verbis supra relatis sic subiungit.* 183

Cum autem voluntas in actionem prorumpit

rumpit ad apprehensionem apprehensiuæ sensualis, vel ipsius rationis aliquod aliud bonum repræsentantis à proprio bono diuersum; sequitur in actione voluntatis peccatum morale. Hæc D. Tho.

184 *Quotupliciter pōt cōtingere apprehensiō recta.*

7 Dixi, distinctiùs explicatam. Nam in prioribus locis non explicauerat, apprehensionem sensus aliquando pertinere ad apprehensionem non rectam, secundum quā malè mouetur voluntas. Quapropter considerare debemus, quòd apprehensio potest dici non recta, vno modo ex parte obiecti, & hanc non rectitudinem potest habere ex duplici capite: vel scilicet ex eo, quia errat, & apprehendit falsum, vel ex eo, quòd non considerat omnia consideranda: & sic fert iudicium inconsideratū; per quod non seruat rectitudinem circa alia, ad quæ est ordinandum obiectum apprehensum. Et secundùm hos modos accidit esse non rectam apprehensionem rationis. Alio modo potest dici non recta, in quantum non habet ordinem motiui proportionati, & conuenientis ad appetitum. Et hoc modo apprehensio sensus dicitur non recta in ordine ad voluntatem nostrā. Cæterum Sanctus Doctor, quamlibet non rectitudinem ex prædictis comprehendit in priori loco cum dixit. *Quòd mala electio sequitur apprehensionem non rectam; & quòd vbi nō est defectus in apprehēdendo, & conferendo, nō potest esse voluntas mali in his, quæ sunt ad finem, vt patet in beatis:* in quibus, vt patet, apprehensio non potest esse non recta, nec propter errorem, nec propter inconsiderationem, nec per hoc quòd voluntas sequitur ad apprehensionem sensitiuam.

185 *Ratio S.D. pro vtraq. cōclusione formatur.*

8 Vtramque conclusionem probat S. Doctor loco supra citato ex lib. cont. gent. ex vno, & eodem principio per se noto. Et ratio in forma est sequens. Quoties agens non deficit in recipiendo influxu sui superioris agentis, agit indeficienter, seù sine defectu actionis: quoties verò deficit in recipiēdo tali influxu, deficit agendo, seù habet actionem cum defectu. Sed quoties voluntas prorumpit in actionem, seù tendit in actum, mota à ratione apprehēdente, & repræsentante sibi bonum proprium, non deficit in recipiendo influxum sui superioris agentis: deficit autē dum mouetur per apprehensionem (siuè sensus, siuè rationis) repræsentantem sibi non proprium bonū; sed aliquid à proprio bono diuersum. Ergo quoties voluntas tendit in actum mota à ratione repræsentante sibi proprium bonū, indeficienter agit; quod est habere actionem debitam; quoties verò in actionem prorumpit ad apprehensionem apprehensiuæ sensualis, vel rationis repræsentantis sibi non proprium bonū; sed aliquid à proprio bono diuersum, agit deficienter, seù habet voluntariam actionem cum defectu: quod est habere peccatum morale.

186 *Probatio maioris.*

9 Maiorem probat Sanctus Doctor sic. Quod agit per principium habens perfectam virtutem, agit indeficiēter, seù habet actionem sine defectu, & è contra, quod agit per principiū carēs perfectione sibi debita ad agendū, agit deficienter. Sed agens, quod non deficit in recipiendo influxu sui superioris agētis, agit per principium habēs perfectam virtutem: & similiter quod deficit in recipiendo influxu sui superioris, agit per principiū carēs perfectione debita ad agendum. Ergo. Maior huius probationis est euidens. Nam, vt sæpe diximus, defectus actionis non potest aliunde prouenire, quàm ex defectu principij. Minorē probat Sāctus Doctor. Nam perfectio virtutis inferioris agentis dependet ex suo superiori actiuo. Ergo si agens inferius non deficit à recipiēdo id, quod influit superius actiuum; recipiet ab eo perfectionem virtutis: & è cōtra, si deficit à receptione talis influxus, deficiet in perfectione. Cōsequentia est nota. Antecedens autem probat ex eo, quod agens inferius agit per virtutem primi agentis. De vtraque hac propositione à D. Thoma assumpta satis diffusè agimus in nostro Tractatu de Principio philosophico, declarantes dictum illud Sancti Doctoris, *Complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi.* Vbi reduximus tales propositiones ad principium illud vniuersalissimum, & per se notum. Vnumquodque agit, in quantùm est in actu.

187 *Probatio minoris.*

10 Minor principalis argumenti probari potest iuxta verba D. Th. modò infra referenda in hunc modum. Inferius actiuū, seù perfectibile, quando stat sub ordine sui superioris actiui, & perfectiui, seù in debita proportione ad ipsum, recipit ab eo influxum, & perfectionem, quæ effluit à tali actiuo: quando verò deficit à tali ordine, seù à proportione, quam debet habere ad suum superius actiuum; deficit etiam in recipiendo influxu, & perfectione effluente à tali principio. Sed quando voluntas prorumpit in actionem mota à ratione apprehendente, & repræsentante propriū bonum, stat sub ordine, seù in debita proportione ad suum superius actiuum; deficit verò à tali ordine, & proportione, quando prorumpit in actionem mota ad apprehēsionem, vel sensus, vel intellectus non repræsentantis sibi proprium bonum; sed aliquid ab eo diuersum. Ergo; &c. Pro probatione minoris supponit Sanctus Doct. duo. Primum est: quòd in ordine actionum

mo-

moralium duo principia voluntatem præcedant, scilicet vis apprehensiua, & obiectum apprehensum, quod est finis, quorum (vt inquit Diuus Thomas lib. 3. contra. gent. cap. 10. parum ante verba inferius referenda) talis est ordo, vt primum actiuum sit obiectum apprehensum; seù finis; secundum sit vis apprehensiua. Verba D. Thomæ sunt.

Verba D. Thom.

Primum igitur actiuum principium in actionibus moralibus est res apprehensa. Secundum vis apprehensiua, &c. Secuncundum est, quod non quælibet vis apprehensiua, nec quælibet res apprehensa pertinet ad principium motiuum voluntatis; sed vis apprehensiua, quæ est ratio, & bobum proprium, seù conueniens fini voluntatis.

188 *Probatio minoris subsumptę*

11 Quibus suppositis, sic vltima minor probari potest. Quando voluntas prorumpit in actionem mota ab apprehensione rationis, proponentis sibi proprium bonum, stat sub ordine, & debita proportione ad vltimum finem voluntatis; quando verò prorumpit in actionem mota a ratione, vel sensu apprehendente bonum, non proprium; sed diuersum à bono voluntatis, deficit ab ordine, & proportione, quam debet habere ad vltimum finem, & ad rationem. Ergo voluntas, quando mouetur ab apprehēsione rationis proponētis sibi proprium bonum stat sub ordine, & debita proportione ad suum superius motiuum: quando verò prorumpit in actionem ad apprehensionem boni, à proprio bono diuersi, deficit à tali ordine. Consequētia patet ex vtroque suppositio: et antecedens est euidens. Nam voluntas, quæ tendit in actum; quatenus stat sub apprehensione boni diuersi à suo proprio bono, quod est finis, non stat sub fine; in quantùm bonum apprehensum, in quod per actum tendit, non habet ordinem, nec proportionem ad finem voluntatis. Et similiter quatenus voluntas mouetur ab apprehensione repręsentante bonum proprium, stat sub ordine, & in debita proportione ad vltimum finem; secundum quod bonum apprehensum habet ordinem, & proportionem ad finem vltimum, &c.

189 *Verba D. Th. quibus proponit totū discursum supra formatum*

12 Verba Diui Thomæ, quæ continēt prædictum discursum sunt infrascripta. *Cuiuslibet siquidem actiui principij perfectio virtutis ex superiori actiuo dependet. Agēs enim secūdum agit per virtutē primi agentis. Cum igitur secundum agens manet sub ordine primi agentis, indeficienter agit: deficit autem in agendo: si contingat ipsum ab ordine primi agentis deflecti. Sicut patet in instrumento, cum deficit à motu artis. Dictum est autem* (scilicet parum supra, verbis à nobis relatis prox. num. 10.) *Quod in ordine actionum moralium duo principia voluntatem præcedunt; scilicet vis apprehensiua, & obiectum apprehensum, quod est finis. Cum autem vnicuique mobili respondeat proprium motiuum; non qualibet vis apprehensiua est debitum motiuum cuiuslibet appetitus; sed huius, hæc; & illius, alia. Sicut igitur appetitus sensitiui proprium motiuum est vis apprehensiua sensualis: ita voluntatis proprium motiuum est ratio ipsa. Rursus cum ratio multa bona, & multos fines apprehendere possit; cuiuslibet autem sit proprius finis, & voluntatis erit obiectū, & finis, & primum motiuum non bonum quodlibet; sed bonum quoddam determinatum. Cum igitur voluntas tendit in actum mota ab apprehensione rationis repræsentantis sibi proprium bonum, sequitur debita actio. Cum autem voluntas in actionem prorumpit ad apprehensionem apprehensiua sensualis; vel ipsius rationis aliquod aliud bonum repræsentantis à proprio bono diuersum, sequitur in actione voluntatis peccatum morale.* Hæc Diuus Thomas. In quibus habes ambas conclusiones, & rationem modo supra satis diffusè formatam. Verùm pro antecedenti à nobis assumpto num. 11.

190 *Voluntas sit sub debito ordine ad suū vltimū finem per apprehensionē rōnis &c.*

13 Considerandum est, quòd Sanctus Doctor in prædicto discursu euidenter indicat se velle, quòd voluntas sit sub debito ordine ad suum vltimum finem; vel à tali ordine deficit per considerationem, seù apprehensionem rationis apprehendentis bonum, vel proprium, vel à proprio diuersum. Quòd autem ita fit, euidentius demonstrant ea, quæ ex supradicto discursu Sanctus Doctor infert; dum sic subiungit.

191

14 *Præcedit igitur in voluntate peccatum actionis, defectus ordinis ad rationem, & ad proprium finem; ad rationem quidem; sicut cum ad subitam apprehensionem sensus, voluntas in bonum delectabile secundum sensum tendit. Ad finem verò debitum; sicut cum ratio in aliquod bonum ratiocinando deuenit, quod non est, vel nunc, vel hoc modo bonum. Et tamen voluntas in illud tendit, quasi in proprium bonum. Hic autem ordinis defectus voluntarius est: nam in potestate ipsius voluntatis est velle, & non velle. Itemq; est in potestate ipsius, quòd ratio actu consideret; vel à consideratione desistat: aut quòd hoc vel illud consideret. Nec tamen iste defectus est malum morale. Si non ratio nihil consideret; vel consideret bonū quodcumq; non dum est peccatum quousque voluntas in finem indebitum tendat;*

quod iam est voluntatis actus. Hæc Sanctus Doctor.

192 *Voluntas sit subdefectu ordinis ad rõnẽ, & ad debitũ finẽ p. apprehẽsionẽ nõ rectam.*

15 In quibus verbis euidentissimè indicat, quòd voluntas antecedenter ad actum peccati fit sub defectu ordinis ad rationem, & ad proprium finem per apprehensionem, vel sensus, vel rationis, non considerantis bonum proprium voluntatis. Siquidem ex eo infert, quòd talis defectus præcedit in voluntate peccatum actionis; quia actionis peccatum sequitur ad prædictam apprehensionem; prædicta ergo apprehensio constituit voluntatem sub prædicto defectu. Præterea per hoc probat, quòd prædictus defectus ordinis est voluntarius: quia in potestate voluntatis est, quòd ratio consideret, vel à consideratione desistat: vel quòd hoc, vel illud consideret. Habet ergo voluntas defectum ordinis per rationem considerantem, vel non considerantem; alias Diuus Thomas non probaret, quòd defectus ordinis esset voluntarius antecedenter ad actum peccati. Præterea probat, quòd iste defectus ordinis, qui antecedit actum peccati, non est malum morale: quia considerare, vel non considerare hoc, vel illud bonum antecedenter ad illum actum voluntatis, quo in finem debitum tendit, non est peccatum. Habet ergo voluntas secundùm Diuum Thomam, hunc defectum ordinis per hoc, quod ratio, ante quam voluntas in finem indebitum tendat, ratiocinando perueniat in aliquod bonum, quod non est, vel nunc; vel hoc modo bonum, vt inquit Sanctus Doctor.

§. X.

Ex dictis deducitur, primò: qualiter Deus quãtùm est de se, semper mouet voluntatẽ ad actionem perfectam. Secundò: qualiter voluntas quandoq. sit debitè dispositа: quandoq. non debitè dispositа ad recipiendam motionem mouentis Dei. Tertiò: qualiter quandoq. ex defectu dispositionis indebitæ contingat voluntatem recipere motionem Dei indebito modo, et præter intentionem Dei mouentis; & ita, peccare, præter Dei intentionem; immò, et præter intentionẽ voluntatis peccantis.

1 EX dictis, iam modò explicare possumus ea, quæ explicanda erant in fine §. 1. Et quidem primum horũ quæ in titulo posuimus sic patet. Nam, motus, quo voluntas generaliter mouetur à Deo, est appetitus vltimi finis; qui est primum principium virtualiter continens omnes alios motus voluntatis; sicut (vt sæpè in nostro Tractatu philosophico notauimus) motus cœli virtualiter continet omnes motus sublunares; & cognitio primorum principiorum continet virtualiter omnes scientias. Motus autem cœli sic se habet ad effectus sublunares, quòd, quantùm est de se, nisi impediatur ex defectu materiæ, vel causæ intermediæ, tendit in effectum perfectum. Et hinc est, quòd defectus in his inferioribus non proueniunt ex aliquo defectu, qui sit in motu cœli, vel in intelligentia motrice cœlorum; sed ex defectu, vel materiæ, vel inferiorum causarum. Ita etiam motus appetitus finis, quantùm est de se, mouet in finem, & in actionem tendentem in ipsum; atque adeò virtualiter continet actionem perfectam; si attendamus ad intrinsecam virtutẽ talis principij, & ad effectus, ad quos tale principiũ de se tendit. Quòd si contingat aliquem defectũ esse in actionibus voluntatis, oportet talẽ defectũ prouenire, nõ ex principio, in quo nullus est defectus; sed ex causa intermedia inter principiũ, & actionem voluntatis, puta, ex ratione apprehendente, vel verè, vel apparenter ordinanda in finem. Idem licet obseruare in intellectu, quem Deus mouet ad verum per hoc, quod mouet ad cognoscendum prima principia per se nota; quæ virtualiter continent omnes scientias perfectas: atque adeò quantum est de se tendunt ad perfectas scientias. Si autem contingat errorem aliquem esse in intellectu; vel cognitionem esse imperfectã, puta dubiã, vel cum formidine alterius partis; id nõ prouenit ex principio per se noto; sed ex defectu inuẽto in intermedia causa, puta, p-

193 *Prob. Deũ, quantũ est de se, mouere ad actionem perfectam.*

posi-

positione subsumpta dubia, & cum formimidine alterius partis cognita, vel ex falsa subsumpta, & falsa applicatione principij in talem conclusionem. Sic ergo Deus, quantùm est de se, semper mouet voluntatem ad perfectam actionem: siquidem motus, quo eam mouet, ratione propriæ virtutis, et quātùm est de se, cōtinet actionem perfectam; quæ tendit in ipsum finem, & in talem actionem inclinat.

194 *Explū ad propositū. Deus hoc dicitur velle oēs hīes saluos fieri. q dedit Adamo gratiam, q traduceretur per originem.*

2 Sicut Deus, dum creauit Adamum cum gratia, quæ diffunderetur per originē generationis; quantùm est de se, & ratione doni concessi; non solùm Adamo, sed omnibus posteris dedit virtualiter vitam æternam. Siquidem gratia semen est, & virtus, in qua continetur vita æterna; hæcq; gratia effectus est voluntatis diuinæ, qua voluit omnes homines saluos fieri. Nā per hoc ipsum dicitur Deus habuisse intētionem, seù voluisse omnes homines saluare; quod dedit donum gratiæ, per quam saluarentur, si ipsum donum non perdidissent. Simili modo (sed aliquali seruato discrimine) dicitur Deus mouere voluntatem ad actionem perfectam, & intentum Dei esse perducere voluntatem ad actionē perfectam, inquantùm mouet voluntatem motu, in quo non est defectus, & in cuius virtute per se sumpta, sola actio perfecta continetur; & qui nisi impediretur ex defectu inuento in causa subordinata tali principio, perueniret ad actionem perfectam. Hæc autem intentio, & voluntas in Deo appellari solet voluntas signi, vel antecedens. Vt patet ex verbis D. Tho. infra adducendis §. 16. num. 7.

195 *Notabile pro explicatione secūdi pūcti principalis.*

3 Pro explicatione secundi considerandum est, quòd sicut in corporalibus (vt dicemus in nostro Tractatu philosophico ex doctrina Diui Thomæ) motus cœli non solùm est motus mobilis, seù quo cœlum mouetur; sed etiam motio mouentis, seù id quo cœlum mouet hæc inferiora. Et in spiritualibus cognitio principiorum non solùm est motus, quo intellectus mouetur; sed etiam, quo intellectus seipsum mouet ad cognoscendas conclusiones. Ita in voluntate appetitus vltimi finis non solùm est motus, quo mouetur voluntas; sed etiā, motio, qua ipsa voluntas seipsam mouet ad appetenda media, seù eligendum propter finem: & sic non solùm est motus mobilis; sed etiam motio mouentis. Talis autem motio, seù motus, quo aliquid constituitur in actu ad mouendum aliud, siuè etiam seipsum, quatenus habet partem mouentem, & partem motam, non solùm continet virtutem mobilis; & sic est virtus inferioris mouentis: sed etiam continet virtutem motoris; & sic est virtus superioris monentis; vt de motu cœli notabimus in prædicto Tractatu adductis pluribus locis D. Tho. Motus enim, quo cœlum mouetur ab intelligentia, non solùm est virtus, seù in eo est virtus, quo cœlum mouet hæc inferiora; sed etiam in eo est virtus intelligentiæ, qua intelligentia hæc eadem inferiora mouet. Vndè hæc inferiora non solùm sunt effectus cœli; sed etiam intelligētiæ motricis. Et ita fit, vt motus ille, quo voluntas mouetur à Deo, puta, appetitus, seù volitio vltimi finis (qui ita se habet in genere appetibilium, sicut cognitio principiorum in genere cognoscibilium, & motus cœli in ordine corporalium) non solùm sit motus, quo mouetur voluntas; sed etiam motio, & motus, quo seipsam mouet, nec solùm est virtus, qua voluntas mouet seipsam; sed etiam est virtus, qua Deus mouet voluntatem.

Appetitus vltimi finis nō solū est motus mobilis; sed motio mouentis.

Continet virtutem mobilis, & virtutem motoris.

Hoc adnotato (quod in doctrina Diui Thomæ est euidentissimum) facile possumus intelligere, qualiter voluntas, quandoque sit debitè dispositа ad recipiendum motum, virtutem, seù motionem Dei mouentis.

196 *Quōdo voluntas sit debitè dispositа ad recipiendam motionem Dei mouētis, explicatur exemplo.*

4 Sicut enim in corporalibus per illud ipsum, quo inferiora corpora redduntur dispositа, vel indispositа ad recipiendum influxum motus cœli, redduntur dispositа, vel indispositа ad recipiendum motum, virtutem, & influxum intelligentiæ. Et quia euidens est aliqua corpora aliquando esse dispositа, vel indispositа ad recipiendum influxum motus cœli; euidens est etiam, quòd aliqua corpora aliquādo sunt dispositа ad recipiendum motum, virtutem, seù motionem intelligentiæ; secundum tamen quòd motus, motio, vel virtus intelligentiæ descendit ad ipsa per viam motus cœli. Quod dico, quia non oportet, vt sint dispositа ad virtutem, & motionem intelligentiæ ad ipsa descendentem per aliam viam, vt dum mouet hæc inferiora immediatè. Et sicut in motu potentiæ intellectiuæ optimè potest dici; quòd intellectus, qui non est dispositus ad recipiendam virtutem, seù motionem principiorum; neque est dispositus ad recipiendam motionem Dei participatæ in cognitione principiorum. Et per illud ipsum, per quod intellectus redditur dispositus, vel indispositus ad participandam virtutem, & motionem principiorum, potest dici, quòd redditur dispositus, vel indispositus ad participandam motionem Dei; prout tamen Deus habet influere in intellectum per hanc viam naturalium principiorum; secùs si per aliam viam.

5 Ita dicendum est in nostro casu. Quia appetitus vltimi finis, qui est motus, 197

Digitized by Google

quo voluntas mouetur à Deo, est primum principium, per quod Deus diffundit in voluntatem alios motus: sicut etiam est id, quo voluntas fit in actu ad mouendam seipsam. Ideò est, quòd sicut voluntas est dispositа, vel indispositа ad recipiendum influxum, & motionem, seù motum procedentem à tali principio: ita est dispositа, vel indispositа ad recipiendum motum diuinæ virtutis; quatenus tamen motus voluntatis procedit à diuina virtute per hanc viam, puta, per influxum volitionis finis: secùs autem dicendum est de voluntate in ordine ad Deum, prout est eius motor extraordinarius, seù specialis: vel etiam quatenus ab ipso per aliam viam procedit debita dispositio voluntatis, vel permissio dispositionis indebitæ; seù (& melius) secùs dicendum est in ordine ad Deum; quatenùs est agens vniuersalissimum, influens per omnes lineas causarum, quæ quomodolibet se habent ad motum voluntatis. Sic enim nulla dispositio, nec debita, nec indebita datur in ordine ad Deum: quia etiam à Deo, siue immediatè, siue mediantibus alijs causis, procedit omnis bona dispositio, per quam potest auferre omnem malam dispositionem. Sicut nec datur aliquis vnus motus receptus in aliqua determinata causa, qui habeat facere omnia illa, quæ facit Deus per omnes lineas causarum; taliter, vt, sicut Deus, quatenus agit per omnes lineas causarum, non exigit dispositionem; quia etiam ipsa dispositio causarum procedit à Deo, vel immediatè, vel per aliquam causam: ita etiam quatenus agit per aliquod determinatum principiũ creatum, seù quatenus gubernat aliquam determinatam lineam causarum secundarum, mouendo eas iuxta modum, & congruentiam ipsarum causarum secundarum nullam exigat dispositionem. Hoc enim secundum est omninò falsum, vt patet ex verbis D. Thom. referendis §. 16. num. 7. licet imaginatum sit ab aliquibus modernis altruentibus prædeterminationem.

Ratio prædãs intẽtũ.

Ratio autem horum, quæ diximus est: quia causæ ordinatæ in aliqua linea, sicut se habent in ordine ad superiorẽ proximam, ita se habẽt in ordine ad remotam, & primã; quatenus prima, seù remota, descendit ad vltimam per illam intermediam inferiori proximam. Sicut ergo illa intermedia requirit determinatam dispositionem in sibi subordinata causa; ita etiam talis dispositio requiritur ad remotam; quatenus remota descendit ad vltimam per illam intermediam, exigentem determinatam dispositionem in causa sibi subordinata.

198 6 Quod diximus, sic breuiter explicatur. Deus dupliciter considerari potest: Vno modo absolutè, & inquantum potest res facere considerata sua absoluta potentia. Alio modo inquantùm gubernat vniuersum per hanc, vel illam causarum seriem in vniuerso inuentarum. In ordine ad Deũ primo modo consideratum, nulla datur dispositio inuenta in causis: sic enim omnis dispositio est ab ipso, & potest auferri per ipsum. In ordine autem ad Deum, secundo modo consideratum, sic inueniuntur in vniuerso aliquæ causæ dispositæ, vel indispositæ ad recipiendum diuinum motũ; sicut inueniuntur dispositæ, vel indispositæ ad recipiendum motum suæ causæ superioris proximæ: seù sicut inueniuntur habere naturalia, vel supernaturalia principia, & formas, per quas redduntur debito modo ordinatæ ad causas suas superiores, siuè naturales, siuè supernaturales.

Deus dupl citer cõsiderari potest, absolutè & prout agit p cãs as intermedias.

199 7 Quod autem aliqua sint indispositа ad recipiendum diuinum motum; ita euidens est in naturalibus, de quibus hucusque egimus; sicut in supernaturalibus. In istis autem: nam dona Spiritus sancti, qui secundum S. Thomam sunt habitus distincti à virtutibus theologicis, reddunt hominẽ facilè mobilem, & idoneum ad sequendum diuinum instinctum; sicut homo per naturam rationis est facilè mobilis, & idoneus ad sequendum naturalem instinctum. Sicut ergo per prædicta dona fit homo idoneus, & facilè mobilis in ordine ad diuinũ instinctum, qui est motus, quo Deus, vt gubernator supernaturalis, mouet creaturam rationalem in proprium finem supernaturalem; ita si prædictis donis careret, non esset ita idoneus, & dispositus ad sequendũ supradictum diuinum motum. Et inde etiã fit; quòd quò prædicti habitus sunt intentiores; eò fit per ipsos homo promptior ad sequendum diuinum motum; & ex consequenti validior ad superãdos impetus passionum mouentium in oppositum eius, in quo mouet diuinus instinctus. Sed de his alibi.

Dispositio ad recipiẽdũ impetũ supernãlis instinctus sunt dona spir. sancti

200 8 Ex quibus patet tertium: nempè, qualiter contingat, voluntatem non recipere, seù deficere à debito modo recipiẽdi motum primi mouentis, & peccare. Id enim accidit secundùm modum traditum à D. Thom. relatum §. 7. num. 10. & §. 8. per totum præsertim num. 6. & deinceps per totum §. 9. Et proportionaliter ad id, quod accidit in intellectu, & in alijs causis naturalibus in quibus inuenitur peccatum, seù defectus actionis.

Qualiter contingat, voluntatem recipere motionem mouentis Dei mõ debito, vel indebitos & sic peccare, vel rectè agere.

Cum enim voluntas, vt coniuncta illi apprehensioni, quæ existimat, aliquod esse bonum, & ordinabile in finem, quod non est verè bonum, & in finem ordinabile; nõ sit in debita dispositione, & ordine debito ad finem (vt §. præcedenti ex doctrina

Diui

Digitized by Google

Diui Thomę probauimus) non est ex consequenti in debita dispositione, & debito ordine adipsammet voluntatem mouentem seipsam ex appetitu finis: & ita fit, vt nõ possit recipere debito modo impetum, seù motionem, qua voluntas intendens finem, virtute appetitus finis seipsam impellit in finem: Et quia hic ipse motus appetitus finis est motus, quo Deus mouet voluntatem; sequitur etiam, quòd non possit recipere debito modo motum, quo Deus mouet voluntatem. Ex hoc autem contingit voluntatem peccare (vt §. præcedenti ostendimus) quòd ipsa mouetur ad apprehensionem rationis accipientem, vt ordinatum in finem id, quod non est in finem ordinabile; vt dicit Sanctus Doctor verbis à nobis relatis §. 7. num. 7. Seù cum ipsa prorumpit in actionem ad apprehensionẽ sensus, vel rationis non repræsentantis ei proprium bonum; sed aliquid à proprio bono diuersum, vt ipsemet Sanctus Doctor loquitur verbis à nobis citat. §. præcedenti num. 12. Et sic patet, quod ex hoc contingit voluntatem peccare: quia non recipit debito modo motionem mouentis Dei.

quatenusẽ in potẽtia ad appetẽdũ media.

Apprehẽsio existimans ordinabile infinẽ, qnõ est ordinabile, hẽs defectũ repugnantẽ impulsui finis vltimi:

Est sicut sagitta curua aspiciẽs vt signũ, & nõ ẽ signũ sagittatoris.

Non recipit debito mõ impetũ finis mouẽtis; sed sm modũ suæ tortuositatis.

Per accid. & pter intentionẽ prĩcipij mouẽtis incidit voluntas in actionem peccati.

BREVIS EXPLICATIO
Propositæ sententiæ.

201 *Idẽ explicatur euidentiùs. Hãc doctrinam valde nota, & cõsidera.*

9. HOc, quod intendimus, sic euidentius explicatur. Voluntas non potest peccare; nisi dum seipsam mouet, vt probauimus §. 7. Non mouet autem seipsam deliberatè, nisi quando ex eo, quod vult in actu finem, applicat rationem ad consiliandum; vt per rationis cõsilium se determinet, & reducat in actum appetendi id, quod apprehendit ratio esse conueniens fini. Verùm quando sic voluntas seipsam mouet, habet duas quasi partes, scilicet, partem mouentem, quæ est ipsa voluntas quatenus est in actu appetẽs finem; et partem motam, quæ est ipsa voluntas, quatenùs est in potentia ad appetenda media, seù conuenientia fini. Medium autem, per quod voluntas, quatenus est mouens, habet seipsam reducere in actũ, est ratio; per cuius consilium, & imperium monet, & determinat seipsam ad id, quod est fini conueniens. Et ita in isto processu appetitiuo habemus tria; puta, mouens principale, & primum in suo ordine, & hoc est voluntas appetens finem: mouens medium, per quod imperium mouẽtis transfertur ad mobile; & hoc est rationis apprehensio boni ordinati, seù conuenientis fini, ad quam peruenit ratio per consilium: et vltimum mobile, & hoc est ipsamet voluntas, quatenus est in potentia ad appetenda media in finem. Si ergo contingat volũtatem mouere seipsam media rationis apprehensione, apprehendente esse bonum, & conueniens fini id, quod est verè bonum voluntatis, & fini conueniens; tale medium mouens recipiet imperium mouentis, scilicet, appetitus finis, perfecto modo, & secundum illam intentionẽ, quam habet mouens. Est enim talis apprehensio capax illius imperij voluntatis, per quod intendit peruenire ad finem; cum talis apprehensio sit boni ordinabilis in finem. At verò si contingat voluntatem mouere seipsàm per apprehensionem rationis, existimantis bonum, & ordinabile in finem, quod nec bonum est, nec ordinabile in finem: tunc talis apprehensio (qua voluntas vtitur, vt medio ad se mouendum & quæ ad exercitium actus mouet, vt mota, & vt ferens imperium voluntatis) non potest recipere imperium, & motum procedentem, tanquam à principio, ab appetitu finis debito modo, & secundum intentionem talis principij: siquidem habet defectum, qui repugnat directiuitati, & tendentiæ in finem, in quem impellit ipsamet appetitio finis. Et defectus est illa obliquitas, & tortuositas, quam habet, dum existimat, & quasi aspicit, vt tendens in finem, quod non est in finem ordinabile; est quasi sagitta obliqua, quæ ratione obliquitatis aspicit pro signo id, in quod non dirigit motus, & intentio sagittantis. Et indè est, quòd quamuis voluntas, quantum est ex vi motus, quo mouetur à Deo, puta, appetitus finis, impellat, & moueat seipsam in actionem perfectam, tendentem in finem proprium, & sibi debitum: apprehensio tamen tortuosa, quia non recipit motũ & impetum mouentis debito modo, & secundum intentionem finis appetiti; sed secũdum modum suæ tortuositatis existimãtis ordinabile in finem, quod non est ordinabile; non transmittit, nec defert ad voluntatem, in quantum est pars mota, non defert (inquam) motum secundum intentionem principij mouentis, quod est appetitio finis proprij, & debiti: sed secundum modum suæ tortuositatis, puta motum, quo tendit in id, quod nõ est finis proprius. Vnde per accidens, & præter intentionem principij mouentis, voluntas deuiat à proprio fine: & sicut deuiat à proprio fine, & à modo debito recipiẽdi motionem principij, puta volitionis finis; ita deficit à debito modo recipiendi motionem Dei contẽtã in prædicto principio, & à fine, in quẽ ipsam voluntatem ordinauit Deus. Et illo simili modo res ista euenit, quodam artifex ad conficiendum opus artificiosum artificiosè, & prout dictat ars, vtitur instrumento, quod est defectuosum, & irregulabile

Idẽ explicatur euidentiùs. Hãc doctrinam valde nota, & cõsidera.

Voluntas mouẽs seipsã, bẽt partẽ mouẽtẽ, & partem motam.

Pars mouẽs ẽst voluntas appetẽs finem. Mouẽs medium rõnis apprehẽsio

Vltimum mobile est voluntas,

A voluntate finis procedit actio peccaminosa illo mõ, quo ab artifice agente per instrumentũ irregulabile.

bile ab arte. In hoc enim facto, quamuis artifex, quantum est ex vi artis, moueat, & impellat instrumentum ad actionem artificiosam, producentem opus consonum fini artis: attamen, quia instrumentum habet defectum, propter quem non potest regulari, nec recipere debito modo motum procedentem ab arte; indè euenit, quòd actio consequens ad tale instrumentum est imperfecta, & producens præter intentionem artis opus dissonum fini ipsiusmet artis mouentis in finem proprium.

§. XI.

Aliqua Corollaria ex dictis.

EX dictis in præcedenti §. aliqua colligere possumus, quæ ad rem de qua agimus intelligendam faciunt, et

Primò: qualiter sit rectè dictum à Sancto Doctore, quòd voluntas redditur sub debito, vel indebito, ordine ad finem per apprehensionem rationis.

202 1 COlliges ergo primò, qualiter hoc, quod in titulo posuimus sit rectè dictum à D. Th. vt notauimus §. 9. num. 15. Ordo quippè debitus, vel indebitus vltimi mobilis ad mouens primum dependet, non solùm ex intrinseca dispositione mobilis; sed etiam ex intermedio mouẽte. Quãdo enim mouẽtia sunt per se ordinata, si medium aliquod est inordinatum ad suum superius mouens, efficiet, vt omnia alia inferiora mouentia, vel mobilia nõ sint in debito ordine ad suum superius. Siquidem sicut superius descendit ad vltimum mobile per illud intermedium, quod est inordinatum: ita & vltimum mobile, dum respicit primum mouens per illud intermedium inordinatum, non se habet sub debito ordine ad primum. Cum ergo inter voluntatem, quatenus habet partem motam, seu est in potentia ad eligenda media in finem, & appetitum finis, qui est veluti primum mouens in suo ordine, mediet apprehensio rationis, vt notauimus num. 9. præcedentis §. fit inde, vt per hoc ipsum voluntas, in quantum est mobilis à seipsa per volitionem finis, deficiat à debito ordine prædictæ volitionis finis, quod ratio per suam apprehensionem est obliqua, & deordinata à fine; dum existimat ordinabile in finem, quod non est ordinabile in ipsum.

Et indè colliges,

Secundò: Qualiter sit rectè ab eodem S. Doctore dictum, quod defectus, qui præcedit actionem malam moraliter sit defectus apprehensionis.

203 2 COlliges (inquam) etiam: qualiter sit rectè à S. Doctore dictum id, quòd retulimus §. 8. præsertim nu. 6. videlicet illis verbis. *Ex quo inest appetitus rectus vltimi finis; nõ posset sequi, quòd aliquis aliquid inordinatè appeteret; nisi ratio acciperet, vt ordinatum in finem, quod nõ est ordinabile.* Et illis alijs nempè. *Cum voluntas ordinetur in bonum, sicut in proprium obiectum, quòd in malum tendat; non potest contingere; nisi ex hoc, quòd malum apprehenditur sub ratione boni, quod pertinet ad defectum intellectus, vel rationis, vndè causatur libertas arbitrij.* Quibus possunt addi ea, quæ loco supra citato non transcripsimus ex q. 24. de Veri. art. 8. in corp. vbi sic habet Sanctus Doctor.

204 3 *Voluntas naturaliter tendit in bonum, sicut in suum obiectum; quòd autem aliquando in malum tendat, hoc non contingit, nisi quia malum sibi sub specie boni proponitur. Malum enim est inuoluntarium, vt Dionysius dixit 4. cap. de diuinis nominibus: vndè non potest esse peccatum in motu voluntatis, scilicet, quòd malum appetat; nisi in apprehensiua virtute defectus praeexistat, per quem sibi malum, vt bonum proponatur.* Et indè.

Tertiò colliges; qualiter intelligas S. Th. quoties asserit, voluntatem carentem directione regulæ rationis, & legis diuinæ, esse causam inordinationis actus peccati per accidens, & præter intentionem.

205 4 EX dictis, inquã, colliges, qualiter intelligas D. Thomam p. 2. q. 75. art. 1. in corp. vbi concludit his verbis. *Igitur voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum peccati per se; sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem. Prouenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate.* Habes in quam vndè intelligas hunc locum, & vbilibet de hac re loquitur.

Verba D. Th. valdè notanda. Ecce principiũ vnde prouenit peccatum in actibus volũtarijs.

206 5 Et in primis intelliges, quòd voluntas per illud ipsum sit carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, per quod sit carens

Per illud ipsum voluntas fit carens regula rationis, & legis diuinę per quod fit carens debito ordine ad ſuum motiuum.

carens debito ordine ad ſuum motiuum. Diximus enim ſupra ex doctrina S. Doct. quòd voluntas conſtituitur in ordine non debito ad ſuum motiuum per apprehenſionis iudicium, quo ſeipſam mouet; dum ſcilicet accipit, ſeù apprehendit, vt bonum proprium voluntatis, & ordinabile in finẽ, quod eſt à tali bono diuerſum, & inordinabile ad voluntatis finem; *& hoc accidit* (vt inquit Sanctus Doctor cit. §. 9. num. 14.) *Cum ratio in aliquod bonum ratiocinãdo deuenit, quod non eſt, vel nunc, vel hoc modo bonum: & tamen voluntas in illud tendit, quaſi in proprium bonum*. Dico modo, quòd per hoc ipſum voluntas fit carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, nempè per rationis diſcurſum, quo nõ per principia habituum rationis ſuperioris, & inferioris; ſed per extranea vel ex falſo principio, vel mala ratiocintione deuenit in ſupradictum iudiciũ. Et ita idem omnino eſt voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, quòd voluntas carẽs debito ordine ad ſuũ motiuum, puta voluntas per iudiciũ rationis apprehendẽs, & accipiẽs, vt bonum proprium, & ordinabile in finem, quod eſt diuerſum, & inordinabile.

207 *Voluntas fit carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ per apprehenſionem nõ rectam.*

6 Quòd autem voluntas conſtituatur carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ per rationis iudicium, patet per ipſummet Diuum Thomam in eadẽ q. prox. cit. art. 2. in corp. vbi reſoluens in propria principia ea, quæ in auctoritate inducta dixit inueniri in voluntate peccante, carentiam directionis regulę rationis, & legis diuinæ, attribuit rationi his verbis, videlicet.

Ipſa autem abſentia debitæ regulæ pertinet ad rationem, quæ nata eſt huiuſmodi regulam conſiderare.

208 *Practicatur prædicta doctrina.*

7 Vt autem videas in praxi, qualiter p rationis apprehænſionem habet voluntas, quòd careat, vel habeat directionẽ regulæ rationis, vel legis diuinæ, obſerua; quòd ex doctrina Diui Thomæ, & Ariſtotelis, quam nos referemus in ſecũda parte huius Tractatus, in quolibet actu virtutis, & vitij procedit ratio ad iudicandum de eligibili per quamdam deductionem, quaſi ſyllogiſticam. Et quidem circa actum virtutis, *habitus ſyndereſis* (verba ſunt D. Th. in 2. diſt. 24. q. 2. ar. 4. *Quaſi maiorem miniſtrat: ſed minorem miniſtrat ratio ſuperior, vel inferior.* &c. *v. g. ſyndereſis hanc proponit omne malum eſt vitandum: ratio ſuperior hanc aſſumit: adulterium eſt malum; quia lege prohibitum ſiuè ratio inferior aſſumeret illam, quia malum quia iniuſtum, ſiue inhoneſtum. Concluſio autem eſt, adulterium hoc eſſe vitandum,*

Verba S. Doctoris.

Voluntas, quæ habet directionẽ regulæ rationis, & legis diuinæ.

Quando ergo voluntas per ſimilem proceſſum ſe dirigit in aſſumendo iudicium de eligibili; quia tale iudiciũ aſſumit de actione faciẽda, applicãdo actioni faciẽdæ regulam, vel legis diuinæ, vel rationis: ſiquidem cum ratio dicit hoc eſt malum; quia lege prohibitum, applicat regulam diuinæ legis actioni: ideò dicitur voluntas habere directionẽ regulæ rationis, & legis diuinæ.

8 Si verò per ſimilem proceſſum aſſumit ratio iudiciũ de particulari aliquo eligibili, ſed in propoſitionibus, per quas aſſumit iudicium, non applicat actioni aliquam regulam, vel rationis, vel legis diuinæ; tunc voluntas, quæ per ſimilem proceſſum ſe dirigit circa tale eligibile, dicitur carere directione regulæ rõnis, & legis diuinę. Exẽpli gratia ſi volũtas ſe dirigeret hoc diſcurſu. Omne bonum eſt agendum: Sed tũc fornicari eſt aliquod bonum; quia delectabile; ergo nunc eſt fornicandum. Quia in prædicto diſcurſu ratio accepit iudicium de actione, non applicando regulam rationis, & legis diuinæ ad actionem; ſed ſine tali regula; ſi quidem in minori nõ dixit, fornicari eſſe bonum: quia ad hoc excitant conſilia diuinæ legis; vel quia nulla lege eſt prohibitum; vel quia conueniens ſecundum rationẽ, &c. ſed quia eſt delectabile ſecundum ſenſum; & ſic applicuit ad regulandam actionem menſuram ſenſus. Indè eſt, quòd voluntas, quæ per tale iudicium ſe dirigit ad agendum, dicitur carere regula rationis, & legis diuinæ. Et ſic apparet, qualiter ex iudicio, & apprehenſione rationis habet voluntas, quòd habeat, vel careat directione regulæ: per hoc .ſ. quod vel apprehendit, vt bonum id, quod eſt proprium bonum voluntatis, vt contingit, quando ad iudicium habendum applicat regulam rationis, & legis diuinæ: vel apprehændit, vt proprium bonum, & ordinabile in finem id, quod eſt diuerſum à proprio bono, & non ordinabile in finem; vt contingit, quando ad iudicium habendum non applicat prædictas regulas.

directionẽ regulæ rationis, & legis diuinæ.

209 *Voluntas carens directione regulę rationis, & legis diuinæ.*

9 Denique ex dictis in calce præcedẽtis §. habes eſſe bene dictum in auctoritate inducta. Quòd voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ cauſat indirectionem actus per accidens, & prẽter intẽtionem: quia prouenit defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate. Ratio enim talis dicti eſt diſcurſus poſitus §. præcedenti num. 7. Si enim voluntas ſe mouet ex volitione debiti finis, & volitio iſta eſt intentio voluntatis; ſequitur quòd voluntas intendit debitum finem. Si ergo voluntas intendens, & deſiderans pergere in finem debitum, ſeù ſuũ proprium bonum producit actionem, qua non tendit in talem finem: oportet, quòd talis deordinatio actionis à fine, ſit prẽter intentionem, &

210 *Nota qualiter volũtas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, cauſat indirectionem actus per accidens, et prẽter intẽtionem.*

per

per accidens. Probat hanc conclusionem Diuus Thomas 3. contra gent. cap. 4. ratione 4. vbi rem cõfirmat auctoritate Dionysij Areopagitæ de diuinis nominibus cap. 4. apud eundem Diuum Thomam lect. 22. quem sæpè ipsemet Sanctus Doctor citat, & sequitur, & inter alia loca q. 1. de malo art. 3. ad 14. Verba Dionysij, quibus suam conclusionem probat, sunt.

Verba D. Dionysij ad idē propositum.

Malo esse, ponendum est secundum accidens, & propter aliud. & non ex principio proprio. Quare, quod fit, rectum quidē esse apparere: quoniam boni gratia fit. Reuera autem non rectum esse; idcirco, quòd non bonum, bonum opinantur. Demonstratum est, aliud esse desideratum, & aliud factum. Igitur malum est præter viam, & præter intentionem, &c. & præter voluntatem.

211 *S. Tho: explicãs Dionysium.*

10 Rationem in his verbis contentam sic formar Sãctus Doctor: *dicit* (ideſt Dionysius,) *quòd malo, assignandum est, esse per accidens, quod sic probat. Quandocũq; est aliud factum, & aliud desideratum: illud, quod fit, habet causam per accidens: Sicut si aliquis fodiens sepulchrum inueniat aurum, dicimus inuẽtionem auri per accidens prouenisse. Sed quãdo aliquis facit malum; aliud est quod fit; & aliud, quod desideratur, siuè intenditur: quia illud, quod fit, apparet esse bonum; quod omninò necesse est; quia fit boni gratia, omne, quod fit, vt ostẽsum est* (scilicet per Dionysium) *sed secundum rei veritatem non est bonum: quia contingit, quòd aliquis opinatur esse bonum, quod non est bonum. Ergo relinquitur, quòd malum non habet principium, nisi per accidens. Et indè vlterius cõcludit, quòd malum est præter intentionem mouentis; quia omnis intentio mouentis fertur in bonum.* Hæc S. Doctor. Vbi (vt vides) Dionysius adducit eamdem rationem, quam nos supra expẽdimus. Sed hæc sint per transitum dicta ad experiendam cohærentiam doctrinæ Diui Thomæ; Cæterũ si soluere cupis quasdam obiectiones, quæ contra prædicta afferri possent; ex eo, s. quòd sic peccatum esset involuntarium, & procedens ex ignorãtia; & ita esset excusabile, & iterum non darentur peccata ex certa malitia, & similia, lege *D.* Tho. super hunc locum Dionysij, vbi soluit obiectionem ex vno ex his capitibus ad ductam, & q. p. de malo cit. art. 3. ad 15. & q. 3. sequẽti art. 12. in corp. vbi assignat differentiam inter peccatum commissum ex infirmitate, & ex certa malitia; ac etiam declarat ex certa doctrina Aristotelis, qualiter homo peccans sit voluntariè malus, quando agit actionem, cui per accidens, & præter intentionem principij mouentis est coniunctum malum. Vide etiam lib. 3. cõtr. gentj: vbi cap. quinto proponit obiectiones, quas cap. 6. soluit mira, & sæpe considerãda doctrina.

§. XII.

Concluditur principale intentum, ostenditur bona responsio data §. primo, & soluitur obiectio proposita ex auctoritate Augustini.

212 1 NVnc ergo tandẽ redire oportet ad principale propositũ. Etenim iam explicauimus, & ostendimus vera esse ea omnia, quæ in responsione, quam argumento in hoc Tractatu proposito dedimus num. 2. supponebantur, & exemplа ibidem allata esse ad propositũ.

213 Porrò argumentum erat. Si Deus esset causa mouens, & præueniens vsum nostræ libertatis; deberet ex consequenti præueniendo mouere efficaciter voluntatem ad actum illum, cui est necessario connexa, & in propria ratione imbibita deformitas peccati, vt ad physicam entitatem odij Dei, blasphemiæ, mendacij, &c. At si Deus sic moueret voluntatẽ ad physicam entitatem talium actuum; non poſset non esse causa deformitatis, ergo. *Argumẽtũ Recẽtiorũ.*

214 2 Respondi, quòd admissa maiori in sensu explicando, negari debet sequela minoris; cuius falsitas euidenter apparet. Nam potentia motiua est causa antecedẽs efficaciter mouens tibiam curuam, & non est causa defectus claudicationis, & sagittator causa est antecedens, & efficax mouẽs sagittam curuam in signum intentum; & tamen non est causa obliquitatis motus; nec deuiationis ab intento ad non intentũ signum. Hæc autem exempla similia esse negotio, de quo agimus, probauimus §. X. per totum, præsertim num. 7. *Solutio præcedẽtis argumẽti.*

Sed nunc remanet soluenda obiectio desumpta ex auctoritate Augustini, & insuper explicanda est maior argumenti, quam nõ simpliciter concessimus; sed admisimus in sensu explicando.

215 3 Verum ad Augustinum facilis est responsio ex his, quæ insinuauimus in hoc eodem Tractatu §. 10. à num. 5. & diffusè probabimus in tract. de Necessitate præcedente, & sequente secundum mentem D. Anselmi, & in hoc eodem Tract. disputatione quarta.

Augusti. loquitur de volũtate absoluta, non de cõditionata.

Dicendum est ergo, quod Augustinus loquitur de diuina voluntate absoluta, quã Damascenus vocat consequentem, cuius propositũ exequutioni mandatur per dispositionem diuinæ prouidentiæ; in quantum

Digitized by Google

Aug. loquitur de voluntate absoluta, nõ de cõditionali.

Prior impedirinõ põt, posterior potest.

Exẽplum ad propositum.

rùm est vniuersalissima causa descendens ad aliquem particularem effectũ per omnes lineas causarum, quæ quomodolibet ducunt ad illum effectum, siue per se, siuè per accidens. Non autem de voluntate conditionali, & antecedenti explicata in aliquo effectu; qualis est ista voluntas, qua Deus vult, quòd omnes hõmines agãt bonum, per quam omnes mouet ad bonum, imprimens voluntati motum, quo tendat in finem proprium sibi debitum. Hæc enim potest impediri; sicut potest impediri voluntas, qua voluit Deus omnes homines saluos fieri, dando homini gratiam originariam, per quam potuissent omnes homines saluari, si eam non perdidissent. Itaque sicut per hoc ipsum, quòd potuit impediri gratia originaria, & beneficia, quæ homini Deus contulit, vt posset ire in vitam æternam; potuit etiam impediri illa voluntas, qua Deus vult omnes homines saluos fieri; ita per hoc ipsum, quòd potest impediri motus, quo voluntas mouetur à Deo in bonum; potest etiam impediri voluntas ista Dei, qua vult omnes homines operari bonum. Denique concludo, quòd virtus diuinæ voluntatis, seù primi mouentis Dei participata à causis creatis est secundum modum causarum creatarum. Vndè si nihil aliud haberet Deus, & eius voluntas, quàm quod habet, pro vt agit per aliquam determinatam seriem causarum defectibilium; esset absolutè, & simpliciter impedibilis, & defectibilis, etiam si esset causa necessaria, sicut sol: qui etiam est impedibilis in effectibus causarum corruptibilium, vt probabimus locis proxim. citat. in hoc eodem num.

216 *Explicatur maior propositio principalis argumenti*

4 Circa maiorem aduerto, quòd cum dicimus: Deus mouet voluntatem ad substantiam actus, cui alias est connexa deformitas peccati, per ly, ad substantiam actus, potest significari, quòd terminus per se intentus per diuinam motionem quantum est de sè, sit sola substantia actus præcisè sumpta; & in hoc sensu propositio est falsa. Motio enim diuina tendit, quantùm est de se, non solùm ad substantiam actus præcisè sumptam, vt ad terminum, quem ex natura sua intendit; sed ad actionem perfectam, seù electionem boni, per quod tendit in finem proprium voluntatis, vt supra toties diximus. Potest secundò in sensu minùs proprio significari, quòd sola substantia actus prouenit ex motione diuina, dum impeditur, ne perueniat ad actionem perfectam: & in hoc sensu propositio admittitur. Sicut enim istæ propositiones: sagittator mouet sagittam curuam ad substantiam motus; vel potentia motiua mouet tibiam curuam ad solam substantiam motus, non sunt veræ; si per eas designetur, quòd terminus per se intentus sagittarij, & potentiæ motiuæ sit sola substantia motus: nam sagittarius quantum ex se intendit impellere sagittam ad determinatum signum, & potentia motiua intendit gressum rectum. Sed tantùm sunt veræ, si per eas designetur, quòd substantia sola prouenit à sagittario, & à potentia motiua, non autem obliquitas; licet ipsa sola non sit terminus per se intentus; sed quasi per accidens, & occasionatus; ex eo quòd virtus sagittarij, & potentiæ motiuæ fuit impedita, ne perueniret ad terminum intentum, puta ad actum cum perfectione debita, & sic remansit terminata ad solam substantiam. Ita in proposito.

5 Et ex hoc deindè sequitur, quòd maior propositio assumpta ab aduersario, nempè: si Deus esset causa efficax, & præueniens vsum nostræ libertatis, mouens voluntatem ad omnes actus bonos, deberet ex consequenti mouere voluntatem ad substantiam actus, cui est annexa malitia peccati; falsa est propriè loquendo; licet sit vera, si consequens propositio sumatur in sensu minus proprio supra explicato; prout designat, quòd si Deus est causa mouens voluntatem ad omnes actus bonos; debet etiam mouere ipsam, quando producit actum malum; licet non moueat ad malum, nec ad solam substantiam actus; sed ad actum habentem perfectionem debitam. Sicut potentia motiua mouet semper tibiam, siuè rectam, siuè curuam; nunquam tamen mouet ad claudicandum, nec ad solam substantiam motus; sed semper ad gressum rectum. Quòd autem mouens tibiam curuam solam substantiam motus causat, non verò rectitudinem gressus, id est per accidens, & occasionaliter, ex eo quòd impeditur à tibiæ curuitate. Et ita in proposito semper Deus mouet voluntatem ad bonum, nunquam ad malum, nec ad solam substantiam actus. Quòd autem solam substantiam actus causet; id semper est occasionaliter ex eo, quòd motus eius impeditur ab indebita dispositione voluntatis. Et hæc satis circa Resolutionem dubij.

217 *Maior propositio principalis argumenti sẽsu proprio est falsa. In sẽsu minº proprio ẽ admissa, et vera.*

§. XIII.

Obiectiones negantium causam antecedentem vsum nostræ libertatis proponuntur, & soluuntur.

1 QVamuis resolutio prædicta ex doctrina Diui Thomæ non 218

Digitized by Google

sit specialiter ab aliquo, quem viderim, impugnata; quia tamen recentiores incidenter aliqua afferunt, quæ contra nostram sententiam adduci possunt: ideò oportet ea adducere, & soluere. Porrò possunt desumi obiectiones, & ex his, quæ afferunt negantes dari causam antecedẽtem vsum nostræ libertatis; & ex allatis à ponentibus prædeterminationem physicam. In hoc §. proponemus, & soluemus obiectiones negantium causam antecedentem.

219 *Obiectio P. Ioseph. Spucces.*

2 Quidam Recentior per plures annos primarium Theologiæ lectorem agens in Collegio Panormitano Societatis in tractatu de gratia sanctificante disp. 1. sec. 6. n. 17. his verbis, impugnat ponentes physicam prædeterminationem. *Quia data tali sententia. Deus esset causa peccati.* Et subdit. *Sequelam hanc optimè probat D. Th. p. 2. quæst. 80. artic. 1. his verbis.* Sequentia sunt D. Thomæ cum obseruationibus prædicti Recentioris. *Peccatum actus quidem est. (Et loquitur de materiali) vndè hoc modo potest aliquid esse directè causa peccati, per quem modum aliquis directè est causa alicuius actus (Valet ergo consequentia, Deus est causa materialis: ergo & ipsius peccati, Pergit) Quod quidem non cõtingit; nisi per hoc, quòd proprium principium illius actus mouet ad agendũ. Tunc sic, qui mouet voluntatem ad agendũ positiuum actum peccaminosum, est etiam directè causa peccati. Sed qui prædeterminat, mouet ipsam: ergo &c. Vndè Sanctus Doctor concludit, Deum non mouere voluntatem ad agendum.*

220 *Cõfirmat. ex eodem.*

3 *Et confirmatur* subdit. *Quia causare peccatum non est per se intendere malitiam; alioquin neque homo causaret peccatum. Ergo est intendere materiale, cum quo est coniuncta malitia. Sed hoc facit Deus prædeterminans. Ergo.* Hæc prædictus Recentior; ex quibus possunt desumi obiectiones contra nostram sententiam.

221 *Recẽtiores sub prætextu impugnãdi prædeterminationẽ, cõnãtur probare cõtra D. T. Deum non mouere voluntatẽ ad agendum.*

4 Porrò in primis circa verba inducta, obserue, qualiter, tam iste, quàm plures alij suæ familiæ sub prætextu impugnandi prædeterminationem, semper ostentant se probare, Deum non mouere voluntatem ad agendum; nec esse causam actuum voluntatis, per hoc, quod ipsam voluntatem mouet. Hinc iste Recentior verbis modo relatis tres propositiones ostentat se inuenisse in Diuo Thoma. Prima est; quòd secundum Diuum Thomam valet ista consequentia; Deus est causa actus materialis peccati. Ergo Deus est causa peccati. Secunda est. Si Deus mouet voluntatem ad agendum, & motu suo est causa illius actus, qui est materialis peccati, est etiam directè causa peccati. Tertia est. Quòd Diuus Thomas in citato articulo, propter prædicta concludit, Deum non mouere voluntatem ad agendum. Euidenter hæc tria continentur in verbis relatis; quæ si vera essent, non solum dicta in hoc Tractatu; sed, & in alijs Tractatibus reiecta forent.

5 Sed mirans, & stupens hoc vnum considero, qualiter potuerint ista dictari in tam Illustri Collegio, in quo plurimi litteratum professores tunc exiterant, & inter alios Pater Ioseph Augustinus, & Pater Franciscus Bardi, qui typis multa mandauerunt. Estque etiam magis mirandum; quòd prædicta docuerat iam antea Ruiz tom. de volunt. Dei disputatione vigesima septima, sectione tertia, numero sexto, & septimo; vbi post hæc ipsa, quæ prædictus Recentior ex ipso docuit, sic concludit. *Studiosi lectoris erit attentè inspicere priorem partem citati articuli. Inueniet enim hanc esse Angelici Doctoris mentem.* 222

6 Respondeo itaque, quòd nihil penitus ex illis tribus colligi potest ex doctrina Diui Thomæ. Et quidem tertium; videlicet, quòd Diuus Thomas concludit: Deum non mouere voluntatem ad agendum; non solùm in prædicto articulo non concludit; nec solùm talis dicti docet oppositum in alijs operibus, nec solùm in eadem prima secundæ innumeris in locis, & inter alios quæstione nona. articul. quarto, & quinto, in corpor. Sed etiam in hoc eodem articulo. Primum verò, quod veluti insignem adnotationem posuit, nempè: quòd valet ista consequentia. Deus est causa actus materialis peccati: Ergo est causa peccati, esse contrarium Sancto Doctori constat, qui multoties ex professo, & præsertim quæstione antecedenti ad articulum istum, puta quæstione septuagesima nona, articul. secundo, docet. Deum esse causam actus peccati, in quantum est actus; non autem esse causam peccati. Et in secundo argumento proponit sibi expressè propositionem, qua vtitur dictus Recentior in sua cõfirmatione, puta causare peccatum non est intendere malitiam; sed materiale. Proposuit autem eam sub verbis relatis §. 4. num. 57. puta homo non dicitur causa peccati; nisi quia homo est causa actus: nullus enim intendens ad malum operatur, quæ omnino idẽ significãt cum illa propositione Recentioris. Et eam non concedit; sed expressè negat, vt in responsione eodem loco relata apparet. Quoniam autem Ruiz verbis modò supra relatis studiosum lectorem prouocat ad attentè considerandam doctrinã D. Thomæ, ei satisfaciamus, videamusq. 223 *Nihil horũ est in D. Th. ex illisque putat Ruiz*

D. T. docet euidenter oppositũ in eodẽ loco.

an

an bonam esse talem consequentiam ex verbis Diui Thomæ colligatur.

224 7 Dixus Thomas habet quod *Peccatum, actus quidam est: vndè hoc modo potest esse aliquid directè, causa peccati, per quem modum aliquis directè est causa alicuius actus.* Itaque S. Doctor ex eo, quod peccatum est quidam actus, infert, quod hoc modo potest aliquis directè esse causa peccati, per quem modum, aliquis est causa actus. Recentiores isti modò cum Ruiz inferunt; quod si talis consequentia est bona: erit etiam bona hæc alia, puta: Deus est causa actus materialis peccati ergo est causa peccati. Nunc ergo consideremus, an consequentia recentiorum inferatur ex discursu D. Thom.

225 8 Dices inferri, quia S. Doctor ex hoc, quod peccatum est actus, de materiali infert, quod secùndum illum modum aliquis est causa peccati directè, vel indirectè, secundum quem modum est causa materialis. Ergò valet. Est causa actus peccati de materiali. Ergò est causa peccati. Nego consequentiam. Dices probo. Quia D. Thomas à materiali peccati, infert aliquid de peccato absolutè; puta modum directè vel indirectè causandi peccatum.

226 *Decipitur Ruiz sm fallaciam cõsequẽtis* 9 Respondeo, quod arguens decipitur per fallaciam consequentis, secundũ priorem modum enumeratum à D. Th. opusc. 39. cap. 13. Si quidem existimat suam consequentiam esse similem illi D. Thomæ: cui tamen non est similis. Nam consequentia D. Thomæ fundatur in hac conditionali; puta si aliquid est causa peccati, est causa actus. Arguens verò dicit: Si aliquid est causa actus; est causa peccati; & putat has consequentias esse similes cum sint valdè dissimiles. Vndè deficit; sicut deficeret, si quis videns hanc consequentiam esse bonã, nempè: Si Petrus currit, mouetur; putaret etiam bonam hanc aliam: Si Petrus mouetur, currit. Quod autem ita sit patet: Nam ex eo, quod peccatum sit actus, benè sequitur, quod id, quod est causa peccati, est causa actus, & ex hoc deindè oportet, quòd causet actum secundum illum modũ, quo causabilis est actus: seù secundum illũ modum per quem aliquis est causa alicuius actus. Et sic patet; quòd dum arguens infert istam propositionem: Si Deus est causa actus, est causa peccati, putat istam cõsequentiam esse similem illi; cum sit ab ea valdè dissimilis. Si quidem cum actus sit superius quid ad peccatum: cum omne peccatum sit actus: non autem omnis actus sit peccatum; valet: Si aliquid est causa peccati, est causa actus: non autem valet: Si aliquid est causa actus, est causa peccati. Præterea oportet quod illa causa, quæ attingit formale peccati; quod etiam attingat materiale. Si quidem per hoc attingit formale (quod non potest habere; nisi causam per accidens: cum sit malum) quod attingit sua causalitate materiale. Non autem oportet, quod illa causa, quæ attingit materiale; attingat formale: cum formale peccati sit defectus; & repertus in vltimo effectu, non oportet, vt veniat à defectu reperto in omnibus causis. Cum ad defectum effectus sufficiat defectus vnius ex causis. Patet ergo bonam esse consequentiam S. Thomæ; malam autem consequentiam arguentis; nec ab illa D. Thomæ inferri.

10 Sed videamus, an sit in S. Doctore secundum; nempè. *Qui mouet voluntatem ad agendum positiuum actum peccati, est etiam directè causa peccati.* Sed circa hoc eodem modo deficit arguens per conuersionem propositionis.

227 *Detegitur fallacia, qua decipitur Ruiz.* 11 Porrò propositio D. Thomæ est. *Non contingit aliquam esse causam peccati; nisi per hoc, quod voluntatem mouet ad agendum.* Quæ propositio æquiualet his propositionibus, nempè: Omne causans peccatum mouet voluntatem ad agẽdum actum. Et quod non mouet voluntatem ad agendum, nõ causat peccatum. Arguens verò assumit vt ex D. Thoma dictum. Omne mouens voluntatem ad agendum actum, qui est peccatum, est causa peccati. Decipitur, vel per fallaciam accidentis; vel per fallaciam consequentis secundum diuersum modum formandi prædictas propositiones, vt notauit D. Thomas loco proximè cit. Nam si propositiones sint conditionales, decipitur per fallaciam consequẽtis: Si verò sint cathegoricæ, per fallaciam accidentis. Verum enim est, quòd si aliquod causat peccatum, mouet voluntatem: & quòd si non mouet voluntatem, non causat peccatum. Quod est dictum D. Th. Falsum autem est, quod si mouet voluntatem ad agendum actum, causat peccatum. Qualiter autem sit verum, quod Deus non moueat voluntatem motione per se ordinata ad solam substantiam actus iam supra diximus §. præcedenti num. 4. Hìc enim solum intendimus detegere fallaciam huius recentioris, & Ruiz.

228 *Solutio cõfirmat.* 12 Et hinc modò patet ad confirmationem allatam num. 3. huius §. Nam concesso antecedẽti, distingo cõsequens. Ergo est intendere materiale, cum quo est coniuncta malitia: ita vt ex defectu agentis proueniat, vt tale materiale sit sub malitia, concedo consequentiam. Absolutè, nego consequentiam. Ad hoc enim, vt aliquod agẽs peccet in actione, seù causet peccatum, non sufficit, quòd quomodolibet cau-

Digitized by Google

set actum; sed requiritur, vt sit principium habens defectum; vt ita dum causat actum, proueniat in actum defectus ex defectu principij agentis; vt patet ex verbis D. Thomæ cit. in hac disp. §. 3. num. 2. nempè. *Actus deficiens prouenit propter defectum actiui principij*, & ex cit. num. 3. sequenti, & §. 11. nu. 4. quæ videri debent.

13 Et ex his tandem colliges, qualiter decipiatur Ruiz, tam loco prox. cit. expendens doctrinam S. Doctoris ex art. 1. q. 80. p. 2. tam nu. 8. sequenti expẽdens eundem S. Doct. q. 3. de malo artic. 3. in corp. vbi credit S. Doctorem docere, Deum non esse causam actus, qui est materiale peccati. Idque putat sufficienter colligi ex tribus propositionibus S. Doctoris; quarum prima est, *Nihil potest directè esse causa peccati; nisi quod potest mouere voluntatem ad agendum.* Secunda est. *Quòd solus Deus, & voluntas possunt directè, vt vera causa physicè mouere voluntatem ad agendum, seu ad actum.* Tertia est. *Deus non est causa peccati.*

229 *Propositiones S. Th. ex quibus phat Ruiz Deũ nõ esse causam actus peccati.*

14 Itaque Ruiz loco citato nu. 8. putat ex duabus prioribus propositionibus colligi Deum esse causam peccati; & quòd D. Thomas, vt hoc excluderet, dixit, Deum non esse causam peccati, volens per hoc significare, Deum non esse causam actus, qui est materiale peccati. Sed planè euidentissimè decipitur. Vt autem huius Doctoris fallaciam detegam; & simul etiam explicẽ, quòd ex doctrina S. Doctoris nullo modo colligi potest, Deum nõ esse causam actus, qui est materiale peccati: aduerto primò, quòd S. Doctor in prædictis articulis principaliter, & directè intendit probare, quòd Diabolus non est directè causa peccati; sed hac occasione simul probat, solam voluntatem humanam esse directè causam peccati.

230

15 Aduerto secundò, quòd secundum regulas Aristotelis in posterioribus: conclusio negatiua potest demonstrari per negationem causæ remotæ, vt in sequenti exemplo. Nihil potest respirare, nisi quod est animal; sed lapis non est animal. Ergo lapis non potest respirare. Vel per equiualentem maioris, sic. Omne respirans est animal. Sed lapis non est animal. Ergo lapis non respirat. In quo exemplo primò cõsidera, quod ad efficaciã prædicti syllogismi non exigitur, quòd maior sit conuertibilis; nempè non oporteat, quòd sicut est verum, omne respirans est animal; ita sit verum, omne animal respirat. Nam hoc secundum est falsum; cum pisces sint animalia, & non respirent. Secundò considera, qualiter falleret, si quis sic syllogizaret, omne respirans est animal. Sed piscis est animal. Ergo piscis respirat. Falleret, inquam, & conclusio non sequeretur ex præmissis propter fallaciam accidentis, vt vult S. Thomas opus. 39. loco citato, in quantùm respirans, & animal nõ sunt omninò idem; & arguens putaret esse omninò idem, & quod sicut valet. Est respirans. Ergo est animal: ita valeat: Est animal. Ergo respirat.

231

16 Tertiò Aduerto, quod discursus D. Thomæ, quo suam conclusionem negatiuam probat, est omninò similis prædicto exemplo: & sic procedit. Nihil potest directè esse causa peccati: nisi quod potest mouere directè voluntatem ad agendum. Vel (vt q. 3. de malo loco supra citato dicit S. Doctor.) Illud per se potest esse causa peccati, quod potest directè mouere voluntatem ad actum peccati. Sed Diabolus non potest directè mouere voluntatem ad agendum, seu ad actum peccati. Ergo, Diabolus nõ potest esse directè causa peccati. Sicut ergo in exemplo supra posito, non oportet maiorem esse conuertibilem: ita, nec in casu nostro. Et sic non oportet, vt sicut nil potest directè esse causa peccati; nisi quod potest mouere directè voluntatem ad agendum: ita nihil potest directè mouere voluntatem ad agẽdum; nisi quod potest esse causa peccati. Nec oportet, vt sicut est verum hoc, scilicet, illud per se potest esse causa peccati, quod potest mouere voluntatem ad actum; ita etiam sit verum hoc aliud, nempè, illud potest mouere voluntatem ad actum, quod per se potest esse causa peccati.

232

17 Et hinc modò patet Ruizium deceptum fuisse per fallaciam accidentis; dũ putat ex maiori discursus D. Thomæ, & ex hac minori, nempè: Deus mouet directè voluntatem ad agendum, vel ad actum, inferri, Deum esse causam peccati. Siquidem syllogismus esset. Nihil potest directè esse causa peccati; nisi quod directè mouet voluntatem ad agendum, seu ad actum, qui est materiale peccati. Sed Deus mouet voluntatem ad actum, &c. Ergo Deus est causa peccati. Sicut enim non valet. Nil potest respirare, nisi quòd est animal. Sed piscis est animal. Ergo piscis potest respirare. Et sicut non valet. Omne respirans est animal. Sed piscis est animal. Ergo piscis respirat. Ita non valet. Omnis directa causa peccati, mouet directè voluntatem ad actum, qui est materiale peccati. Sed Deus mouet directè voluntatem ad actum, qui est materiale peccati. Ergo est causa peccati. Maior enim non est conuertibilis, vt putat arguens; ac per hoc fallit argumentum per fallaciam accidentis.

233 *Ruiz decepti esse fallacia accidentis, clarè ostenditur.*

18 Denique vt videas, in quem finem

234

affert

Discurs⁹ S. Doct. proponitur.

affert S. Doctor illam propositionem, scilicet, *Deus non est causa peccati*, & qualiter ex occasione probandi, Diabolum nō esse directè causam peccati, concludat solam voluntatem esse directè causam peccati: sumo in forma totum discursum Diui Thomæ, qui est infrascriptus. Nihil potest directè esse causa peccati; nisi quòd potest directè mouere interius voluntatem ad agendum. Sed Diabolus non potest interius mouere directè voluntatem ad agendum; cum mouens directè voluntatem ad agendum non sit aliud, nisi vel Deus, vel voluntas. Ergo non Diabolus; sed vel Deus, vel voluntas est directè causa peccati. Sed nō Deus, vt supra dictum est. Ergo sola voluntas. Vndè ad probandum, quòd sola voluntas est causa peccati, syllogismus cōfectus ex formalibus verbis D. Thomæ, est sequens. Nihil potest directè esse causa peccati; nisi, quod potest mouere, & interius inclinare voluntatem ad agendum, seù volendum. Sed hoc non est, nisi, vel Deus, vel voluntas, vt probatum est. Ergo nihil potest esse directè causa peccati; nisi, vel Deus, vel voluntas. Sed Deus non est causa peccati. Ergo sola voluntas. Vbi, vt vides, non ex eo, quod Deus non mouet voluntatem ad agendum actum, qui subest deformitati peccati, infert, quòd sola voluntas est causa peccati: sed ex eo, quòd Deus non est causa peccati quoad formale. Quod patet, si formetur prædictus syllogismus expressioribus verbis, & ponendo loco nominis, definitionem, sic.

235 *Sensus discursus. S. Doc probatur positis explicitè rōnibus terminorū*

19 Nihil potest esse directè causa peccati, seù vt actus voluntatis habeat deformitatem culpæ; nisi, quòd potest mouere, & inclinare voluntatem ad actum illum, qui est materiale, & subest deformitati peccati. Sed hoc non potest esse; nisi, vel Deus, vel voluntas. Ergo nihil potest esse directè causa peccati, seù, vt actus voluntatis sit sub deformitate culpæ; nisi, vel Deus, vel voluntas. Sed Deus non potest esse causa, vt actus voluntatis sit sub deformitate culpæ. Ergo sola voluntas. Vbi, vt vides non ex eo infertur, quòd sola voluntas est causa peccati: quia Deus nō est causa actus, qui subest deformitati; sed ex eo, quòd non est causa, vt actus sit sub deformitate: seù ex eo, quòd non est causa peccati sumptò actu, prout stat sub deformitate, & pro formali.

§. XIV.

Dubium primum, quod posset recentioribus Thomistis difficultatem afferre in intelligenda proposita sententia Diui Thomæ.

236

1 REmanet vltimo loco, vt dissoluamus dubia nonnulla, quę recētiores Thomistas molestare possent, circa propositam S. Thomæ sententiam.

Loca Scripturæ, quib⁹ præmūtur asserentes motionem determinātē ad actū peccati.

Dubitabis ergo primò, contra id, quod diximus §. 6. num. 7. nempè; quòd non potest Deus mouere, & inclinare voluntatem, vt immediatus motor in entitatem illius actus, in quo est deformitas peccati. Hoc enim videtur falsum. Nam plura loca Scripturæ videntur expressè significare, quòd Deus excitet, inducat, inclinet conuertat, suscitet, & confortet corda hominum in malum. Hi autem sunt proportionati termini, quibus significatur Deus, mouere voluntatem vt immediatus, & specialis motor. Deus ergo poterit mouere immediatè voluntatem ad entitatem actus mali; sed poterit mouere voluntatem motione per se terminata ad entitatem actus mali præcisè sumptam. Loca Scripturæ magno numero referunt Salmāticenses tr. 4. de voluntate Dei disp. 10. dub. 7. §. 3. nu. 141. vt ad Rom. 1. num. 28. Dicitur Deus *inducere corda hominum in malū.* Iob. 17. (*Cōuertere ad odit & ad dolum*) 2. Regum 16. *Inducere, & suscitare corda hominum ad bellū iniustū.* Isaiæ 13. numer. 17. *Suscitabo Medos, qui fugitiui parvulos interficiens.* Et Habacuc primo dicitur. *Admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. Quia ecce ego suscitabo Medos gentem saltatrix, &c. ad possidenda tabernacula non sua.*

237 *Resp. & instantia Salmāticens.*

2 Nec refert (inquiunt Salmāticenses) si prædicta loca explices de diuina permissione, vt idem sit corda excitare ad malū, quod permittere, quòd excitentur in malum. Nam licet, inquiunt, si formo sit de deformitate, quæ non potest esse à Deo, valeat ista interpretatio: attamen si loquamur de entitate actuum, quibus est annexa deformitas, quæ entitas verè causatur à Deo, debent intelligi prædicta loca de decreto Dei effectiuo, & causatiuo, &c. Et ex hoc deindè posset aliquis inferre, qđ secundum prædicta loca scripturæ Deus moueat voluntatem motione specialiter ordinata ad illam particularem entitatem actus, cui inest deformitas.

238

3 Quòd autem responsio, seù solutio prædicta, non sit sufficiens, Salmāticenses (quos

Verba Augustini, quibus phant Salmaticē ses motionē Dei determinatā ad actum peccati.

(quos sequitur noster Hieronym. Viues lib. 1. de primatu diuinæ libertatis disp. 7. distinctione 3. à num. 38. vsq; ad finem) probant loco supra cit. num. 143. his verbis. *Quia solutionem hanc de solo concursu Dei permissiuo adhibebat Iulianus Hæreticus Pelegianus prædictis testimonijs; & eum, solutionemq; ipsius expressè Diuus Augustinus impugnās sic ait. Quæris inaniter, quomodo intelligēdum sit tradere Deum, &c. multum laborans, vt ostēdas eum tradere deserendo. Vbi, vt vides, reputat Augustinus inquisitionē inanem, & frustraneam illam, per quam inuestigatur, & inquiritur modus, quo Deus tradit in desideria cordis; ita vt id, quod tandem inuenitur, & pro quo laboratum est tantum sit quod Deus tradit in desideria cordis præcisè deserendo. Et postea ex testimonio Pauli Romanorum 9. hanc eamdem explicationem redarguens sic contra eumdem Iulianum loquitur. Quid est, quod dicis eum desiderijs suis traditi dicuntur relicti per diuinam patientiam, intelligendi sunt non per potentiam in peccata compulsi? quasi non posuerit hæc duo idem Apostolus, & patientiam, & potentiam, vbi ait: Sic autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem. At tandem concludit facit hoc miris, & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua non solum in corporibus hominum; sed & in ipsis cordibus operari.*

339 4 *Vbi, vt vides admittit duplex decretum, & modum operandi mediante sua voluntate. Aliud correspōdens suæ patientiæ quod est decretum permissiuū. Aliud correspondens suæ potentiæ, quod est efficaciter effectiuum per modum applicantis diuinam potentiam ad operandum, quo mediante agit in cordibus hominum, & illa in peccatum ipsum, quoad suum materiale, materialiter sumptum, inclinat quoq; ratione summæ efficaciæ, quam habet, dicit homines compellere, quāuis hic modus cōpellendi non sit cum omnimoda necessitate; sed dicatur talis ratione infallibilitatis (seruata tamen libertate voluntatis) qua extrinsecè prædeterminat ad prædictum materiale. Constat autem hoc decretum esse præfinitiuum, absolutum, & efficaciter effectiuum, de quo in præsenti. Vnde de hoc eodem decreto, de quo loquuntur testimonia Scripturæ ait ibidem Augustinus, quod eo mediante vnum peccatum (intellige, quoad materiale iam dictum) solet esse pœna alterius; ac proindè intelligit prædicta testimonia, non de decreto præcisè permissiuo, sed de decreto absoluto, & effectiuo efficaciter materialis peccati modo dicto considerati; atq; adeo de decreto, quo fit efficaciter amatum prædictum materiale. Si quidem secundum hāc rationem habet rationem pœnæ, & pœna potest, ac debet esse hoc modo volita à Deo; eo, quod habet rationem boni; & hoc sic est volitum à Deo.* Hæc Salmāticenses, quibus num. 144. sequenti addunt alium locum Augustini ex lib. de gratia, & lib. arbitrio cap. 20.

§. XV.

Soluitur prædictum dubium, & vindicatur doctrina Augustini ab impostu-ris Recentiorum.

1 RElpōdeo, & dico primò. Quòd tàm loca Scripturæ, quàm testimonium Augustini, ex cap. 20. lib. de gratia, & libero arbitrio eamdem habent explicationem, & intelligētiam, nempè; quod dicitur Deus inclinare hominum voluntatem ad malum, non per hoc, quod immediatè mouet, & inclinat in actum prauum; sed per hoc, quod homines deseruntur ab auxilio diuino; seù Deus non prohibet: sed permittit hominum voluntates inclinari in prauos actus. Ita Diuus Thomas semper vbicunq; de hoc re loquitur, & inter alia super cap. 1. ad Romanos lect. 7. vbi habet. *Dicendum, quod Deus nō dicitur tradere homines in immunditiam directè inclinando affectum hominis ad malum; sed indirectè, in quātum iustè sub trahit gratiam, per quam homines continebantur ne peccarent. Sicut si aliquis tolleret subsentaculum, diceretur facere casum eius. Et per hunc modum primum peccatum est causa sequentis peccati, sequens vero pœna prioris.* Et lect. 8. sequenti in principio, explicans illa verba. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Sic habet *Tradidit illos Deus; non quidē impellendo ad malum; sed deserendo.*

240 *Prima conclusio. loca Scripturæ, & auctoritas Augustini eūdē sēsū habent.*

Probatur auctoritate D. Tho.

Verba S. Doct.

2 Sic ergo nihil penitus addens respōdeo ego argumento Salmāticensium. Quid replicabis ad hæc? Dices fortè, talis responsio fuit adhibita à Iuliano, & impugnata ab Augustino lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 20. Atquì ego verius dicam; fuit allata à Diuo Thoma, & impugnata à Salmāticensibus.

241

3 Quod autem non fuerit impugnata ab Augustino loco prox. cit. sed Diuus Th. & Augustinus sint impugnati ab istis recētioribus, ex eo patet; quod, vt modo diximus ipsemet Augustinus hoc eodem loco, & verbis citatis intelligitur eodem omninò modo. Ita ipsemet Sanctus Doctor q. 3. de malo art. 1. vbi 1. loco sibi obijcit dicens.

242 *D. Thom. & Augu. impugnātur à Salmāticēsib.*

Dicit

Digitized by Google

Dicit Gloſa Auguſtini ſumpta ex lib. de gratia, & libero arbitrio. Manifeſtum eſt Deum operari in cordibus inclinando voluntates eorum, quocunq; voluerit, ſiue ad bonum, ſiue ad malum. Sed inclinatio voluntatis ad malum eſt peccatum. Ergo Deus eſt cauſa peccati.

D. Thom. obijcit ſibi eundē locum Auguſtini.

243 4 Reſpondet autem dicens. *Ad primū dicendum; quòd Deus dicitur inclinare voluntates ad malum; non quidem agēdo, & mouendo; ſed potius deſerendo, vel non impediendo. Sicut, ſi aliquis non daret manum cadenti, diceretur eſſe cauſa caſus illius. Hoc autē Deus ex iuſto iudicio facit, quòd auxilium non præſtat, ne cadat.* Hæc D. Thomas. Notaſti ly *dicitur inclinare voluntates ad malum non quidem agendo, & mouendo; ſed deſerendo, vel non impediendo.*

Reſponſio S. Thomæ impugnata à Salmāticēſibus.

Explicat S. D. Auguſtin. lib. de gratia, & libero Arbitr.

Et idem repetit p. 2. q. 79. art. 1. ad 1. dicens: *Quod autem Auguſtinus dicit lib. de gratia, & libero arbitrio, quòd Deus inclinat voluntates hominum ad bonum, & malum; ſic intelligendum eſt; quòd in bonum quidem directè inclinat voluntatē; in malum autem, in quantum non prohibet, ſicut dictum eſt.* Hæc Diuus Thomas. Notaſti, qualiter intelligendus ſit Auguſtinus.

244 5 Si ergo, ſic intelligēdus eſt Auguſtinus hoc ipſo loco, & verbis ſcit. ab iſtis Recentioribus, nempè, quòd illa verba: *inclinat Deus hominum voluntates ad malum* ſignificant idem, quod non prohibet; ſeù etiam deſerit Deus hominum voluntates inclinari in malum; non autem deſignat, quòd Deus agendo, & mouendo inclinat voluntates ad malum; impoſſibile eſt, quòd prædictis verbis impugnet illos, qui ſic exponunt verba illa. *Tradidit Deus homines in paſſiones ignominiæ*, vt dicant Deum tradere, non mouendo, & agendo, ſed deſerendo. Idē enim ſeipſum non impugnat; ſed confirmat, vide etiam D. Thomam p. 2. q. 87. art. 2. in corpore, & in 2. diſtinct. 37. quæſt. 2. art. 1.

245 *Explicatione, quā dat D. Th. Auguſtino approbat ipſemet Auguſtin. dicens eſſe veriſſimā.*

6 Quòd autē expreſsè ipſemet Auguſtinus talem explicationem, & interpretationem Scripturę, nō impugnet; ſed approbet, pātet: nam lib. de naturā, & gratia cap. 22. vbi ad probandum vnum peccatū pœnā eſſe alterius peccati, poſt alia plura loca tandem adduxit locum ſupradictum Scripturæ, et ſic inquit. *Videte, quotiès vindicet, eademq; vindicta, quæ pariat, pulluletq; peccata, adhuc attenditę. Et ſicut nō probauerunt, inquit, Deū habere in notitia tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant, quæ non conueniunt repletos omni iniquitate, malitia, auaritia, inuidia, &c.*

7 Itaq; cum Auguſtinus poſt alia plura loca prædictum locum adduxiſſet; ſtatim cap. 23. ſequenti adducit reſponſionem cuiuſdam interpretantis prædictum locum, dicendo, quòd ly *tradidit* in verbis Apoſtoli ſignificat dumtaxat idem, quod deſeruit, & ſic proſequitur Auguſtinus. *Fortaſſe reſpondeat, Deum ad iſta non cogere, ſed dignos deſeri tantùm deſerere.* Ecce interpretationem adductam à Diuo Th. Nunc videamus an eam reprobet; nam ſequitur. *Sibi hoc dicit, veriſſimè dicit, deſerti quidem, vt dixit, luce iuſtitiæ, ac per hoc obtenebrati, quid pariant aliud; quàm hæc omnia, quæ commemorauimus, opera tenebrarum.* Hæc Auguſtinus, vide modò ſi talem interpretationem reprobauit. Si eam dicere veriſſimā ſuperlatiuè, eſt eam reprobare; dicas quod eam reprobauit. 246

Verba Auguſtini dicentis, explicationē datam eſſe veriſſimā.

Fortè dices, quòd Auguſtinus impugnauit prædictam reſponſionem verbis relatis §. præcedenti num. 14. in principio.

8 Dico igitur ſecundò; quòd non ideò Auguſtinus dixit inanem laborem Iuliani; quia interpretatio, qua ly *tradidit in reprobum ſenſum* dicit, intelligendum eſſe deſerendo, ſit diminuta, vel falſa; ſed quia licet vera ſit, & veriſſima, vt modò diximus; inutiliter tamen afferebatur ad propoſitū quæſtionis. Explicatur hoc. 247

Secunda concluſio.

9 Porrò quæſtio inter Iulianum, & Auguſtinum non erat, qualiter intelligendus ſit prædictus locus Apoſtoli; ſed an vnum peccatum, ſit pœna peccati: & intē debat Auguſtinus, quòd ex prædicto loco Apoſtoli inferebatur clarè, vnum peccatū eſſe pœnam peccati. Oppoſitum exiſtimabat Iulianus, & intendebat oſtēdere, quòd ex prædicto loco Apoſtoli non poterat inferri, vnum peccatum eſſe pœnam alterius peccati. Vt autem hoc oſtenderet, totus erat ad explicandum verbum illud *tradidit*, dicens, intelligendum eſſe deſerendo, credens per hoc poſſe vitare, ne ex loco Pauli deduceretur, vnum peccatum eſſe pœnam alterius peccati. Contra inſurgebat Auguſtinus, dicens in vanum, & inutiliter laboras ò Iuliane in explicatione illius verbi, *tradidit*, dicens intelligendum eſſe deſerendo: quia veritas quæſtionis, non dependet ex hac, vel illa intelligentia illius verbi *tradidit*; ſed ex alio, puta ex illa cauſali; *propter hoc*. Nam quomodolibet explicetur verbum illud, *tradidit*, ſiue deſerēdo, ſiue cogendo, impellendo, &c. ſemper erit verum, quòd propter hoc tradidit, & ſic vnum peccatum erit pœna alterius peccati. 248

Diſſentio inter Auguſtinum, & Iulianum.

10 Hoc poſito: non aliter melius probatur hoc noſtrum ſecundū dictum; quàm afferendo verba ipſa Auguſtini. Itaq. lib. 5. con- 249

Probatur concluſio auctoritatibus Auguſtini.

Digitized by Google

5. contra Iulianum cap. 3. Postquam demonstrauit, quòd Apostolus supradictis verbis ostendit, quosdam damnatos fuisse propter præcedens reatum dicens, *Apostolus damnatos demonstrauit reos. Nam reos ostendit, vbi ait, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. Deindè damnatos propter reatum. Sequitur enim, propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Postquam inquam prædictum intentum demonstrauit, sic Iulianum ipsum reprehendit.

250 11 *Audis propter hoc, & quæris ineniter, quomodo intelligendus sit tradere Deus, multum laborans, vt ostendas eum tradere deserendo. Sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit; & vides eius traditionem, qualemlibet, & quomodolibet intelligas, quæ consecuta sunt. Curauit Apostolus ostendere, quanta pœna sit tradi passionibus ignominiæ, siuè deserendo, siuè alio quocumque, vel explicabili, vel inexplicabili modo, quo facit hæc summè bonus, & ineffabiliter iustus.* Hæc Augustinus. In quibus, vt vides, non reprehendit Iulianum, quia dixit Deum tradere solùm deserendo, non verò mouendo, impellendo, &c. Cum talis traditio, quomodolibet intelligatur, semper esset pœna; sed quia inutiliter ad quæstionem, prædictam explicationem afferebat.

251 *Falsò, et cõtra mentẽ Aug. afferũtur eius verba à Recentioribꝰ.* 12 Et ex his modò patet; quòd falsò, & contra mentem ipsiusmet Augustini afferunt Recentiores verba prædicta, volentes, Augustinum prædictis verbis reprehẽdere Iulianum in eo, quòd traditionem istam dicebat fieri, solùm deserendo, non autem agendo, & impellendo. Cum Augustinus dicat, quòd quomodolibet talis traditio explicetur, non est ad propositum.

252 *3. Conclus.* 13 Dico tertiò, quòd peruersè, & cõtra intentionem Augustini afferuntur ab his Recentioribus illa verba Augustini, quibus reprehendit Iulianum, nempè. *Quid est, quod dicis, cum desiderijs suis traditi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi?*

Peruersè, & contra mẽtẽ Aug. referuntur Augst.

Vt explicem hoc dictum, obserua, quod isti Recentiores videntes, quod Augustinus reprehendit Iulianum in prædicta sententia; crediderunt, quòd eum reprehenderit propter solam falsitatem prædictæ sententiæ. Existimarunt deindè, falsitatem prædictæ sententiæ consistere in secunda parte negatiua. Porrò prædicta sentẽtia vnum affirmat, & alterum negat; affirmat quòd, traditi desiderijs suis, intelligendi sunt relicti per diuinam patientiam: negat verò eos intelligendos esse compulsos in peccata.

Expl. cõcl.

per potentiam. Isti ergo Recentiores putant, dictum Iuliani reijci vt falsum ab Augustino ratione partis negatiuæ; quasi voluerit dicere Augustinus. O Iuliane falsum est hoc, quod dicis, nempè; quòd traditi desiderijs suis, debent intelligi tantùm relicti per patientiam, non autem compulsi in peccata per potentiam. Vtrumque debes aserere, & quod intelliguntur relicti per patientiam; & compulsi in peccata per potentiam.

14 Dico ergo, quòd prædictus non est sensus Augustini; sed contra Augustinum, & Diuum Thomam. Et quidem, quòd dictum hoc sit contra Augustinum, & Diuũ Thomam, patet ex his, quæ ex Augustino recensuimus num. 7. & ex D. Thoma num. 1. in fine. Siquidem Augustinus ibi citat. dicit esse verissimum, quod Deum tradere peccatores in reprobum sensum, non est, Deum cogere homines in peccata: sed tantùm ipsos deserere. At verò secundum hos Doctores in verbis supra cit. doceret oppositum, nempè; Deum tradere peccatores desiderijs suis, seù in sensum reprobum, non esse solum ipsos deserere; sed etiam eas compellere in peccata. Hæc autem contradictoria sunt. Num dices, quòd compello non significat idem, quod cogo? sed prędictus sensus esset contra ipsummet Augustinum. Diuus etiam Thomas num. cit. dicit. *Quòd tradit illos Deus, non quidem impellendo ad malum; sed deserendo.* Isti dicunt: Augustinum docere, quòd Deus tradidit illos non solum deserendo, sed compellendo in peccata. Num ista contradictoria non sunt? An dices, quòd impello aliquid plus significat, quàm compello?

253 *Sẽs. Recẽtiorũ nõ ẽ Augst sed cõtra Aug.*

15 Num dicent, D. Thomam, & Augustinum illis locis loqui de peccato formaliter, vt malum est; hìc autem de peccato materialiter, in quantùm actus est? Sed hoc esset illis probandum, talem sensum habere prædicta verba, & in isto sensu loqui Augustinum; maximè cum ad idem propositum ex eadem occasione, & ab eisdem Pelagianis vnam, eamdemq; allatam responsionem semel, vt verissimam approbaret, & semel, vt falsam redargueret, non explicando diuersos sensus propositionis. Verùm, quòd prædictus non sit sensus intẽtus ab Augustino: sed alius, remanet nobis probandum. Vt ergo verum sensum verborum Augustini percipiamus, obseruanda est differentia inter responsionem Pelagianorum, quam approbat Augustinus verbis relatis proximo num. 7. & responsionem Iuliani relatam numer. 13. quam reprobat. Prior responsio est; Deus dicitur tradere in reprobum sensum, non cogendo; sed tantum deserendo. Iuliani responsio est: Deus

254

Obseruãda differentia inter dictũ Aug. & dictũ Iulia.

dicitur

dicitur tradere in reprobum sensum, non cogendo, seù compellendo per potẽtiam; sed tantùm deserendo per patientiam. Et differentia est, quòd in ista Iuliani, ipsa derelictio attribuitur soli patientiæ; non verò potentiæ. In priori verò non fit ista attributio. Ista autem differentia potest esse causa, quòd ista sit falsa, priori existente vera. Nam si ipsa derelictio non esset effectus patientiæ diuinæ; sed vel potentiæ tantùm, vel vtriusque, tàm, scilicet patientiæ, quàm potentiæ; vel propriùs potentiæ, quàm patientiæ, propositio esset falsa.

255 16 Sicut si quis loqueretur: Deum tradere peccatores gehennalibus ignibus, est peccatores punire: verum diceret. Si verò sic affereret: Deum tradere ignibus peccatores, est eos punire per misericordiam, non per iustitiam, & potentiam: falsum diceret; tum quia talis punitio propriè est opus iustitiæ; & insuper falsò ab isto opere ista duo separantur, cùm omnia opera Domini sint misericordia, & veritas.

Exemplũ ad propositum.

Ita in proposito, hoc dictum, scilicet, Deum tradere peccatores in reprobum sẽsum, idem est, ac Deum deserere peccatores, pôtest esse verum: Hoc autem, Deum tradere peccatores in reprobum sensum, est Deum deserere per patientiam, nõ per iustitiam, & iudicium: potest esse falsum; si talis derelictio esset effectus nõ solius patientiæ; sed etiam iudicij diuini, & potentiæ, vel propriùs potentiæ, seù iudicij, quàm patientiæ.

256 17 Hoc suppositio dico, quòd Augustinus prædictis verbis reprehendit Iulianum, non propter hoc, quòd docuit traditos in reprobum sensum, intelligendos esse derelictos, non verò impulsos in peccata; sed propter hoc, quòd dixit, esse derelictos per patientiam; non verò per potentiam; quasi quòd ista derelictio sit opus solius patientiæ; non verò potentiæ. Reprehendit autem Iulianum tripliciter. Primò: quia talis derelictio est opus, tùm patientiæ, tùm potentiæ. Secundò, quia inutiliter sit talis attributio, & diuisio in ordine ad quæstionem, quam inter se habebant. Et tertiò, quia talis derelictio propriùs est effectus potentiæ, quam patientiæ, taliter vt sensus prædictorum verborum fit. O Iuliane, & in quem finem dicis traditionem istam, seù derelictionem in reprobum sensum esse à Deo per solam patientiam; non verò per potentiam? falsò, & inutiliter hoc facis. Falsò, quia diuidis ab opere traditionis in reprobum sensum potentiam à patientia; quas tamen coniunxit Apostolus, sic dicens. *Volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.* Inutiliter ad quæstionem: quia dissentio est inter me, & te: an ista traditio in reprobum sensum sit pœna ad quam sequantur alia peccata; vt ita vnum peccatum sit pœna alterius peccati, & siuè dicas Deum deserere peccatores per patientiam, siuè per potentiam, siue per vtramque simul, saluare non potes; quin prædicta traditio sit pœna, & ad eam sequantur peccata. Et iterum falsò talem derelictionem attribuis patientiæ; quasi nil aliud sit, Deum tradere peccatores in reprobum sensum, quàm Deum esse cum peccatoribus patientem, dum peccant. Talis enim derelictio debet attribui iudicio, seù potentiæ punitiuæ: quia sic punit peccatores, deserendo. Quòd autem ita sit, non aliter melius probatur, quàm afferendo per extensum verba Augustini, sic enim habet.

Reprehenditur Iul. ab Aug. ex triplici capite.

257 18 *Quid est autem, quod dicis, cum desiderijs suis traditi dicuntur relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi? quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus, & potentiam, & patientiam; vbi ait: sic autem volens* Deus *ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem. Quid horum tamen dicis esse, quod scriptum est, & propheta si errauerit, & loquutus fuerit: Ego* Dominus *seduxi prophetam illum, & exterminabo eum de medio populi mei Israel, patientia est, an potentia? Quodlibet eligas: vel vtrumque fatearis; vides tamen falsa prophetantis peccatum esse, pœnamque peccati. An & hic dicturus es, quod ait: Ego* Dominus *seduxi prophetam illum, intelligendum esse deserui, vt pro eius meritis seductus erraret? Age vt vis, tamen eo modo punitus est pro peccato, vt falsum prophetando peccaret.* Et post alias auctoritates ad idem propositum, sic prosequitur. *Quis verò ita desipiat, vt cum audiuerit, quod in Psalmo canitur: Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori; hoc dicat orasse hominem, ne Deus sit patiens erga illum; si Deus non tradit vt mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo, dum fiunt? Quid est autem, quod quotidie dicimus. Ne nos inferas in tentationem; nisi, vt non tradamur concupiscentijs nostris? Vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. An fortè hoc à Deo petimus, vt non sit erga nos patiens bonitas eius? Non ergo eius inuocamus misericordiam; sed potius iracundiam prouocamus. Quis ista sapiat sanus; immò quis,*

Verba Augus. quibus probatur conclusio.

Digitized by Google

vel furiosus hæc dicat? Tradit ergo Deus in passiones ignominiæ; vt fiant, quæ non conueniunt: sed ipse conuenienter (ideſt iustè) *tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum. Sicut tradidit Achab*, de cuius traditione paulò supra sic dixerat, quòd eum tradidit Deus. *Sed numquid errando numquid iniustè, vel temerè iudicando, vel faciendo? Absit. Sed non frustra illi dictum est: Iudicia tua abyssus multa* (& deindè concludit) *facit hæc miris, & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua non solùm in corporibus hominum; sed & in ipsis cordibus operari.* Hæc August.

258

19 In quibus, vt vides, tria principaliter facit. Primò dicit, quòd est contra auctoritatem Apostoli separare potentiam diuinam à patientia in hoc opere traditionis in reprobum sensum. Secundò quòd talis separatio est inutilis ad quæstionem. Et tertiò, quòd hoc opus traditionis in reprobum sensum propriè non pertinet ad patientiam; sed ad iudicium, seù potentiam. Et tertio quidem loco ab illis verbis, *quis verò ita desipiat*, & deinceps, probat Deum tradere homines in reprobum sensum; non per patientiam; sed per iudicium, seù iustitiam, & potentiam punitiuam, tali ratione. Nàm si Deus traderet in reprobum sensum per patientiam: ita vt nihil aliud esset, Deum tradere in reprobum sensum; quàm Deum esse patiētem, dum mala fiunt; sequeretur, quòd dum Psalmista Deum rogat: *Ne tradas me domine à desiderio meo peccatori.* Et quotidiè, dum dicimus in oratione dominica. *Ne nos inferas in tentationem*, rogaremus Deum, ne nobiscum patiens sit, dum peccamus; Quòd non esset misericordiam implorare sed iracundiam prouocare. Quòd est falsum; taliter vt nec stultus nec furiosus diceret. Non ergo tradit Deus in reprobum sensum per patientiam. Ergo tradit Deus conuenienter, ideſt iustè, seù per iudicium, & potentiam. Sicut tradidit Achab; non errando, non iniustè, nec temerè iudicando; sed facit hæc miris modis Deus, qui nouit iudicia sua in cordibus hominum operari. Et nota ly *Facit Deus iudicia sua*. Quia, scilicet, talem traditionem, faciens Deus, sua iudicia adimplet, seù facit, propriè loquendo, per iudicium. Nota etiam, quod non dixit: qui nouit per omnipotentiam corda hominum impellere ad malum. Non equidem. Sed qui nouit in cordibus hominum operari iudicia sua. Sed qualiter? Subtrahendo, scilicet á cordibus hominum gratiam suam, vt docet S. Thomas, & ipsemet Augustinus sæpissimè, cuius vulgatum est illud Epistolæ 105. *Non obdurat Deus impertiendo malitiam; sed non impertiendo misericordiam*. Numquid enim si nouit Deus facere iudicia sua in cordibus, hoc iudicium debet adimplere, per hoc quòd impellit in actus ipsos, qui praui sunt? An non esset hoc etiam adimplere iudicium suum, si dum potest operari in cordibus hominum bonum, impellendo ipsa in actum bonum per gratiæ infusionem, desinat illis suam gratiam infundere; vndè, & contingit, vt gratia destituti, impellantur proprijs passionibus in actum prauum? Hoc secundū docet Diuus Thomas sæpissimè, & inter alia loca prima secundæ, quæstione octogesima septima, articulo secundo, in corp. vbi sic cōcludit. *Et hoc modo loquitur Apostolus Rom. primo, dicens: Propter, quòd tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, quæ sunt animæ passiones: quia scilicet deserti homines ab auxilio diuinæ gratiæ, vincuntur à passionibus.* Primum reijcit, tùm Diuus Thomas, tùm Augustinus locis supra citatis. Sed reuertamur ad verba Augustini supra inducta,

Aug. impugnat Iul. tribus rationibus.

1 Quia non est separanda patientia à potentia.

2. Quia inutiliter ad quæstionem.

3 Quia proprius ad iudiciū quem ad patientiā. pertinet opus traditionis in reprobum sensum.

Adimplet Deus iudicia sua, deserendo.

Aug. Epist. 105.

D. Th. p. 2. idē probat.

259

20 Nam secundo loco, illam separationem potentiæ, à patientia in opere isto traditionis, probat esse inutilem ab illis verbis. *Quid horum tamen dicis esse*, & hoc secundum satis euidens est in textu.

260

21 Primo denique loco auctoritate Apostoli probat, potentiam non esse separandam à patientia in hoc opere traditionis; vt faciebat Iulianus dicens: tradidit per patientiam, non per iustitiam. Quod sic intelligendum est, ne hoc primum cōtradicat tertio. Nam sicut opera diuina aliqua pertinent ad misericordiam; vt remittere peccata; aliqua ad iustitiam, vt punire eádem peccata pœna æterna; & tamen omnia opera Domini sunt misericordia, & iustitia: & sic non licet separare iustitiam à misericordia in diuinis operibus; quia idem opus secūdùm diuersam rationem pertinet, & ad iustitiam, & misericordiam. Sicut punire peccata pœna æterna, quatenus inflictio pœnæ pertinet ad iustitiam; quatenus verò Deus punit citra condignum, pertinet ad misericordiam; & ita licèt punire sit opus iustitiæ; non tamen hoc debet separari à diuina misericordia; taliter vt tale opus nullo modo pertineat ad misericordiam. Ita in proposito docet Augustinus ex Apostolo; quòd patientia, & iudicium, seù potentia simul sunt in hoc opere diuino, quo tradit aliquos in reprobum sensum. Nam licèt, quòd Deus aliquos sua gratia destituat, illosque deserat, opus sit iustitiæ punitiuæ, qua malos punit: attamen

Qualiter intelligendus Aug. dum probat, potentiam non esse separandam à patientia.

in

Digitized by Google

in quantùm multiplicantibus peccata non ſtatim infert vltimum ſupplicium pœnæ æternæ, admiſcetur tali operi patientia. Hinc D.Thomas ſuper hunc locum ad verbum illud (*Suſtinuit*) ſic ſubiungit. *Et hoc eius patientiam demonſtrat, quòd non ſtatim vindictam infert.*

261 22 Itaque primo loco Auguſtinus reprehendit Iulianum, non propter hoc, quòd ly *tradidit*, explicuit deſerendo; non verò impellendo: cum hoc dicat eſſe veriſſimum; ſed propter hoc, quòd iſtam traditionem, ſeù deſertionem voluit eſſe opus pacientiæ; non verò potentiæ; quaſi hæc duo ſimul eſſe non poſſent in vno opere diuino: cum tamen, vt tertio loco probat, iſta derelictio ſit proprium opus iuſtitiæ punitiuæ, & potentiæ vindicatiuæ, non ſeparatæ tamen à patientia.

262 *Concluditur falſum eſſe hæriex verbis Auguſt. duo decreta, alterũ permiſſiuũ: alterum effectiuum.*

23 Et ex his modo patet falſiſſimum eſſe, quod ſibi ſuaſerunt Salmaticenſes, videlicet; quòd per priora verba Auguſtini, quibus reprehendit Iulianum, duo decreta ſtatuat Auguſtinus: alterum permiſſiuum, quo peccata permittit per patientiam: alterum effectiuum, quo mouet in actum ipſum peccati per potentiam. Et quidem primum non ſolùm non poſuit; ſed impugnauit ſtatuens decretum, quo Deus punit peccatorem deſerendo, non ad patientiam; ſed iuſtitiam, ſeù iudicium, & potentiam pertinere. Si enim Deum permittere homines peccare, nihil aliud eſſet, quàm Deum eſſe patientem, cum homines peccant; ſequeretur, quòd quando Deum rogamus, ne nos permittat peccare, dicendo: *ne nos inducas intentationem*, rogaremus Deum; ne nobiſcum patiẽs ſit bonitas Dei; quod abſurdiſſimum eſt. Decretum verò illud, quo per potentiam moueat, & impellat in actum peccati, nullo modo inuenitur in Auguſtino: in toto ſiquidem diſcurſu, quo Iulianum impugnat, nec aliquod verbum attulit, quo probaret Deum impellere peccatores in peccata. Nec hoc erat ad propoſitum ſuum: cum ad hoc, vt vnum peccatum ſit pœna alterius peccati, non ſit neceſſarium, vt Deus moueat peccatorem in actum peccati. Nam ex hoc ipſo, quod Deus punit peccatorem ſubtrahẽdo ab eo gratiam, optimè ſequitur, quòd peccata ſequentia ſint pœna præcedentium peccatorum, vt patet per ipſummet Auguſtinũ in iſtis verbis citatis puta. *Quodlibet eligas, vel vtrumque fatearis*; & illis alijs (*Age quod vis*) & ex D. Thoma loc. prox. cit. puta, 1.2.q.87. art.2. in corpore, & ex verbis relatis in hoc §. num.1. & alibi ſæpè.

263 *4. Concluſ.* 24 Dico quartò: Quòd ſi verba Auguſtini adducta à Salmãticenſibus loco ſupra citat. ex lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 20. nempè: *Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumq. voluerit, ſiuè ad bona pro ſua miſericordia, ſiuè ad mala pro meritis eorum*, aliquam maiorem emphaſim, & energiam habent, quæ non ſufficienter exprimitur per hoc, quod Deus ad mala dicitur inclinare permiſſiuè; ac proindè oportet aliquid plus intelligere in ſententia Auguſtini. Tunc dicendum eſt, quòd ſecundum mentem Auguſtini non dicitur Deus inclinare hominum voluntates ad malum per hoc, quòd impellit, & mouet immediatè, & motione per ſe ordinata, & determinata ad actum illum, qui eſt materiale peccati; ſed per hoc, quòd vel mouet voluntatem ipſam in aliquem actum perfectè bonum; vel etiam agit aliquod aliud opus perfectè bonum, ex quo voluntas ſumit occaſionem peccandi, & ſic dicitur Deus inclinare voluntatem ad malum indirectè, & occaſionaliter, per hoc quòd agit id, ex quo voluntas ſumit occaſionem inclinandi ſeipſam in malum.

Maior phaſis verborũ Aug. quid importat.

264 *Dicta cõcl. eſt D. Th. explicãtis Aug. & ex præſtè ipſi met Aug.*

25 Hoc dictum non ſolùm eſt D.Thomæ explicantis Auguſtinum; ſed etiam ipſiuſmet Auguſtini explicantis ſeipſum. Et quidem D.Thom. hoc docuit ſuper cap. 9. ad Rom. lec. 3. ad illa verba. *In hoc ipſum exeitaui te.* Vbi ſecundam expoſitionem prædictorum verborum tradit his verbis. *Alio modo poteſt intelligi (excitaui te) in peccatum, vt deterior fias. Quod quidem non eſt intelligendum hoc modo; quòd Deus in homine cauſet malitiam; ſed eſt intelligendum permiſſiuè: quia ſcilicet ex iuſto iudicio permittit aliquos ruere in peccatum* (Nota obiter, quòd dixit: permittit ex iuſto iudicio non autem per patientiam) *propter præcedentes iniquitates; ſicut ſupra primò dictum eſt, & tradidit eos Deus in reprobum ſenſum. Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc eſſe intelligẽdum* nota, quod ſit hoc amplius: nam ſequitur. *Quia videlicet inſtinctu quodam interiori mouentur homines à Deo ad bonum, & ad malum. Vndè Auguſtinus dicit lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 20: quòd Deus operatur in cordibus hominum, inclinans eorum voluntates, quocumque voluerit, ſiuè ad bona pro ſua miſericordia, ſiuè ad mala pro meritis eorum. Vndè Deus dicitur ſuſcitare aliquos ad bonum, ſecundum illud Danielis 13 ſuſcitauit Deus ſpiritum pueri Iunioris. Dicitur etiam ſuſcitare aliquos ad malum faciendum, ſecundum illud Iſaiæ 13. Suſcitabo Medos, qui ſagittis paruulos interficient* (Ecce auctoritatem Auguſtini: ecce loca Scripturæ adducta à Salmãticenſibus. Nũc; ergo audiamus qualiter intelligenda ſint:

Verba D. Thomæ.

Digitized by Google

nam sequitur.) *Aliter tamen ad bona, & aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directè, & per se, tanquam auctor bonorum. Ad malum autem dicitur suscitare homines occasionaliter, in quantum, scilicet, Deus homini aliquid proponit, vel interius, vel exterius; quod quantum est de se, est inductiuum ad bonum; sed homo propter suam malitiam peruersè vtitur ad malum sup. 2. ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; secundum autem duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ. Et Iob 24. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbia. Et similiter Deus, quantum est de se, interius instigat hominem ad bonum, puta Regem ad defendendum Iura Regni sui; vel ad puniendum rebelles; sed hoc instinctu bono, malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui. Et hoc patet Is. 10. vbi dicitur de Assur. Ad gentem fallacem mittam eum, contra populum furoris mei, mandabo illi, vt auferat spolia, &c. & post: Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita extimabit; sed ad conterendum erit cor eius. Et hoc modo circa Pharaonem accidit; quia cum à Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem.* Hæc D. Tho.

265 26 Quæ omnia per apices dico ego, vt respondeam obiectioni Sanctitatis tuæ. Dico enim quòd tam Scriptura, quam Augustinus, dum pronunciant Deum inclinare, excitare, inducere, conuertere, suscitare homines ad malum, debent intelligi permissiuè. Et possunt intelligi de inductione, quæ fit indirectè, & occasionaliter per aliquod de se inclinante ad bonum; siue hoc sit aliquis internus instinctus voluntatis; siue aliquod extrinsecum, quo homines ex sua peruersitate, & malitia vtuntur ad malum, & ex eo sumunt occasionem peccandi; non autem per hoc, quòd per se, & directè impellit in actum, qui est materiale peccati. Quid dices ad hæc? Num dices D. Th. non benè penetrasse emphasim verborum Augustini?

266 27 Accipe ergo ipsum met Augustinum, qui hoc ipsum, quod in ipso met Augustino vidit D. Tho. euidentissimè docet super psal. 104. ad illa verba: *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius*, quem locum adduxit lib. de gratia, & lib. arbitrio cap. 21. post medium ipse met Augustinus citatus à D. Tho. verbis relatis nu. 25. ad hoc vt probet Deum inclinare hominum voluntates ad mala. Videamus, ergo qualiter talis locus debeat intelligi, & quã efficaciam habeat ad probandum intentum. Itaque Augustinus ad prædicta verba dubitat primo dicens.

28 *Numquid vam intelligendum est, vel credendum: quod Deus cor hominis ad faciendo peccata conuertit? An peccatum non est; vel paruum peccatum est, odisse populum Dei, & dolum facere in seruos eius, quis hoc dixerit? Nam quid ergo istorum, tam grauium peccatorum auctor est Deus, qui nullius, vel leuissimi peccati auctor credendus est? Quis sapiens intelliget hæc?* 267

29 Ecce dubium. Nunc ergo audiamus an respondeat, quòd Deus conuertit cor hominis impellendo in prædicta peccata quantum ad suum materiale. An verò respondeat secundum doctrinam allatã à D. Thom. nempè, quòd dicitur conuertere cor hominis in prædicta peccata indirectè, & occasionaliter; per hoc, quòd Deus agit aliquod bonum, ex quo homines peruersa voluntate sumunt occasionem peccandi. Siquidem immediatè ad prædicta verba, quibus proposuit dubium, subiungit responsionem dicens.

30 *Nam ipsa est ista mirabilis Dei bonitas, qua benè vtitur etiam malis, vel angelis, vel hominibus. Cum enim illi vitio suo mali sint; ille de malo eorum benè facit, non enim antequam odissent populum eius boni erant; sed maligni, & impij tales erant, qui facilè incolis suis felicibus inuiderent. In eo ergo, quòd populum suum multiplicauit; hoc beneficio suo malos ad inuidendum conuertit. Inuidia enim est odium felicitatis alienæ. Sic ergo conuertit cor eorum, vt per inuidiam odissent populum eius, & dolum facerent in seruos eius. Non itaque cor illorum malum faciendo; sed populo suo benefaciendo cor eorum sponte malum conuenit ad odium. Nõ enim rectum cor peruertit: sed sponte peruersum, ad odium populi, vt eo malo benè vteretur conuertit; non illos malos faciendo: sed ipsis bona, quibus mali facillimè possent inuidere, largiendo.* Hæc Augustinus. Quæ confer cum verbis D. Thom. sup. cit. nempè, *Ad malum autem dicitur suscitare homines occasionaliter, in quantum, scilicet, Deus homini aliquid proponit*, vel interius, vel exterius (nota ly exterius) *quod quantum est de se, est inductiuum ad bonum; sed homo propter suam malitiam peruersè vtitur ad malum.* Et inuenies in D. Thom. Augustinum, & in Augustino D. Thomam. 268 *Verba Aug. probãtis 4. cõcl.*

31 In calce huius §. rogo huius operis lectores; vt attendant ad verba prædicta Augustini, & indè colligant, qualiter intelligendus sit ipse met Augustinus, dum dicit lib. de gratia, & lib. arb. Quòd Deus operatur in cordibus hominum, inclinans eorũ voluntates ad mala. Et insuper quis sit ille modus 269 *Ex dictis colligitur qualiter intelligẽdus Aug. lib. de grat. & lib. arb.*

Digitized by Google

modus mirabilis, quo Deus hoc facit; & cuius meminit ipse met Aug. lib. quinto contra Iulianum verbis sup. cit. in hoc §. nu. 18. in fine nempè. *Facit hæc miris, & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua, non solum in corporibus hominum; sed etiã in ipsis cordibus operari.* Et illis alijs cit. num. 11. antecedenti nempè. *Tradidit Deus passionibus ignominiæ, siuè deserẽdo, siuè alio quocumq: vel explicabili vel inexplicabili modo, quo facit hæc summe bonus, & ineffabiliter iustus.* Peto. Quis est iste modus, quo hoc facit? Dicunt Salmãticenses; facit hoc impellendo in ipsum actum, qui est peccatum mouendo cor hominis, & ipsum conuertendo in talem actũ. Dicunt D. Tho. & Augustinus. Quod hoc facit Deus, non conuertendo cor in malum; sed alijs benefaciendo, quo beneficio ipsi ex sua peruersitate mouentur in malum. Dices ne, quòd non solùm iste modus Augustini; sed ille modus, Salmãticensium debet dari? Si hoc sapis, dic in cuius auctoritate fundantur Salmãticenses ad hoc asserendum? Dices vtiq; in auctoritate Augustini, & D. Tho. Hunc ergo suum modum in Augustino, & D. Tho. inuenire debuissent; si secundum mentem horum doctorum loqui voluissent. At vero isti Doctores non illum; sed hunc alium tradiderunt; illud vero salmãticensium, vel impugnarunt, vel omiserunt. Non ergo secundum horum doctorum sensum loquuntur; sed secundum proprium.

§. XVI.

Proponitur secundum dubium; & explicatur iuxta doctrinam Sanctorum Augustini, & Thomæ: An & quomodo sit vltra à Deo actio positiua, quæ est materiale peccati.

270 1 SEcundum dubium contra stabilita in hac disputatione desumi potest ex alijs locis Scripturæ, quibus manifestè significatur, Deũ præfiuisse, & decreuisse, vt fiant ab hominibus aliquæ actiones, quæ sunt peccata. Hoc autem esse non posset, si Deus non moueret voluntatem motione per se ordinata, & determinata in actum ipsum, qui est materiale peccati. Ergo Deus hoc modo mouet voluntatem in actum peccati. Maiorem videntur probare loca Scripturæ, quæ passim Recentiores afferunt, & inter alios Salmãticenses disp. sup. cit. dub. 7. § 3. num. 140. vbi adducũt illud Actorum 2. n. 23. nempè. *Hũc* (s. Iesum) *definito consilio, & præscientia Dei traditũ per manus iniquorum affigentes interemistis.* Et cap. 4. sequenti nu. 27. vbi dicitur. *Sicut conuenerunt Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* In quibus Scriptura videtur innuere, quod Deus suo consilio, & decreto statuerit, vt Iudei crucifigerent Christum. Siquidẽ Deus decreuit fieri, quæ illi fecerunt. Illi autẽ crucifixerunt Christũ peruersa voluntate. Hoc ergo Deus decreuit fieri, vt scilicet Iudei peruersa voluntate Christum crucifigerent. Minor verò videtur clara. Diuinum enim decretum debet efficere certò, & infallibiliter id, quod decretum, & præfinitum est. Non potest autem efficere peccatum formaliter sumptum. Debet ergo efficere certò, & infallibiliter ipsum materiale, quod continetur sub obiecto factibili *Diuinæ* potentiæ. Sed non potest efficere certò, & infallibiliter id, quod est materiale in peccato, puta actum voluntatis; nisi moueat voluntatem motione per se ordinata ad illum actum. Ergo.

271 *Prima cõclusio prædicta loca Scripturæ sunt inutilia ad propositum.*

2 Respondeo, & dico primo. Quod prædicta loca sunt inutilia ad propositum. Siquidem in priori loco non cõtinetur; nisi diuinum consilium, & decretum, quo Deus Pater tradidit filium suum passioni. secundum illud Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illũ.* Sic ergo dicitur Christus per diuinum Consilium, & præscientiam traditus: quia Pater eum tradidit pro nobis id est (vt explicat D. Tho.) exposuit eum passioni pro expiatione peccatorum nostrorum. Et per hoc quidem Diuinum consilium, & decretum non voluit Deus, vt Iudei Christum crucifigerent; sed vt filius suus carnem sumeret, & in carne vellet satisfacere pro peccato, voluntariæ permittens se crucifigi à Iudeis, vt exponit D. Thom. lect. 6. ad prædictum cap. 8. dicens. *Tradidit eum Deus pater in mortem, eum incarnari, & pati statuendo, & humanæ eius voluntati inspirando charitatis affectum, quo passioni spontaneus subiret. Vnde ipse seipsum tradidisse dicitur ephes 5. tradidit semetipsum pro nobis.* Hæc D. Thom. Vbi nota quòd non dixit, *D*eum Patrem tradidisse filium, statuendo, vel mouendo corda Iudeorum, vt crucifigerent; sed statuendo, vt filius carnem sumeret, & inspirando humanæ eius voluntati charitatis affectum, vt in assumpta carne pro nobis subiret supplicium.

D. Th. Ro. 8. lect. 6

272 *Secundus locus est magis inutilis.*

3 Posterior verò locus est magis inutilis ad propositum arguẽtium; quippè quia nulla fit mentio de decreto terminato ad actionem Iudeorum: sed de terminato ad effectum actionis Iudeorum, puta de decreto, quo Deus voluit plagas illas, quæ receptæ fuerant in Corpore Christi ex quibus mortuus est. Et est similis modus loquendi

Con-

Digitized by Google

Cõuenerunt adulter & adultera generare eum, quem Deus decreuit generari. Et quidem decretum Dei terminaretur ad hominem genitũ per actionem peccaminosam; non autem ad actionem peccaminosam.

Ita in illo loco Scripturæ adducto dicitur, quòd Iudæi conuenerunt facere in corpore Christi id, quod Deus decreuit fieri in eodem corpore. Puta plagas, & liuores, quos substinuit Dominus Iesus pro nobis. Atqui Plagæ illæ, licèt effectus sint actionis peccaminosæ; non autem ipsæ sunt actio peccaminosa. Nec oportet, vt ille, qui vult effectum actionis peccaminosæ, velit etiam actionem peccaminosam, vt notauit D. Th. ad Annibaldum in p. dist 48. art. 4. ad 3.

273 D. Tho. 4 Argumentum erat: *Voluntas iudicatur mala ex malo, quod inseparabiliter coniungitur volito: sicut patet in voluntate fornicantis, qui vult delectationem, cui inseparabiliter inhæret deformitas. Sed passioni innocẽtis inseparabiliter coniungitur actio mala persequentis. Ergo qui vult passionem Christi videtur velle actionem Iudeorum.* Ecce dubium.

Sequitur Responsio. *Ad 3. dicendũ quod effectus dependet à causa; sed non è conuerso. Vnde quicunq; vult causam, vult effectum per consequens: sed non è conuerso. Delectatio autem est causa deformitatis: sed passio Christi est effectus actionis Iudeorum. Vnde Deus non volendo actionem Iudeorum malam, voluit bonam passionem Christi.* Hæc S. Doctor.

274 2. Conclu. 5 Dico tamen secundo. Quòd necessario cõcedere debemus actum voluntatis in Deo, quo vult totum id, quod boni, & perfectionis rationẽ habet in actu peccati.

Probatur auctoritate D. Th. Probatur breuiter pro Thomistis sic. Hoc modo se habet aliquid ad hoc, vt sit volitum à Deo: sicut se habet ad hoc, quod sit bonum, vt dicit D. Th. in 1. dist. 46. q. 1. ar. 1. in corp. & probat art sequenti in principio corporis. Ego si in actu peccati est aliquid boni rationem habens, secundum id quod bonum est, erit volitum à Deo.

275 3. Concluſ. 6 Dico 3. Quòd actus diuinæ voluntatis, quo vult totum id, quod bonitatis, & perfectionis est in actu peccati, est actus voluntatis consequentis præsupponens aliquid se tenens ex parte peccantis.

276 7 Vt explicetur hoc dictũ, considerari debet doctrina D. Th. de veritate q. 23. ar. 2. in corp. vbi explicat distinctionem Damasceni, qua voluntatẽ diuinã distinguit in antecedentem, & cõsequẽtem; & sic habet. *Huius distinctionis intellectus ex verbis Damasceni est assumendus, qui hanc distinctionem introduxit. Dicit enim in secundo libro. Quod voluntas antecedens est acceptio Dei ex ipso existens: Sed voluntas consequens est concessio ex nostra causa. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd in qualibet actione est aliquid considerãdum ex parte agentis, & aliquid ex parte recipientis. Et sicut agens est prius facto, & principalius: ita id, quod est ex parte facientis, est prius naturaliter eo, quod est ex parte facti. Sicut patet in operatione naturæ. Quod ex parte virtutis formatiuæ, qua est ex semine, est quòd animal perfectum producatur. Sed ex parte materiæ recipientis, qua quandoq; est indisposita, contingit quandoq; quòd non producitur perfectum animal: Sicut contingit in partibus monstruosis. Et sic dicimus, de prima intentione naturæ esse, quòd animal perfectum produceatur: sed quòd producatur animal imperfectum, est ex secunda intentione naturæ, quæ ex quo non potest propter suam indispositionem tradere formam perfectionis, tradit ei id, cuius est capax. Et similiter est considerandum in operatione Dei, qua operatur in creaturis. Quamuis enim ipse in sua operatione materiam non requirat, & res ab initio creauerit nulla materia præexistente: nunc autem operatur in rebus quas primò creauit, eas administrãs præsupposita natura, quam prius eis dedit. Et quamuis possit à creatura omne impedimentum auferre, quo perfectionis incapaces existunt: tamen secundum ordinem suæ sapientiæ disponit de rebus secundum earum conditionem; vt vnicuiq; tribuat secundum modum suum. Illud ergo, ad quod Deus creaturam ordinauit, quantum est de se, dicitur esse volitum à Deo quasi prima intentione, siue voluntate antecedente: sed quãdo creatura impeditur propter sui defectum ab hoc fine; nihilominus tamen Deus implet in ea id bonitatis, cuius est capax, & hoc est quasi de secunda intentione eius, & dicitur voluntas consequens.* Hæc D. Tho.

Doctrina D. Th. cõsiderandа valde.

Quid importat secundũ Damasceni voluntas Dei antecedens, & voluntas cõsequẽs.

Ex quo natura nõ põt induceere actũ perfectũ, inducit id, cuius subiectũ est capax.

277 *Positiuũ, quod è in actu peccati, nõ potest esse, nisi de secunda intentione Dei.* 8 Qua supposita doctrina dico. Quòd quia peccata sunt operationes monstruosæ carentes perfectione debita, ideo est, quod illud positiuum in actu peccati, quòd inuenitur carere perfectione debita, & habere quamdam perfectionem indebitam, non potest esse; nisi de secunda intentione Dei, pertinens scilicet ad voluntatem consequẽtem, quæ præsupponit naturam habentem aliquem defectum impedientem influentiam perfectionis debitæ; & per quam Deus implet in eadem natura id perfectionis, cuius est capax. Itaq; quia Deus, quantum est de se, ordinauit creaturam rationalem ad operandum secundum rationem; ideo operatio humana secundum rationem, quæ ex hoc ipso, quòd est secundum rationem habet perfectionem debitam, est de prima in-

ten-

Digitized by Google

tentione Dei, seu volita voluntate antecedenti, vt sup. in hac disp. §. 12. num. 3. diximus, Quia vero creatura rationalis impeditur propter sui defectum ab hoc fine, nempe, ab operando secundum debitum ordinem rationis, secundum quam operationem homo peccat. (peccatum enim est operatio humana priuata debito ordine rationis) ideo est, quòd Deus, dum adimplet in ea id bonitatis, cuius est capax, dicitur hoc velle ex secundaria intentione, seu voluntate consequenti. Voluntas autem consequens (vt ex verbis D. Th. apparet) præsupponit naturam habentem aliquem defectum impedientem assecutionem finis debiti, in quem natura est ordinata ex Dei primaria intentione, ideſt, quantùm est ex parte Dei constituentis naturam cum inclinatione in talem finem.

278 *Notabile pro cõclusione intelligenda.*

9 Hoc dictum sic explicatum euidẽter continetur in supradicta doctrina D. Thomæ nec indiget probatione: est enim euidens, quoad rem significatam, licet fortè maiori indigeat explicatione, alio loco adducẽda quãtùm ad appropriationem nominis voluntatis antecedẽtis, & sequentis. Vt autem res hæc melius capiatur, considerandũ est: quòd secundũ nostrum modum concipiendi, secundum quem ponimus pluralitatem decretorũ in Deo, debemus ponere vnum decretum, seu vnam volitionem, qua Deus voluit naturas rerum condere, & aliud, quo voluit naturas à se conditas perducere in finem, seu gubernare, quod spectat ad diuinam prouidentiam. Hoc autem secundum decretum præsupponit naturam iam cõditam per aliud decretum. Similiter decretum Dei, quo vult aliquem hominem pugire pœnã inferni, supponit eundem hominem incidisse ex culpa propriæ voluntatis in peccatum mortale. Hoc simili modo dicimus, volitionem illam, seu decretum, quo Deus vult totũ illud entitatis, & perfectionis, quæ inuenitur in actu peccati, præsupponere voluntatẽ creatam nõ habẽtem debitum ordinem ad Deum, seu debitam dispositionem ad recipiendã influentiam diuinæ motionis: ratione cuius dispositionis dicta voluntas, dum nõ valet per influentiam diuinæ motionis recipere à primo mouẽte Deo actionẽ habentẽ perfectionẽ debitã: Deus vult ex cõsequenti influere in eam illam perfectionem, quã ipsa sic dispositа potest habere per talem motionem. Et hæc est tota entitas actionis, ut per accidens, & nõ prout venit à Deo per suam motionem; sed prout procedit à voluntate creata carente dispositione debita, inuenitur coniũcta deformitas peccati.

279 10 His positis: ad argumentum (quicquid sit de authoritate Scripturæ) Respõdeo concedendo, Deum ab æterno decreuisse facere quicquid entitatis, & perfectionis inuenitur in actu peccati: decreto tamen voluntatis sequentis; & supponentis in volũtate creata carentiam dispositionis debitæ, per quam suo modo impeditur recta tendentia motionis diuinæ in verum bonum, & detorquetur in bonũ apparens. Similiter concedo, Deũ per tale decretum efficere infallibiliter quicquid perfectionis est in tali actu. Nego deinde illam propositionem, nempe, Deum non posse totũ hoc facere; nisi mediante motione, quæ sit de se, & prout venit à Deo, determinata ad solam substantiam actus. Iam enim supra sæpe diximus ex doctrina S. Thomæ; Deũ attingere sua causalitate solam substãtiam actus peccati per illam eãdem motionem, qua causaret actionem perfectam, si voluntas creata non careret debita dispositione ad recipiendam motionem diuinam. Falsitas etiam prædictæ propositionis apparet in exemplis toties inculcatis de tibia, & sagitta habentibus curuitatem, rectè tamen motis, quãtum est ex parte mouentiũ.

Responsio in forma ad argumentum.

§. XVII.

Dubium tertium, quo proponuntur obiectiones desumptæ ex intrinseca natura actus mali moraliter.

280 1. *Obiect. ex eo, quia malum in moralibus importat differẽtiã positiuam.*

1 TAndem dubitari potest cõtra nostram, & D. Th. sententiam, ex eo, quia non apparet, qualiter secundum eam possit benè saluari, Deum esse causam actus mali malitia moralis, & non esse causam malitiæ moralis. Et ratio dubitandi est. Quia malum in moralibus non importat merum defectum, seu priuationem, sed aliquod ens positiuum; cum sit differentia diuisiua generis, puta actus, & habitus moralis, constituens speciem actus, & habitus vitij contradistincti specificè ab actu, & habitu virtutis. Differentia autem entis cuiuscunq; speciè distincti ab alio ente, est ens positiuum. Si ergo Deus est causa omnis entitatis inuentæ in actu peccati; erit etiam causa actus mali moraliter, quatenus malus est.

281 2. *Obiect. ex eo, quia deformitas peccati sequitur differẽtiã positiuam.*

2 Præterea. Esto deformitas peccati importet priuationem, aut negationem: illa tamen negatio consequitur differentiam specificam constitutiuam actus vitij. Sicut irrationalitas, licet importat negationem, seu priuationem rationalitatis. Ista tamen priuatio consequitur differentiam positiuam constitutiuã bruti. Illud autem, quod est causa formæ alicuius, est causa etiam illius, quod ipsam sequitur, etiam si

sit

sit priuatio. Et ita Deus qui est causa actus moralis vitij, quoad differētiā ipsius actus constitutiuam, erit etiam causa deformitatis consequentis; etiā si deformitas sit priuatio. Maior est D. Th. p. 2. q. 79. art. 2. ad 3. & alijs locis infra cit. Minor autem videtur euidens, estque eiusdem S. Doct. 2. 2. q. 6. art. 2. in corpor.

282 3 Consultò has obiectiones proposui; vt ex earum solutione videas, quàm benè doctrina D. Tho. in hac disputatione proposita, sibi in omnibus consentiat: Nec non vt scias; qualiter aliqui, tàm ex recentioribus, quàm ex antiquis, qui prædictam D. Thom. doctrinam non vsurparunt ad explicandum modum, quo Deus mouendo voluntatem, est causa totius entitatis inuētæ in actu peccati; non verò malitiæ, & deformitatis, supradictis obiectionibus constringantur.

§. XVIII.

Quid sentiat Caietanus, Ferrariensis, & Capreolus circa materiam prædictarum obiectionum.

283 1 DVbium tactum in prima obiectione, magnum appellat Caiet. p. 2. q. 18 art. 5. vbi sic inquit: *Dubium magnum dilucidandum est. Quomodo stant hæc duo simul, scilicet, differentia secundi bonum, & malum constituunt distinctas, & contrarias species actuum moralium; et malum non est natura aliqua; sed nihil, vt Augustinus, & Dionysius dicunt. Si enim actus moralis malus, puta intemperantia, species est aliqua inter entia, contraria speciei temperantiæ; sicut nigredo alicui; sequitur quòd differentia mali est natura aliqua, & non priuatio. Constat n. quòd priuatio nullam potest constituere speciem actus, aut habitus, aut cuiuscliq. rei. Si autem malum secundum totam suam formalem latitudinem priuatio, nihilque est; nulla erit in moralibus mali species positiua; de hac enim loquimur. Ac per hoc nulla verè, & propriè contrarietas inter actum, habitumque iustitiæ, & iniustitiæ, temperantiæ, & intemperantiæ: quod est contra communem doctrinam. Oportet enim, vtrumque contrariorum, vt sic, esse ens positiuum formaliter, & non tantùm subiectiuè.* Hæc Caietan. proponens dubium.

Verba Cai. proponētis sibi difficultatem.

284 2 Soluit autem supponendo, quòd hęc vox, malum, est vox æquiuoca, & potest significare priuationem perfectionis debitæ actui morali; & potest significare actum, vel habitum contrarium actui, & habitui bono. Quo posito dicit; quòd malum, quòd est genus, & differentia in moralibus, formaliter est ens positiuum, cuius Deus est auctor; licet Deus auctor non sit priuationis coniunctæ. Et hinc habes ex Caietano, quòd Deus est auctor actus mali moraliter, formaliter, vt malus est; si ly malus sumatur, prout significat differentiam in moralibus. Verba Caietan. quibus dub. supra posito respondet sunt.

285 *Resp. Caiet. adstructis duplicem malitiam in moralibus, positiuā, & negatiuam.*

3 *Ad claritatem huius obscuræ difficultatis, scito. Quòd dicere non auderem; nisi expressa D. Th sententia in p. 1. q. 48. art. 1. ad 2. & 3, contr gen. cap. 9. explicaret, quod hic tangitur, scilicet, quòd malum, genus, & differentia in moralibus est ens positiuum, & bonum in se; quamuis sit malum homini secundum rationem. Sicut forma mortui est quoddam ens, & bonum in se; quamuis sit malum viuo. Est itaque iniustitia actus, & habitus secundum suā speciē moralem formaliter ens positiuum, & contrarium iustitiæ. Nec ex hoc sequitur, quòd malum est natura aliqua, aut ens: sed aquiuocatio accidens hic, obscuritatem parit. Malum enim aquiuocum est ad malum verè, & propriè, & ad malum genus differentiæ, & species moralium. Pro quo nota: Quòd malum, absolutè loquendo, significat priuatiuè bonum debiti, quando, sicut, &c. Malum autem in moralibus quandoque significat priuationem boni secundum rationem debiti, quando, sicut, &c. actui humano, vel habitui. Quandoq. autem significat ens contrarium actui, vel habitui humano bono. Itaque inter significationem mali in moralibus, & absolutè, hoc interest; quòd malum absolutè formaliter est nihil; denominatiuè autem est ens. In moralibus autem, malum, quòd est pars subiectiua mali in communi, eodē modo se habet, scilicet, quòd formaliter est nihil; denominatiuè verò est ens. Sed præter hoc in moralibbie tiam, ipsum ens contrarium actui, vel habitui bono moraliter, appellatur malum secundum suam speciē. Vbi manifestè patet aquiuocatio. Est igitur in moralibus malum dupliciter, scilicet priuatiuè. Et hoc est simpliciter, & formaliter malum, quòd est nihil, cuius Deus non est auctor, & contrariè, & hoc est in se bonum, & est à Deo; quamuis priuatio sibi annexa à nullo fortè sit, sicut nec potentia peccandi quòd priuatiuum.* Hæc Caietan. quem etiam vide eadem p. 2. qu. 71. art. 6. §. (*in eodem articulo pro quanto*) vbi repetit; quod hæc vox malum in moralibus æquiuocè dicitur. Et q. 79. ar. 1. § (*Ad euidentiam huius difficultatis*) vbi in peccato ponit duplicem malitiam, alterā positiuam; & alteram negatiuam, dicens: *Sūt in peccato duæ malitiæ. Prima malitia ex obie-*

obiecto: secundò, malitia in ipsa priuatione obseruationis legis. Prima est positiua, & in certò entis genere: quia mala moralia species entium sunt, vt prædictum fuit. Secunda est priuatiua, & est ipsa deformitas peccati, in qua consistit ratio mali simpliciter. Hæc Caietan.

286 *Quid sētit Caie. circa 2. obiect.*

4 Circa materiam secundæ obiectionis, qua ponitur, priuationem perfectionis debitæ ex necessitate sequi entitatem, & speciem aliquorum actuum moralium, idē Caietanus hoc ipsum, quod prædicta obiectio assumit, concedit post verba modo supta cit. ex commentario. Obiectionem deindè soluit secundum modum à nobis infra ponendum.

287 *Quid sētit Capreus.*

5 At verò Capreolus in 2. dist. 37. art. 3. in resp. ad 1. tenet, priuationem rectitudinis debitæ actui morali non sequi ex necessitate aliquem actum, quatenus habet suam speciem ex obiecto; sed solum sequi aliquos actus, quatenus tales actus procedunt à tali agente.

Capr. sequitur Ferra.

Hinc est, quòd secundum ipsum odium Dei potest separari à deformitate, & potest fieri immediate à Deo, ita vt nullus detur actus, qui sit malus ex obiecto; sed malitia procedit ex lib. arb. discrepāte à sua regula: lege ipsum. Capreolum sequitur Ferrariensis lib. 3. contra gent. cap. 71. circa finem: vbi proponit dubium in secunda nostra obiectione contentum, & soluit dicens: *Malitiam consequi inseparabiliter aliquē actum, potest dupliciter intelligi. Vno modo, vt consequatur ipsum absolutè consideratum secundum entitatem suam. Alio modo, vt consequatur ipsum, secundum quod à tali agente, puta, à libero arbitrio procedit. Primo modo, nulla deformitas peccati comitatur aliquem actum; quia si essentia illius actus odiendi Deum, producti à lib. arbit. creatura, à solo Deo produceretur; non esset malus actus, & deformis.* Lege ipsum vsque ad finem commentarij.

§. XIX.

Vera sententia circa materiam primæ obiectionis; necnon quid sentiendum sit de recitatis opinionibus aperitur.

288

1 REcensuimus breuiter veterum præcipuorum Thomistarum dicta pugnantia, vt pōdus difficultatis agnoscas. In sequentibus veritatem ipsam aperiemus; vt quid eligas, quidue respuas ex prædictis sententijs ageoscas, obiectionesq; positas euidenter soluas.

Itaque dico primò. Quòd Caietanus non benè existimauit vocem istam, malū esse apud D. Thom. æquiuocam in moralibus; taliter vt significatum formale sit duplex malitia, altera positiua; altera verò negatiua. Sed, si æquiuocationem aliquo modo continet; illa est duplex, quasi analogia ad vnum, seù ab vnica forma. Quarum altera est, in quantum eadem vox inuariata, puta, malum, est abstractum, & concretum; & sic potest significare priuationem boni debiti, & rem priuatam bono sibi debito. Altera est, qua malum concretè sumptum potest significare, tàm habens priuationem boni debiti; quomodo dicitur malus oculus ille, qui caret visū; quàm etiā illud, quod causat in alio priuationem boni debiti, quomodo dicitur ignis malus ligno: quod per calorem priuat forma ligni. Quo simili modo analogiæ hæc vox, sanū, est analoga per hoc, quod significat, tum id, quod habet sanitatem; quomodo animal dicitur sanum, tum quod causat sanitatem; quomodo medicina dicitur sana. *1. Conclus. malè asserit Cai. vocē hāc, malū i morali bus eße pu rè æquiuocam. Est analoga duplici analogia sm D. Tho.*

289 *Declaratur opinio Caiet.*

2 Antequam hoc dictum probem, aduertere debes discrimen inter dictum nostrum, & opinionem Caiet. Siquidem Caietan. putauit, quòd peccatum esset actus duplici malitia malus; quarum altera esset priuatio; altera verò esset ratio positiua desumpta ex obiecto. Voluit ergo; quod vox, malum, vel esset propriè æquiuoca, qua significantur plura formaliter sine vllo ordine: vt vox, canis, significans stellam, & animal latrabile: vel analoga cum aliqua proportionalitate, in qua analogorum denominatio non sumitur ab vnica forma, sicut hęc vox accidens dicta de nouem prędicamentis. Cæterum considerari debet, quòd datur alius modus analogiæ, quæ appellari solet analogia attributionis ad vnū, vt notauit ipse met Caietan. 1. p. q. 16. art. 6. §. *ad secundam verò dubitationem*; de qua analogia loquitur D. Thom. in corp. prædicti art. 6. Et est, quando plura appellantur vnico nomine per ordinem ad vnicam formam, quę propriè inuenitur in vno; sed per ordinem ad illam plura sumunt denominationem, taliter vt significatum formale sit vna, & eadem forma. Sicut animal dicitur sanum: quia habet sanitatem, & medicina dicitur sana: quia causat sanitatem. In quo quidem genere analogiæ non assignamus dupliceu sanitatem, alteram in animali: alteram in medicina; sed vnā, quam animal habet, & medicina causat. Lege D. Tho. ar. proximè cit. qui hanc analogiam optimè explicat. Modò nos dicimus; quòd malum est aliquo modo vox analoga hoc secundo modo; inquantum est vox significans per modum abstracti, & cōcreti. Malum autem concretè, dicitur ma- *Analogia attributionis ad vnū q̄ sit sm D. Tho. et Cai.*

Digitized by Google

lum per hoc, quòd habet malum, quod est abstractum: taliter vt significatum formale sit vna, & eadem priuatio boni. Dicimus etiam, quòd vox, malum, concretè sūpta, est analoga per attributionem ad vnam & eandem formam, puta, priuationem boni; dum significat tàm habens priuationem boni sibi debiti, quam inferens alicui priuationem.

290 *Prob. cōcl. auct. D.T.*

3 Dictum hoc sit explicatū posuit D. Thom. in 2. dist. 34. q. 1. art. 2 in corpor. vbi primò ponit multiplicem acceptionem, seù significationem huius nominis, malum, & sic inquit. *Dicendum, quòd Auicenna in sua Meth. ponit perutilem diuisionem quandam mali, quæ ex verbis eius colligi potest. Dicit enim quòd malum dicitur aliquid dupliciter: vel per se; vel per accidens. Per se malum dicitur ipsa priuatio perfectionis, quæ aliquid malum est, quod etiam à quibusdam malum abstractè sumptum dicitur, &c. Malum autem per accidens est duplex; vel id, quod est subiectum talis priuationis; vel id, quod talem priuationem in altero causat, & vtrumq. istorum est malum concretiuè sumptum. Illud autem quòd est subiectum priuationis, potest accipi quodrupliciter; quia vel est actio; vel habitus, vel passio, vel substantia. Actio quidem, si priuationem debiti finis, vel debitæ circumstātiæ habeat; rationem mali culpæ habebit. Et quia ex similibus actibus similes habitus generantur: indè contingit, quòd habitus ipsi, qui ex talibus actionibus relinquuntur, mali sunt: sicut habitus vitiorum. Passio autem priuationem habet, per quā aliquid in patiente corrumpitur. Et talis passio malum pœnæ dicitur: vel defectus naturæ in illis, in quibus non potest esse culpa, nec etiam pœna esse. Et quia nullum accidens potest esse subiectum alicuius, quod priuatiuè, vel positiuè dicatur; nisi gratia substantiæ, quæ ei subijcitur; ideo oportet, quòd vlterius intelligatur subiectum huius priuationis, quæ per se malum est, substantia esse, secundum quod dicitur homo malus, & anima mala, &c.* Hæc D. Tho. quoad diuersam huius vocis, malum, significationem.

291

4 Ponit deinde parum infra ordinem, quo prædicta plùra nomine, mali, significantur: & sic habet. *In malis ergo hoc modo dictis, est talis ordo: quòd id, quod est per se malum, primò dicitur, & omnia per ordinem ad id. Et secundum gradum tenet malum per accidens, quod est subiectum mali: quòd dicitur malum ex hoc, quòd priuationem, quæ per se malum est, in se habet. Et in tertio gradu est id, quod dicitur malum per accidens, sicut causa inducens malum. Hoc enim non habet in se de necessitate priuationem; sed facit aliquid esse priuationem habens. Vnde primum dicitur absolutè malum; & secundi in ordine ad primum, & tertium in ordine ad secundum.* Hæc D. Thom. vbi habes expresè nostram sententiam.

292 *2 Concluf. malū concretiuè, seu per accidēs, nō è duplici malitia malū sed vna dūtaxat, q̄ è priuatio.*

5 Dico secundò, quòd malum concretiuè, seù per accidens, prout significat idē quod subiectum mali, quod dicitur (vt inquit D. Thom.) malum ex hoc, quod priuationem, quæ per se malum est, in se habet) non dicitur malum duplici malitia, altera positiua, altera negatiua; sed vna tantum, pura priuatione boni, quæ est abstractè, & per se malum. Patet hoc dictum ex verbis modò citatis, puta; *tale dicitur malum ex hoc, quod priuationem, quæ est per se malum, in se habet.* Et clarius id ipsum post verba citata sic concludit. *Dicendum ergo, quòd malum nominat non ens; vnde id, quod per se malum est, non ponit aliquid; sed dicitur esse vt priuatio, malum verò, quod est subiectum priuationis, est aliquid positiuè; sed non ex eo, quod malum est: sicut equus cæcus est aliquid; sed non ex eo quod cæcus est, quia cæcitas non est in eo; nisi vt negatio visionis.* Hæc D. Tho. Nota ly *malum quod est subiectum priuationis, est aliquid positiuè; sed non ex eo, quod malum est.* Si enim daretur malitia positiua in malo sic dicto; tale esset aliquid positiuè ex hoc, quòd malum est. Resque ista est euidens in omnibus concretè dictis. Si enim hæc dictio, album, esset abstractum, & concretum; paries albus non esset albus duplici albedine; sed vna, quæ appellaretur album. Ita in proposito priuatio boni appellatur per se malū, per hoc ergo, quod aliquid dicitur malum; quia habet priuationem boni, quæ est per se malum; non propter hoc habebit duplicem malitiam, vnam, quæ est priuatio boni, & alteram positiuam. Dicitur enim subiectum malum, tamquam à forma denominante, à per se malo, quod est priuatio boni. Vide D. Th. de malo q. 1. art. 1. in principio corporis.

Prob. auct. D. Thom.

293 *3. cōcl. malū, q̄ est differentia in moralib⁹ è malū p accidēs non cl p per se malum.*

6 Dico tertiò: quod malum, siuè differentia, siuè genus, & species in moralibus est malum per accidens, seù concretè sumptum, quod malū dicitur ex hoc, quòd priuationem boni, quæ per se malum est, in se habet, vel causat: non autem aliquod, quod sit malum aliqua malitia positiua; si vsum loquendi D. Thom. & veritatem ipsam sequi velimus.

294 *Ens contra Caiet.*

7 Dictum hoc est contra Caietan. qui contrictus sua ratione dubitādi à nobis relata §. 18. num. 1. per quam sic concluſit: *Oportet enim vtrumque contrariorum, vt sic, esse ens positiuè formaliter, & non tantum*

tùm subiectiuè, inuenit, seù (rectiùs loquendò) effinxit duplicem malitiam in habitibus, & actibus moralibus malis, vnã positiuam, per quam formaliter contrariarẽtur bonis, & alteram negatiuã. Voluitq; malum morale, quod est genus, & species, & differentia, non esse tantum subiectiuè malum, puta, habens priuationem boni; sed malum substantiuè ex sua peculiari malitia positiua distincta ab illa malitia importata per priuationem. Idq; posuit tamquam primum principium ad intelligendum D. Thom. p. 2. q. 71. artic. 6. §. (*In eodem articulo pro quanto*) vbi posita hac sua existimatione sic concluſit. *Et hoc benè nota, & fige menti, si vis Auctorem intelligere.* Hæc Caietanus.

Sed iudicio meo sic melius dixisset, nẽpè. Si vis Auctorem nullo modo posse intelligere. Porrò prædicta Caiet. doctrina, & in se ipsa, & secundum modum loquendi D. Tho. est inintelligibilis, vtpotè contradictionem implicans; vt modò statim probabo.

295 8 Dictũ hoc duas habet partes, vnam positiuam, & alteram negatiuam. Prior est: malum, prout est, siuè differentia, siuè genus, & species in moralibus, est malum per accidens, seù concretè dictum à per se malo, quod est priuatio boni. Secunda est: tale non dicitur malum malitia positiua. Dixi autem in priori parte, siuè differẽtia, siuè genus, ne videar supponere, malum esse genus, & differentiam in moralibus. Nam D. Tho. licèt lib. 3. contra gent. cap. 9. dixerit, quod malum morale est, & genus, & differentia, ac per hoc, dictum Aristotelis docentis, quod bonũ, & malũ sunt genera contrariorum, approbauerit de bono, & malo morali; Opusc. tamen 2. cap. 116. circa finem videtur prefatam opinionem (tamquam non ex propria sententia alibi allatam) reformare, his verbis, nẽpè. *Per bunc etiã modum quidem intelligunt ab Aristotele dictum, quòd bonum & malum sunt genera contrariorum, scilicet moralium; sed si rectè attendatur bonum, & malum in genere moralium, magis sunt differentia, quam species, &c.*

Malum in moralibus est et genus, & differẽtia D. Th.

Bonum, & malum in moralibus magis sũt differẽtiæ, quã genus.

296 9 Itaque vt adæquatè probemus ea, quæ in hoc tertio dicto continentur, tria demõstrare debemus. Primò, malum differentiam moralium in sententia D. Tho. esse malum per accidens, seù concretè sumptum. Secundò: formam, à qua tale malum dicitur malum, esse priuationem boni, seù per se malum. Tertiò: non dari aliquam formam positiuam, à qua tale cõcretum dicitur malum, seù nullam dari formam positiuam, quæ sit per se malum, idest, malitia.

10 Horum primum tamquam asserti euidenter à D. Thom. sequitur Ferrariensis lib. 3. contra gent. cap. 9. his verbis. *Secundum est. Quòd malum dicitur aliquid dupliciter vt ponit S. Thom. 2. sent. dist. 34. artic. 2. de mente Auicenna ex Meth.* (verbis in hoc §. cit. num. 3.) *scilicet per se, & per accidens. Malum per se est ipsa priuatio boni abstractè sumpta. Malum per accidens est, & ipsum subiectum talis priuationis, & quod ipsum in altero causat. Malum ergo, quod ponitur differentia constitutiua in moralibus, non est per se, & abstractè malum; sed est malum per accidens, & concretiuè: quod est dictu: non est ipsa priuatio boni formaliter, & abstractè sumpta; sed est subiectum, & natura, cui coniungitur boni priuatio.* Hæc Ferrariensis. 297 *Ex D. Th. probatur, q malum, q est differẽtia in moribꝰ, est malũ per accidens. Sic sentit Ferrar.*

11 Porrò S. Doct. tàm primum, quàm secundum ex illis tribus, quæ demonstrare proposuimus, euidenter posuit artic. prædicto citato à Ferrariensi in responsione ad 3. Argumentum erat. *Omnis differentia, quæ cõstituit speciem, est aliquid positiuè predicans; sed bonum, & malum sũt differentia in prima specie qualitatis, constituentes diuersas species habitus. Ergo malum aliquid positiuè predicat.* Respondet autem vt infra. *Ad tertium dicendum, quòd malum per se, vel abstractè sumptũ non est differentia specifica; sed malum per accidens, & cõcretè acceptum. Omnia enim moralia ex fine speciem consequuntur: ex ordine autem ad finem debitum specificatur bona actio, & bonus habitus; ratione cuius bonum, differentia specifica ponitur habitus, & actionis moralis. Mala autẽ actio specificatur ex ordine ad finem indebitum, cui admiscetur priuatio finis debiti, ex qua ratio mali incidit. Vnde patet, quòd non sola priuatio specificat malum habitum, & actionem; sed positio ordinis ad finem quendam, cum priuatione debiti finis. Et sic patet, quòd malum secundum, quod differentia, nõ est malum per se, sed per accidẽs, vel cõcretiuè sũptũ.* 982 *Prob. alia auct. D. T.*

12 Et idem docet ad Annibaldum lib. 2. dist. 34 artic. 1. ad 2. dicens. *Ad secundum dicendum. Quòd malum non est genus, nec differentia, nisi in concretione acceptum.* Quæ verba componenda sunt cum dictis in corpore articuli, vbi docens, quid significat malum abstractè, & quid concretè sumptum, inquit. *Malum dupliciter accipitur: vno modo in abstracto, alio modo in cõcreto, abstractè accipiendo malum hoc modo est, sicut & alia priuationes sunt, &c. accipiendo verò malum concretè, siuè dicatur malum, quod est subiectũ talis priuationis, siuè quod est causa ma-* 299 *Alia auct. D. T. adidẽ*

Digitized by Google

lum aliquid erit, etiam vt essentiam habens, non inquantùm malum; sed inquantum tale vel tale ens. Sicut aer tenebrosus aliquid est, non inquantùm est tenebrosus; sed in quantùm est corpus quoddam. Hæc Sanctus Doctor.

300 13 Ex quibus clarè constat, quòd malum, prout est differentia in moralibus, est malum per accidens, & cõcretè sumptum, vel pro subiecto habente priuationem, vel pro causa inferẽte priuationem, taliter vt forma, à qua tale cõcretum, vel subiectum, vel causa, dicitur malum, sit ipsa priuatio boni. Inquit enim D. Thom. in verbis modo cit. *Malum concretiuè est, siue subiectum talis priuationis, quæ per se malum dicitur, siue causa*: verbis autem cit. n. 3. inquit: *Malum per se est ipsa priuatio perfectionis, qua aliquid malum est: malum verò per accidens est subiectum talis priuationis; vel id, quod talem priuationem in altero causat, & vtrumq. istorum est malum concretiuè.*

301 24 Superest modò, vt probemus id, quod diximus esse cõtra Caietanum, nempè: quòd secũdum D. Thom. malum, quod est differentia specifica, & species in moralibus, non est aliquid positiuum, ratione qua malum est, seù non est malum malitiæ positiua. Volo dicere, quòd malum per accidens, seù subiectum priuationis, &c. est quidem ens positiuum; sed non formaliter vt malum est, ita vt detur aliqua malitia positiua; sed omne positiuum est bonum. Et licèt habeat sibi annexam priuationẽ, specificat tamen actum; vel habitum moralem vitij, nõ ratione priuationis, ex qua habet, quòd dicitur malum; sed ratione boni, cui est annexa priuatio alterius boni.

§. XX.

Probatur quòd malum per accidens, & concretiuè, est differentia specificans in moralibus, non ratione malitiæ: sed ratione bonitatis, cui est connexa malitia.

302 1 ET hoc quidem patet primò ex recitatis locis S. Doctoris. Ipse enim in primis vult; quòd malum differentia moralium, est malum per accidens, seù concretè dictum. Vult secundò: quòd tale malum est subiectum, vel causa priuationis. Vult tertiò: quòd subiectum, vel causa priuationis sunt entia positiua, non ex eo, quod sunt mala; sed inquantùm sunt talia entia. Sicut aer tenebrosus est ens positiuum, non inquantùm tenebrosus; sed inquantùm tale corpus; vt patet ex verbis S. Doct. cit. §. præcedenti nu. 11. & 12. Vult quartò: quòd specificatiuum actionis, & habitus mali moraliter est finis indebitus, cui admiscetur priuatio finis debiti, & qũ talis finis specificat, non inquantùm sibi coniungitur priuatio finis debiti, ex qua habet finis indebitus, quòd dicitur malus; sed inquantùm est quidam particularis finis. Vt patet ex verbis S. Doctoris prædicto num. 11. cit. Ex quibus omnibus liquet, quòd malum per accidens differentia in moralibus, formaliter prout est differentia, est quid positiuum, & bonum: & quòd specificat, non inquantùm malum, seù ratione priuationis, & malitiæ; sed inquantùm bonum, seù ratione bonitatis. Siquidem finis indebitus, ratione qua est quidã particularis finis in se consideratus, habet rationem boni; subiectum etiam mali, secũdum S. Doc. est bonum, sicut etiam causa mali per accidens. Ergo si subiectum, vel causa priuationis, quæ sunt mala per accidens, habent specificare malos actus, & habitus morales, non ratione priuationis; sed ratione sui; puta ratione eius, quod subijcitur priuationi; vel est causa priuationis; seù ratione qua sunt quidam particulares fines: iam erunt species, seù differentiæ moralium, & specificabunt inquantùm sunt talia particularia bona, & entia positiua, seù ratione talis boni positiui, quod subijcitur priuationi; non verò ratione malitiæ positiuæ.

Malũ per accid. differẽtia in moralibus formãlr, p ut est differentia, est quid positiuũ, et bonũ

Aduerte hìc, quòd notanter dixi (inquantùm sunt talia particularia bona, seù inquantùm sunt quidam particulares fines, &c.) vt innuerem, quòd prædicta dant speciem in moralibus, non ratione bonitatis, vt sic; sed ratione talis particularis bonitatis. Sunt enim aliqua particularia bona, quæ non sunt bona homini, inquantùm viuit secundum rationẽ: quippe quia rationi repugnant, & tollunt rationis bonum; sed sunt bona, vel in ordine ad sensum, vel quando circa ea seruatur debita mensura; non autem quando talis mensura nõ seruatur. Et talia quidem dãt speciem sub ratione particularis boni, cui est annexa priuatio bonitatis debitę rationi, seu ei, qui operari dẽt secundũ rationẽ.

Quattuor asserit S. D. in supra relatis auctoritatib. ex quibus sequuntur in tentum.

303 2 Secundò patet hoc ex locis, quæ ipsemet Caietan. citat. verbis à nobis relatis §. 18. num. 3. Porrò ipse citat D. Thom. 1. p. q. 48. art. 1. ad 2. & 3. contra gent. cap. 9. In priori autem loco S. Doctor habet. *Ad secundum dicendum, quòd bonum, & malum non sunt differentię constitutiuę; nisi in moralibus, quę recipiunt speciem ex fine, qui est obiectum voluntatis, à qua moralia dependent. Et quia bonum habet rationem finis; ideo bonum, & malum sunt differentię specificę in moralibus, bonum*

Idẽ probatur ex ijsdem locis, quæ refert Caietan.

per

Digitized by Google

per se; sed malum inquantùm est remotio debiti finis. Nec tamè remotio debiti finis constituit speciem in moralibus, nisi secùndum quod adiungitur fini indebito. Sicut neque in materialibus inuenitur priuatio formæ substantialis, nisi adiuncta alteri formæ. Sic igitur malum, quod est differentia cõstitutiua in moralibus est quoddam bonum adiunctum priuationi alterius boni. Sicut finis intemperati est, non quidem carere bono rationis; sed delectabile sensus absque ordine rationis. Vnde malum, inquantùm malum, non est differentia constitutiua; sed ratione boni adiuncti. Hæc S. Doctor, quæ euidentissimè destruunt, non astruunt cogitationem Caiet.

304 3 Nota ergo quòd D. Thom. concluſit dicens. *Sic igitur malum, quod est differentia cõstitutiua in moralibus, est quoddam bonum adiunctum priuationi alterius boni*: non autem dixit: est quoddam malum adiunctum priuationi: vt ita possemus intelligere aliquã malitiam positiuã in subiecto priuationis, vt vult Caietanus; sed quoddam bonum. Similiter concluſit. *Vnde malum, inquantum malum, non est differentia cõstitutiua; sed ratione boni.* Oppositum debuisset concludere secũdum cogitationem Caiet. nempè malum, inquantùm positiuè malum, & ratione positiuæ malitiæ, esse differentiam constitutiuam. Diuus autem Thom. concluſit oppositum, scilicet, illud esse differentiam constitutiuam ratione boni: bonum autem dicitur bonum, non à malitia; sed à bonitate.

305 *alius loc⁹ S. Doct. ad idem.* 4 In posteriori loco sic habet S. Doct. *Alia species moralia sortiuntur; sicut et naturales actiones à forma principij actiui, vt calefactio à calore. Quia igitur bonum, & malum dicuntur secundum ordinem ad finem, vel priuationem ordinis: oportet, quòd in moralibus prima differentia, sint bonum, & malum. Vnius autem generis oportet esse vnam mensuram primam. Moralium autem mensura est ratio. Oportet ergo, quòd à fine rationis dicantur aliquæ in moralibus bona, vel mala. Quod igitur in moralibus sortitur speciem à fine, quæ est secundum rationem, dicitur secundum speciem suam bonum. Quod verò sortitur speciem à fine contrario fini rationis dicitur secũdum speciem suam malum. Finis autem ille; & si tollat finem rationis: est tamen aliquod bonum; sicut delectabile secundum sensum. Vnde & in aliquibus animalibus sunt bona, & homini etiam, cum sunt secundum rationem moderata; & contingit, quod est malum vni, esse bonum alteri. Et ideo nec malum secundùm quod est differentia specifica in genere moralium, importat aliquid quod sit secundum essentiam suam malũ; sed aliquid, quod secundum se est bonum; malum autem homini, inquantùm priuat ordinem rationis, quod est hominis bonum.* Hæc S. Doctor.

306 *Prædicta auctoritas vrgetur cõtr. Caiet.* 5 Ex quibus nota illa verba. *Finis autem ille, & si tollat finẽ rationis; est tamen aliquod bonum.* Non dixit: est tamen aliquod malum, sicut debuisset dicere secundum Caietanum, credẽtem obiectum, & finem præter malitiam priuatiuam, quam finis habet, propter hoc, quod tollit finem rationis, habere etiam malitiam positiuam; sed dixit: *Est tamen aliquod bonum, sicut delectabile secundum sensum.* Quod quidem nõ est malum; nisi propter hoc, quod priuat actum ordine rationis. Vnde inquit D. Thom. *Quod in aliquibus animalibus, est bonum.* Si ergo præscindamus à delectabili secũdum sensum hoc, quod est, priuare ordinẽ rationis, nulla ratione poterit dici malum, vt vult Caietanus, credens dari præter malitiam, quæ est priuatio, aliam positiuam, præcedentem, & fundantem priuationem. Sicut, quia ignis est malus ligno, propter hoc, quòd lignum priuat forma ligni, si præscindamus ab igne hoc, quod est priuare lignum sua forma, nulla ratio erit, vt dicatur malus: nec dicimus ignem habere duplicem malitiam, alterã positiuam, & alteram negatiuam. Ita in proposito: quia (vt concludit D. Thom.) *Nec malum, secundum quod est differẽtia specifica in genere moralium, importat aliquid, quod sit secundum essentiã suã malũ; sed aliquid q̃ secundũ se est bonũ; malum aũt homini inquãtùm priuat ordinẽ rationis quod est hominis bonũ.* Si præscindamus a tali differentia hoc, quod est priuare ordinẽ rationis, in quo cõsistit hominis bonũ, nõ erit malũ, sed bonum. Siquidẽ secundum se est bonum, & est malum homini, inquantũ ipsum priuat ordine rõnis.

Cai. cõuincitur ex ipsomet Caiet. Hinc stupeo qualiter, & vnde potuit Caietanus ex locis modo citatis sibi suadere, dari in malo morali duplicem malitiam, vnam positiuam, & alteram priuatiuam: tantò magis quod etiam ipsemet Caietan. verbis supra citat. §. 18. num. 3. iam elicit ex D. Thom. quòd malum contrariè est in se bonum. Si ergo est bonum, est ne bonum malitia, an bonitate? Non vtique malitia, vt ita possit inueniri in actu duplex malitia.

307 *Alius loc⁹ S. D. adidẽ* 6 Adde quod D. Thom. parum infra ad verba, quæ citat ipse Caietanus sic subiungit. *Eodem etiam modo potest accipi dictum, quòd malum, & bonum, prout sũt in moralibus, sunt genera contrariorum. Omnium enim contrariorum moralium,*

vel

Digitized by Google

vel vtrumque est malum; sicut prodigalitas, & illiberalitas; vel vnum bonum, & alterum malum. Sicut liberalitas, & illiberalitas. Est igitur malum morale genus, & differentia, non secundum, quod est priuatio boni rationis, ex quo dicitur malum; sed ex natura actionis, & habitus ordinati ad aliquem finem, qui repugnat debito fini rationis. Sicut homo cæcus est hominis indiuiduum, non inquantùm est cæcus; sed inquantùm est hic homo. Et irrationale est differentia animalis, non propter priuationem rationis; sed ratione talis naturæ, ad quam sequitur remotio rationis. Hæc S. Doctor.

308 *Expenditur prædicta auctoritas & vrgetur Caiet.*

7 In quibus verbis (vt vides) supponit quòd (secundum dicta philosophorum) malum genus, & differentia in moralibus sit quoddam concretum, sicut cæcum, & irrationale. Et sicut cæcum significat animal priuatum visu, & irrationale determinatam naturam animalis, ad quam sequitur remotio rationis. Ita malum genus, & differentia moralium, significat actionem, seu habitum priuatũ rectitudine rationis; vel etiam obiectum, & finis, ad quẽ sequitur remotio finis debiti. Quo supposito dicit, quòd ita dicitur actio, & habitus malus genus, & differentia in moralibus, sicut homo cæcus dicitur hominis indiuiduum. Et hic quidem dicitur hominis indiuiduũ, non propter carẽtiam visus, ex qua habet quòd dicitur cæcus; sed propter naturam particularẽ hominis. Ita in proposito, morale malum, quod idem est, ac habitus, seu actio priuata bono rationis, dicitur genus, non propter priuationem boni rationis, ex qua habet, quòd actio, vel habitus dicitur malus; sed propter naturã actionis, & habitus ordinati in aliquem finem, qui repugnat debito fini rationis. Et sicut irrationale est differentia, non propter priuationem rationis; sed propter naturam specialem animalis, ad quam sequitur priuatio rationis. Ita malum est differentia, non propter priuationem finis debiti, quã talis differentia inducit; sed propter particularem finem, ad quem sequitur remotio debiti finis.

309 *Resp. Cai.*

8 Num dices cum Caietano 1. 2. q. 71 art. 6. § (*In eodem art. pro quantò.*) *Quòd peccatum est actus malus dupliciter, scilicet contrariè, & priuatiuè. Intemperantia enim est actus malus contrariè, pro quantò est actus habens contrarium obiectum formale obiecto temperantiæ: est verò actus malus priuatiuè, pro quantò est actus priuatus rectitudine, quam deberet, habere. Est autem inter has duas malitias tanta differentia, quòd prima (vt dictum fuit) est res quædam positiua, & à Deo, &c. Secunda est priuatio. Prima quoque est prior naturaliter secunda, & est fundamentum eius. Quia omne peccatum est actus contrarius alicui virtuti. Et ad huiusmodi contrarietatẽ sequitur priuatio debitæ rectitudinis. Prima rursus spectat ad conuersionem: secunda verò ad auersionem inuitam in peccato. Et vtraque vocatur inordinatio; sed prima contrariè; secunda priuatiuè.* Num, inquam, ita dices? Ac per hoc etiam asseres, quòd malum genus moralium dicitur malum, non solùm ex priuatione boni rationis; sed etiam ex natura actionis, & habitus ordinati in aliquem finem? Si hoc diceres, deberes hoc inuenire in D. Thom. Verùm S. Doct. docet oppositum, nempè, quòd in actione tendente in finem indebitum, ratio mali incidit ex hoc, quod fini indebito admiscetur priuatio finis debiti: vt patet ex verbis cit. §. præcedenti num. 10. Loco verò relato proximo num. 6. dicit, quòd malum genus moralium dicitur malum ex priuatione debiti finis; licèt non sit genus ratione priuationis: inquit enim. *Est igitur malum morale genus, & differentia, non secundum, quòd est priuatio boni rationis, ex qua dicitur malum, &c.* Secundum verò Caietanum malum morale genus, & differentia dicitur malum, non solũ ratione priuationis; sed etiam ratione finis. Præterea iam D. Th. verbis relatis in hoc §. num. 4. docet, quòd, *malum, secundùm quòd est differẽtia specifica in moralibus, non importat aliquid, quod sit secũdum essentiam suam malum; sed aliquid, quod secundum se est bonum; malũ autem homini inquantùm priuat ordinem rationis, quod est hominis bonum.* Secundùm verò Caietanum malum differentia, & genus moralium importat aliquid, quod secundum suam essentiam est positiuè malũ. Vide ergo propter quam rationem aliqua differentia moralium appellatur malum; *inquantùm*, scilicet, *priuat ordinẽ rationis, quod est hominis bonum*, cæterum importat aliquid, quod secundum se est bonum. Sicut forma ignis non est in se ipsa, & ratione suæ specificę rationis mala, dum dicitur mala, quia priuat lignum forma debita; sed est secundum se bonum quid: vt optimè notauit S. Doctor opusculo 2. 1. p. cap. 116. vbi accuratè legendus est.

Impugnatur Caiet. qa S. D. docet oppositum.

9 Quippè hoc loco postquam docuit malum importare priuationem boni, statim sibi proponit dubium, quod sibi proposuit Caietanus; & sic habet. *Considerãdum igitur restat quomodo bonum, & malum dicantur contraria, & contrariorum genera, & differentia, aliquas species, scilicet, habitus morales constituentes. Contrario.*

310 *Alius locus S. D. in quo proponit sibi difficultatem, quã vincitur Caiet.*

Digitized by Google

trariorum enim vtrumque est aliqua natura. Non ens enim non potest esse, neq; genus, neque differentia: cum genus prædicetur in eo quod quid; differentia verò in eo quod quale quid. Ecce dubium, quod sibi proposuit Caietan. verbis relatis §. 18. num. 1. Nunc autem videamus qualiter illud resoluat, & an recurrat cum Caietano ad duplicem malitiam positiuam, & priuatiuam. Nam subiungit.

311 *Soluit S. D. difficultatē, nec ibi recurrit Caiet. ad duplicem malitiam.*

10 *Sciendum est igitur, quòd sicut naturalia consequuntur speciem à forma; ita moralia à fine, qui est voluntatis obiectum, à quo omnia moralia dependent. Sicut autem in naturalibus vni formæ adiungitur priuatio alterius; puta formæ ignis priuatio formæ aeris; ita in moralibus vni fini adiungitur priuatio finis alterius. Cum igitur priuatio perfectionis debitæ sit malum; in naturalibus formam accipere, cui adiungitur priuatio formæ debitæ, malum est: non propter formam; sed propter priuationem ei adiunctam. Sicut igniri malum est ligno. Et in moralibus etiam inhærere fini, cui adiungitur priuatio finis debiti, malum est (nota non propter finem: sed propter priuationem adiunctā. Et sic duæ actiones morales, quæ ad contrarios fines ordinantur, secundùm bonum, & malè differunt; & per consequens contrarij habitus differunt bono, & malo quasi differentijs existentibus, & contrarietatem ad inuicem habentibus: nō propter priuationem, ex qua dicitur malè; sed propter finem cui priuatio adiungitur.* Hæc D. Thoma.

D.T. docet formalr oppositū Cai.

Notabiliter (*in moralibus etiam inhærere fini, cui adiungitur priuatio finis debiti malum est: non propter finem; sed propter priuationem adiunctam.*) Nam formaliter oppositam sententiam docet Caietan. nempè, quòd in moralibus inhærere fini, cui adiungitur priuatio debiti finis, est malum: non solum propter priuationem; sed etiam propter finem: vt patet in verbis Caietan. supr. cit. num. 8.

312 *Vrgetur Caieta. ex verbis D. Thomæ.*

11 Videndum, an ad soluendam prædictam difficultatem recurrendum sit ad duplicem malitiam. Nam pero: soluit ne D. Thom. difficultatem? Si Thomista es, dices vtique quòd soluit. Die ergò qualiter soluit? Dixit ne, quòd, præter malitiam importatam per priuationem, datur alia positiua, quæ est differentia, & genus? Non vtique. Dic ergo: quomodo concordat S. Doct. hæc duo simul; nempe, quod malum priuatio sit, & tamen sit etiam genus, & differentia constituens speciē moralium: cum genus, & differentia sint entia positiua, quorum alterum prædicatur in quid; alterum verò in quale quid? Num dices aliud, quàm quod est euidentissimū, scilicet, quòd respondet supponendo tria. Primum, quòd differentia specifica sumitur à forma, à qua res consequuntur suam speciem; & quod forma, à qua moralia sumunt suam speciem est finis, sicut naturalia consequuntur speciem à forma naturali. Secundum, quòd sicut in naturalibus vni formæ adiungitur priuatio alterius formæ, puta, formæ ignis priuatio formæ aeris; ita vni fini priuatio alterius finis. Tertium, quòd sicut ex eo, quod priuatio formæ debitæ est malum; inde est; quòd in naturalibus formam accipere, cui coniungitur priuatio formæ debitæ, est malum; non propter formam; sed propter priuationem adiunctam, sicut igniri malum est ligno: ita in moralibus inhærere fini, cui coniungitur priuatio finis debiti, est malum, non propter finem; sed propter priuationē adiunctā.

Explicatur, & applicatur ad soluendam difficultatē respōsio S. Thom.

Quibus suppositis dicit, quòd contrarij habitus, & actiones ordinatæ in fines contrarios, puta in finem debitum rationi, & in finem inducentem priuationem finis debiti, differunt bono, & malo, tamquam differentijs contrarijs constitutiuis nō propter priuationem importatā per hanc vocem, malum, quæ significat finem inducentem priuationem debiti finis; sed propter finem ipsum. Quis modò non videat, quòd D. Tho. vt soluat difficultatem, negat malum esse differentiam constitutiuam sub ea ratione, qua malum est, sed secundum formalem significationem vocis, secundum quam importat priuationem? Si enim inhærere fini illi, cui coniungitur priuatio finis debiti, dicitur malum; nō propter hoc, quòd est inhærere tali fini; sed propter hoc, quòd tali fini coniungitur priuatio debiti finis, ex vna parte: et ex alia, actio ordinata ad finem, cui coniungitur priuatio finis debiti, sumit differentiā, & specificationem, non à priuatione debiti finis, coniuncta fini contrario, à qua dicitur malus, sed à fine ipso, secundum quem non attenditur ratio mali; clarè liquet, quòd secundum D. Tho. differentia moralium non est malum sub ratione mali, secundum quam importat priuationem; sed sub ratione, qua importat, vt materiale significatum nominis, rationem particularis finis, secundum quam est quoddam bonum. Vt S. Thom. dixit loco proximè cit. n. 9. & ex lib. 3. contra gen.

313 *Exēplo S. Th. eadē solutio magis explicatur.*

12 Porrò sic dicitur malum differentia constitutiua in moralibus. Sicut dicitur, quòd album est substantia, & cœnum est individuum substantiæ. Album autem est substantia ratione subiecti, quod est connotatum in significato huius vocis, album: non verò ratione significati formalis, puta albedinis, à qua substantia denominatur

alba.

Digitized by Google

alba. Et cęcum est individuum substantię, non ratione significati formalis, puta cęcitatis, à qua individuum substantiæ denominatur cęcum; sed ratione connotati, & significati materialis, puta ratione talis naturæ. Vt notauit D. Thom. verbis cit. in hoc §. num. 6. Ita malum, non substantiuè, & abstractè sumptum; sed adiectiuè, & concretè acceptum, est differentia moralium. Et rursus malum, sic acceptum, est differentia non ratione formæ significatæ per hanc vocem, malum, puta, ratione malitię, & priuationis, à qua sumitur denominatio mali; sed ratione connotati, & significati materialis, puta ratione particularis finis, qui denominatur malus à priuatione debiti finis sibi coniuncta. Ipse tamen particularis finis, secundum se consideratus, & secundum illam rationem, qua dat speciem actui morali, est quoddam bonum; vt patet ex verbis D. Thom. cit. n. 2. & 4. huius §.

313 Obiectio.

13 Quòd si inquiras. Cur ergo ponitur differētia moralium malum; si esse malum per accidens se habet ad veram differentiam constitutiuam?

Prędictę obiectioni.

Respondeo, quòd hoc ideo est, quia priuatio debiti finis, à qua sumitur denominatio mali, sequitur, & est veluti passio finis illius, à quo sumitur specificatio, & differentia constituens speciem actus vel habitus moralis. Et quoniam sæpissime nominamus differentiam constitutiuam nomine passionis, vsurpando nomen passionis ad significandam radicem, ad quam sequitur: ideo est, quòd talem differentiam, quæ importat ordinem ad finem inducentem priuationem finis debiti, appellamus malum licèt in se ipsa sit quoddam bonum: sicut tam subiectum priuationis, quam ipse finis indebitus secundum se sumpta, sunt quædam bona. Simili modo, quandam differentiam animalis, ad quam sequitur priuatio rationis appellamus irrationale; non propter hoc quod existimamus priuationē rationalitatis constituere naturam specialem animalis, & pertinere ad differentiam specificam. Sed quia per tale nomen, volumus significare illud, ad quod sequitur priuatio rationis, & illud est differentia specifica. Ita in proposito, differentiam desūptam à fine, ad quem sequitur priuatio debiti finis, appellamus malum; non quia existimamus differentiam illam, & specificationem desumi à priuatione; sed quia volumus significare bonum illud, quod est subiectum priuationis, & finem illum, à quo desumitur specificatio, qui ille est, ad quem sequitur priuatio debiti finis.

Exēplo dilucidatur responsio.

§. XXI.

Ex dictis deducitur, quid sit verum specificatiuum, seù constitutiuum formale vitij, & peccati, & qualiter peccatum includat intrinsecè priuationem, vt possit diffiniri actus humanus malus: sitq. tale specificatiuum bonum, vel non bonum.

1 HÆc quæ in titulo diximus deduci ex dictis, valdè sunt controuersa inter recentiores. Eorum tamen determinatio colligitur ex relatis. D. Thom. auctoritatibus, estque non solùm vtilis; sed necessaria ad solutionem dubij propositi. 315

Concl. corollaria ex dictis.

In primis ergo ex dictis colligitur, quòd specificatiuum, seù forma, quæ costituit, & dat speciem habitibus, & actibus malis moraliter, in ordine ad quam prędicti habitus, & actus sumunt suam intrinsecam specificationem, & differentiam, non in ratione, qua mali sunt, sed qua entia quædam positiua; est bonum, & finis indebitus: taliter vt optimæ diffinitiones, seù descriptiones, habitus, & actus mali sint. Actus quidem. Actus humanus, seù voluntarius, in finem indebitum. Habitus verò. Dispositio ad producendum actus voluntarios tendētes in indebitum finem.

Qualiter sit diffinięndus actus, & habitus malus.

2 In hoc Corollario loquor, non de forma intrinseca; sed extrinseca, à qua desumitur intrinseca specificatio actus, & habitus moralis. Posuit autem hoc, quod modo deduximus D. Thom. verbis cit. §. 19. nu. 11. nempè. *Omnia moralia ex fine speciem consequuntur: Ex ordine autem ad finem debitum specificatur bona actio, ac bonus habitus, ratione cuius bonum differentia specifica ponitur habitus, & actionis moralis; mala autem actio specificatur per ordinē ad finē indebitum, cui admiscetur priuatio finis debiti, ex qua ratio mali incidit.* Et idem colligitur ex locis citat. §. 20. nu. 2. 4. & 10. 316 Locus D. T. probās prędictā cōcl.

3 Colligitur secundò, ex dictis, qualiter pertineat ad rationē alicuius actus moralis priuatio debiti finis, à qua actus, & habitus morales dicūtur mali. Pertinet. n. ad rōnē specificam quorūdam actuū, & habituū moralium, non vt differentia constitutiua; sed vt id, quod comitatur, seù coniungitur obiecto, & fini, à quo sumitur differentia constitutiua. Colligitur hoc ex verbis S. Doct. cit. §. præcedenti nu. 2. 4. 6. & 10. Idq. docuit expressè 1. 2. q. 79. artic. 2. ad 3. & q. 18. artic. 5. ad 2. & 2. 2. q. 6. artic. 2. in corp. & ad secundum. Horum locorum doctrinam modò infra expendam. 317 2. concl. corollaria. priuatio debiti finis pertinet ad rōnē specificā actus moralis, ut comitans differētiā cōstitutiuā

4 Explicatur hoc corollarium exem- 318

plo,

plo, quo vtitur D.Thom. 1.2.q.18.artic.2. in corp.& lib.3. de Anima lect. 16. lit:tex. d, Similis est enim mala actio moralis actioni naturali, qua generatur monstrum, vt quando genitum ab homine, nõ assequitur formam hominis; sed aliam, puta, serpentis. Considera modò in hoc facto, quòd effectus genitus ab homine, est priuatus forma debita, & est constitutus per formam indebitam. Ex hoc enim talis effectus monstrum dicitur: quia non habet debitam; sed indebitam formam. Priuatio deinde debitę formę pertinet ad speciem talis effectus monstruosi; sed non cõstituitur in specie positiua entis per talem priuationem; sed per acquisitionem formæ indebitæ. Serpens enim genitus ab homine talis speciei est in genere entis per formam serpentis: non verò per priuationem formæ humanæ, debitæ effectui virtutis generatiuæ hominis, quæ priuatio est coniuncta cum forma serpentis indebita. Forma denique serpentis, absolutè considerata, non est aliquod per se malum; sed bonum, licèt rei genitæ ab homine sit malum habere formam serpentis, inquantum talis res genita, per hoc quòd acquirit formam serpentis, quæ sibi non conuenit, oportet ipsam esse priuatam forma sibi debita; eo simili modo quo, licèt albedo sit quædam qualitas, in suo genere perfecta, & absolutè considerata sit quædam perfectio, vnde bonum est cignum esse album: attamẽ oculo habere albedinem in pupilla est malum, in quantum oculus per hoc, quòd habet pupillam albam, oportet esse priuatum dispositione sibi requisita advidendum.

Doctrina D.Th. illustratur exẽplo generatiõis monstrũ

5 Consimiliter ad propositum exemplum dicendum est, quòd aliqua actio moralis est monstruosa, atque adeo est priuata fine sibi debito, qui in ordine ad ipsam se habet vt forma, & est specificata à forma, & fine sibi indebito: sicut effectus hominis monstruosus est priuatus forma humana sibi debita, & informatus forma serpentis indebita. Et sicut forma serpentis, absolutè considerata, est quoddam particulare bonum, seù quędam particularis forma, quæ tamen malum quid est effectui humano, in quantum tali formæ adiungitur priuatio formæ humanæ, quæ rei genitæ ab homine est debita. Ita finis indebitus rationi humanæ, quæ est principium, & mensura actuum moralium, est aliquis particularis finis, & quoddam particulare bonum, saltem sic apprehensum, puta, delectabile secundum sensum; dicitur tamen malum; non propter hoc, quod non dat speciẽ actui morali; sed propter hoc, quod ad ipsum dantem speciem actui morali cõiungitur priuatio finis debiti rationi humanæ; taliter vt actus moralis specificatus fine indebito, oporteat esse priuatum fine sibi debito. Et tandem sicut pertinet ad rationem specificam prædicti effectus mõstruosi priuatio debitæ formæ; non vt dans speciem monstro; sed vt comitans formã indebitam, à qua habet speciem. Ita pertinet ad rationem specificam actus moralis monstruosi priuatio debiti finis; non vt cõstitutiuum intrinsecum actus secundum rationem positiuam entis, sed vt comitans finem indebitum, à quo sumitur differentia constitutiua talis actus.

319 Applicatur exẽplũ ad propositum.

6 Et inde est, quòd sicut si diffinires supra positum monstrum, diceres: quòd est res genita ab homine, habens formam serpentis, vel est res genita ab homine carens anima rationali: & hæc vltima esset diffinitio sily carens, &c. explicaret radicem, seù formam, cui coniungitur carentia, &c. Ita in casu nostro, actus moralis monstruosus, qui solet appellari peccatum, diffinitur, si dicas; quòd est actus humanus tendens in in finem indebitum rationi, seù actus humanus malus, seù priuatus rectitudine rationis. Sed ly malus, &c. debet sumi radicaliter prout idem est, quod habens finem indebitum, ad quem sequitur priuatio, & malum.

320 Sicut diffiniretur mõstrũ, sic diffinitur actio moralis deformis.

7 Tandem ex dictis tam in hoc, quàm in præcedentibus §§. concluditur, quòd ratio specifica peccati, secundum quam est species actus moralis, & aliquod positiuũ, est quædam bonitas, seù bonum, quod est subiectum priuationis, & malitiæ sicut etiã differentia specifica actus, & id vndè talis differentia desumitur, sunt quædam particularia bona. Volo dicere quod totum illud, quod in actu peccati est positiuum, quodque subijcitur priuationi, seù malitiæ, totum est secundum se bonum, etiam secundum vltimam differentiam. Per talem tamen bonitatem non constituitur actus bonus bonitate, quæ est differentia actus moralis; sed bonus quadam bonitate transcendentali, secundum eam rationem, qua omnis actio habens aliquam speciem, dicitur habere aliquam bonitatem.

321 Vlt. concl. corellaria.

8 Explicatur hoc. Sicut enim serpens, genitus ab hominæ, ratione formæ serpentis habet quandam bonitatem; habet enim ab ea, quòd sit quoddã ens in quadam determinata specie: non autem habet bonitatem conuenientem rei genitæ ab homine: quia talis forma non est debita; sed indebita effectui virtutis generatiuę humanę. Et hinc est, quòd talis serpens poterit dici habere quandam bonitatem in ratione animalis. Est enim quoddam animal habens talem speciem, puta serpentis; non autẽ potest dici bonus filius hominis: quia

322 explicatur & prolatur concl.

Digitized by Google

ſcilicet non habet illam bonitatem, quæ conuenit filio hominis; licèt talis ſerpens fuerit genitus ab homine. Ita in propoſito, actus humanus ſpecificatus à fine indebito rationi humanæ, habet aliquam bonitatem à fine: eſt enim actus in quadam ſpecie actionis; non autem habet bonitatem debitam actui humano, ſeù morali. Et inde eſt, quòd licèt poſſit dici, quòd talis actus habet quandam bonitatem in ratione actionis; vtpotè quia eſt actio ſpecificata ab aliquo obiecto, & fine: non tamen poteſt dici actus moralis bonus, bonitate morali. Quia iſta bonitas habetur per ordinem ad finem debitũ rationi humanæ. Sed habet.n. iſta bonitas ad actum moralẽ, ſicut forma hominis ad rem genitam ab homine. Sicut ergo res genita ab homine, ſi acquirit formam indebitam, erit quidem res genita ab homine, & habens aliquam bonitatem; non autem bonitatem conuenientem filio hominis: ita actus humanus, ſi tẽdit in indebitũ finẽ, erit quidẽ actus productus ab homine, & habebit aliquã bonitatem; non autem bonitatem conuenientẽ actui humano, quæ eſt bonitas moralis. Et indè eſt, quòd ex tali bonitate non poterit actus dici bonus actus humanus; immo erit radicaliter malus, inquantum ad talem bonitatem, quæ eſt indebita actui humano, ſequitur priuatio bonitatis debitæ. Sicut effectus virtutis generatiuæ humanæ per bonitatem formæ ſerpentis non poteſt dici bonus filius hominis; ſed radicaliter erit malus, inquantum ad formam ſerpentis indebitam effectui virtutis generatiuæ humanæ, ſequitur priuatio formæ debitæ.

323 9 Vt hæc quæ diximus intelligantur, conſiderari debet doctrina D. Tho. quam habet q. 1. de malo artic. 2. in corp. nempè. *Quòd de bono dupliciter contingit loqui: vno modo abſolutè; alio modo ſecundum quòd dicitur bonum hoc. vt bonus homo, aut bonus oculus. Loquendo de bono abſolutè boni habet ampliſſimam extentionẽ, etiam ampliorem, quàm ens.* & poſt pauca, quæ omittimus, ſic rem proſequitur. *Quãuis autem quodcumq; ens ſiue in actu, ſiue in potentia, abſolutè bonum dici poſſit, non tamen ex hoc ipſo quælibet res eſt bonum hoc: ſicut ſi aliquis homo ſit bonus ſimpliciter, nõ ſequitur quòd ſit bonus citharœdus, ſed tunc tantùm, quando habet perfectionem in arte citharizandi. Sic ergo licèt homo ſecundum hoc ipſum, quòd eſt homo ſit quoddam bonum, non tamen ex hoc ipſo eſt bonus homo: ſed id quod facit boni vnumquodq; eſt propria virtus eius. Virtus enim eſt, quæ boni facit habentẽ, ſecundũ philo. in 2. Ethic. virtus autẽ eſt vltimũ potẽtiæ rei, vt dicitur in 1. de Cœlo. Ex quo patet, quòd tunc dicitur aliquid, bonum hoc, quando habet perfectionem propriam. Sicut homo bonus quando habet perfectionem hominis & bonus oculus, quando habet perfectionem oculi.* Hæc D. Thom.

Doctr. D. T. explicãs dicta cõcl.

324 10 Sic ergo nos dicimus, quòd quando actus humanus formatur, ſeù ſpecificatur à fine indebito rationi, à qua procedit actus humanus, licèt recipiat aliquam bonitatem, & perfectionem à tali fine; quippe quia habet ab ea ſuam ſpecificationẽ, quæ abſolutè quædam bonitas eſt; quia tamen talis finis non eſt proprius rationis humanæ, à qua procedit actus; inde eſt, quòd actus humanus ex tali fine non poteſt dici, bonum hoc, ideſt bonus actus humanus: bonitatem enim iſtam, qua dicitur bonus actus humanus, recipit à fine debito rationi humanæ. Et ex hoc deinde ſolues obiectionem, qua (vt arbitror) motus fuit Caietanus ad ponendam illam ſuam duplicem malitiam.

325 11 Obiectio autem eſſet. Nam peccatum eſt ſecundum ſuam rationem ſpecificam, & differentialem actus moralis, & humanus. Si ergo ſecundum ſuam ſpecificam rationem haberet aliquam bonitatẽ, haberet bonitatem ſecundum rationem moralem, & humanam, & ſic eſſet actus moralis bonus.

Ex dictis ſoluitur ſequens obiectio, qua cõtinetur Caie.

326 12 Soluitur talis obiectio ſecundum prædicta, diſtinguendo antecedens. Nam ſi (ly moralis, & humanus) deſignet actum, in quem tendit ſecundum propriam inclinationem ratio humana, ſeù actum conformem rationi humanæ, falſum eſt antecedens. Actus enim vitij eſt contra id, quod expoſtulat ratio humana; vt probat D. Thom. 1. 2. quæſt. 71. artic. 2. & lib. 3. de anima lect. 16. lit. d, dicit eſſe monſtrum in moribus. Vndè talis actus non humanus, & moralis; ſed monſtruoſus, beſtialis, inhumanus, & immoralis dici debet. Si verò deſignet actum procedentẽ quomodolibet à ratione humana, etiam deficiente à forma, & fine ſibi debito, in quem naturaliter tendit, verum eſt antecedens: eo modo, quo eſt verum, quòd ſerpens genitus ab homine ſecundum propriam rationem ſpecificam ſerpentis, eſt effectus virtutis generatiuæ humanæ, puta monſtruoſus, & deficiens à forma, in quam tendit talis virtus generatiua. Sed inde, ſicut non ſequitur, quòd ſerpens, qui habet aliquam bonitatem ex forma ſerpentis, poſſit dici bonus filius hominis, ſeù bonus effectus virtutis generatiuæ hominis; ita non ſequitur, quòd actus ille moralis monſtruoſus, & deficiens è fine ſibi debito, poſſit dici bonus actus moralis, propter hoc, quod aliquam

Solutio hæc obõnis eſt valde notanda.

bo-

Digitized by Google

bonitatem habet à fine indebito, à quo specificatur.

§. XXII.

Soluitur prima obiectio.

327 *Soluitur ex dictis 3. ratio dubitandi.*

1 EX hactenus dictis modò facile solues primam rationem dubitandi positam §. 17. num. 1. Dicendum est enim: Quòd malum, quod est differentia moralium, est concretum importãs ens positiuum, seù bonum habens sibi coniunctam priuationem alterius boni; ratione cuius priuationis, illud, quod absolutè est quoddam bonum, est etiam denominatiuè malum. Est autem differentia constitutiua, non ratione priuationis adiunctæ, ex qua id, q̃ est bonum, denominatiuè est malum, sed ratione ipsius boni. Et hinc est, quòd si Deus est causa totius entitatis positiuæ, quæ importatur per malum, quod est differentia in moralibus; non autem est causa priuationis adiunctæ; erit quidem Deus causa boni, quatenus bonum est; non autè boni quatenus denominatur malum: & ita Deus numquam erit causa actus mali, quatenus malus est.

328 *Instãtia ex doctr. D.T. qua cõuincitur plures recentiores.*

2 Instabis ex Ioanne à S. Tho. & alijs recentioribus. Nam secundum D. Tho. 2. 2. q. 61 art. 2. ad secundum. Deformitas peccati, non solùm importat priuationem debitæ formæ; sed etiam contrariam dispositionem. Ergo actus peccati erit duplici deformitate deformis, scilicet deformitate importata per priuationem debitæ formę, & deformitate importata per contrariam dispositionem; & hæc erit quid positiuum. Sed actus deformis idem est, quod actus malus; ita vt deformitas actus sit ipsa malitia actus. Ergo actus malus erit duplici malitia malus, nempè. Malitia priuationis debitæ formæ, & malitia contrariæ dispositionis resultantis ex fine indebito, in quẽ tendit actus peccati, & hæc erit malitia positiua. Et ita si Deus est causa omnis entis positiui; erit ex consequenti causa huius malitiæ, quæ est ista contraria dispositio. Erit etiam causa peccati, vt peccatum est, prout peccatum importat istam contrariam dispositionem.

329 *Soluitur dicta instãtia.*

3 Respondeo. Concesso antecedente, nego consequentiam, vel claritatis gratia distingo antecedens. Deformitas importat non solùm priuationem debitæ formæ; sed etiam contrariam dispositionem, in recto, & quasi quoddam nomen æquiuocum importans illa duo, vt significatum formale nominis. Nego. Nec vmquam hic sensus fuit somniatus à D. Thoma. In hoc autem sensu deberet esse verum antecedens, vt inferre posset consequens supra illatum. Importat diuersimodè, puta priuationem in recto, & vt significatum formale nominis; contrariam verò dispositionem, vt cõnotatum, & vt significatum materiale, sicut solemus dicere, quòd ira non solùm importat motum animi; sed etiam accensionem sanguinis circa cor; & eclipsis, non solùm importat priuationem lucis; sed interpositionem terræ inter Solem, & Lunam, concedo. Sed inde non sequitur consequentia. Nam sicut non valet, si quis ita arguat. Ira non solùm importat motum animi; sed etiam accensionem sanguinis circa cor. Ergo iratus est duplici ira iratus, nempè ira importata per motum appetitus sensitiui, & ira importata per accensionem sanguinis circa cor. Vel eclipsis Lunæ non solùm importat defectum lucis in Luna; sed interpositionem terræ inter Solẽ, & Lunã. Ergo Luna est duplici eclipsi eclipsata, scilicet priuatione lucis, & interpositione terræ. Ita in proposito non valet. Deformitas peccati, non solùm importat priuationem debitæ formæ; sed etiã contrariam dispositionem. Ergo actus peccati est duplici deformitate deformis. Ex quibus modò percipere potes deceptionẽ in prædicta instantia ortum habuisse ab imaginatione Caietani, credentis hanc vocem, malum, esse æquiuocam propter duplex significatũ formale, quod falsum esse supra demonstrauimus auctoritate D. Th. Qualiter autem Deus sit causa actus specificati per indebitum finem, seù sit causa actus habentis istam cõtrariam dispositionem, & non sit causa deformitatis, & malitiæ consequentis prædictam specificationem modò infra dicetur.

Resp. illustratur exẽplo.

§. XXIII.

Soluitur secunda obiectio, & manifestatur qualiter Deus sit causa totius entitatis positiuæ inuentæ in actu peccati; non autem deformitatis consequentis differentiam specificam actus.

330 *Proponitur difficultas 2. rationis dubitãdi ex doct. D. Thom.*

1 SEcundã obiectionem propositã §. 17. n. 2. reddunt difficilem aliqua loca D. Tho. Ipse enim in primis 2. 2. q. 6. artic. 2. loco cit. in obiectione docet, quòd quando priuatio est de ratione specifica alicuius actus (sicut est deformitas respectu actus peccati) quod non est causa priuationis, non est causa actus. Iam autem sup. §. 21. num. 3. ostendimus ex D. Th. quòd priuatio pertinet ad rationẽ specificam actus moralis, qui est malus, & priuatus debito fine. Ex quo videtur sequi, quòd Deus, qui non

non est causa priuationis, nō sit causa actus peccati secundum rationem specificam moralem, ad quam pertinet priuatio. Verùm oppositum docuit S. Doctor 1. 2. q. 79. art. 2. ad 3. si responsio componatur cum argumento; & idem inuenies sæpissimè apud S. Doctor.

331 *Dictū Capreoli reijcitur.*

2 Vt respondeam, in primis reijcio, vt D. Th. contrariam responsionem Capreoli existimantis, nullum actum habere connexam inseparabiliter deformitatem ratione propriæ speciei, quam habet ex obiecto. Et insuper posse Deum producere actum v. g. odij Dei se solo, qui actus, si sic esset productus, non esset deformis. Horum primū falsum demonstrant loca D. Tho. inducta. Secūdum verò his temporibus reijcitur ab omnibus Thomistis tamquam falsum. Credunt enim non solum actum peccati, qui debet esse voluntarius, & liber; sed omnē actum vitalem ex essentia sua exposcere dependentiam à principio intrinseco vitali; taliter vt implicet contradictionem actum vitalem produci vel conseruari à solo principio extrinseco. Quare aliter dicendum est secundum nostra, & D. Thomæ principia.

332 *Respondetur obōni distinguēdo maiorē.*

3 Itaq. ad obiectionem in forma distingo maiorem. Deformitas, seu priuatio consequitur differentiam specificam actus, prout actus habet ordinem transcendentalem ad aliquod determinatum principium habens defectum, concedo. Prout habet ordinem ad omnes causas, ex quibus talis actus dependet: nego. Iam enim supra in hoc Trac. §. 2. nu. 3. & 7. diximus, defectum inuentum in effectu, non reducendum esse in omnes causas, tamquam in principium defectus; sed solum in illam, quæ habet defectum, idq; deinde probauimus rationibus, & auctoritatibus D. Th. vide §. 2. nu. 3. illa verba. *Cum aliquid non est indebitæ dispositionis, & aptitudinis ad recipiendum motionem primi mouentis; sequitur actio imperfecta: & tunc id, quod est ibi actionis reducitur in primum mouens, sicut in causam: quod autem est ibi de defectu, non reducitur in primū mouēti, sicut in causā.*

4 Minorem etiam distingo. Illud, quod est causa formæ alicuius, est causa etiam illius, quod ipsam sequitur: si quod sequitur est perfectio, concedo. Illud enim, quod dat formam, dat consequentia, quæ pertinet ad perfectionem talis formæ. Si verò quod sequitur, sit defectus, & carentia perfectionis debitæ; nego. Defectus enim, & carentia perfectionis debitæ subiecto recipienti formam, non reducitur in omnem causam formæ; sed solùm in illam, quæ habet defectum, vt modò diximus. Sic ergo, cum in illa minori positum fuerit, etiam si sit priuatio, nego absolutè minorem. 333 *Distinguitur etiam minor.* 334 *Explicatur auctoritas D. T. & solnitur obiectio.*

5 Et ad auctoritatem D. Th. Dicendū est; quòd predicto loco solùm docet, quòd, quando defectus, seu deformitas pertinet ad rationem specificam actus (intellige ex consequenti) id, quod non est causa deformitatis, & priuationis, non potest absolute, & sine addito dici causa talis actus secūdum talem speciem, puta actus mendacij, furti, adulterij, blasphemiæ, &c. sicut dicitur absolutè causa actus, qui secundum speciem suam non est deformis, qualis est actus fidei informis. Dicitur enim fides informis donum Dei, & à Deo; non autem mendacium, blasphemia, &c. Sed talium dicitur causa cum aliqua determinatione, & addito, nempè, inquantum dicunt perfectionem, & entitatem, non autem ratione imperfectionis inclusæ. Hoc enim certum est apud D. Tho. quòd quando aliquis effectus habens intrinsecum defectum connexum formam constitutiuam effectus, pendet à pluribus causis ordinatis, quarum superior non habet defectum; quem tamen habet inferior: tunc causa superior causa est effectus habentis defectum, non absolutè (sic enim defectus inclusus in ratione specifica effectus attribueretur causæ non habenti defectum, cum tamen defectus talis effectus non procedat à tali causa; sed solùm ab ea quæ defectum habet) sed cum addito, nempè secundum omnem rationem perfectionis in ipso effectu inuentam, secundum quam rationem correspondet superiori causæ.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS

DE PROPRIO, ET PER SE PRINCIPIO, Vnde prouenit peccatum in actionibus voluntarijs.

PARS SECVNDA.

INVENTIS, explicatis, & ex S. Thomæ doctrina probatis ijs, quæ ad veritatem nostræ resolutionis dubij, in prima huius Trac. parte propositi elucidanda erant; debemus in hac secunda parte aliquas excludere imaginationes, quibus Recentes nonnulli, non aduertentes ad supra inculcatam à nobis S. Th. doctrinam, inuoluntariè, & contra verum affectum, quo eundem venerantur S. Doctorem, detinentur. Quoniam autem ex duobus præcipuè S. Doctoris principijs veritatem nostræ resolutionis deduximus: illo, videlicet, quo motum primi motoris determinari diuersimodè secundum modum recipientium diximus: altero verò, quo defectum actionis voluntariæ, seu malum culpæ, stabiliuimus prouenire, tãquam à propria, & per se radice, ex carentia regulæ rationis, & legis diuinæ, seu ex apprehensione non recta: ideo ad firmandam veritatem eiusdem nostræ resolutionis incumbit nobis in hac secunda Tractatus parte, hæc duo presertim pro veris Thomistis stabilire. Verùm enim verò contra primum videntur stare, qui existimant se, & locis Sancti Doctoris, & eiusdem rationibus cogi ad asserendam motionem primi mouentis habere munus satis diuersum ab eo, quod nos diximus, ei ascribi à S. Doct. Contra secundum verò videtur, qui existimant, ad apprehensionem, siue rectam, siue non rectam rationis non sequi appetitum conformem rectitudini, vel non rectitudini apprehensionis. Ideoq; nos, vt hanc duplicem imaginationem, proposita pura synceraq; S. Doctoris sententia, excludamus; duas excitabimus disputationes; quarum altera queremus. An extent loca, & rationes S. Doct. quibus possit infirmari principium illud: Motus primi mouentis recipitur in vnoquoq; secundũ proprium modum: altera verò, inuestigabimus. An dictamen vltimatum rationis practicæ, seu eiusdem rationis imperium, comprehendens apprehensionem rectam, & non rectam, & ad quod secundum sententiam S. Doctoris infallibiliter sequitur, tanquam ad proprium principium, & radicẽ, appetitus conformis apprehensioni, repugnet libertati electionis. Adhuc: Quoniam Recentiores relati nunc primo loco, ad illa diuersa munera tribuenda motui primi mouentis, ducuntur, tàm ex illo axiomate Commentatoris, à S. Thoma vsurpato, nempe: Ab eo, quod 335

est ad

est ad vtrumlibet nihil sequitur, nisi per aliquod; quod determinat ad vnum, tùm etiam ex eo, quod motio primi mouentis vim habet intentionalem diuini decreti, estq; eiusdem decreti vicaria, ac per hoc debet infallibiliter executioni mãdare quicquid per tale decretum est prædiffinitum. Et ab oppositæ classis doctoribus (ne prædicta munera cogantur tribuere motioni primi mouentis) axioma negatur simul cum absoluta antecedentia diuinorum decretorum: ideo (vt etiam ex eius doctrina in hac parte defendatur S. Thomas circa resolutionem à nobis in priori parte huius tractatus stabilitam) duas alias disputationes proponemus; vna quarum examinabimus veritatem axiomatis; altera verò inuestigabimus modum, quo diuinum decretum infallibile per motionem defectibilem secundum modum causarum contingentium, & defectibilium assequitur indefectibiliter, & infallibiliter effectus defectibiliter, contingenter, & liberè productos à causis creatis. Procedemus autem hoc ordine.

336 Primò quæremus. An illud axioma Commentatoris, Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquod, quod determinat ad vnum, sit à S. Tho. approbatum, etiam in causis liberis.

337 Secundò. An ex authoritatibus S. Thomæ, vel alijs rationibus possit infirmari principium illud. Motio primi mouentis recipitur in vnoquoq;

338 secundum modum suum.

Tertiò. An dictamen vltimatum rationis practicæ, seu imperium, ad quod sequitur actus voluntatis conformis dictamini, sit omnino necessarium ad electionem liberam; An verò repugnet libertati electionis eiusdem,

339 Quartò. An Deus gubernando causas liberas, & contingentes motu proportionato earum contingentiæ, & libertati, motu scilicet defectibili, & impedibili ab effectu, & quo causæ liberæ possunt, & de facto faciunt successiuè vnum, & alterum ex oppositis, possit infallibiliter, indefectibiliter, & determinatè peruenire ad effectus earundem causarum, quos causæ prædictæ ab ipso Deo gubernatæ producunt fallibiliter, defectibiliter, & liberè, & in ordine ad quos, attento motu, quo à Deo gubernantur, sunt indifferentes, & indeterminatæ.

Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA

An Axioma illud Commentatoris. Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur; nisi per aliquod, quo determinatur ad vnum, sit a S. Thoma vniuersaliter approbatum, etiam in causis liberis; sitq; ab eodem S. Doct. euidenti discursu resolutum in illud principium per se notum, Vnumquodq; agit, inquantum est in actu per formam.

IN hac disputatione quattuor principaliter faciemus. Primò resoluemus quæsitum, & simul adducemus loca S. Doctoris ad resolutionem nostram spectantia. Secundò afferemus responsa existimantium axioma esse falsum, eademque simul impugnabimus. Tertiò proponemus discursum S. Doctoris, quo axioma resoluit in principium per se notum. Quartò tandem soluemus obiectiones.

PVNCTVS I. ET S. I.

Continens resolutionem quæsiti, & testimonia Sancti Thomæ.

340 *Resolutio dubis.*

1 QVANTVM ad primum dicendum est, Sanctum Thomam prædictum axioma vniuersaliter intellectum, & prout comprehendit causas liberas approbasse immo & demonstrasse resoluendo illud euidenti discursu ad principium per se notum. Vnumquodq; agit, inquantum est in actu per formam.

Probatur resolutio.

341 *Probatur testimonijs S. Doctor. 1. ex 2. phy sic. lect. 8.*

2 RESolutionem hanc manifestè probant sequētia testimonia Sāti Doctoris. In primis videri potest lib. 2. Physicorum lec. 8. post principium, vbi sic habet. *Sicut potentia motiua, quæ est ad vtrumlibet non exit in actum; nisi per potentiam appetitiuam determinetur ad vnum: ita nihil, quod est ad vtrumlibet, exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad vnū. Quia id, quod est ad vtrumlibet, est sicut ens in potentia: potentia autem non est principium agendi; sed solùm actus. Vnde ex eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur; nisi per aliquid aliud quod determinat ad vnum, vel sicut semper, vel sicut frequenter.* Hæc S. Doctor. In quibus duo præsertim sunt notanda. Primum est illud dictum vniuersale. *Nihil, quod est ad vtrumlibet, exit in actum; nisi per aliquid determinetur ad vnum.* Secundum est, ratio, qua tale dictum probat: quia scilicet principium agendi non est potentia; sed actus; id autem, quod est ad vtrumlibet, est sicut ens in potentia.

Duo notāda circa dictū testimonium.

342 *D. Th. in 2. dist. 25. q. 1. artic. 1. in corp. Probat axioma cōmētatoris: quia vnūquodq; agit, in quantū est in actu.*

3 Videri potest secundò in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. in cap. vbi volens probare liberum arbitrium inueniri in Deo, & in omni creatura intellectuali: fundamētum sui discursus posuit prædictum axioma; & sic habet. *Dicendum nihil agit, nisi secundùm quod est in actu. Et inde est, quòd oportet, omne agens esse determinatum ad alteram partem. Quod enim ad vtrumlibet est æqualiter se habens, est quodammodo potentia respectu vtriusq;. Et inde est, (vt dicit commentator in 2. physicorum) quòd ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur, nisi determinetur.*

Hæc S. Doct. In quibus etiam notari debet, qualiter prædictum axioma ex commentatore desumpto probat ex illo principio: Vnumquodq; agit, inquantum est in actu.

343 *D. Thom. applicat axioma. Ab eo q̄ ē ad vtrūlibet, voluntati liberè agenti.*

4 Videri potest 3. lib. 6. Metha. lec. 2. lic. tex. 9. vbi sic habet. *Contingens ad vtrumlibet, non potest esse causa, inquantum huiusmodi. Secundùm enim quod est ad vtrumlibet, habet dispositionem materiæ, quæ est in potentia ad duo opposita. Nihil enim agit secundùm quod est in potentia. Vnde oportet, quod causa, quæ est ad*

Digitized by Google

ad vtrumlibet, vt voluntas, ad hoc quod agat, inclinetur magis in vnam partem per hoc, quod mouetur ab appetibili; & sic sit causa vt in pluribus. Ita S. Doctor. vbi loquitur expresse de voluntate.

344 *Alius loc. S. Doc. ad idem.*

5 Videri potest quartò De verit. q. 8. ar. 12. in corp. vbi sic habet. *Quidam effectus futuri sunt; quorum causæ indifferenter se habent ad vtrumq; hæc autem vocantur contingentia ad vtrumlibet, vt sunt illa præcipuè, quæ dependent ex lib. arb. Sed quia ex causa ad vtrumlibet cum sit quasi in potentia, non progreditur aliquis effectus, nisi per aliquam aliam causam determinetur magis ad vnum, quàm ad aliud, vt probat cõmentator in 2. physic; ideo hi effectus in causis quidem ad vtrumlibet nullo modo cognosci possunt per se acceptis.*

345 *D. Thom. quod indifferẽter se habet ad multa nõ magis, in vnum, quàm in aliud tendit.*

6 Videri potest quintò. lib. 3. contr. gen. cap. 2. vbi rationẽ septimam sic proponit. *Si agens non tenderet in aliquem effectum determinatum, omnis effectus essent ei indifferentes. Quod autem indifferenter se habet ad multa, nõ magis vnum eorum operatur, quàm aliud. Vnde à contingenti ad vtrumlibet non sequitur aliquis effectus; nisi per aliquod, quo determinatur ad vnum: impossibile igitur esset, quòd ageret.*

In quibus locis, vt vides, S. Doctor, & approbat, & probat in propriis, & expressis terminis prædictum axioma Commentaris vniuersaliter de omnibus causis, etiam liberis.

§. II.

Afferuntur alia S. Doctoris testimonia, quibus discurrit subintellecto prædicto axiomate Commentatoris.

346 *Signis locus S. Doc. quo axioma confirmat auct. Arist.*

1 Amplius multoties S. Doctor discurrit virtute prædicti axiomatis, licet expresse illud non assumat. Et videri potest ad Romanos cap. 9. lect. 3. §. *Alio modo potest intelligi*, vbi ponit sequẽtem conclusionem, inquiens. *Diuinum beneficium non solùm extendit se ad infusionem gratiæ, qua homo iustificatur; sed etiã ad gratiæ vsum. Sicut etiam in rebus naturalibus non solùm Deus causat ipsas formas in rebus; sed etiam ipsos motus, & operationes formarum: eo quod Deus est principium omnis motus, cuius operatione cessante à mouendo, ex formis nullus motus, vel operatio sequitur. Sicut autem se habet habitus gratiæ, vel virtutis in anima ad vsum ipsius, sic se habet forma naturalis ad suam operationem. Et ideo dicitur Esa. 26. omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Ponit, inquam, S. Doct. prædictam conclusionem; probat autem subdens.

347

2 *Probat autem hoc speciali ratione Aristotelis de operibus voluntatis humanæ. Cum enim homo habeat potentiam ad oppositа puta, ad sedendum, vel non sedendum; oportet quòd reducatur in actũ per aliquid aliud. Reducitur autem in actum alterius horum per consilium, ex quo vnum oppositorũ præeligit alteri. Sed cum iterum homo habeat potentiam consiliandi, vel non consiliandi; oportebit esse aliquid, per quod reducitur in actum cõsilij. Et cum in hoc non sit procedere in infinitum, oportet esse aliquod principium extrinsecum superius homine quod ipsum moueat ad consiliandum. Et hoc nõ est aliud, quàm Deus. Sic igitur ipse vsus gratiæ est à Deo.* Hæc Sanctus Doct. quibus probat vsum gratiæ esse in nobis à Deo ratione allata ab Aristotele, quæ euidenter supponit axioma, de quo loquimur; siquidem illa propositio, cum homo habeat potentiam ad oppositа; oportet quòd reducatur in actum per aliquid aliud, euidenter supponit, illud axioma, ab eo, quod se habent indifferenter ad oppositа, non sequitur actio, nisi per aliquod aliud &c.

348 *S. D. cõfirmat axioma in solut. 4. argumentorum.*

3 Amplius sæpe S. Doct. assumit prædictum axioma in argumentis, quæ affert in contrarium, ita tamen, vt in responsionibus numquam illud neget; sed potius concedat, & confirmet.

Hoc autem videri potest primo quæst. 3. de Malo ar. 3. vbi quinto loco sibi obijcit vt infra. *Omne, quòd se habet ad vtrumlibet, indiget aliquo determinante ad hoc, quod exeat in actum: Sed liberum arbitrium hominis ad vtrumlibet se habet, scilicet ad bonum, & malum. Ergo ad hoc, vt exeat in actum peccati, indiget quòd ab aliquo determinetur ad malum. Maximè autem hoc videtur fieri à diabolo, cuius voluntas est determinata ad malum. Ergo videtur, quòd diabolus sit causa peccati.*

349

4 Et respondet his verbis. *Ad quintum dicendum, quòd voluntas, cum sit ad vtrũlibet, per aliquid determinatur ad vnum, scilicet per consilium rationis; nec oportet hoc esse per aliquod agẽs extrinsecum.* Hæc S. Doctor; in quibus, vt vides, principium, *Omne, quod se habet ad vtrumlibet &c.* expresè concedit, & assignat id, per quod determinatur voluntas ad malum, nempe, consilium rationis.

350 *Aduertẽtia, ne decipiaris intelligẽtia dicti S. T.*

5 Sed ne decipiaris circa vltima verba prædictæ responsionis, puta, *nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum*, aduerte obiter, quòd hoc ideo est dictum; quia defectum, seu malum, inuentum in actione

infe-

Digitized by Google

Non oportet malũ actionis reduci in agens extrinsecũ.

inferioris agentis, non oportet resolue-re in omne agens superius, vsq; ad primũ; sed solùm in illud agens, quod habet principium actiuum habens defectum, ex cuius defectu prouenit defectus in actione. Quoniam autem causa peccati est voluntas directa per iudicium habens defectum circa apprehensionem boni, ex cuius defectu prouenit peccatum in actione voluntaria: ideo est, quòd determinatio ad malum cõsequens iudicium rationis defectiuum circa apprehensionem boni, non oportet resolue-re in aliquod aliud agens extrinsecum.

Oppositũ dicendum ẽ de actione bona.

Oppositum dicendũ esset, si voluntas per cõsilium rationis determinaret se ad actionem bonam. Nam illam oportet reducere in agens extrinsecum, puta, Deum impellentem in bonum cõsilium, vt dotet D. Th. loc. cit. in hoc §. num. 1. & 2. ad Corinth. 3. lect. 1. propè finem. Sed de hac re alibi diffusè agemus, reuertamur ad alia loca S. Doct.

351 6 Adhuc, videri potest 1. p. q. 19. ar. 3. vbi quintum argumentum sic proponit. *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator in 8. physic. Si ergo voluntas Dei in aliquibus se habeat ad vtrumlibet, sequitur, quòd ab aliquo alio determinetur ad effectum, & sic habet aliquam causam priorẽ.*

Alius loc. ex p. p.

352 7 Respondet autem dicens. *Ad quintum dicendum quòd causa, quæ est ex se contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Hæc S. Doctor. Quibus, vt vides, vult, quòd causa ad vtrumlibet, non quælibet; sed quæ est ex se contingens, quale est omne ad vtrumlibet creatum, non exit in actum; nisi determinetur ab aliquo exteriori. Et quòd voluntas diuina, quæ est ad vtrumlibet, in tantum non indiget determinari ab alio exteriori, inquantum ex se necessitatem habet, quod de nulla causa creata dici potest.

353 8 Videri potest etiam lib. 1. cont. gen. cap. 82. vbi ferè proponit idem argumentum his verbis. *Si quod est ad vtrumlibet indifferenter se habens, non magis in vnum, quàm in aliud tendit, nisi ab alio determinetur, oportet, quòd Deus, vel nihil eorum velit, ad quæ ad vtrumlibet se habet (cuius contrarium supra ostensum est) vel quod ab alio determinetur ad vnũ.*

354 Insignis loc. S. D. quo applicat axio

9 Ad quod respondet inquiens. *Quãuis autem diuina voluntas ad sua causata non determinetur, non tamen oportet dicere, quòd nihil eorum velit, vel quòd ad volendum ab aliquo exteriori determine-*

tur. Cum enim bonum apprehensum voluntatem, vt proprium obiectum, determinet; intellectus autem diuinus non sit extraneus à sua voluntate; cum vtrumq; sit sua essentia: si voluntas Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinetur, non erit determinatio voluntatis diuinæ per aliquid extraneum facta. Hæc S. Doctor. In quibus apparet, ipsum velle voluntatem diuinam, quæ est ad vtrumlibet in ordine ad sua causata, determinandam esse per sui intellectus apprehensionem ad hoc, vt agat vnum, & nõ aliud ex his, in ordine ad quæ se habet ad vtrumlibet: negareq; inde sequi, determinationem istam fieri ab aliquo exteriori. Et hanc quidem sententiam confirmat S. Doctor eodem primo lib. contr. gen. cap. 93. ratione 4. dicens.

Valde nota hãc sẽtiã S. D.

Diuina voluntas in his quæ sunt alia ab ipso determinatur ad vnum per cognitionem suam.

355 10. Præterea frequenter S. Doct. subintellecto prædicto axiomate, & assumpta alia propositione illi subordinata, demonstrat, quòd à diuina potẽtia, quæ est infinita, & ad vtrumlibet, nihil procedere potest, nisi determinetur. Idq; ipsum probat de diuina scientia.

Potentia & sciẽtia diuina q̃ sunt ad vtrumlibet determinãtur ad vnũ per actum volũtatis.

Primum horum inuenies opusc. 2. seu in Compendio Theologiæ cap. 96. vbi sic loquitur. *Ostensum est in superioribus, Deũ esse infinitæ virtutis, non igitur determinatur ad hunc effectum, vel illum, sed indeterminatè se habet ad omnes. Quod autem indeterminatè se habet ad diuersos effectus, determinatur ad vnum producendum per desiderium, vel per determinationem voluntatis, sicut homo qui potest ambulare, & non ambulare quando vult ambulat.*

356 11 Secundum verò inuenies 1. p. q. 14. art. 8 in corp. vbi inquit. *Cum forma intelligibilis ad opposita se habeat (est. n. eadem scientia oppositorum) nõ produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad vnum per appetitum, vt dicitur 9. Metha:*

357 Alius loc. S. D. ad idem.

12 Vtrumq; tandem reperies in 1. dist. 45. q. 1. ar. 3. in corpore vbi manifestè assumit, & probat prædictum principium, & sic habet. *Dicendum, quòd opus determinatum non progreditur, nisi à determinato agente. Et inde est, quòd illud, quod est tantum in potentia non agit, quia se habet indeterminatè ad multa. Sed forma, quæ est terminans potentiam materiæ, principium actionis dicitur. Et ideo omnibus, quorum potentia actiua determinata est ad vnum effectum, nihil requiritur ex parte agentis ad agendum supra potẽtiam completam (dummodo non sit impeditum*

Op⁹ determinatũ nõ progredi-tur, nisi à determinato agente,

Digitized by Google

ex defectu recipientis) ad hoc vt sequatur effectus: sicut patet in omnibus agentibus ex necessitate naturæ. Potentia autem diuina, cum sit infinita, non magis determinatur ad hoc, quàm ad illud; nec ex parte materiæ opus eius determinatur; quia ipse etiam materiam, & formam producit. Vnde oportet, quòd supra rationem potentiæ sit aliquid aliud, per quod opus determinetur. Hoc autem fit per scientiã, quæ propriam rationem rei cognoscit. Sed quia scientia se habet ad opposita; est enim & bonorum & malorũ: ideo oportet aliquid adhuc addere, in quo perficiatur ratio causæ, & hoc est voluntas; quæ determinatè accipit vnum ex duobus, quæ scit, vel quæ potest. Et hæc satis quantum ad primum punctum.

PVNCTVM SECVNDVM, in quo

Refelluntur responsa, & glossa Recentiorum.

358 VIderi alicui posset superfluum in hac disputatione tot nos S. Doctoris testimonia reportasse: verùm nõ superfluum est; sed necessarium: quippe quia tot sunt oppugnatores huius axiomatis, & ita aperta fronte tamquam euidenter falsissimum reijcitur à Recentibus quibusdam, vt fuerit necessarium, exercitum integrum locorum S. Doctoris adunare, vt simul vnita nullum relinquant aduersarijs tergiuersandi locum. Proponemus igitur, & simul reijciemus responsa Recentiorum, & cuilibet responso dabimus specialem §.

§. III.

Responsio P. Ioseph Augustini confutatur.

359 1 ET primò occurrit Pater Ioseph Augustinus 1. p. quæst. 14. ar. 13. difficultate 3. num. 51. Ex cuius doctrina posset quis dicere, quòd testimonium S. D. vltimo loco adductum non est ad propositum eius, quod intendimus. Nam propositio illa S. Doctoris *Opus determinatum non progreditur, nisi à determinato agente*, hunc sensum reddit, nempe, nullus effectus determinatus progreditur à causa indeterminata, ideſt vagè sumpta, quæ scilicet, neque sit hæc, neque illa, vt sensus sit, nullus effectus determinatus est à causa, quæ neque sit hæc, neque illa, sed à determinata, puta ab hac, vel illa voluntate, non autem à voluntate vagè, & in confuso sũpta, quæ neque sit hæc, neque illa voluntas, &

Glos. P. Ioseph. de effectu determinato nõ procedẽte, nisi à causa determinata.

in hoc sensu, inquit iste doctor, est vera propositio assumpta à S. Thoma & subdit. *Vt enim inquit D. Tho. in 1. distin 45. art. 3. nullus effectus determinatus sit, et sequitur à causa hoc modo indeterminata, &c.*

2 Itaque vult, quod in prædicto sensu loquitur S. Doctor verbis num. 11. præcedentis §. relatis. At vero propositio prædicta in isto sensu non est ad rem; quippe quia intendimus probare, quod causa hæc determinata, puta, hæc vel illa voluntas, huius, vel illius determinati hominis, quæ est ad vtrumlibet, & indeterminata ad agendum hoc, vel illud ex oppositis, non exit in actum agendi vnum ex oppositis, nisi per aliquod, quod determinat ad vnum. Non autem quòd voluntas vagè sumpta, quę neque sit hæc, neq. illa non exit in actum, &c. 360

3 Sed quis poterit vnquam imaginari talem glossam datam fuisse à viro docto? quis credere poterit dictam propositionẽ in tali sensu prolatam fuisse à S. Thoma? Porrò ex illa propositione. Actus determinatus non progreditur, nisi ab agente determinato, duo infert S. Doct. Primum est, quòd agenti naturali, habenti virtutem determinatam ad vnum effectũ, præter id, quod requiritur ex parte materiæ nõ oportet aliud addere ad hoc, vt ab eo exeat actu determinatus. Secundum est, quòd quia diuina virtus, seù potentia non magis determinatur ad hoc, quàm ad illud, oportet aliquid aliud addere, per quod opus eius determinetur, & hoc est scientia, & voluntas, quæ determinatè accipit vnum ex duobus, quæ potest. Ita quidem, quòd completus discursus S. Thomæ sit sequens. 361 *Glos. P. Ioseph. nõ cõuenire ex tui D. Tho. probatur.*

4 Opus determinatum non progreditur, nisi ab agente determinato; sed diuina potentia, cum sit infinita, non est determinata magis ad hoc, quàm ad illud; ergo à diuina potentia nõ egredietur opus determinatum; sed oportebit aliquid aliud addere, per quod determinetur opus, & hoc est scientia, & voluntas determinatè accipiens vnum ex his, quæ potest. Dicat modo iste bonus glossator, si maior habet illũ sensum, puta, opus determinatum non egreditur, nisi ab agẽte determinato, quod scilicet est hoc, & non illud, quomodo minor stabit sub maiori, cum subiungit; *Sed diuina potentia, cum sit infinita, non magis determinatur ad hoc, quàm ad illud?* Num voluit significare, quòd diuina potẽtia, ex eo, quia est infinita, est agens vagè sumptum, & non magis hoc, quàm illud, & sic concludere, quòd oportet addere scientiam, & voluntatem, ad hoc, vt diuina potentia euadat determinatè hoc, & nõ illud? sed quis hoc dicet? quis mente concipiet? 362

5 Dicat ergo iste doctor si prædicta propo- 363

Digitized by Google

Verus sẽs⁹ S D. probat nostrũ propositiõ.

propositio non potest habere sensum; ab ipsomet confictum, quem alium habebit, nisi à nobis intentum; puta opus determinatum, quod scilicet est hoc, & non illud, non progreditur, nisi ab agente determinato ad producendum illud idem opus? Iam enim hoc concludit S. Doctor de diuina potentia, nempè: quod ab ea non progreditur determinatum opus, puta hoc, & non illud, nisi addita voluntate determinatè accipiente vnum, puta hoc, & non illud ex illis, quæ potest. Maior ergo extremitas assumpta in maiori, hoc ipsum erat, quod infertur in consequente. Et sic propositio maior fuit assumpta in sensu à nobis intento.

364 Discursus S.T. in forma syllogistica.

6 Vt autem hoc videas, accipe discursum S. Thomæ in forma syllogistica: Nullũ opus determinatum egreditur, nisi ab agẽte determinato ad producendum tale determinatum opus; sed diuina potentia, cum sit infinita, non est determinata ad producendum tale determinatum opus, nisi addita scientia, & voluntate determinatè accipiente vnum ex illis, quæ potest. Ergo à diuina potentia non egredietur determinatum opus; nisi addita scientia, & voluntate determinatè accipiente vnum ex illis, quæ potentiâ potest. Num audebis dicere non esse hunc discursum D. Thom.? Dic tu alium.

§. IV.

Responsio Suarij, & Fasoli Confutatur.

365 Sua. recurrit ad opinionẽ Sco. vt soluat difficultatẽ ex doct. D. Thom.

1 OCcurrit secundo loco Suarius lib. de diuina gratia cap. 50. nu. 1. & 2. quem sequitur Fasolus 1. p. quæst. 14 art. 13. dub. 17. num. 421. & alij. Et sic inquit: *Ad illud principium, quòd à causa indeterminata non prodit determinatus effectus etiam respondet optimè Scotus in 2. dist. 25. quæst. vnica ad vltimum. Illud esse verum in principijs, seu potentijs, quæ licèt aliquo modo vniuersalia sint, sunt tamen imperfecta quantum ad hoc, quòd non habent dominium suæ actionis, & ideo indigent aliquo determinante ad alteram partem; alioquì, vt Aristoteles ait, 9. Meth. cap. 5. tex. 10. Si ex se, & sine alio determinante procederent in actum, simul efficerent contraria: quia vtrumque possunt, & non esset maior ratio de vno, quàm de alio. Et hoc apertè patet in exemplo potentiæ motiuæ; & idem est de intellectu, & arte, & similibus. Secus verò est de voluntate, quæ est perfecta potentia, cum dominio sui actus. Et ita licèt sit potentia contrariorum, vel contradictoriorum, potest obiecto præsente ad vnam partem se determinare.* Hæc Suarius: post quæ affert locum D. Thom. à nobis relatum §. 2 huius disp. n. 6. & 7. & sic habet.

366 Asserit sibi non obstare D.T.

2 *Neque obstat D. Thomas p. p. quæst. 19 artic. 4. ad 5. vbi admittit illud principium in omnibus causis creatis, solumque excipit diuinam voluntatem, & rationem subdit: quia causa, quæ est ex se contingens, determinatur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. Hoc autem discrimen applicatum ad voluntatem creatam, fundatur in hoc, quod voluntas creata, est ex se indeterminata non solum actiuè, sed etiam passiuè: itaut non possit se determinare, nisi aliquid in se agendo. Voluntas autem diuina altiori modo se determinat, nihil in se recipiendo propter summam actualitatem, & necessitatem essendi, quam habet. Et hinc fit, vt voluntas creata per se sola non possit se determinare sine dependentia ab alio; quia sicut in suo esse dependet à Deo, ita in sua determinatione; & in hoc sensu oportet, quòd ab aliquo exteriori determinetur.* Hæc Suarius; quibus parum infra num. 3. subiungit. *Ratio autem illa, quia non est cur causa indeterminata hùc magis, quàm illum effectum faciat, habet locum in causis, quarum actiones non sunt intrinsecè voluntariæ, neque sub dominio illarum.* Quibus Suarius respondet obiectioni, quam cap. 29. eiusdem lib. num. 14. proposuerat his verbis:

Axioma non hẽt locũ in causis liberis in sententia Suar.

367 Obõ, & propositiones, quibus R. Suarius.

3 *Voluntas numquam potest prodire, vel inchoare actionem, nisi determinatam, & in particulari: à causa autẽ indeterminata in eo statu manente, non potest determinatus effectus prodire: ergo oportet, vt prius prædeterminetur. Consequentia cum maiori euidentes sunt. Minor autem probatur, in primis authoritate Cõmentatoris 2. phys. tex. 48. & D. Thomæ p. p. quæst. 19. &c. Deinde ratione. Tum quia quamdiu causa est indeterminata, non est cur magis hunc effectum determinatum, quàm alium efficiat, tum quia talis causa non est plenè in actu; sed est in potentia, & ideo ab illa, vt sic, non est determinatus effectus. Tum præterea, quia omne, quod quandoque est agens in actu, quandoque in potentia indiget moueri ab alio,* &c.

368

4 Itaque in responsione vult Suarius, prædictam rationem non conuincere, quia minor, qua assumitur axioma, de quo in hac disputatione agimus, est falsa de causis habentibus suæ actionis dominium, qualis est voluntas; auctoritatem verò D. Thomæ intelligentis prædictum axioma de omnibus causis creatis non obstare, inquantum volũtatem determinari ab aliquo exteriori

Digitized by Google

verificatur per hoc, quòd voluntas creata indiget exteriori principio simul secũ agẽte illum actum, quo se voluntas determinat, & non potest voluntas se sola sine dependentia ab alio se determinare.

Sed contra est. Quia interpretatio prædicti principij, quantum spectat ad sententiam S. Thomæ euidentissimè falsa est. Et quidem dum dicit cum Scoto, prædictum axioma non esse verum in causis habentibus suæ actionis dominium, vel sequens Scotum intendit contradicere S. Thomæ, vel sentit proferre doctrinam non repugnantem S. Thomæ.

Si Suarius recederet à D. Thoma, esset conuictus à suis aduersarijs, eorum firmaret sententiam, & inutiliter glossas textui S. Doctoris repugnantes excogitasset.

369 5 SI primum eligit, facto ipso probat, se ab aduersarijs, cum quibus disputat, conuictum. Insuper firmiorem reddit eam ipsam sententiam, quam impugnat. Demum inutiliter D. Thomæ textui repugnantes glossas pronunciat.

Suar. esse conuictũ a suis aduersarijs probatur.

Itaque si Suarius diceret, se in negatione prædicti axiomatis intellecti de causis liberis, discedere à S. Thoma, & adhærere Scoto; ipsemet facto probaret, se cõuictum ab aduersarijs, cũ quibus disputat. Siquidem disputat cum quibusdam Thomistis, quorum erat ratio illa relata num. 2. huius §. Illi autem contendebant, ex Commentatoris axiomate approbato millies à S. Tho. .l. ab eo, quod est ad vtrumlibet, &c. & ex alijs propositionibus, quas transcripserant ex eodem D. Thoma, & ex quibus in prædicta ratione argumentabantur, probari, Deum per suam motionem, qua, vt primus, & vniuersalis motor, mouet omnes causas, tam naturales, quàm liberas ad agendum, determinare ad producendũ vnum determinatum effectum causas liberas existentes ad vtrumlibet. Contrarium contendebat Suarius, videlicet, talem existimationem in D. Thoma non inueniri. Hinc lib. 3. de diuina gratia cap. 44. satis prolixo cõtendit probare *Doctoris sancti testimonijs* (verba sunt ipsius Suarij loc. modo cit. nu. 1.) *voluntatem creatam etiam propter indifferentiam, quam naturaliter habet, non indigere concursu Dei prædeterminante, immo potiùs propter indifferentiam suam postulare, ne tali modo præmoueatur.*

verba Sua. credẽtis habere prosẽ D. Thom.

Recursus Sua. ad Sc. ostendit ipsũ cõuictũ.

Ex his autem sequitur euidenter, quòd si modò disputans cum aduersarijs suis, illisque contendentibus ex prædicto axiomate Commentatoris approbato à S. Doc. & ex alijs propositionibus ex eodẽ S. Doct. desumptis inferri, causas liberas, eo ipso quòd indifferentes sunt, debere prædeterminari à Deo per suam motionem, ad hoc, vt agant; ipse Suarius responderet non sequor D. Thomam; sed assentior Scoto, neganti, tale axioma Commentatoris extendendum esse ad causas liberas; iam facto ipso probaret, se victum à suis aduersarijs. Siquidem illi hoc contendebant, nempè, cum D. Thomæ doctrina stare non posse oppositum suæ cõclusionis. Quod quidem ipse Suarius confirmaret, dum, ne concederet illationem, recederet à propositionibus, & axiomatibus à D. Tho. approbatis.

370 *Cõfir. Sua. sententiam suorũ aduersariorũ & eã impõnit D. Th.*

6 Amplius. Confirmaret sententiam suorum aduersariorum. Nam si cum ipsis disputans, non potuit aliter euadere rationes, quàm recedendo à D. Thoma, & fugiendo ad Scotum, iam certum remansisset aduersarijs, suam sententiam esse S. Tho. Firmasset igitur Suarius suorum aduersariorum sententiam, illamq. imposuisset S. Th. quem ipsemet intendit à tali impostura defendere.

371 *Nil validius impellit in sẽtiã prædeterminãtiũ q̃ Suarius.*

7 Immo non potuit melius Suarius imponere D. Thomæ motum prædeterminãtem, nec posset se aliquis validiori motiuo firmare in assertione prædictæ motionis prædeterminatis, quàm ex hoc recessu Suarij à D. Thoma. Quilibet enim posset sic discurrere. Suarius est seuerus aduersarius toto conatu impugnans motionẽ Dei prædeterminantem, fuitque assiduus considerator doctrinæ S. Thomæ; & nihilominus disputans cum astruentibus prædictum motum prædeterminantẽ, nõn aliter potest euadere, quàm recedendo à D. Tho. axiomatibus. Ergo illa sententia re vera sequitur ex axiomatibus D. Thomæ, & nos, qui sumus Thomistę debemus illam sequi; quia illam negare non possumus; nisi negando D. Thomam.

372 *Sua. absolutè recedit à D. Tho.*

8 Hic discursus est conditionalis. Sed subsume modò minorem absolutam. Sed Suarius expressè in ptædicta responsione negat illud axioma Commentatoris verificari in causis liberis; quod tamen axioma S. Doctor vsurpat, & approbat in causis liberis, vt patet legenti testimonia à nobis adducta. Confirmauit igitur Suarius hoc facto aduersariorum sententiam, illamque imposuit D. Thomę, fuitque à suis aduersarijs victus. Et hinc collige, quòd ad hoc, vt S. Thomas defendatur, ne in humeros eius injiciatur motio prædeterminans, oportet sic soluere rationes hoc attentãtium, vt D. Thomæ axiomata non negentur, vt nos disput. sequenti luce clariùs faciemus.

373 9 Amplius. Inutiliter glossas textui D. Thomæ repugnãtes excogitasset; si enim

Digitized by Google

Inutiliter gloss. text. repugnantes excogitauit Suar.

semel in reiectione motionis prædeterminantis, & assertione concursus simultanei deliberauit recedere à S. Thomæ probatis propositionibus, & specialiter ab hoc axiomate: Ab eo, quod est ad vtrumlibet, &c. illudq; restringere ad solas causas nõ habentes dominium suæ actionis, vt quid textum D. Thomæ 1. p. quæst. 19. art. 3. ad 5. vbi (vt ipsemet Suarius confitetur verbis relatis n. 1. huius §.) *admittit illud principium in omnibus causis creatis solùmq. excipit diuinam voluntatem*; inuertere in sensum conatur textui repugnantem?

374 10 Quòd autem glossa Suarij relata num. 1. huius §. qua locum D. Thomæ modò relatum intelligit, sit & textui, & ipsimet Suario repugnãs, ex ipso Suario potest fieri manifestum. Nam peto: An propositio illa S. Doct. qua suam responsionem incipit, videlicet, *Causa, quæ est ex se contingens; oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori; sed non quæ ex se necessitatem habet*, faciat ad solutionem argumenti? Si dicat: Non facit, iam concedit, respõsionem S. Doctoris nõ spectare ad solutionem argumenti: siquidem tota responsio in prædicta propositione consistit, vt patet. Quæ autem repugnantior glossa, quã quæ facit responsionem non valere ad soluendum argumentum?

Prob. gloss. Suar. repugnare textui.

375 11 Si dicit, facere ad soluendum argumentum. Peto, vt dicat, qualiter istud munus exequitur? Argumentum erat. *Ab eo, quod est ad vtrumlibet non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt dicit Comment. in 2. Physicorũ. Si ergo voluntas Dei in aliquibus se habet ad vtrumlibet, sequitur, quòd ab aliquo alio determinetur ad effectum, & sic habet aliquam causam priorem.* Et subintelligitur: sed hoc est falsum: ergo voluntas Dei non se habet in aliquibus ad vtrumlibet; quam tamen sic esse concluserat argumento 4. proximè præcedenti.

Argum. & positiõ à D. Thom.

376 12 Dicat modò Suarius, qualiter propositio illa spectat ad solutionem argumẽti prædicti. Sed quid aliud dici potest, nisi eam valere inquantum affirmat maiorem illã: Ab eo, quod est ad vtrumlibet, &c. esse concedendam in causa, quæ est ex se cõtigens, quæ oportét. quòd determinetur ab aliquo exteriori; non autem in causa quæ ex se necessitatem habet, qualis est diuina voluntas, de hoc enim ad vtrumlibet, quod non est contingens, illa propositio qua intenditur, quod est ad vtrumlibet esse determinandum ab alio realiter distincto, est neganda, qua negata, nihil infertur de diuina voluntate.

377 13 Optimè. Sed iterum peto. In quo sensu Axioma in maiori assumptum, sit à S. Doctore concessum in causis ex se contingentibus, ex quo inferebatur absurdum circa diuinam voluntatem? Non potest dici concessum esse in alio sensu ab eo, quo assumitur in argumento? Non enim S. Doctor illud distinxit, & concessit in vno, negauit verò in alio sensu; sed dixit illud esse necessarium (hanc necessitatem designauit dum dixit. *Oportet, quòd causa ex se contingens determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*) dixit, inquam, esse necessarium in causis ex se contingentibus, nõ verò in diuina voluntate, quæ ex se necessitatem habet. Oportet ergo, quod tale axioma concesserit esse necessarium in illo sensu, quo pronunciabatur in argumento. In argumẽto autem sic assumitur. *Ab eo, quòd est ad vtrumlibet non sequitur aliqua actio; nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator 2. Physic.* et quidem ly *inclinetur* idem significat quod *determinetur*, vt in propositione à S. Thoma concessa apparet dum dicit. *Causa ex se contingens oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum.* Nunc ergo hoc peto. In quo sensu tale axioma sit à Commentatore pronunciatum, in argumento assumptum, & à S. Thoma concessum vt necessarium in causis ex se contingentibus? Quid respondebit Suarius? Quid valet ad veritatem saluandam talis axiomatis illa excogitatio differentiæ inter voluntatem creatam, & increatam, eo quia illa est indeterminata actiuè, & passiuè: increata verò solùm actiuè? Quid ad propositum Axiomatis pronunciati à Commentatore? Hoc peto. Estne hoc Axioma verum in hac causa ex se contingenti, puta, voluntate creata, an non?

Nõ põs explicare suarius modũ, quo respõsio S. T. valeat ad solũdũ arg.

Excogitatio Sua. nil valet ad propositũ.

378 14 Si dicat non, vt verbis relatis nu. 1. huius §. verè asserit dicens. *Ad illud principium, quòd à causa indeterminata non sequitur determinatus effectus, respondet optime Scotus dicens, non esse verum de voluntate, quæ est perfecta potentia cum dominio sui actus.* Tunc oportet, vt ipse dicat, qualiter possint esse vera illa sua verba à nobis relata eodem num. 1. huius §. videlicet. *Nec obstat D. Thomas p. p. quæst. 19. artic. ad 5. vbi admittit illud principiũ in omnibus causis creatis, solùmq. excipit diuinam voluntatem.* Sunt hæc verba Suarij; sed cur dixit admittit illud principium, &c. quando S. Thomas dicit, illud esse necessarium, scilicet, causa ex se contingens oportet, quòd determinetur? Sistamus tamen hìc, & peto à Suario. Cur hæc S. Th. admissio, seù concessio, qua affirmat illud axioma, seù principium esse necessarium in omnibus causis creatis, non obstat suo dicto, quo asserit idem axioma, seù princi-

Sua. cõtra dicit sibi.

Sua. ponit cõtradictoriũ eius, & asseritur à D. Tho. & unlt sibinõ obstare D. Thom.

pium

pium non esse verum de voluntate creata habente suæ actionis dominiũ? Mira res! D. Thomas pronũciat propositionem vniuersalem, puta, illud principium est necessarium vniuersaliter, de omni causa creata, Suarius ponit contradictorium, puta, tale axioma non est verum de omnibus, puta de habentibus actionis dominium, & deinde dicit, quòd hoc suum dictum non obstat primo. Num asserere cõtradictorium, non est obstare? Dices D. Thomam loqui in alio sensu, dum concedit illud axioma vniuersaliter de omnibus causis creatis; sed in quo, nisi in illo, quo solet assumi vt vulgatum axioma, & assumitur in argumento? Dum enim quis arguenti respondet, concedo propositionem in hac materia, nego in alia materia, num concedit in alio sensu ab ab eo, quo proponitur? Et quidem si in alio sensu loquutus fuisset S. Thom. tunc debebat Suarius explicare tale axioma habere plures sensus, Diuumq. Thomam loqui in vno, se verò loqui in alio. Sed hoc Suarius non facit; sed D. Thoma asserente propositionem vniuersaliter intellectam de omnibus causis creatis esse necessariam, ipse Suarius ponit contradictoriam, dicens esse falsam de aliquibus, et quòd D. Th. sibi non obstat, non explicando diuersum sensum, quem tenuit D. Thomas in illa vniuersali concessione ab eo, quem ipse tenet in sua particulari negatione. Quis sapiens intelliget hęc?

379 *Differẽtia excogitata à Suar. non põt eũ defendere, ne dixerit repugnantia.*

15 Dices explicasse Suarium differentiam inter voluntatem creatam, & increatam. Sed qualis, qualis sit ista differentia, peto si per talem differentiam habentur plures sensus in axiomate, seù principio assumpto? Si dicat haberi, dicat quos, offerdatq. diuersum sensum tenuisse D. Thomã in concedendo, ab eo, quem ipse tenuit in negando. Si autem per talem differentiam non habentur, vt re vera non habentur, plures sensus in axiomate. Dicat quisquis audet, an non existente pluralitate sensuũ in axiomate, Diuoq. Thoma vniuersaliter affirmante, illud esse necesarium in omnibus causis creatis: Suario verò illud particulariter negante, vt impossibile in causis creatis habentibus suæ actionis dominium, minimè obstat assertioni Suarij D. Thomas?

380 *Verba responsionis Suarij.*

16 Sed ad differentiam allatã à Suario oculatiùs attendamus. Ipse enim lib. 3. de diuina gratia cap. 50. cit. sic num 2. habet. *Neque obstant, quæ ad probandum illud principium afferuntur. Primum est ex D Thoma p. quæst. 19. artic. 3. ad 5. vbi admittit illud principium in omnibus causis creatis, solamque excipit diuinam voluntatem, & rationem reddit, quia causa, quæ est ex se contingens oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas diuina, quę ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. Hoc autem discrimen applicatum ad voluntates creatas fundatur in hoc, quòd voluntas creata est ex se indeterminata non solùm actiuè, sed etiam passiuè, ita vt non possit se determinare, nisi aliquid in se agendo, voluntas autem diuina altiori modò se determinat, nihil in se recipiendo propter summam actualitatem, & necessitatem essendi, quam habet. Et hinc fit, vt voluntas creata per se sola non possit se determinare sine dependentia ab alio, quia sicut in suo esse dependet à Deo, ita etiam in sua determinatione, & in hoc sensu oportet, quòd ab aliquo exteriori determinetur. Vbi expendo D. Thomam non dixisse, prædeterminetur, quia non oportet, vt solus Deus faciat determinationem; sed satis est, vt cooperetur voluntati se determinanti.*

Ratio autem illa, quia non est eur causa indeterminata hunc magis, quàm illum effectum faciat, habet locum (vt eum Scoto dixi) in causis quarum actiones non sunt intrinsecè voluntariæ, neque sub dominio illarum. Hæc Suarius.

381 *Suarius nõ valet ad verificãdũ axioma.*

17 Sed quid inde? quid valent prædicta ad verificandum illud axioma de volũtate creata? Porrò in prędicta responsione, tametsi veræ essent, quæ dicit, solùm hæc duo habentur, videlicet, quòd voluntas creata, inquantum est principium actiuum indifferens, non ipsa sola producit actum, quo determinatur indifferentia suæ potentiæ; sed ipsa simul cum alio exteriori agente, secum cooperante eundem actum? non autem determinante indifferentiam ipsius, prout est actiua. Et quod voluntas prout habet potentiam receptiuam oppositorum actuum, recipit non solùm à seipsa; sed etiam ab alio illum determinatum actum, quem recipit. Hoc autem nihil iuuat ad hoc, vt verificetur de voluntate creata illud axioma: Ab eo, quod est ad vtrumlibet, &c. Aliud sanè satis diuersum est dicere, quòd ab indeterminato non sequitur actio; nisi sit determinatum ab alio, & aliud, quòd non sequitur actio; nisi simul cum ipso agat aliud illum eundem effectum, quem agit indifferens existens indifferens, hoc secundum asserit Suarius verificari de voluntate creata supposita illa differentia inter voluntatem creatam, & diuinam, per quod tamen non solùm non verificatur primum, seù axioma Commẽtatoris, & Diui Thomæ; sed in eo includitur oppositum axiomatis.

Nam

382 *Ponit expresse contrũ axiomatis.*

18 Nam dum dicit, quòd voluntas, prout est principium indifferens, non ipsa sola; sed simul cum alio non determinante producit actum, quo sua indifferentia passiua determinatur; iam concedit, quòd à causa indifferenti agente simul cũ alio non determinante procedit actio, qua actuatur propria potentia passiua, qd. est expresse oppositum prædicto axiomati, quo pronunciatur, quòd ab indifferenti non procedit actio, nisi per aliquod determinans ad vnum. Non enim prædicto axiomate asseritur, actionem procedere non posse ab indifferenti causa agente se sola; sed ab indifferenti, siue agat se sola, siue simul cum alia, dum tamen per coniunctionem ad aliam non determinatur ad effectum; quia hoc indispensabiliter requiritur ad exitum actionis à causa indifferenti, puta, coniunctio ad causam determinantem. O quàm benè explicatur aliquod axioma, quando sic explicatur, quòd simul ponitur oppositum axiomatis!

383

19 Et inde patet, non posse Suarium abdicare à se contradictionem, dum illa duo simul ponit, videlicet illud principiũ, seù axioma: Ab indeterminato non sequitur actio, non verificari de voluntate, habente suæ actionis Dominium, & quod huic dicto non obstat *D.* Thomas in loco 1. p. citat. admittente, immo, & dicente illud esse necessariò concedendum vniuersaliter in omnibus causis creatis.

384 *Sua. recessit à S. Th. & ei imposuit prædeterminationem.*

20 Et tandem patet, nõ potuisse Suarium hac sua responsione qua dicit, se sequi Scotum, nec recedere à D. Thoma, ne in *D.* Thomam iniceret prædeterminationem, quam persequebatur; nec potuisse cum *D.* Thoma conuenire, dum pronunciauit propositionem contradictoriam D. Thomæ. Fecit autem in facti realitate primum, scilicet, recessit à D. Thoma, in eumque iniecit motionem Dei prædeterminantem, quam impugnabat.

385

21 Posem hic contra Suarium probare Axioma, de quo loquimur, non solùm verificari in agentibus habẽtibus suæ actionis dominium; sed etiam, quòd habere aliquod agens dominium actionis, ex illo Axiomate probatur: probare, inquam, hoc posem, & ex locis illis D. Th. quæ ipsemet Suarius affert. Verùm hoc intra agendum est, partim quidem in hac disputatione §. 11. partim disputatione sequenti. Vbi agemus de principijs determinatiuis omnium agentium, & partim disp. 3.

§. V.

Confutatur responsio Ruiz.

386

1 OCcurrit tertiò responsio Ruiz, Qui disput. 49. de voluntate Dei sec. 1. n. 1. obijcit contra se tamquam à D. Thoma approbatum 1. p. q. 19. artic. 3. ad 5. Axioma istud, de quo loquimur, & sic habet.

Verba Ruiz proponẽtis obõnẽ ex D. Tho.

Primum argumentum asserunt esse D. Thom. 1. p. quæst. 19. artic. 3. ad 5. Ab eo, quod se habet ad vtrumlibet non sequitur aliqua actio determinata; nisi ab aliquo alio moueatur, & inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator 2. phys. tex. 48. Ab eo enim quod est in potentia, & indifferens inquantùm huiusmodi, non exit determinatus actus; quia non est maior ratio, quare exeat iste actus, quàm oppositus; cùm talis potentia secundùm se sit indifferens, &c.

387 *Resp. Ruiz*

2 Respondet autem num. 2. & sic inquit. *Respondetur: Ex D. Tho. 1. p. quæst. 19. art. 3. ad 5. colligi potiùs nostram sententiam: quoniam si solutionem rectè cum argumento conferas, hæc esse constabit illius mens. Dei voluntas propterea se ipsam determinare non pẽt sine alio exteriori determinãte; quia ipsa à se habet necessitatem circa primarium obiectum. Alia tamẽ voluntates debent ab exterior i principio recipere necessitatem ad primarium obiectum, quod creata voluntatis cõparatione est bonum in communi. Et quãtùm ad hoc voluntas creata, quia ex se est contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori principio ad effectum, hoc est, ad volitionem in communi.* Hæc Ruiz.

388 *Impugnatur respõs.*

3 Sed quis talem non mirabitur responsionem? argumentum, & responsionem S. Doct. retulimus in hac disp. §. 2. n. 3. nil penitus relicto, & iterum repetiuimus §. præcedenti agentes cũ Suario; sed & tertiò in gratiã Ruiz repetamus. Verba argumenti quinti sunt. *Ab eo, quod est ad vtrũlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum vt dicit Commentator in 2. Phys. si ergo voluntas Dei in aliquibus se habet ad vtrumlibet, sequitur, quod ab aliquo alio determinetur ad effectum, & sic habet aliquam causam priorem.* Verba responsionis sunt. *Ad quintum ergo dicendum; quòd causa, quæ est ex se contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem nõ necessariam.* Dicat modò Ruiz. Ex quibus verbis huius

respon-

responsionis, suę responsionis collegit hystoriam. Dicat ex quibus verbis extraxit illam quintam essentiam? quod scilicet, voluntas creata, quia est ex se contingens, debet recipere ab exteriori principio necessitatem ad primarium obiectum (quasi necessitatem in proprium obiectum primarium recipiat potentia propter hoc, quod est ad vtrumlibet) & quòd quantũ ad hoc oportet, voluntatem determinari ab exteriori principio? Dicat ex quibus verbis accepit S. Doctorem loqui in responsione, specialiter de voluntate creata? Et licèt verum sit voluntatem creatam accipere à Deo necessitatem tendendi in suum primarium obiectum, ad quòd habet ex essentia sua habitudinem; non autem à Deo recipere necessitatem in ordine ad quædã particularia bona; quid tamen spectat hęc doctrina ad responsionem argumenti?

389 4 Conferamus ergo rectè (vt Ruiz petit) responsionem ad argumentũ, videamusque, An ex dicta responsione S. Doct. colligatur potiùs existimatio Ruiz, qua docet non verificari de voluntate liberè agẽte illud axioma: Ab eo, quod est ad vtrũ libet, &c. quàm nostra sententia, qua dicimus, D. Thomam prædicta responsione asseruisse tale axioma esse necesarium de omni ad vtrumlibet creato.

390 *Ex collatione responsionis D. T. ad argum. ꝓbatur nil penitus esse in D. T. ex hystoria Ruiz.*

5 Peto igitur à Ruiz, soluit ne D. Th. argumentum, an non? si dicit nõ, transeat; sed vellem scire in quo deficit solutio ab efficacia argumenti. An fortè existimat omnino impertinentem solutionem adhibuisse? Sed si talem existimaret D. Thomã nimis àb eo discederet; ac per hoc validiùs Thomistas impelleret ad se firmandum in motione prædeterminante. Si ergo soluit, dicat qualiter. Argumentum assumit illud axioma, *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nõ sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum*, & subsumpta minori concludit, *ergo si voluntas Dei in aliquibus se habet ad vtrumlibet sequitur, quòd ab aliquo alio inclinetur ad effectũ, & sic habet aliquam causam priorem* Peto, dixit ne concedo totum? (Nam fortè sic debebat respondere, si S. Doctor imitaretur verba Ruiz, relata à nobis prima parte huius Tract. §. 4. num. 31. & 44.) Non vtique. Si ergo non concedit diuinam voluntatem determinari ab alio (vt concedit ipse Ruiz) dicat modum quo vitat talis cõsequentiæ illationem. Consideret Ruiz attentè argumẽtum, & videbit esse sequens. Si diuina voluntas se haberet ad vtrumlibet sequeretur, quod ab alio determinaretur ad effectum, & sic haberet aliam causam priorem, consequens est falsum, ergo & antecedens. Sequelam probat ex illo axiomate, ex quo sic formatur ratio. Ab eo, q̃ est ad vtrũlibet non, sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur; seù determinetur ad vnum. Sed voluntas Dei est ad vtrumlibet, in ordine ad ea, quæ potest agere, & non agere: ergo ab ea non procedet aliqua actio circa prædicta, nisi ab aliquo alio determinetur ad vnum, & sic habet causam priorem. Dicat modo Ruiz qualiter S. Doctor non concessa consequẽtia, seù sequela primæ maioris, soluat rationem fundatam in axiomate, negauit ne axioma, concessit, distrinxit, quid fecit?

6 Si dicit concessit axioma, tunc debet dicere qualiter vitari possit consequẽtia, non negata minori? quæ cùm sit de fide, & negari minimè possit, oportet, quod aliquid dixerit circa axioma. Sed quid dixit? concessit an negauit? Verba responsionis sunt. *Dicendum quod causa, quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitũ, ad quod habet habitudinem non necessariam.* 391

Quid dicis mi Ruiz? Negauit? dic quæ parte prædictæ propositionis? fortè ne illa, qua dicit; sed diuina voluntas &c. sed illa solùm negat de diuina voluntate. Dices fortè, quòd negauit alia parte, qua dicit, quòd causa ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum? sed hæc non negat; sed confirmat, axioma assumptum esse necessarium in causis ex se contingentibus. Sic ergo clarum est, D. Th. concessisse axioma, vt necessarium in causis ex se cõtingentibus, & quòd in tantùm non est verum de diuina voluntate, in quantùm non est causa ex se contingens; sed ex se necessitatem habens. Et quòd non sententiam Ruiz; sed nostram probat S. Doc. Et quòd nihil omnino est in D. Tho. de illa hystoria inuenta à Ruiz.

§. VI.

Alia responsio P. Ioseph Augustini Confutatur.

392 1 POtest adduci Quartò responsio P. Ioseph Augustini, quam habet 1. p. quæst. 14. artic. 13. diff. 3. num 70. Sciẽdum est enim, quòd prefatus Doctor affert contra se aliqua testimonia S. Doctoris ex supra relatis à nobis, quibus pronunciat axioma, de quo agimus, illaq; suo modò explicat, & sic habet.

Dices S. Thomas loco proximè citato ex quæst. 8. de veritate artic. 12. expressè habet,

Digitized by Google

Obiectio, q̃ sibi proponit Ioseph Augus. ex D. Th.

bet, quòd liberum arbitrium, cùm sit potentia ad vtrumlibet, non producit aliquē effectum determinatum; nisi per aliquam aliam causam determinetur, quod etiam habet expressè in hac 1. p. q. 19. artic. 3. ad 5. illis verbis: causa, quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, & loquitur maximè de voluntate creata opponens illã voluntati diuinæ, &c. Eandem doctrinam habet in 2. dist. 25. q. 1. art. 1. in corp. & p. 2. q. 9. art. 4. in corp. & ad 3. Hæc præfatus doctor obiicit contra suam sententiam.

393 *R. eas dꝫ P. Ioseph.*

2 Respondet autem vt infra. *Respondetur, hæc & similia dicta nullo modo fauere aduersarijs; sed potiùs ex illis colligi veritatem doctrinæ nostræ. Nam primò per illam particulam,* determinari, *manifestè S. Doct. nil aliud intelligit, nisi applicari, incitari, seù inclinari in aliquem actum, vt constat ex ipso loco cit. qu. 8. de Verit. Cum enim initio vsus esset vocabulo* determinetur, *postea mutato vocabulo vtitur illo* inclinat, *& per causas inclinãtes intelligit consuetudines, & complexiones hominum, quibus adhuc positis docet, solùm cõiecturaliter cognosci posse effectũ in causa ita determinata, seù inclinata. Potest etiam, & maximè causa inclinans esse ipse intellectus humanus, proponẽs voluntati hoc, vel illud faciendum, sine qua propositione voluntas ex se indifferens, & cæca, nihil determinatum operabitur. Et de hac loquitur S. Doct. in secundo & p. 2. Et quia potentia intellectiua distinguitur in nobis realiter à voluntate, & mouetur ab obiecto exteriori infundente species in sensus, vel à Deo; hinc impossibile est voluntatem operari, nisi ab aliquo exteriori principio, & distincto realiter ab ipso, inclinetur, applicetur, & excitetur ad hoc, vel illud, saltem inchoatiuè. V. g. nisi præcedat cogitatio de comestione, vel cursu impossibile est, vt voluntas eligat comedere, aut currere, aut contrarium, & sic de alijs. Et hoc solùm expressè voluit S. Doctor semper aduertens, quòd posita quauis huiusmodi determinatione, inclinatione, &c. semper ipsa manet in sua libertate, & dominio ad operandum, vel non operandũ, & semper est causa contingens, mobilis, & variabilis; & propterea non potest in ipsa cognosci infallibiliter effectus determinatus.* Et parum infra. *Quòd etiam voluntas diuina non dicatur determinari ab aliquo exteriori, explicat S. Doctor in primò cont. gen. cap. 82. §. quamuis, quia est idem, ac suus intellectus, & nulli exteriori subditur, & à nullo tali mouetur. Sed totaliter seipsum mouet modò suo. Immò, nec dici potest propriè, quòd ap-*

plicetur ab intellectu diuino potiùs adhoc, quàm ad illud; quia intellectus diuinus, semper est in suo actu adequato cognitionis omnium cognoscibilium, & sic totaliter voluntas diuina ipsa se determinat immobiliter. Hæc P. Iosep. in sua responsione.

3 Qua quidem respõsione multa implicauit, quæ licèt falsa, & doctrinæ S. Th. repugnantia sint, non possumus, quia nimis longum esset, omnia redarguere, sufficiat breuiter aliqua attingere, quibus euidenter conuinci possit erraſſe; dum dicit ex D. Thoma in assertione axiomatis, Ab eo, quod est ad vtrùmlibet, &c. & ex alijs testimonijs S. Doctoris ab ipso allatis, colligi veritatem suæ sententię. Vbi aduerto quòd ipse Pater Ioseph verbis proximè relatis duo dicit; quorum primum est: testimonia Sancti Doctoris ab ipso allata non fauere aduersarijs, scilicet, illis, qui ex prædictis testimonijs colligunt motionem prædeterminantem. Secundum verò est: ex dictis testimonijs colligi veritatem suæ sententiæ, qua docet, quòd à voluntate prout intelligitur in statu indifferentiæ, & carens principio ipsam determinãte, procedit actio libera electionis. Testimoniaq; D. Thomę, quibus profertur illud axioma, *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur actio; nisi per aliquod aliud determinetur*, esse explicanda, vt ipse explicat. 394

Duo dicit P. Ioseph, vñ conceditur; aliud impugnatur.

4 Aduerto autem hoc, quia quantùm ad primum cõuenio cum ipso, & omnibus id asserentibus, nempè, nec ex illis, nec ex alijs quibuſuis testimonijs S. Doct. colligi posse motionem diuinam, qua vt prima, & vniuersalissima causa mouet omnes causas ad agendum, & sine qua nulla causa potest aliquid agere, habere munus determinãndi, seù etiam infallibiliter applicandi causas contingentes, siuè liberas, siuè non liberas, ad effectus suos determinatos, idque intendimus demonstrare tota disputatione sequenti, non solùm ex testimonijs Aristotelis, & D. Th. sed euidentibus demonstrationibus ab ipsomet S. Doctore adductis. Dissentio verò ab ipso quãtùm ad secũdum, quo asserit, D. Th. in prędictis testimonijs nõ cõfirmare illud axioma. *Ab eo, quod est ad vtrumlibet nõ procedit actio*, &c. in illo sensu quo pronũciatur à Commentatore, sed in illo sensu quẽ ipse illi tribuit in prędictis verbis. 395

5 Vt hoc euidẽter probem, pono verba D. Th. in hoc ipso loco hactenus inculcato, quẽ ipse cit. ex 1. p. q. 19. ar. 3. ad 5. vbi respondens ad illud axioma: Ab eo, q̃ est ad vtrumlibet, &c. sic dicit: *Dicẽdum, quòd causa, quæ est per se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum.* 396

Digitized by Google

397 6 Pero deinde, vt dicat modum, quo ex tali dicto S. Doct. colligit ipse suæ sententiæ veritatem? Porrò S. Doct. eo dicto respondet axiomati assumpto in argumento. Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio; nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum; dicitque oportere determinari ad effectum ab alio causam, quæ est ex se contingens. Ita vt axioma, per dictam responsionem modificatum, sit: A causa ad vtrumlibet, ex se contingenti, nõ sequitur aliqua actio; nisi ab aliquo alio determinetur ad effectum. Nunc dicat; qualiter ex hoc asserto suam colligit sententiam, nempè: A voluntate creata, quę est causa contingens, & ad vtrumlibet, sequitur actio libera, absque eo, quod per aliquid aliud determinetur ad effectũ? Nã saltem quantùm ad externum significatũ, hoc secũdum videtur cõtradictoriũ primi.

398 *Modꝰ, quo suã cõclus. colligit P. Iosep. Augustinus.*

7 Dicet, se hoc suum dictum colligere ex eo, quia S. Doctor, *per illam particulam, determinari, manifestè, nil aliud intelligit; nisi applicari, incitari, seù inclinari in aliquem actum, vt constat ex loco cit quæst. 8 de verit. Cum enim initio vsus esset vocabulo, determinatur; postea mutato vocabulo vtitur illo, inclinat, & per causas inclinãtes intelligit consuetudines, & complexiones hominum*: quibus adhuc positis, voluntas est indeterminata, & libera, ac potens agere, & non agere, & absq; eo, quod habeat aliam causam, quę ipsam determinat, exit in actum, quem ipsa vult. Sic ergo videtur colligi suum dictum ex sententia S. Thomæ.

399 *Validior ẽ pro cõtraria, q̃p sua sententia deductio.*

8 Sed Doctor magni ponderis, ad grauem subleuandam sententiam, leui vitur argumento, quod si esset pro se validũ; pro aduersarijs suis, cum quibus disputat, esset validius ad oppositam sententiã colligendam. Nam si ex eo, quod S. Doctor quæst. 8. de Ver. referendo axioma Commentatoris, vsus est vocabulo *determinetur*; & applicando axioma ad rem, de qua agebat, vsus est vocabulo, *inclinat*, videretur, mutatione vocabuli correxisse rigorosum significatum illius termini *determinetur*, illudq; mutasse in magis benignum significatum vocis, *inclinat*: Pari ratione; quia in loco primæ partis, referendo axioma Commentatoris, vsus est vocabulo, *inclinatur*; respondendo verò ad argumentum, mutato vocabulo, vsus est verbo, *determinetur*, correxisset significatum benignum vocis *inclinetur*, illudque mutasset in rigorosum vocis, *determinetur*: Cũque hoc factum sit in Summa, quæ maioris est auctoritatis, quàm Disputatæ: videretur magis standum huic correctioni, ex quà colligitur sententia opposita, quàm correctioni factæ in Disputatis; ex qua ipse colligit suam.

400 *Idẽ sequitur ex illo eodẽ loco, quẽ pro se affert P. Ioseph.*

9 Amplius: si vellemus stare ijs, dum taxat, quę S. Doct. docet in Disputatis loc. cit. q. 8. de Ver. indè ex vi suę argumẽtationis haberemus validiùs firmatam oppositam sententiam, quàm suam. Siquidem in eodem corp. art. sicut S. Doctor post relatũ axioma Commentatoris cum vsu vocis, *determinetur*, secundo loco vsus est voce *inclinat*; & simul declarauit causas inclinantes esse consuetudines, & complexiones hominum, in quibus non potest certò sciri futurus effectus pendens ex dictis causis existentibus ad vtrumlibet: ita etiam tertio loco vsus est participio verbi, determinor, designans causam, in qua effectus pendentes ex causis ad vtrumlibet sunt determinati, & in qua cognosci possunt certitudinaliter existentes futuri, & simul declarauit, eam esse primam causam. Si ergo propter mutationem vocabuli, & designationem causarum, in quibus non certò cognoscuntur futuri effectus causarum liberarum, potest ipse colligere suam sentẽtiam; validiùs, propter repetitũ tertio loco vocabulum *predeterminandi*, & designationẽ causæ, in qua possunt certò cognosci futuri effectus causarũ existẽtiũ ad vtrũlibet, colligi posset sẽtẽtia aduersariorum.

401 *Verba S. D. quibꝰ demõstratur intentum.*

10 Vt, quod dico, accipias, lege attẽtè sequẽtem textum D. Th. ait enim. *Quidam effectus futuri sunt, quorum causæ indifferenter se habẽt ad vtrumq; hæc aũt vocantur contingentia ad vtrumlibet, vt sunt illa præcipuè, quæ dependent ex lib. arbitr. Sed quia ex causa ad vtrumlibet, cum sit quasi in potentia, non progreditur aliquis effectus; nisi per aliquam aliã causam determinetur magis ad vnum, quàm ad aliud, vt probat Cõmentator in 2. phys. ideo huiusmodi effectus in causis quidem ad vtrumlibet, nullo modo cognosci possũt, per se acceptis. Sed si adiungantur causæ illæ, quæ causas ad vtrumlibet inclinant magis ad vnum, quàm ad aliud potest aliqua certitudo coniecturalis de effectibus predictis haberi, sicut de his, quæ ex lib. arbit. dependent aliqua futura cõiicimus ex consuetudinibus, & complexionibus hominum, quibus inclinantur ad vnum. Oẽs aũt huiusmodi effectus, quales eũq; sint eorũ causæ proximæ, tamẽ in causa prima oẽs sunt determinati.* Hęc S. D. ex quibus in fine ar. cõcludit. *Ideo quidem in verbo plura futura, etiam de contingentibus ad vtrumlibet sciunt.*

402 *Validior esset pro p determinãtibus locus S. Doct.*

11 Lege, in q̃. attentè prędictũ tex. Inde n. nõ solũ habebis 3. loco repetitũ terminũ determinãdi, in illis verbis. *Omnes aũt huiusmodi effectꝰ, quales eũq; sint eorũ causæ proxi*

Digitized by Google

proxima ; tamen in causa prima omnes sunt determinati. Ex quibus (si seruarent modum argumẽtandi dicti P. Ioseph) possent alterius classis Doctores suam colligere motionem prædeterminantem; sed etiam vnde euidenter demonstres S. Doctorem, & confirmasse axioma de quo agimus, simulque reiecisse illud ipsum, quod dictus P. Ioseph putat se colligere.

Refellitur doctrina P. Ioseph Augustini ex illo eodem loco S. Doctoris, ex quo existimat eam colligere.

403 *Axioma Cõment. & fũdamẽtũ discursus D. Tho.*

12 HOc autẽ vt, & oculis videas, & manibus tangas: peto à dicto Patre. An S. Doctor assumpserit pro se; vel contra se axioma, *A causa ad vtrũlibet non progreditur aliquis effectus; nisi per aliquam aliam causam determinetur, magis ad vnum, quàm ad aliud.* Sed quis dicet contra se, quando illud probauit ratione, & auctoritate, posuitq. vt fundamentum veritatis trium cõclusionum, quas ex eo deduxit verbis proximè relatis? Probauit ratione, illis verbis, *Cum sit quasi in potentia*, quam rationem dabimus infra ad principia per se nota euidenter reductam. Probauit auctoritate Commẽtatoris, cum dixit. *Vt probat Cõmentator in 2. physic.* Posuit denique, vt fundamentum veritatis, præponẽdo axiomati particulam causalem, *quia* & subiungendo particulam illatiuam, *ideo*, dicens. *Sed quia ex causa ad vtrumlibet non progreditur aliquis effectus, nisi per aliquam aliam causam determinetur magis ad vnum, quàm ad aliud; ideo huiusmodi effectus in causis quidem ad vtrumlibet nullo modo cognosci possunt, per se acceptis.* In quibus, vt patet, hanc non cognoscibilitatem futurorum effectuum in causis ad vtrumlibet, ex illo principio deduxit. Sicut etiam aliam conclusionẽ, quam addita alia propositione subintulit dicens: *Sed si adiungantur causæ illæ, quæ causas ad vtrumlibet inclinant magis ad vnum, quàm ad aliud, potest aliqua certitudo coniecturalis de effectibus prædictis haberi*, ex eodem principio intulit, vt patet. Tertiam quoque conclusionem, puta, in causa prima, in qua omnes tales effectus futuri sunt determinati, cognosci possunt certitudinaliter, ex eodem axiomate concluſit, vt constat.

Tres cõclusiones intulit S. D. ex dicto axiomate.

404 13 His habitis, quæ quilibet, si cœcus non est, videre potest, inquiro, quid significat illud verbum, *determinetur*, in illa propositione fundamentali S. Doctoris. *Sed quia à causa ad vtrumlibet non progreditur aliquis effectus, nisi per aliquã aliam causam determinetur magis ad vnum, quàm ad aliud.*

Si iste Doctor responderet, significare idem, quod applicetur, incitetur, inclinetur à consuetudinibus, & complexionibus hominum, & alia, quæ ad hæc subiungit in sua responsione: tunc sensus axiomatis esset. A causa ad vtrumlibet non progredietur aliquis effectus, nisi incitetur, applicetur, inclinetur à consuetudinibus, & complexionibus hominum. Sed quis hoc dicet? Iam enim ipsemet P. Ioseph verbis relatis nu. 1 huius §. fatetur sub illis terminis, *à causa ad vtrumlibet*, cõprehendi omnẽ voluntatem creatam, pro vt contradistingnitur à diuina. Num ergo à voluntate angelica non progredietur aliquis effectus; nisi fuerit incitata, applicata, & inclinata à complexionibus, & consuetudinibus hominum? Amplius inter causas ad vtrumlibet de quibus verificatur dictum axioma continetur potentia motiua omnium animalium, vt patet ex verbis S. Doctoris relatis in hac disp. §. 1. num. 2. Num ergo à potentia motiua illorum animaliũ, quæ nullam habuere notiam hominum, non progreditur motus; nisi fuerit incitata, & inclinata à cõsuetudinibus, & complexionibus hominum? Quis hoc dicet? Num etiam potentia actiua Dei, seù omnipotentia, quæ etiam est de illis de quibus verificatur illud axioma, vt patet ex verbis D. Thomæ relatis in hac disp. §. 2. num. 12. non egredietur aliquis effectus; nisi fuerit à complexionibus, & consuetudinibus hominum applicata?

Conuincitur P. Ioseph. ex verbis S. Doct.

405 *Propositio P. Ioseph est falsa & de voluntate humana.*

14 Ampliùs, loquendo de voluntate humana, num à nostra voluntate non egredietur actio, nisi in eam fuerit inclinata, incitata, applicata, &c. à complexione, & consuetudine? & si fortè hic doctor sic sentiret, iam se erraſſe conuinceretur ab illa libera prima actione, in quã peccando prorupit Adam, quæ ex consuetudinis, & complexionis inclinatione non processit.

406 *Verus sensus verbi, determinetur, demõstratur ex S. Doct.*

15 Posito ergo, quòd ille terminus *determinetur*, incluſus in axiomate, seù propositione fundamentali S. Doct. non potest prædictum sensum habere: quid aliud significabit, quàm oppositum huius, quod dico, indeterminatum; ita vt sensus axiomatis sit: quia quod est ad vtrumlibet, est indeterminatum, & non tendit ad agendam vnam determinatam actionem; non potest ab eo sequi actio, nisi fuerit determinatum, & tendens ad agendam vnam determinatam actionem? Idq; iam patet ex alio loco, quem ipsemet P.

Digitized by Google

Ioseph citat ex D. Thoma in 1. dist. 39. q. 1. artic. 1. in corp. cuius verba retulimus in hac disp. §. 1. num. 3. quæ iterum accipe.

Dicendum: nihil agit, nisi secundum quod est in actu. Et inde est, quòd oportet omne agens esse determinatum ad alteram partem (nota benè) *quod enim ad vtrumlibet est aqualiter se habens est quodammodo in potentia respectu vtriusque. Et inde est* (vt docet Commentator in 2. Phys.) *quod ab eo, quod est ad vtrùlibet nihil sequitur, nisi determinetur.* In quibus ly *determinetur* euidenter refertur ad illa verba antecedentia, *oportet omne agẽs esse determinatum ad alteram partem*, vt sit sensus. Ab eo, quod est ad vtrumlibet nihil sequitur, nisi determinetur, scilicet, illo modo, quo oportet esse omne agens, puta, determinatum ad alteram partem, seu (vt alijs locis loquitur S. Doctor) determinatum ad vnum.

Ex verbis S. Th. coruit, nõ colligitur phãtasia P. Ioseph.

Ex hac autem S. Thomæ doctrina euidenter corruit, non colligitur (vt credit Ioseph Augustinus) excogitatio illa, qua cum alijs dictum axioma impugnantibus credit, à voluntate sub indifferentia existente procedere actionem liberam, nullo mouente eandem voluntatem determinante in illam determinatam actionem.

407 Idem significat S. D. per ly inclinetur ad vnũ, & per ly determinatur.

16 Dices: cur ergo D. Thomas post quam protulit dictum axioma cũ illo verbo *determinetur*, subsumens sub eodem axiomate vsurpat terminum *inclinat*, relicto verbo, determinor? Respondeo, qđ hoc est, in quo decipitur Ioseph Augustinus. Putauit sanè S. Doctorem per ly *Si adiungantur causæ illæ, quæ causas ad vtrumlibet inclinant magis ad vnum quàm ad aliud*, voluisse significare aliquid minus, quàm si dixisset; si adiungántur causæ illæ, quæ causas ad vtrumlibet determinant magis ad vnum, quàm ad aliud: cum tamen apud D. Thomam prędicta idem omninò significent. Idem enim importat, aliquam causam inclinari ad vnum determinatè, & eandem causam determinari ad illud.

408 S. D. verba. q̃ demõstrãt inẽtum.

17 Et inde est, quòd S. Doctor referens idem omnino axioma Commentatoris, nunc vsurpat verbum *inclinetur*, vt in 1. p. q. 19. ar. 3. arg. 5. nunc verbũ *determinetur*, vt in multis alijs locis. Immo in vno eodemque loco promiscuè vtitur vno, & altero termino ad idem significãdum: vt patet tùm in loco 1. par. cit. vbi proferendo axioma vtitur verbo *inclinetur*, respondendo verò vsurpat verbum *determinetur*, tùm etiam, & euidentiùs, quæst. 1. de Virtutibus art. 9. in corp. vbi sic loquitur. *Quæ sunt ad vtrumlibet non habent aliquam formam, ex qua inclinetur ad vnum determinatè; sed à proprio mouente determinantur ad aliquod vnũ. Et ex hoc ipso quod determinantur in ipsum, disponuntur in idem; & cum voluntas inclinantur, determinantur ad id à proprio mouente.* In quibus, vt vides, loquens S. Doctor de re, de qua agimus, promi cuè vtitur illis terminis, *inclinantur, & determinantur*, ad significandum idem.

409 Obiectio.

18 Dices. Ergo ex mente S. Doctoris causę determinantes voluntatem ad alteram partem ex oppositis sunt complexio, & consuetudo. Hoc autem, si verum esset, liberum arbitrium interimeret.

Solutio.

Leuis est instantia. Etenim causæ determinantes agentia ad vtrumlibet sunt, quæ eadem agentia mouent; vt patet ex S. Thoma verbis proximè relatis. Causæ autem mouentes, quædam mouent directè, & illo modo, quo mouet agens, quod influentia sua subiectum reducit in actum: quædam verò indirectè, & ex parte obiecti, quæ non ex necessitate mouent potẽtiam. Iterum causæ mouentes, quædam sunt ordinatæ ad inducendum effectum indefectibiliter, & vt semper; quædam verò defectibiliter, & vt frequenter, seu vt in pluribus. Hoc supposito dicendum est consuetudines, & complexiones ità esse causas determinantes voluntatem, sicut sunt eam mouentes. Sunt autem eam mouentes indirectè ex parte obiecti, & ordinatæ ad inducendum effectum determinationis, non indefectibiliter, & vt sẽper; sed defectibiliter, & vt in pluribus. Et inde est, quòd non possunt in eis cognosci effectus futuri causarum ad vtrũlibet certitudinaliter; sed solùm per coniecturam. Tales autem causæ determinantes non repugnant libertati.

Cõplexio, & cõsuetudo eo modo quo mouent, determinant.

410 Alia obie.

19 Dices iterum. Positis prædictis causis determinantibus voluntatem, adhuc ipsa est absolutè indifferens, & ad vtrumlibet. Ergo si à voluntate sic determinata procedit effectus, procedit a principio existente absolutè sub indifferentia, & nullo existente absoluto determinante.

Solutio quæ demõstratur, q̃ obõ supponit falsum.

Hac argumentatione fortè inducitur P. Ioseph Augustinus ad existimandum, colligi ex prædicto loco S. Thomæ suam sententiam. Sed obiectio prædicta in sua consequentia supponit, quod in sententia S. Doctoris est falsissimum, & contradictoriè oppositum illi eidem axiomati, quod S. Doctor, vt fundamentum sui discursus posuit. Supponit enim obiectio, quòd à voluntate determinata solùm secundum eum modum, quo indirectè

mouet.

mouetur ab appetitu sensitiuo, & alijs similibus causis, procedat actio. Hoc autem est falsissimum in sententia S. Thomæ, & veritate. Voluntas enim nostra ab appetitu sentitiuo, & alijs similibus causis non mouetur propriè, & directè, & tamquam à proprio, & per se motore; sed solùm indirectè, impropriè, & vt à proponente extrinsecũ obiectũ, quod non necessariò mouet. Tam quam enim à motore directe, & per se inclinante ipsam volũtatem mouetur solùm à seipsa, & à Deo, à Deo quidem, vt à primo mouente, à seipsa verò, vt à proximo, vt docet D. Thomas p. 2. q. 9. per totam, & repetit quæst. 80. art. 1. & de malo quæst. 3. art. 3. in corp. Cum enim id, quod est ad vtrumlibet, determinetur à proprio motore per hoc, quod ab ipso mouetur (vt docet S. Doctor verbis proximè relatis) fit indè, quòd voluntas nostra directè, & propriè non determinetur, nisi à seipsa, & à Deo. Obiectio autem prædicta supponit, quòd à voluntate indeterminata illa determinatione, quam debet habere à suo proprio motore per se, & directè, procedat actio, & per hoc solùm, quòd sunt determinatæ causæ illæ, quæ voluntatem mouent, & determinant indirectè, secundum quid, & insufficienter ex parte obiecti, & quæ relinquunt potẽtiam ad vtrumlibet absolutè, & simpliciter indeterminatam. Hoc autem est supponere contradictorium axiomatis, quo pronunciatur absolutè, Ab eo, quod est ad vtrumlibet, & est simpliciter indeterminatum, non procedit actio, nisi determinetur ad alteram partem, seù ad vnum.

411 20. Quòd autem hoc supponat prædicta obiectio patet. Nam dum concludit ergo, *si à voluntate sic determinata procedit actio, procedit à principio absolutè indifferenti*, per illud *si à voluntate sic determinata procedit actio*, iam explicitè supponit, quòd à voluntate determinata solùm per complexionem, & consuetudinem, quæ insufficienter, & indirectè mouent voluntatem, procedat actio ab eadem voluntate.

412 21 Excludes tandem ex dictis alia, quæ prefatus Doctor addit in sua responsione, videlicet: quòd causa inclinans voluntatem potest esse maximè intellectus humanus proponens voluntati obiectum: & quia intellectus distinguitur in nobis realiter à voluntate, & mouetur ab obiecto exteriori, &c. ideò impossibile est, voluntatem operari; nisi ab alio exteriori principio, & distincto realiter ab ipsa inclinetur.

413 22 Excludes, inquam, prædicta ex dictis. Nam, quicquid sit de veritate prædictorum, non sunt ad propositum. Inquirimus enim: An illud axioma absolutè prolatum, & prout comprehendit omnes causas creatas, quæ sunt indifferentes, & ad vtrumlibet, secundũ quod à S. Doctore ponitur, vt fundamentum sui discursus in quæst. & de veritate, sit verum, vel falsum? si falsum, iam opponitur S. Thomæ, non valens suam conclusionem sustinere, nisi eo negato. Si dicat verum, habeo intentum. Hoc enim intendo in hac disputatione, tale axioma esse verum in sententia S. Thomę intellectum vniuersaliter de omni causa ad vtrumlibet, etiã libera. Sed tunc tenetur explicare præfatus Doctor, qualiter cum veritate prædicti axiomatis stet veritas suæ sententiæ, qua dicit voluntatem determinare seipsã per ipsum exitum actionis liberæ à principio indifferenti, quod quidem includit contradictorium axiomatis, quo pronunciatur actionem non progredi à principio ad vtrumlibet, nisi per aliud determinans tale principium ad alteram partem. Omnia autem, quæ ipse in sua responsione dicit, nec faciunt adhoc, vt explicetur dictum axioma, nec ad hoc, vt sua sententia cum dicto axiomate concordetur. Vnde esto essent vera, non sunt ad propositum.

Obiit, q̃ addit P. Ioſ. nõ ſunt ad propoſitũ.

414 23 Aduerto etiam in calce huius §. esse expresse contra S. Thomam illud notabile, quo suam responsionem terminauit dictus Ioseph Augustinus: videlicet *Immo, nec dici potest propriè, quòd voluntas diuina applicetur ab intellectu diuino potius ad hoc, quàm ad illud. Et sic totaliter voluntas diuina ipsa se determinat immobiliter.* Sanctus n. Doctor docet oppositum verbis relatis in hac disp. §. 2. num. 9. præsertim illis verbis ex lib. 1. con. gen. cap. 93. *Diuina voluntas in his, quæ sunt alia ab ipso, determinatur ad vnum per cognitionem suam.* De qua re agemus diffusè disp. 3. proximè sequenti.

Dictũ P. Ioſeph cõtra dicit exp̃ſ sẽ D. Th.

§. VII.

Alia quædam specialis responsio Fasoli confutatur.

415 1 VLtimo loco occurrit nobis specialis quædam excogitatio Fasoli interpretantis locum S. Thomæ ex prima parte quæst. 19. art. 3. ad 5, quam ad disputationis integritatem, non ex necessitate, in hoc §. confutandam assumimus; quippe quia ex his, quæ contra Ruizium diximus facillimè reijcitur. Itaque Fasolus licèt Secutus Suarium (vt notauimus in hac disp. §. 4. num. 1.) propositionem

Digitized by Google

nem illam, quæ eſt fundamentum axiomatis, de quo agimus, puta: Ab indeterminato, & indifferēti nulla ſequitur actio, expreſsè negauerit veritatem habere in cauſis habētibus ſuæ actionis dominium, & hoc 1.p.quæſt.14.artic.13.dub.17.nu. 421 &422.attamen auctoritatem D.Th. ex loc.cit.primæ partis ſatis diuerſa ab illa Suarij interpretatione explicat eodem dub. 17. ſed num. 408. vbi poſtquam reſponſionem S. Doctoris ad quintum artic. 3.dictę quæſt. 19. retulit allatam ad confirmandam aduerſariorū ſententiam, qua dicebant; à voluntate noſtra non emanare actionem liberam, ſi prius natura ad emanationem actionis non ſit determinata motione prædeterminante, ſic tali confirmationi reſpondet. *Nec vrget S. Thomas: quamuis enim ibi dicat; cauſa quæ eſt ex ſe contingens oportet, quòd determinetur ab aliquo exterioriad effectū: ſed voluntas diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet determinat ſeipſam ad volitū, ad quod habet habitudinem non neceſſariam; tamen ex ipſo quinto argumento, vbi non eſt vox determinandi; ſed inclinandi, & ex doctrina totius articuli manifeſtum eſt, nil aliud velle, niſi voluntatem creatam inclinari, & moueri ab obiectis ſibi extrinſecis, cum in illa liberè fertur: voluntatem verò increatam inclinari, & moueri à propria natura: quicquid enim extra ſe amat Deus, ideo amat; quia amat ſuam bonitatem, circa quam neceſſariò fertur. Qua doctrina, vt patet, nil facit ad propoſitum.* Hæc Faſol.

Verba Faſoli interpretātis reſpōſionem S. Doct.

416 2 *Qua doctrina, vt patet, nihil facit ad propoſitum.* Veriſſimè. Patet, & nimis patet, ad nullum facere propoſitum; immo, & omninò eſſe extra propoſitum. Nam nec ad propoſitum argumenti quinti, quod proponitur, nec ad propoſitum reſponſionis, nec ad propoſitum articuli, vtpotè nullam habens in dictis in toto articulo fundamentum. Hinc non miror ſectatores motionis prædeterminantis firmatos fuiſſe in tali ſententia. Fuerunt ſanè à ſuis aduerſarijs valdè inducti, vt crederent, ſuum ſenſum eſſe in D. Thoma. Quis enim videns viros doctos à verbis D.Thomæ in eos obiectis ſic artari, vt in extraneas, & quæ nullum penitus in D.Thoma, vel leue inditium habent, prorumpant gloſſas, doctrinaſque, quas in D. Thoma non inueniri, nec eius doctrinæ coherere manu ipſa tangit, non inducetur ad exiſtimandum, D.Thomæ auctoritatem magni ponderis eſſe pro ſua ſententia?

Approbātur verba Faſoli cōtra Faſolū

417 3 Vt autem verè oſtendamus excogitationē hanc Faſoli, non eſſe ad propoſitum infirmandi axioma, quod ipſe negat in cauſis liberis, & nos dicimus euidenter eſſe confirmatum à D. Thoma in hoc loco, vt probauimus agentes contra Ruizium: Peto à Faſolo. Soluit ne S. Th. quintum argumentum, an non? Si non deſipit, dicet ſoluit. Sed qua reſponſione? Vtique dicet ea, quam illis verbis expreſſit. *Cauſa quæ eſt ex ſe contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas diuina quę ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Optimè. Sed peto modò, vt deſignet, ex quo verbo ex prædictis colligit D. Thom. de voluntate creata determinatè, & in ſpeciali dicere ipſam inclinari à rebus exterioribus? Sed nec penitus verbum eſt de hac re in reſponſione. Num dicet id colligi ex argumento? indicet ergo verbum aliquod in argumento, ex quo id colligi poteſt. Argumentū ſanè eſt. *Ab eo, quod eſt ad vtrumlibet, non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator in 2. Phyſic. ſi ergo voluntas Dei in aliquibus ſe habet ad vtrūlibet, ſequitur, quòd ab aliquo alio determinetur ad effectum, & ſic habet aliquā cauſam priorem.* In quibus, vt vides, nullum penitus verbum eſt, ex quo appareat argumentum procedere in ſpeciali, & determinatè ex his, quæ conueniunt voluntati creatæ; ſed ex his, quæ vniuerſaliter conueniunt omni exiſtenti ad vtrumlibet.

Petitiones quibus cōuincitur Faſolus.

418 4 Num dices Commentatorem, ex quo ſumitur illa auctoritas, loqui ſpecialiter, et determinatè de voluntate creata, ita vt ſenſus argumenti ſit; à voluntate creata, quæ eſt ad vtrumlibet, non procedit actio; niſi ab aliquo inclinetur ad vnū ergo ſimiliter à Deo, ſi ſe habet ad vtrūlibet, non procedet actio; niſi ab aliquo alio inclinetur ad vnum? Sed ſi ſic ſentis recurre ad locum Commentatoris ex 2. Phyſic. quem cit. S. Doctor Locus eſt tex. 48. vbi tam Commentator quam S. Tho. eandem adnotationem ponūt, & quidem ex S. Doct. quædam verba retulimus in hac diſp. §. 1. nu. 2. ſed nunc eadem ſimul cū alijs, quibus perfectior habetur ſenſus, repetamus, vt ea componas cum verbis Commentatoris.

419 5 Aduerte igitur, quòd Ariſtoteles prædicto loco agit de caſu, & fortuna, & in prædicto tex. 48. ponit hanc diuiſionē: quædam fiunt ſemper, quædam ſicut frequenter, & neutrum horum eſt à fortuna, & caſu; ſed quædam, quæ ſunt præter hæc, quæ ſcilicet, eueniunt, vt in paucioribus. Circa prędictam diuiſionem dubitant ex-

Adnotatio pro doctrina D. Th. & Cōmētatoris.

poſito

Digitized by Google

positores, quia videtur diuisio diminuta, nam quædam sunt contingentia ad vtrũlibet, seù æqualia. Respondet autem Auicenna, quod contingens æquale, seù ad vtrumlibet potest esse à fortuna, si tamen comparetur non ad principium, quod se habet æqualiter; sed ad id, q̃ determinat prædictum principium ad vnum. Et hac occasione, tam D. Thomas, quam Commentator tradunt vniuersalem doctrinam de omni contingente ad vtrumlibet. Et quidem D. Thomas, sic habet.

410 *Verba D. Th. exponẽtis Arist.*

6 *Videtur autem diuisio Philosophi esse insufficiens: quia etiam quædam contingentia sunt ad vtrumlibet. Auicenna ergo dixit, quod in his, quæ sunt ad vtrũlibet, contingit aliquid esse à fortuna, sicut ea, quæ sunt in minori parte. Nec obstat, quod non dicitur à fortuna, quia Socrates sedet, cum hoc sit ad vtrumlibet: quia licet sit hoc ad vtrumlibet respectu potẽtiæ motiuæ; non tamen est ad vtrumlibet respectu potentiæ appetitiuæ, quæ determinatè tendit in vnum, præter quam si aliquid accideret, esset fortuitum. Sed sicut potentia motiua, quæ est ad vtrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitiuam determinetur ad vnum: ita nihil quod est ad vtrũlibet, exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad vnum. Quia id, quod est ad vtrumlibet, est sicut ens in potentia: potentia autem non est principium agendi; sed solùm actus. Vnde ex eo, quod est ad vtrumlibet nihil sequitur, nisi per aliquid aliud, quod determinat ad vnum, vel sicut semper, vel sicut frequenter. Et propter hoc in eis, quæ fiunt prætermisit ea, quæ sunt ad vtrumlibet.* Hæc D. Thomas.

421 *Expositio Cõmẽt. ex quo suam accepit S. Doct.*

7 Commentator autem, ex quo prædicta sumpsit S. Doctor, postquam proposuit dubium de insufficientia diuisionis, & responsionem Auicennæ, sic doctrinam de omni contingente ad vtrumlibet prosequitur. *Contingens æquale impossibile est, vt inueniatur ex eo altera duarum actionũ, nisi ex altera causa coniuncta cum eo: quoniam neutra actio est dignior, vt sit, reliqua. Et cum ista sit actio, non inuenitur ex eo, quod est contingens æqualiter; nisi ex aliqua causa extrinseca, &c. A contingere autẽ æqualiter nulla actio prouenit, secundum quod est contingens æqualiter; quoniam natura eius est natura materiæ, non natura formæ.* Hæc Commentator.

422 *Fasol. non põt suã respõsionem cõcordare cũ Cõmẽt.*

8 Dicat modò Fasolus, vnde ex verbis relatis colligit Commentatorem loqui determinatè, & in specie de creata voluntate, dum dicit: *Contingens æquale impossibile est, vt inueniatur ex eo altera duarũ actionum, nisi ex altera causa coniuncta cum eo?* Num dicet ex rationibus, quibus dictum suum probat, dicens: *Quoniam neutra actio est dignior, vt sit, reliqua*; Et quod, *à contingenti æqualiter: quoniã natura eius est natura materiæ?* Sed ipsemet Fasolus vult tales propositiones esse euidenter falsas de voluntate creata. *Docet oppositũ Cõmẽtatoris.*

9 Etenim ipse rationes easdem, modò relatas ex Commentatore, obijcit sibi, vt à Thomistis allatas eodem prorsus dub. 17. ad artic. 13. quæst. 14. 1. p. num. 421. vbi refert Aluarez arguentem ex hoc principio. A causa indifferenti, inquantùm indifferẽs, nõ exit determinatus actus: q̃ quidem omninò idem significat, quod dictum illud Commentatoris. *A contingẽte æqualiter nulla actio prouenit, inquantùm est contingens æqualiter.* Respondet autem his verbis. *Distinguenda est maior, in qua fundatur totum argumentum. Est enim vera de causa indifferente, non libera; sed necessaria, &c. falsa est autem de causa indifferenti libera. Et discriminis ratio à priori est; quia causa necessaria est indifferens, ex defectu alicuius necessariò requisiti ad causandum effectum determinatum. Causa autem libera est indifferens, non ex defectu; sed ex abundantia, & plenitudine potestatis cõpleta ad causandum plura opposita, & ex dominio causandi quodlibet.* Quæ quidem sumpsit ex Suario à nobis relato in hac disp. § 4. nu. 1, vt ibi notauimus. Addit autem num. 422. aliquid maius, & subdit. *Et quoniam, vt fatentur, tota contraria opinio de prædeterminatione liberi arbitrij, fundatur in prædicta maiori, probo illam esse euidenter falsam, intellectam de causa libera, de qua est præsens disputatio.* Et prosequitur aliquas rationes, quas nos in hac disp. vltimo loco proponemus, demonstrabimusque quid valeant. 423 *Verba Fas soluentis rõnes Cõmẽtatoris.* *Fasol. intẽdit probare, axioma Cõmentat. esse falsũ.*

10 Similiter num. 408. eiusdem dubij obijcit contra se ex illa ratione, *Neutra actio est dignior vt sit reliqua*: quia scilicet, non est maior ratio, cur hæc actio potiùs, quàm opposita, procedat à principio indifferenti. Respondet verò responsione Suarij, quam retulimus loco prox. cit. sed num. 2. videlicet. *Rationem prædictam habere locum in causis, quarum actiones non sunt intrinsecè voluntariæ, neq. sub dominio illarum.* Et inde, inquit Fasolus, *non esse in potentia libera, qualitercumq. disposita, modò remaneat libera ad liberè operandum, requirendam aliquam maiorem rationem operandi, præter ipsam libertatem.* 424 *Respõd. Fasol. responsione Suar.*

11 Si ergo Commentator in prædictis propositionibus non solùm non loquitur specificè, & determinatè de voluntate creata, 425 *Obiectio S. Thomæ.*

Digitized by Google

creata; sed nec in eis voluntas creata comprehenditur; dicat qualiter sua responsio
Obic. S.T. potest esse ad propositum soluendi argumenti? Argumentum est. *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator in 2. physic. Si ergo voluntas Dei in aliquibus se habet ad vtrumlibet, sequitur, quòd ab aliquo alio inclinetur ad effectum, & sic habet aliquam causam priorem.* Responsio D. Th.
ñ. ex mẽte Fasoli. secundum interpretationem Fasoli esset: *Voluntas creata inclinatur, & mouetur ab obiectis sibi extrinsecis, cum in illa liberè fertur: voluntas verò increata inclinatur, & mouetur à propria natura; quia quicquid amat, ideo amat, quia amat suã bonitatem.* Sed quid ad propositum soluendi argumenti talis potest afferre respõsio? Siue enim dicamus, voluntatem creatam moueri ab alio extra se, vt dũ aliquid extra se amat, siuè etiam dicamus moueri à seipsa, vt ab obiecto, vt cũ seipsam amat propter seipsam, sicut quando peccat, quid dicemus ad propositum solutionis argumenti procedentis ex vi dicti axiomatis ex Commentatore desumpti?

426 *Arg. q̃ est in forma, soluitur negãdo aliq̃ ex præmissis in sẽsu, quo infert cõclusionẽ*

12 Porrò argumentum, tanquam ex maiori, procedit ex dicto axiomate, tanquam ex minori verò, ex illa propositione: *voluntas Dei in aliquibus se habet ad vtrumlibet.* Ex quibus sequitur illa conclusio. *Ergo à voluntate diuina non procedit aliquid, nisi ab aliquo alio inclinetur ad effectũ, & sic habet aliam causam priorem.* Ad hoc autem, vt aliqua responsio sit ad propositum argumenti, cui respondetur, oportet, (si tamen est in forma) quòd aliqua præmissarum negetur in eo sensu, ex quo infertur conclusio. Nam, argumento existente in forma, ineuitabilis est conclusio, si præmissæ ambæ concedantur. Ad hoc ergo, vt dicta responsio esset ad propositum recitati argumenti, q̃ est in optimâ forma, deberet per eam negari, vel axioma Commentatoris in eo sẽsu, quo ex ipso infertur prædicta conclusio, vel propositio minor, scilicet, *voluntas Dei in aliquibus se habet ad vtrumlibet.*

427 *Nõ, nisi distinguẽdo maiorẽ põt Fasol. soluere argu.*

13 Nunc ergo dicat Fasolus. Quid sua illa responsio affert ad propositum soluẽdi argumenti? Non dicet, negat minorem, vel illam distinguit, quia penitus, nil ad hoc affert. quare remanet, quod si est ad propositum, debet aliquid pronunciare circa axioma Commentatoris, dicat ergo, concedit illud, negat, an distinguit, concedens illud secundum vnam partem distinctionis, negans verò secundam alterã, ex qua infertur conclusio? Non vtique dicet; concedo illud absolutè; quia sic oporteret negari in aliquo sẽsu minorem, quod cum non fiat, remaneret ineuitabile consequens. Nec etiam dicet, nego absolutè tale axioma: loquimur enim de responsione D. Thomæ, qui (vt patet verbis relatis in hoc §. num. 6.) eandem doctrinam habet, quam Commentator. Dicet ergo (nec aliud remanet, quod dici possit) suam responsionem afferre distinctionem, per quã apparet, tam axiomatis aliqualis veritas, secundum quam pronunciatur à Commẽtatore, & approbatur à D. Thoma, quàm eiusdem aliqualis falsitas, ex qua infertur falsum consequens.

428 *Fasol. cogitur cõcedere axioma de creata voluntate*

14 Applicet igitur Fasolus suam distinctionem axiomati, nobisque ostendat suam responsionem esse ad propositum. Porrò ipse duo credit dici à S. Thoma. Primum est. *Voluntas creata, cum aliquid extra se liberè amat, inclinatur ab extrinsecis obiectis.* Secundum est. *Voluntas diuina, cum aliquid extra se amat, inclinatur à sua bonitate.* Dicet ergo, suam distinctionem valere ad propositum, quia dicit axioma Commentatoris valere de voluntate creata, quæ, dum liberè aliquid extra se amat, inclinatur ab extrinsecis obiectis; non autem de Deo, qui, dum amat aliquid extra se, inclinatur à sua bonitate. Nec profectò aliud est, quod potest dici.

429 *Conuincitur Fasol. nihil se dixisse ad propositum.*

15 Verùm, si hoc diceret (quod necessariò concluſum credimus) quid posset respondere Fasolus ei, qui sic contra eum discurreret? Vel Fasolus per alteram suæ distinctionis partem cõcedit de creata voluntate ipsummet axioma Commẽtatoris, vel aliam quamlibet veritatem. Si primum, iam ipse contra seipsum concederet, quod nos intendimus, nempè, D. Thomam sua responsione affirmare, esse verum, etiam de creata voluntate, illud Commentatoris dictum, *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non procedit aliqua actio, nisi ab aliquo alio determinetur ad vnũ, eo quia à cõtingenti æqualiter nulla procedit actio, inquantùm est contingens æqualiter: quoniã neutra actio est dignior, vt sit, reliqua; & quoniam natura eius est natura materia.* Vt dicunt ipse Commẽtator, & D. Thomas. Si verò dicat secundum, nempè, se asserere aliquam aliam veritatem, tunc tametsi diceret Solem esse lucidum, quod solus cœcus non videt, vel Deum esse vnum, & trinum, quod solus hæreticus negat, nil diceret ad propositũ. Iam enim probauimus, distinctionẽ propter hoc solũ esse potuisse ad propositum, quòd axioma per vnam distinctionis partem pronũciaret esse verum, falsum autem

secun-

Digitized by Google

secundum alteram distinctionis partem, ex qua infertur falsum consequens.

PVNCTVM TERTIVM
in quo
Axioma Commentatoris resoluitur in vniuersaliora, & notiora principia.

PRoponendi sunt in hoc puncto S. Tho. discursus quibus ex Comment. resoluit dictum axioma in vniuersaliora principia. Et circa hoc tria faciemus. Primò reassumemus loca S. Doct. quibus prædictũ axioma probat. Secundò adnotabimus aliqua pro intelligenda doctrina eiusdem S. Doc. Tertiò proponemus rationes. primũ horũ §. 8. seq. secũdũ §. 9. tertiũ §. x. præstabimus.

§ VIII.

Recensentur S. Doctoris loca in quibus probat axioma.

430 1. Locus S. D. quo probat axioma Comm.

1 PRobat itaq; S. Doct. dictum axioma 2. phys. lec. 8. verbis relatis §. 1. huius disp. n. 2. & §. præcedẽti n. 6. dicẽs. *Nihil, quod est ad vtrũlibet, exit in actũ, nisi p̃ aliquid determinetur ad vnũ: quia id, p̃ est ad vtrũlibet, est sicut ens in põa: põa aũt non est principium agendi, sed sõlũ actus.* Hanc ipsã rõnẽ affert q. 8. de ver. ar. 12. in corp. verbis illis relatis eodẽ §. n. 5. *Quia ex causa ad vtrumlibet nũ sit quasi in põa, non proceditur aliquis effectus, nisi per aliquã aliã causam determinetur.*

431 2. Locus ad idem ex 2. dist. 25.

2 Simili modo illud probat in 2. dist. 25. q. 1. in corp. relatus n. 3. eiusdẽ §. 1. dum inquit, *Dicendũ, nihil agit, nisi sm̃ quòd est in actu; & indè est, q̃ oportet oẽ agens esse determinatũ ad alteram partẽ. Quod. n ad vtrũlibet est æqualiter se hẽns, est quodãmodo põa respectu vtriusq. Et indè est (vt dicit Cõment. in 2. phys. q ab eo, q̃ est ad vtrũlibet, nihil sequitur, nisi determinetur.*

433 3. Locus ex 6. Meth. Prob. dictũ Cõm. ijsdẽ rõnibus, q̃bus Cõm.

3 Eodem modo, sed verbis aliquãto differentibus ipsũ p̃bat lib. 6. meth. lec. 4. verbis relatis eodẽ §. n. 4. dicẽs. *Cõtingens ad vtrũlibet nõ põt esse causa inquantũ huiusmodi. Secundũ. n q̃ est ad vtrũlibet, hẽt dispositionẽ mãe, q̃ est in põa ad duo oppositа. Nihil. n. agit sm̃ quòd est in põa. Vnde oportet, q̃ causa, quæ est ad vtrũlibet, vt voluntas, ad hoc, q̃ agat inclinetur magis in vnã partẽ p̃ hoc q̃ mouetur ab appetibili, & sic sit causa, vt in pluribus.* Cõsidera aũt primo circa p̃dictã auctoritatẽ, illã propositionẽ. *Cõtingẽs ad vtrũlibet nõ põt esse causa inquantũ huiusmodi,* considera secũdò eiusdẽ p̃positionis probationem, puta, *secundũ. n. quòd est ad vtrumlibet, habet dispositionem materiæ.* Cõponẽ deindè eas cum verbis Comment. relatis §. præcedenti nu. 7. illis. s. *A contingente æqualiter nulla actio prouenit, secundùm quòd est contingens æqualiter: quoniã natura eius est natura materiæ:* Et inde clarè percipies D. Th. accipisse verbotenus dictum Comment. Intelliges ẽt quid intellexerit idem Comment. illis verbis: *quoniã natura eius est natura materiæ,* intellexit .n. illud ipsum, quod significauit S. Doct. dicens: *Secundùm. n. quod est ad vtrumlibet hẽt dispositionem materiæ.* Quia. s. (vt infra demonstrabimus) id, quod est ad vtrumlibet, habet similem dispositionem ei, quam habet materia. Et indè videbis prædictas propositiones Cõment. verificari de creata voluntate secundum sententiã S. Doct. ac per hoc expresse cõtradicere D. Th. eos, qui prædictas propositiones docent, cum Fasolo, & Suario supra relatis, esse falsas euidenter de voluntate liberè agente.

433 4 Locus S. D. ex lib. 3 con. gen.

4 Probat etiã S. Doct. idem axioma alia ratione lib. 3. con. gen. c. 2. verbis relatis eodem §. 1. n. 6. dicens: *Quod indifferẽter se hẽt ad multa, nõ magis vnũ operatur, quã aliud. Vndè à contingẽte ad vtrũlibet non sequitur aliquis effectus; nisi per aliquod, quo determinatur ad vnum.* Quæ quidem ratio est illa eadẽ, quam ad idem probandum axioma attulit Comment. verbis illis relatis num. 7. præcedentis §. s. *Impossibile est, vt ex cõtingenti æquali inueniatur altera duarum actionum; nisi ex altera causa coniuncta cum ea; quoniam neutra actio est dignior, vt fiat, reliqua.* Idẽ .n. significat D. Th. per ly, *nõ magis vnum operatur, quàm aliud,* quod Comment. per ly, *neutra actio est dignior, vt fiat reliqua.* Et indè percipies D. Tho. prædictum axioma: Ab eo, quod est ad vtrumlibet, &c probasse eijsdem omnino rationibus, quibus illud probat Cõment. loc. supra relato. Ex quo sequitur vtramq; rationem habere locum in creata voluntate, secundùm sententiam S. Th. vt infra probabimus.

§ IX.

Adnotatur sensus axiomatis. Est vnus secundũ analogiã. Quod est ad vtrumlibet, per hoc, quòd dum agit, determinatur ad vnum ab alia causa, non amittit dispositionem intrinsecam, quæ est ad vtrumlibet.

434 1. Cõsider.

1 VErùm antequam discursum S. Doctoris proponamus, quo axioma, de quo est præsens disputatio, resoluit in principium per se notum, *vnumquodq. agit inquantùm est in actu:* considerare debemus primò, propositionem Commentatoris, sed etiam S. Thomæ locis

relatis probata esse: *Contingens ad vtrumlibet non potest esse causa alicuius inquantùm huiusmodi*: quæ passim explicatur illa propositione, *à cõtingenti ad vtrũlibet nulla actio prouenit inquantũ huiusmodi.*

435 3. Cõsider. Contingẽs ad vtrũlib. est analog.

2 Considerandum est secundò: quod contingens ad vtrumlibet non est purè æquiuocum, vel vniuocum; sed analogum proportionis, sicut hoc nomen, accidens, quod, scilicet, significat rationes quodammodo plures habentes vnitatem proportionis. Ex quo est, quòd prædictæ propositiones simili modo, proportionaliter, s. verificantur de diuersis ad vtrumlibet in particulari sumptis. Ita quidem, vt dicamus, quòd sicut potentia motiua animalium (quæ etiã in brutis est ad vtrumlibet ad mouendum, s. sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsũ, & ad ambulandũ, ad quiescendum, &c.) nullũ faceret ex dictis motibus, nisi ex alia causa, puta, actu appetitus, quo animal determinatè appetit, vel motũ, vel quietẽ, & motũ, vel hùc, vel illuc, determinetur ad vnum, vt sic ille motus procedat à põa motiua, quẽ determinatè appetit, & in quẽ mouet actus appetitus. Ita hoc aliud ad vtrũlibet, videl. ars medicinalis, quæ põt causare sanitatẽ, & ægritudinẽ, non causat vnã ex istis, nisi ex alia causa, s. ex actu liberę electionis, quo medicus determinatè eligit inducere, vel sanitatẽ, vel ægritudinẽ, per quẽ actum ars medicinalis inclinatur, applicatur, &c. ad inducendum illum determinatũ effectũ, in quẽ determinatè tendit actus electionis. Et ita ẽt hoc aliud ad vtrũlibet, puta, appetitus sensitiuus animalium, etiam brutorum, videlicet, concupiscibilis, & irascibilis, quę se habent ad oppositа, puta, ad odiũ, & ad amorem, ad prosecutionem, & fugam, ad spem & desperationem, &c. nullum motum habebunt, nisi ex alio. s. actu iudicij sensitiui, quo sensus determinatè apprædendit aliquid esse, vel conueniens, vel nociuum, arduum superabile, vel insuperabile, &c. determinetur ad faciẽdum illud ipsum, quod per apprædensionem sensitiuam dictatur agendum. Et ita ẽt hoc aliud ad vtrũlibet, videl. voluntas (exemplifico secundum sententiam D. Th. infra explicandam) quæ est libera, & potens eligere, & non eligere, &c. nullã actionẽ liberè facier, nisi ex alia causa. s. actu iudicij deliberãtis, quo rõ prædica determinatè iudicat hoc, vel illud esse, vel nõ esse eligendũ, determinetur ad agendũ illum determinatũ actum, quẽ iudiciũ agẽdũ esse deliberat deliberatione veniẽte, & existente sub dominio volũtatis, nullo admisso processu in infinitũ: vt duabus sequẽtibus disputationibus demonstrabimus.

436 3 Considerandum est tertiò, quòd sicut cum dicimus: à potentia motiua bruti, quæ est ad vtrumlibet, non procedere aliquem motum, nisi per actum appetitus sẽsitiui appetentis determinatè vnũ determinetur, seù ẽt applicetur determinatè ad vnum; non intelligimus virtutem motiuam amittere suam intrinsecam dispositionẽ, secundum quã est ad vtrumlibet, & mutari in eam virtutem, quæ est determinata ad vnum, ita vt, quę erat virtus ad vtrumlibet, ex tali mutetur in aliam, & fiat, & euadat virtus determinata ad vnum, & similis virtuti lapidis, seù grauitati, qua lapis est determinatus ad vnũ, puta, motum deorsum. Sed intelligimus, quòd virtus motiua animalis (quę, quantùm est ex seipsa, nullũ infert determinatum motũ, sicut eum infert grauitas, & leuitas) inducit determinatum motum solùm per hoc, qđ per actum appetitus sensitiui, qui determinatè appetit illũ, vel illum motum, & cui virtus motiua est subordinata, vt mobile suo motori, applicatur, seù inclinatur determinatè ad inducendum hunc motũ determinatè; & sic virtus motiua, quæ, quantũ est ex se, est indeterminata, dicitur determinari, non per hoc, quod aliquã dispositionem intrinsecã, accipiat ab actu appetitus per quã sua naturalis dispositio varietur; sed per hoc solũ, quòd à suo motore, cui ipsa est subordinata in mouendo, applicatur determinatè ad inducendũ hũc motũ. Idq; clarè demõstrant verba illa Cõment. *Cõtingẽs æquale impossibile est, vt inueniatur ex eo altera duarum actionum, nisi ex altera causa coniuncta cum eo.*

437 *Explicatur hoc dictũ: voluntas nõ vult aliqd liberè, nisi per aliqd, q̃ determinat ad vnum.*

4 Ita ẽt duos dicimus, q̃ appetitus intellectualis, videl. voluntas, quæ est libera, indeterminata, & ad vtrũlibet, nõ elicit liberè aliquẽ actũ, nisi per actũ iudicij deliberãtis, seù existimãtis, talẽ actum esse agẽdum, quo determinatur, seù inclinatur ad talẽ actũ determinatè; nõ intelligimus, q̃ virtus libera voluntatis trãsmutetur p̃ actũ iudicij deliberãtis in eã virtutẽ, q̃ est determinata ad vnũ, qualis ẽ instinctus nãæ: sed intelligimus, q̃ appetitus rõnalis, q̃, quãtũ est ex se, non petit hẽre hũc, vel illũ determinatũ actũ circa ea, q̃ sunt ad finẽ, p̃ hoc hẽt, q̃ determinatè operatur hunc, & nõ illũ actũ, q̃ virtus apprædẽsiua boni, cui volũtas subordinatur, vt mobile suo motori, apprędẽdit determinatè hoc, vel illud esse agẽdũ apprędẽsione deliberãte. Et sic appetitus rõnalis, seù voluntas dicitur determinari per aliud. s. per actum rõnis deliberãtis, quæ determinatè apprædendit hoc, & nõ illud esse agendum; inquantùm ipsa voluntas, quę ex se est indeterminata, & indifferẽs ad hunc, & ad oppositũ actum, inclinatur, & mouetur in vnũ actũ determinatè

natè ab illa apprehensione, qua deliberatè apprẽhenditur determinatè, talem actũ esse agendum. Et ita voluntas, quæ est ad vtrumlibet, habet ex causa sibi coniuncta, quæ determinatè inclinat in vnum, quòd prodeat in actum.

438 *Verba S. D explicãtia, q̃ intẽdimus.*

5 Faciunt ad intelligẽdum hoc, quod intendimus, verba D.Thomæ, q.1.de Virtutib.art.9.in corp.propè finem, vbi (licèt ad aliud intentum) sic habet. *Ea, quæ sunt ad vtrumlibet, non habent aliquam formam, ex qua inclinentur ad vnum determinatè: sed à proprio mouente determinãtur ad aliquid vnum. Et ex hoc ipso, quòd determinãtur ad ipsum, quodammodo disponuntur in idem, & cum multoties inclinantur, determinantur ad idem à proprio mouente: & firmatur in eis inclinatio determinata in illud; ita quòd ista dispositio superinducta est quasi quædam forma per modum naturæ tendentis in vnum. Et propter hoc dicitur, quòd consuetudo est altera natura.* Nunc ergo nota sequentia, nam subdit. *Quia igitur vis appetitiua se habet ad vtrumlibet, non tendit in vnum, nisi secundùm quòd à ratione determinatur ad illud. Cum igitur ratio multoties inclinet virtutem appetitiuam in aliquid vnum, fit quædam dispositio firmata in vi appetitiua, per quam inclinatur in vnum, quod consuevit. Et ista dispositio sic firmata est habitus virtutis.* Hæc S.Doctor valdè notanda.

439 *Verba S. Doc. præcipuè cõsiderãda.*

6 Præcipuè verò ad nostrum propositum notari debent illa verba. *Ea, quæ sunt ad vtrumlibet, non habent aliquam formam, ex qua inclinentur ad vnum determinatè; sed à proprio mouente determinantur ad aliquid vnum.* Et illa alia. *Quia igitur vis appetitiua se habet ad vtrumlibet, non tendit in vnum; nisi secundùm quod à ratione determinatur ad illud.* In quibus supponit S. Doctor, quòd propriũ motiuum voluntatis sit ratio per apprehensionem boni. Atque docet, quòd, quia quod est ad vtrumlibet, non habet aliquã formam, ex qua inclinentur ad vnum determinatè; sed à proprio mouente determinantur ad aliquid vnum, ideſt, inclinantur in aliquid vnum determinatè; indè sequatur, quòd voluntas, quæ est ad vtrumlibet, non tendat determinatè in vnum, nisi secundùm quòd à ratione, (videlicèt, vt à proprio mouente) determinetur in illud, seù inclinetur in illud determinatè. Inclinat autem ratio appetitum ad vnum determinatè, ita vt non ad oppositum, per hoc, quòd apprehẽdit hoc determinatè, & non oppositum, esse bonum, & conueniẽs appetenti. Itaque habemus in D.Thoma tres propositiones valdè notandas.

7 Prima. *Ea, quæ sunt ad vtrumlibet non habent aliquam formam, ex qua inclinentur ad vnum determinatè.* 440 *1.Propositio S. Doc.*

8 Secunda. *Ea, quæ sunt ad vtrumlibet inclinantur ad vnum determinatè à proprio mouente.* Euidenter enim D.Th. idem intelligit per ly, *determinantur ad aliquid vnum*, quod per ly *inclinantur ad vnum determinatè.* 441 *2.propositio*

9 Tertia: *Appetitus rationalis*, seù voluntas. *non tendit in vnum, nisi secundùm quòd à ratione determinatur in illud* seù *inclinatur in illud determinatè.* 442 *3 propositio.*

10 Valdè, inquam, notandæ sunt prædictæ propositiones. Siquidem ex secunda, & tertia habemus hoc, quod intendimus explicare: nempè, quòd voluntas nõ determinatur ad vnum per hoc, quòd intrinseca dispositio principij existentis ad vtrumlibet mutetur in eam, quæ est determinata ad vnum; sed per hoc, quòd ratio apprehensiua boni, quæ est causa, quæ cõiungitur voluntati, vt mouens suo nobili, per actum apprehensionis, quo apprehẽdit aliquid determinatè esse agendum, est determinata; ac per hoc inclinat voluntatem in illud determinatè, quod apprehendit esse agendum. 443 *Quid habetur ex dictis propositionib.*

11 Habemus etiam ex prima propositione, vndè confutemus astruentes prædeterminationem per qualitatem disponentem, & afficientem intrinsecè voluntatem. Siquidem, si quæ sunt ad vtrumlibet, non habent formam, ex qua determinẽtur, seù inclinentur ad vnum determinatè; sed à proprio mouente determinantur ad vnum; i. inclinãtur ad vnũ determinatè; tunc formam determinantem ad vnum non debemus inquirere in principio ad vtrũlibet; sed in mouente tale principium. 444 *Habes 2. vnde cõfutes ponãtes prædeterminationem.*

12 Habes tertiò, vndè confutes tãquàm D.Thomæ contrarios eos omnes, qui cum Suario, Ruizio, Arriaga, & alijs disp.3. sequenti referendis, docent: voluntatem nostram quandoq; operari oppositum eius, in quod inclinat ratio per apprehensionem agendorum. Volunt.n. quòd voluntas nostra, vel solùm regitur iudicio proponente obiectum sub indifferentia; & sic non datur iudicium practicũ, seù dictamen singularis operabilis dictãs, scilicet, determinatè hoc, hic, & nunc esse agendum, vel non agendum. Vel si datur, voluntas quandoq; facit oppositum eius, quod per dictamen diffinitur agendum esse: vt docet nouissimè Requesenius. Habes, inquam, vndè hos omnes tanquàm D.Thomæ aduersarios confutes. Etenim si vera est illa propositio, puta, *voluntas non tendit in vnum; nisi secundùm quod à ratione determinatur*, seù *inclinatur determi-* 445 *3. Hẽs ex quo confutes Suariũ, Ruiz. Arriagam, &c.*

Digitized by Google

terminatè in illud, quomodo voluntas tẽdet in aliquid determinatè, in quod determinatè ratio non inclinat; vel inclinat determinatè in oppositum? Sed de hac re agemus diffusè disp. 3. sequenti.

446 *habes 4. qd oporteat asserere de creata voluntate posito axiomate.*

13 Habes quartò, quid de creata voluntate ex vi axiomatis, de quo agimus, inferatur. Id enim est; à voluntate non procedere actionem aliquam, nisi per actũ proprij iudicij, determinatè apprehendẽtis aliquid esse agendum, determinetur ad vnum: ita vt proxima causa, vnde habet voluntas, quòd tendat in determinatam actionem, sit proprium iudicium conclusũ per collationem consilij, seù per rationem deliberantem. Idque significauit S. Doct. illis verbis. *Quia vis appetitiua*, idest voluntas, *se habet ad vtrumlibet non tendit in vnum; nisi secundum quod à ratione determinatur ad illud.*

447 *Loca S. D. pro præcedenti notabili.*

14 Et ad hoc propositum recole obiter verba S. Doct. relata §. 2. nu. 4 ex quæst. 3. de malo art. 3. ad 5. puta, *Dicendum, quòd voluntas, cum sit ad vtrumlibet, per aliquid determinatur ad vnum, scilicet, per consilium rationis.* Recole etiam verba ex lec. 3. super caput 9 Epist. ad Romanos, quæ retulimus eodem §. 2. nu. 2. videlicet. *Probat autem hoc speciali ratione Aristoteles de operibus voluntatis humanæ. Cum enim homo habeat potentiam ad opposita, puta, ad sedendum, vel non sedendum, oportet, quòd reducatur in actũ per aliquid aliud. Reducitur autem in actum alterius horum per consilium, ex quo vnum oppositorum præeligit alteri.* Amplius recole verba S. Doctoris ex lib. 6. Metap. lec. 3. puta. *Contingens ad vtrumlibet non potest esse causa inquantùm huiusmodi*, &c. *vnde oportet, quod causa, quæ est ad vtrumlibet, vt voluntas, ad hoc, quod agat inclinetur magis in vnam partem per hoc, quod mouetur ab appetibili*, &c. Et hic nota, qnòd voluntas, vt libera, mouetur ab appetibili, non quomodocumque; sed apprehenso per rationem deliberantem, ita vt voluntas non moueatur in actum liberum; nisi mota per apprehensionem rationis deliberantis, seù completa, & finita deliberatione, vt docet S. Doctor in 2. dist 24. quæst. 3. ar. 1. in corp. sed de hac re diffusè agemus disput. 3. vbi proponemus duplicem S. Doctor. ronem, qua conclusionem demonstrat demõstratione (vt existimamus) propriè tali, vtpotè, procedente, tam ex primo principio vnde prouenit actio, videlicet, ex ipsa ratione formæ, ex qua est, quòd, *Vnumquod que agit inquantùm est in actu per formam, ita vt secundum modum formæ sit modus actionis*; quàm ex prima radice actionis voluntariæ, quæ est cognitio, ex qua prouenit, quòd *secundùm modum cognitionis sit modus actionis voluntariæ.*

15 Adhuc recole verba S. Doctoris relata eodem §. 2. nu. 9. ex lib. 1. con. gen. cap. 82. & 93. præsertim illa: *Diuina voluntas in his, quæ sunt alia ab ipso, determinatur ad vnum per cognitionem suam, &c.* 448

Proponitur duplex sensus axiomatis: alter, qui comprehendit voluntatem, scientiam, & potentiam diuinam: Alter, qui non nisi causas ex se contingentes.

16 449 *Amplus sens⁹ axiomatis cõprehẽdens rõnes diuinas se hẽntes ad vtrũ libet.*

Considerandum quartò; quòd S. Doctor vsurpat quandoque prædictum axioma in sensu analogo, ita amplo, vt comprehendat rationes ad vtrumlibet, quæ sunt in Deo, quales sunt voluntas, scientia, & potentia, per quas producit res ad extra. Vnde ex vi prædicti axiomatis probat, à diuina scientia, & potentia nullum procedere effectum; nisi per actum diuinæ voluntatis, quo determinatè appetit agere vnum ex his, quæ potest, & scit; similiter diuinam voluntatem nihil velle producere, seù nullum actũ habere circa ea, quæ potest, & velle, & nolle; nisi per actum suæ cognitionis, seu iudicij, quo determinatè iudicat hoc, vel illud esse agendum, & volendum ex illis, quæ potest velle, & nolle. Immo ex hoc probat esse in Deo prudentiam perfectissimã; quia in Deo est actus iudicij, quo determinatur diuina voluntas ad volendum hoc potiùs, quam oppositum, vt patet ex locis S. Doctoris, quæ retulimus in hac disp. §. 2. num. 9. 10. & 12. Quandoq. verò vsurpat dictum axioma in sensu minus amplo, secundum quem non comprehendit rationes ad vtrumlibet diuinas; sed solùm causas ex se contingentes. Vt patet ex loco primæ partis, quem retulimus eodem §. 2. num. 6. & sæpius expendimus, & inculcauimus à §. 4. vsque ad 8. agentes contra Suarium, Ruizium, Fasolum, & alios. *Sẽsus magis strictus axiomatis non cõprehẽdens diuinas rõnes.*

17 450 *Rõ diuersitatis assignatur.*

Ratio huius diuersitatis est; quia quando dicimus, *Ab eo, quod est ad vtrũlibet, non procedit aliquis effectus, vel aliqua actio, nisi per aliquid aliud, quod determinat ad vnum*; per illas dictiones *aliquid aliud, quod determinat*, potest intelligi aliquid aliud realiter distinctum, & per illas dictiones *non procedit actio*, potest intelligi actio, quæ realiter procedit distincta à principio, vnde procedit. Et quidem quando sic accipiuntur termini dicti axiomatis, non potest comprehendere rationes diuinas, quarum actiones, vt vel-

le,

Digitized by Google

le, & scire, non procedunt realiter distinctæ a suis principijs, nec determinantur per aliquod distinctum realiter, si posse, & scire in Deo determinantur per velle ad producẽdũ effectũ. Est tamẽ sub prædicto sensu necessarium, vt comprehendit omne ad vtrumlibet ex se contingens, quale est omne ad vtrumlibet creatum. Possunt etiã illæ dictiones præscindere à significato realis distinctionis, ita vt sit sensus: Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nullus intelligitur processus actionis, etiam si sit sola ratione distincta; nisi per aliquid aliud saltem ratione distinctum, quod determinat ad vnum: & in hoc sensu comprehendit rationes diuinas. Hinc §. Doctor lib. 1. con. gen. cap. 82. ad argumentum desumptum ex prædicto axiomate, respondet dicens.

D.T. lib. 1. con. gent.

Quamuis diuina voluntas ad sua causata non determinetur (scilicet ex sua natura, vt prætendebat argumentum) *non tamen oportet dicere* (scilicet ex vi axiomatis assumpti in argumento) *quòd nihil eorum velit, vel quod ad volendum ab aliquo exteriori determinetur*. Nota bene, sequentia, nam inquit) *Cum enim bonum apprehensum voluntatem, vt proprium obiectum determinet: intellectus autem diuinus non sit extraneus à sua voluntate; cum vtrumque sit sua essentia: si voluntas Dei, ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinetur; nõ erit determinatio voluntatis diuinæ per aliquid extraneum facta.*

451 *Alio loco S.D. prædicta confirmantur.*

18 Hinc etiam idem S. Doctor verbis relatis eodem §. 2. num. 12. sic concludit. *Potentia diuina, cum sit infinita, non magis determinatur ad hoc, quàm ad illud*, &c. *Vnde oportet, quòd supra rationem potentiæ sit aliquid aliud, per quod opus determinetur. Et hoc fit per scientiam, quæ propriam rationem rei cognoscit. Sed quia scientia se habet ad opposita, est enim, & bonorũ, & malorum; ideo oportet aliquid adhuc addere, in quo perficitur ratio causæ, & hoc est voluntas, quæ determinatè accipit vnum ex duobus, quæ scit, vel quæ potest.* In quibus, vt vides, cum dicit, *oportet quòd supra rationem potentiæ sit aliquid aliud*: per ly, *aliquid aliud*, intelligit diuinam scientiam, & voluntatem, quæ non sunt aliquid realiter distinctum; sed sola ratione.

452 *Axioma posset probari duplici via.*

19 Hoc autem considerandum est; vt aduertamus, quod licèt prædictum axioma duplici via possemus resoluere ad principium per se notum: *Vnumquodq. agit, inquantùm est in actu per formam*: altera, quæ est propria causarum ex se contingentium, sub quibus non comprehenduntur diuina: altera verò, quæ est communis omni enti ad vtrumlibet, prout comprehendit Deum: nos solam hanc secundam viam prosequemur in hac disputatione, in qua intendimus stabilire dictum axioma, prout est magis vniuersale. Aliam verò viã percurremus ex alia occasione, cum versabimus rationem illam S. Doctoris, qua ex eo, quod voluntas quandoque est in actu volens, quandoque in potentia, probat ipsam indigere, ad hoc vt in actum exeat, motore separato.

§. X.

Discursus S. Thomæ, quo ostensiuè probatur axioma, proponitur.

453 *Fundamẽtũ axiomatis, qđ sit.*

1 AXioma probandum fundatur in hac propositione negatiua. Quod est ad vtrumlibet, non est causa alicuius inquantùm huiusmodi, ex quo sequitur, quod est causa, inquantùm ex alia causa determinatur ad vnum. Ratio autem S. Doctoris ad probandam prædictam propositionem, sic proponi potest. Quod est sicut ens in potentia, non potest esse causa alicuius. Sed quod est ad vtrumlibet, inquantùm huiusmodi, idest inquantùm formaliter est ad vtrũlibet, est sicut ens in potentia. Ergo quod est ad vtrumlibet, inquantùm huiusmodi, nõ potest esse causa alicuius. Maior probatur à S. Thoma ex illo principio, *nihil agit, nisi secundùm quod est in actu*; quia scilicet, *vnumquodque agit, inquantùm est in actu per formam*, ex quo S. Doctor infert. Ergo quod non est sicut ens in actu; sed sicut ens in potentia, non agit.

454 *Quis medius terminus suprapositi discursus.*

Circa prædictum discursum difficultas non potest esse circa formam primi syllogismi; cum sit in prima figura in modo, celarent; solùm ergo potest pati difficultatem circa præmissas, quæ ratione medij termini, qui est, ly, *sicut ens in potentia*, videntur obscuræ. Et inde etiam remanet obscura efficacia probationis maioris ex illo principio per se noto, *vnumquodque agit inquantùm est in actu per formam.*

2 Circa medium ergo terminum aduertendum est, quod meritò dixi: *Quod est sicut ens in potentia*, non autem, quod est ens in potentia, quia primum, non hoc secundum, est medius terminus, in hac ratione, quæ procedit ex ipsa ratione essendi ad vtrumlibet. Hinc D. Thomas verbis relatis §. 8. aliquando dicit, *quod est ad vtrumlibet, est sicut ens in potentia*, aliquando verò, *est quasi in potentia; quodammodo potentia: habet dispositionem materiæ*: quibus designat, quòd id, quod est ad vtrumlibet, per hoc præcisè, quod

est

est ad vtrumlibet, habet quendam dispositionis modum, secundum quem se habet in ordine ad effectum illo simili modò, quo se habet ens in potentia, seù materia, cui repugnat agere; non autem quòd sit re vera materia, vel ens in potentia. Et inde est, quòd medius terminus videtur aliquibus remansisse obscurus, dum non videtur explicatum, in quo ista similitudo consistit, ex qua est repugnantia, qua existenti ad vtrumlibet repugnat productio effectus. Verùm non sic res se habet, quippe, quia S. Doctor in eisdē locis expressit hoc, quod desideratur.

455 *Notabile pro explicatione medij termini*

3 Vt ergo frasim loquendi D. Thomę, mediumque terminum rationis prædictæ aperiamus, sciendum est primo ex Arist. 9. Meth. apud D. Thom. lec. 6. lit. tex. a, & b, quòd ens in potentia dicitur aliquid ratione potentiæ passiuæ, seù principij, *quo*, aliquid possibile est transmutari in tale, vel tale ens, siue substantialiter, siue accidentaliter. Quod enim sic possibile est transmutari, dicitur esse tale ens in potentia. Hinc subiectum, quod potest transmutari de albo in nigrum, & de nigro in album, ratione talis potentiæ, seù principij, quo id potest, dicitur ens albū, & ens nigrum in potentia. Similiter ratione potentiæ ad formam substantialem, lignum dicitur ignis in potentia, & ipsa materia prima dicitur ens in potentia, inquantùm potest per formas transmutari, et fieri hoc, vel illud ens. Et ex hoc sequitur id, quod

456 *Dispositio, entis in potētia, q̄ sit.*

4 Secundò aduerrendum est ex eodē Arist. eodem lib. 9. Metha. apud D. Thom. lec. 9. lit. tex. b, quòd dispositio, seù proprietas, & conditio huius potentiæ est, quòd se habet ad opposita, seù quòd secundùm eam possibile sit aliquid esse, & non esse, ac per hoc sit variabile, & corruptibile, siuè simpliciter, siuè secundum quid. Et inde Aristoteles probat, nullum sempiternū esse in potentia, & sic habet.

Arist. verba ad propositum.

Omnis potentia simul contradictionis est. Quod enim est non possibile existere, non vtique existet in aliquo. Possibile autem contingit non actu esse. Quod igitur possibile esse, contingit esse, & non esse. Idem igitur possibile esse, & non esse. Possibile verò non esse, contingit non esse. Cōtingens autem non esse, corruptibile; aut simpliciter hoc ipsum, quod dicitur, contingere non esse; aut secundum locum, aut secundùm quantum, vel secundùm quale; simpliciter autem, quod secundùm substantiam. Hæc Arist.

457

5 Quæ S. Doctor sic explicat. *Probat quòd nullum sempiternum sit in potentia. Et ponit rationem ad ostendendum hoc, qua talis est. Omnis potentia simul est contradictionis.* D. T. explicans text. Aristot. *Dicit autem hoc non de potentia actiua. Iam enim supra dictum est, quod potentiæ irrationales non sunt ad opposita; sed loquitur hic de potentia passiua, secundùm quam dicitur possibile esse, & non esse, vel simpliciter, vel secundùm quid. Hoc autem, quod posuerat manifestat per oppositum. Quia vbi non est talis potentia, non contingit vtraq. pars contradictionis. Nam quod non est possibile esse, numquam in aliquo est. Si enim non est possibile esse, impossibile est esse, & necesse est non esse. Sed id, quod possibile est esse, contingit non esse in actu. Manifestum est ergo, quòd id, quod possibile est esse, contingit esse, & non esse. Et sic potentia simul contradictionis est. Quia idē est in potentia ad esse, & non esse.* Hæc S. Doctor ad nostrum propositum considerandum.

458 *Ens in pōa se hēt ad opposita.*

6 Nam ex his apparet, quòd potentia ista, secundùm quam aliquid dicitur esse ens in potentia, importat principium quoddam, ratione cuius sic res disponitur, vt ad neutrum sit determinata; sed se habeat indeterminatè ad opposita contradictoriè. Est enim potentia contradictionis, inquantùm per vnum, idemq; principium habentur opposita.

459 *Proponitur discursus S. T. explicatorius terminis.*

7 Et ex his tandem habes explicitum significatum, tam medij termini, quàm totius syllogismi propositi num. 1. huius §. quem sic explicatis terminis iterū formamus. Quod est, sicut ens in potentia, ideſt, est simili modo dispositum per principiū, per quod ordinatur ad effectum, quo est dispositum ens in potentia per suam potentiam, non est causa alicuius effectus, seù nihil agit, inquantùm huiusmodi, ideſt, inquantùm habet præcisè istam dispositionem essendi, repugnat ei habere actionem aliquam. Sed quod est ad vtrumlibet, inquantùm huiusmodi, est sicut ens in potētia, ideſt, inquantùm habet istam dispositionem essendi ad vtrumlibet, habet eundem dispositionis modum, quē habet ens in potentia. Ergo quod est ad vtrumlibet, inquantùm huiusmodi, non est causa alicuius, seù nihil agit, ideſt, inquantùm habet præcisè istam dispositionē essendi ad vtrūlibet, repugnat ei habere aliquam actionē. Syllogismus, vt dixi, est in modo, Celaret; minor sic explicata est euidens. Nam ens in potentia per illud principium, quo est ens in potentia, hanc dispositionem essendi habet in ordine ad ea, ad quæ se habet in potentia, scilicet, se habet indifferenter ad opposita. Et hanc ipsam dispositionem habet in ordine ad suos effectus id, quod est ad vtrumlibet, per illud principium, quo

est

est ad vtrumlibet, scilicet, se habet ad opposita.

460 *Probatio maioris ex S. Doct.*

8 Maiorem autem probat S. Doctor ex illo principio per se noto: *nihil agit, nisi inquantùm est in actu*, quia, scilicet, vnũquodque agit, inquantùm est in actu, & vnicuiq; repugnat. agere secundum quod est in potentia: quæ omnes propositiones spectant ad vnum, idemq; principium per se notum. Sed hìc aduerti debet, quòd principium dicitur per se notum, inquantùm cogit intellectum ad sui assensum, si terminorum ratio percipiatur. Vt autem hoc, quod intendimus, explicemus ex ipsa ratione terminorum, cosiderare debemus modum discurrendi D. Thomæ ex vi talis principij. Considera igitur primò verba ipsius S. Doctoris ex 2. dist. 25. relata §. 1. nu. 3. & 8. num. 2. huius disp. puta illa. *Dicendum, quòd nihil agit, nisi secundùm quod est in actu, & indè est, quòd oportet, omne agẽs esse determinatum ad alteram partẽ. Quod enim ad vtrumlibet est aequaliter se habẽs, est quodãmodo potentia respectu vtriusq. Et indè est, quòd ab eo, quod est ad vtrũlibet, nihil sequitur, nisi determinetur.* Expende, inquã, dictũ discursum, & percipies D. Thomã afferere, quòd ex illo principio per se noto: *Nihil agit, nisi inquantùm est in actu*, immediatè, & ex necessitate infertur, *quòd omne agẽs oportet esse determinatum ad alteram partem*, hanc enim necessariam illationem designauit, dum dixit, *Et inde oportet omne agens esse determinatum ad alteram partem.* Et hìc parumper considera, quòd prædicta propositio, quæ à S. Thoma dicitur necessariò inferri ex principio per se noto, opponitur contradictoriè propositioni, quam Recentes multi cum Suario, Fasolo, & alijs supra relatis profitentur, asserentes, voluntatem nostram existentem indeterminatam, & indifferentem ad opposita, ex seipsa agere. Itaq; considera, qd propositio S. Thomæ est, *oportet*, seù *necesse est, omne agens esse determinatum ad alteram partem*. Propositio verò Suarij est. Non necesse est omne agens esse determinatum ad alteram partem, inquantùm, non necesse est voluntatem esse determinatã ad alteram partem ad hoc, vt agat, quę propositiones sunt cum omni rigore contradictoriæ. Nec dicas non esse contradictorias, existimans D. Thomam loqui de Solis causis non habentibus suæ actionis dominium. Non, inquam, hoc dicas, nam (vt modo infra expendemus,) D. Thomas ex prædicta propositione, quã dicit inferri ex principio per se noto, deducit in eodem corpore articuli, tam Deum, quàm omnem creaturam intellectualem habere suæ actionis dominium, & sic euidenter sub tali propositione inclusit agentia habentia suæ actionis dominium.

Cõsiderãda p intell. ligẽtia terminorum principij p se noti.

Propositio S.T. deducta ex principio p se noto, opponitur contradictoriè Suario.

461 2. *Cõsiderabile.*

9 Facta itaque hac expensione, ac cõsiderata euidenti contradictione inter S. Thomam, & hos Recentiores, considera secundò: vndè motus fuerit S. Doctor ad asserendum, quòd ex eo, quòd nihil agit, nisi inquantùm est in actu, necesse sit dicere, seù oportet, omne agens esse determinatum ad alteram partem. Non enim licèt de S. Thom. tam humiliter sentire, vt dicamus, ipsum vim consecutionis non intellexisse, & sic perperàm existimasse connexã principio per se noto propositionem impossibilem. Et tunc percipies, prædictam propositionem deduci ex illo principio ex vi huius propositionis, scilicet, omne quod est in actu proportionato ad agendum, inquantùm huiusmodi, est determinatum ad alteram partem; ita vt totus syllogismus fuerit: Omne, quod est in actu proportionato ad agendum, inquantùm tale, est determinatum ad alteram partem; sed necesse est omne agẽs esse in actu proportionato ad agendum. Ergo necesse est omne agens esse determinatum ad alteram partẽ. Sed tũc videri posset probanda maior.

462 *Debet cõsiderari discursus S. T. in 1. dist. 43.*

10 Et ideo considera tertiò discursũ S. Thomæ in 1. dist 43. q. 1. art. 3. quem retulimus in hac disp. §. 2. num. 12. videlicet, *Dicendum, quòd opus determinatum non progreditur, nisi à determinato agente, & inde est, quòd illud, quod est in potentia, nõ agit; quia se habet indeterminatè ad multa; sed forma, quæ est terminans potentiam materiæ, principium actionis dicitur.* Considera, inquam, prædictum discursum, & indè percipies, quòd agens exigit se esse constitutum in actu per formã, quia est proprium munus formæ determinare potentiam, quæ se habet ad opposita, vt sic agens fiat determinatum ad alteram partem; sitque proportionatum principium, vndè possit prouenire actio determinata, quæ exigit progredi à determinato agente. Indè etiam secundò percipies veritatẽ illius maioris. Omne, quod est in actu, inquantùm est in actu proportionato ad agendum, est determinatum ad alteram partem. Nam si munus formæ, constituentis rem in actu ad agendum, est determinare potentiam se habentem ad opposita; per hoc ipsum habens potentiam ad opposita est determinatum ad alteram partem, quod per formam est in actu proportionato ad agendum. Et ita sequitur, quòd si nihil agit, nisi secundum quod est in actu; nihil etiam agat, nisi secundum quod est determinatum ad alteram partẽ. Seù (& idem est) si oportet omne agens

Vnde proueniat, q̃ agens dẽt esse determinatũ ad alterã partẽ

esse

esse in actu, oportet etiam omne agens esse determinatum ad alteram partem. Et ex hoc deindè sequitur (vt infert D. Thomas.) Quòd id, quod est ad vtrumlibet, secundùm quod est ad vtrumlibet, seù indeterminatum ad hanc, vel illam partem, nõ possit agere, & quod ad hoc, vt agat, oportet ipsum determinari ad alteram partem ex alia causa; seù sequitur, quòd existens ad vtrumlibet nihil agat; nisi determinetur

463 *Probatur, q̃ propositio assũpta in discursu S. T. claudi tur in principio q̃ se noto.*

11 Et indè etiã tertiò percipies, maiorem illam syllogismi propositi nu. 7. huius §. contineri in illo principio per se noto. Nihil agit, nisi inquantùm est in actu. Nam in hoc, quod dico, inquantùm est in actu, includuntur omnia spectantia ad ens in actu, secundum quæ ordinatur ad effectum producendum, & in quibus contradistinguitur ab ente in potentia, cui vt tali, repugnat agere. Præcipuum autem est modus proprius essendi ad effectum, secũdum quem debet esse dispositum ens in actu ex munere suæ propriæ formæ, quæ per hoc, quod constituit rem in actu, excludit ab ea modum oppositę dispositionis inuentæ in ente in potentia, quæ se habet ad opposita, ac per hoc in hac propositione; nihil agit, nisi inquantùm est in actu, includitur hoc, nempè: nihil agit, nisi inquãtùm per formam habet illum dispositionis modum, qui consequitur propriũ munus formæ, quo excluditur opposita dispositio, quam habet ens in potentia, inquantùm huiusmodi. Et hoc est, quod nos expressimus illa maiori: *Quod est sic dispositum, vt eius dispositio sit, sicut illa, quam habet ens in potentia. nihil agit, seù non potest esse causa alicuius, &c.* Includitur igitur illa maior in principio per se noto.

464 *Rõ prædicta existimatur demõstratio à S. Th.*

12 Hanc rationem (vt arbitror) existimat S. Doctor demonstratiuam. Huius inditium est; quia semper assumit prædictũ principium tãquàm manifestè probatum à Commentatore prædicta ratione. Verùm quoniam rationes terminorum, quæ important conceptus proprios ipsarum rerum, non percipiuntur perfectè ab omnibus; non sic fortè existimabitur ab aliquibus. Existimo tamen, quod habens intellectum bene dispositum sine dubio talẽ eam existimabit, maximè postquam expẽderit aliam rationem, quam statim proponemus, ducentem ad impossibile; & ex solutionibus argumentorum à nobis exibendis experiẽtia probauerit, nil esse, quod veritatem prædicti axiomatis possit abscondere.

(: ✣ :)

Probatur idem axioma ratione ducente ad impossibile.

13 DVplici (vt sæpè notauimus) ratione confirmat prædictum axioma Commentator. Procedit altera ex eo, quia natura existentis ad vtrũlibet est natura materiæ, ideſt (vt refert S. Doctor) est sicut ens in potentia. Altera verò ex eo, quia neutra actionum est dignior reliqua, vt sit à tali principio. Seù (vt loquitur S. Doctor verbis relatis §. 1. num. 6. & §. præcedenti num. 4.) Quia, quod est ad vtrumlibet, se habet indifferẽter ad multa, & non magis vnum operatur, quàm aliud. Proposuimus iam primã: proponenda est nunc secunda ratio. 465

Hæc ratio sic proponi potest. Nam si quod est ad vtrumlibet, seù indifferens ad opposita, inquantùm huiusmodi, ideſt, secundum id, quod habet præcisè ex principio, per quod est ad vtrumlibet, haberet actionem, seù actiuam influentiam in id, quod ex se respicit tale principium, oporteret ipsum simul agere opposita in subiecto receptiuo oppositorum, seù facere cõtradictoria simul esse. Quod repugnat. Sequela probatur. Nam cum neutra oppositarum actionum ex his, quæ respicit tale principium, fit dignior reliqua, vt procedat à tali principio: seù (vt loquitur S. Doctor) cum non sit maior ratio, cur tale principium procedat potiùs in vnam, quã in alteram ex oppositis actionibus: oporterer dicere, quòd si virtus talis principij procedit in actum circa subiectum, quod vtramq; actionem potest recipere, inducet in tale subiectum opposita simul. *Propon. rõ ducens ad impossibile.*

14 Idq; est quod probat Aristoteles 9. metha. apud D. Thomam lec. 4. litera text. d. de omnibus potentijs rationalibus, quæ se habent ad opposita: & rem concludit his verbis. *Quare simul facient contraria, si agerent applicata passiuo sine aliquo determinante.* Hæc Aristot. 466 *Prædictã rõnẽ opposuit Arist.*

§. XI.

Responsio Suarij, & Fasoli, proponitur, & stabilitur contra eos Conclusio.

467

1 SVarius verbis à nobis relatis in hac disp. §. 4. nu. 1. & 2. quem sequitur Fasolus, respondet; rationem prędictam habere locum in potentijs rationalibus nõ habentibus suæ actionis dominium; non autem de voluntate, quæ habet dominium suæ actionis, vndè ait; *Principium illud esse verum in principijs, & potentijs, quæ licèt aliquo modo vniuersalia*

salia sint, sunt tamen imperfecta quantũ ad hoc, quod non habent dominium suæ actionis; & ideò indigent aliquo determinante ad alteram partem: alioqui (vt Aristot probat 9. metb. cap. 5. tex. 10. si ex se, & sine aliquo determinãte procederet in actum, simul efficerent contraria: quia vtrumq; possunt; & non esset maior ratio de vno quàm de alio, &c. Secùs verò est de voluntate, quæ est perfecta potentia cum dominio sui actus. In quibus, vt vides, rationem à nobis allatam ex Aristot. 9. metha. vult non habere locum in voluntate habẽte dominium sui actus; sed tantùm in potentijs dominium non habentibus.

467 *Impugnãd^a est Suar. ex locis S. D. q̃ refert ipsemet Suarius.*

2 Sed quid dicemus Suario? Quibus tam altum responsum rationibus impetemus? Quam afferemus rationem, quam adducemus causam demonstrantem habere locum in voluntate habẽte sui actus dominium Aristotelis doctrinam? Nullam sanè aliam, nisi hanc: quia habet voluntas dominium sui actus. Ex hoc.n.ipso, quòd voluntas dominium sui actus habet, sequitur, immò, & in ipso includitur, rationem ex Aristotele desumptam habere locum in voluntate. Sed ex quibus Doctoribus, ex quibus locis rationem sumemus? Nõ æquidem ab alijs, quàm quibus Suarius ipse ad suam stabiliendam existimationem cõtra suos aduersarios vtitur. Mira res! habuit Suarius lynceos oculos ad inuenienda loca D. Tho. ad impetendum eos, quos prædeterminãtes vocat, & tamen, vel non vidit, vel non videre simulauit, ex eorundem locorum D. Tho. doctrina suam funditùs euerti existimationem. Vt autem, quod intendo cõtra Suarium, expeditiùs probem, pono sequentem conclusionem.

CONCLVSIO PROBANDA contra Suarium.

Ideò voluntas, quæcumque illa sit, siue humana, siue angelica, siue diuina, habet dominium sui propri^j actus, quia oportet omne agens esse determinatum ad alteram partẽ ad hoc, vt ab eo procedat actio; & ga determinatio cuiuslibet voluntatis ad agendum est à cognitione sui propri^j intellectus, ita vt voluntas nullum haberet dominium, si determinatio sui ad agendum à tali cognitione non procederet.

468 *Cõcl. prædicta euertit totã excogitationẽ Suar.*

3 HAc conclusione impugnamus responsum Suarij, & simul nostram declaramus ex D. Th sententiam. Ipse quippe dicit: quòd quia voluntas est domina sui actus, nõ oportet ipsam determinari ad alteram partem, ad hoc, vt ab ea procedat actio. Nos verò in conclusione dicimus oppositum contradictoriè, nempè. Omne agens esse determinandum ad alteram partem, ad hoc. vt ab eo procedat actio: & quòd hoc posito, voluntas habet dominium suæ actionis. Ille affirmat actionem liberam voluntatis procedere à principio indeterminato; nos autẽ à principio determinato per sui propij intellectus cognitionem. Ille existimat, quòd voluntas existens indifferens, & ad vtrumlibet ex vi dominij, quod habet in proprios actus, procedit in alterum actum ex oppositis, ita vt processus determinati actus existentis sub dominio, sit immediatè à principio indifferenti. Nos existimamus, quòd si volantas non determinaretur per proprij intellectus cognitionẽ, nullũ hëret dominium: ita vt si carens prædicta determinatione, prodiret in actionem, in eam prodiret sine dominio, & ageret contradictoria simul, quod est id, quod sua responsione negat Suarius. Est ergo nostra conclusio satis Suario in puncto, de quo disputamus, opposita; quã si probassemus, egisse nos contra Suarium satis, nemo dubitaret. Sed age iam probemus eam. Sed qua doctrina? cuius auctoritate? Iam dixi, eadem, quam ex D. Th. affert, & vt suæ existimationi amicam probat, ipsemet Suar. nosq; censemus firmissima ratione ab eodem S. Doct. probatam. Itaq; (vt sic distinctè procedamus) ponemus primò verba Suarij, quibus ex doctrina D. T. vrget aduersarios: secundò referemus integrũ Artic. D. Th. & in eo clare inueniemus integram nostram conclusionem.

Mod^s procedendi cõtra Suar.

469 *Doctr. S. T. allata à Suario.*

4 Itaq; Suarius lib. 3. de diuina gratia cap. 44. n. 9. sic scribit. *Sextò, quòd voluntas ratione suæ indifferentiæ, non solũ, nõ possulut praedeterminationem; sed potiùs postulet non habere determinationẽ ab alio, apertè docuit D. Th. in 2. dist. 25. art. 1. in corp. vbi sic inquit, iudicium de actione propria est solũ in habentibus intellectũ quia si in potestate eorum cõstitutũ sit, eligere hãc actionẽ vel illam, vndè dominium sui actus habere dicuntur: & propter hoc in solis intellectũ habentibus lib arb inuenitur, non autem in illis, quorũ actiones non determinãtur ab ipsis agentibus. Vbi duo expendo. Vnũ est, D. Th agentia illa reputare liberè habere in potestate sua electionẽ actionum suarũ, postea explicat per indeterminationẽ suarũ actionũ. Vndè sicut electio non potest esse ab extrinseco agente, ita neq; determinatio. Aliud est: D. Th. apertè sẽtire, determinari à prioribus causis pertinere ad agentia non libera, quæ vel ab auctore naturę determinata sũt ad vnũ, vel si aliquam imperfectam indeter-*

minationem habeant determinantur ab alijs causis, vel materialibus, vel efficientibus: proprium autem esse agentium liberorum, non determinari ab alio; sed à seipso. Et indè in solutione ad primum concludit. Deum esse liberū quod sibi ad opera sua determinat. Vndè ad dominium actus apertè requirit, quòd determinatio actus non sit ab alio sed à seipso. Quod in solutione ad 3. his verbis apertissimè declarat. Deus operatur in omnibus, ita tamen quòd in vnoquoq; secundum eius cõditionẽ &c. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministret & ipso operante liberum arbitrium agat: sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur: vndè remanet sibi dominium sui actus, licèt non ita sicut primò agenti. Hæc Suarius quibus parum infra nu. 10. sic subiungit. *Septimò in eodem libro dist. 28 art. 1. generatim pronunciat: Non esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret.*

Quid intẽdat Sua. probare ex doctr. S. Tho.

Iam ergo (vt vides) Suarius existimat, prædicta D. Thom. doctrina probari, voluntatem nostram nõ determinari ab alio; sed à seipsa. Per hoc autem, quòd dicit, *voluntatẽ non determinari ab alio; sed à seipsa* intelligit, voluntatem, quæ est principium indeterminatũ, procedere ex se in determinatum actum, ita vt hoc, puta, principium indifferens procedere indeterminatum actum ex his, ad quos est indifferens, sit idem, quòd non determinari ab alio; sed determinari à seipso: secundũ quem sensum, voluntas non determinata per proprium iudiciũ procederet in aliquã actionem. Nunc ergo videamus, an sit in his locis D. Thomæ dicta Suarij excogitatio: an verò sit in eis integra nostræ conclusio, qua (vt nu. præcedenti aduertimus) fusius euertitur hęc ipsa Sua. excogitatio.

470 Integra sẽtẽtia S. T. euertit Suar. referẽtẽ truncãtẽ.

5 Incipiamus igitur ab hac vltima auctoritate ex art. 1. dist. 28. videamusque an ipsa sit pro nobis contra Suarium. Audiat ergo Suarius, non illam truncam; sed hanc integram S. Doct. sententiam, quæ sic habet. *Nõ enim esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret vt ex proprio iudicio eligeret hoc, vel illud, vt supra dictum est.* In quibus (vt vides) docet, quòd pertinet ad liberum arbitrium determinatio sui operis, inquãtùm habet eligere hoc, vel illud ex determinatione proprij iudicij; ita vt determinatio electionis huius, vel illius proueniat ex iudicio. Verùm quoniam S. Doctor refert se ad ea, quæ dixerat dist. 25. art. 1. qui est alius locus relatus à Suario, in quo diffusius hanc rem explicat, idcò consideremus integram doctrinam talis artic.

471 Intẽtio S. T. in hoc q. n. p se aff rt Sua. aperitur.

6 Porrò S. Doct. in hac dist. 25. 2. lib. sen. vnicã proponit q. & sic habet. *Hic quæritur quinq; Primò in quibus sit lib. arb.* Ex quo apparet S. D. in hoc primo art. generaliter inquirere de omni eo, in quo põt inueniri lib. arb. Incipit aũt, vt infra. *Quãtùm ad primum sic proceditur, videtur q. lib. arb. non sit in Deo.* Tertium aũt argum. proponit sic. *Præterea videtur, q. nec in aliquibus creaturis sit.* Quartum verò sic. *Præterea videtur, q. saltẽ in beatis non sit.* Quintum sic. *Item videtur, q. nec in viatoribus sit.* Deniq; quintũ argum. adiungit dicẽs. *Videtur quòd nec sit in brutis.* Ex quibus apparet, D. Th. in hoc ar. inquirere vniuersale subiectũ, seu propriam radicẽ, vndè prouenit lib. arb. siue in Deo, siue in quibusuis alijs creaturis. Respondet autem dicẽs.

472 Tex. tenor art. S. Tho.

7 *Respondeo dicendũ q. nihil agit, nisi sũm quod est in actu. Et indè est, q. oportet oẽ agens esse determinatũ ad alterã partem: q. n. ad vtrumlibet est æqualiter se habens, est quodammodo potẽtia respectu vtriusq. Et indè est (vt dicit Cõment. in 2. phys.) q. ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur; nisi determinetur. Determinatio aũt agentis ad aliquã actionẽ,* Nota bene: *oportet quod sit ab aliqua cognitione præstituente finẽ illi actioni. Sed cognitio determinãs actionẽ & præstituens finẽ in quibusdã quidem cõiuncta est: sicut homo finem suæ actionis sibi præstituit. In quibusdã verò separata est: sicut in his, quæ agunt per naturam. Rerum n. nãralium actiones nõ sunt frustra, vt in 2 phys. probatur; sed ad certos fines ordinata ab intellectu nãm instituente, vt sic totum q. nãa sit quodãmodo opus intelligentiæ, vt philosophus dicit. Sic ergo patet, q. hæc est differentia in agentibus, quòd quædam determinant sibi finem, & actum in finẽ illũ, quædã verò non: nec aliquod agens finẽ sibi præstituere põt; nisi rõnẽ finis cognoscat, & ordinẽ eius q. est ad finẽ ipsum, q. solum in habẽtibus intellectum est. Et indè est, q. iudicium de actione paria est solũm in hãntib' intellectũ, quasi in potestate eorũ constitutum sit, eligere hanc actionem, vel illam: vndè & dominium sui actus habere dicuntur, & propter hoc in solis intellectũ habentibus lib. arb. inuenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinentur ab ipsis agentibus; sed à quibusdam alijs causis prioribus.* Hæc S. Doct. in corp. post quæ statim subdit responsiones ad argumenta in contrarium.

473 Resp. ad 1.

8 Et ad primum, quod inferebat, proprium actum liberi arbitrij. puta, electionem excludendam esse à Deo, cui repugnat inquisitio consilii, ad q. sequitur ipsa

electio;

electio; Respondet; electionem saluari in Deo, non quantùm ad hoc, quod sequitur inquisitionem consilij; *Sed quantùm ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi ab alio; sed à seipso: vndè ipse verissimè sui operis dominus est.*

474 Resp. ad 2. 9 Ad secundum, quod à Deo liberum arbitrium excludebat ex eo, quod Deus est determinatus ad bonum; Respondet: *quòd non pertinet ad rationem liberi arbitrij, vt indeterminatè se habeat ad bonum, & malum, &c. Sed hoc ad libertatem arbitrij pertinet; vt actionem aliquam facere, vel non facere possit. Et hoc Deo conuenit: bona enim, quæ facit, potest non facere.*

Respõsionem ad tertium integram retulit Suarius: ideoque non oportet eam iterum referre. Alias denique responsiones omittimus; quia nec eis vtitur Suarius: nec continent nostræ conclusioni aliquid necessarium. Oportet autem nunc ostendere, in recensita S. Thomæ doctrina inueniri integrè, & quoad omnes partes, conclusionem nostram, qua Suarij responsio, eiusque excogitatio euertitur.

475 Ex recensita S.T. doctrina probatur cõcl. 10 Ad hoc autem demonstrandum sumo verba S. Thomæ, quæ ad suos conuincendos aduersarios pro se affert ipse Suarius, nempè. *Iudicium de actione propria est solùm in habentibus intellectum, quasi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem, vel illam; vnde dominium sui actus habere dicuntur. Et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur.* Subindè peto ab ipsomet Suario: An tale dictũ sit ipsa formalis resolutio, qua respondet quæsito articuli; an aliquid aliud? Sed quid respondebit: nisi esse ipsam formalem resolutionẽ quęsiti? Cũ. n. (vt notauimus proximo nu. 6.) S. Doctor vniuersaliter inquirat, in quo liberum arbitrium inuenitur, siuè in creaturis, siuè in Deo, iam clarissimè apparet, quòd dum concludit, *liberum arbitrium esse in solis habentibus intellectum*, in quibus est, *iudicium de actione propria, quasi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem, vel illã; vnde, & dominium sui actus habere dicuntur*, pronunciat formalem resolutionem quæsiti.

Resolutio q̃siti in his verbis cõstitit.

476 Deduxit resolutionẽ ex his, q̃ ante probauerat. 11 Hoc habito, quod nullus sanę mẽtis negabit, iterum inquiro: An talem resolutionem dubij, seù conclusionem deduxit ex aliquo discursu; an verò illam simpliciter pronunciauit? Sed num aliud respõdebit, quàm S. Doctorem conclusionem deduxisse ex discursu, quem præmiserat? Siquidem post discursum à se factum subiungit, *& indè est, quòd iudicium*, &c. quod euidentissime demonstrat, conclusionem deduxisse ex præcedenti discursu.

Nunc ergo dicat Suarius discursum S. Thomæ, quo talem conclusionem intulit. Porrò S. Doct. prædictæ conclusioni quatuor propositiones præmisit. Prima est. *Oportet omne agens esse determinatum ad alteram partem*, quam probauit ex eo, quòd *nihil agit, nisi secundum quod est in actu*, & hanc posuit fundamentum sui discursus. *Quattuor propositiones præmi. sit S. Doc. 1. propos.*

Secunda est. *Determinatio autem agentis ad aliquam actionem, oportet, quòd sit ab aliqua cognitione præstituente finem actioni.* Secunda.

Tertia est. *Cognitio determinãs actionem, & præstituens finem in quibusdam quidem coniuncta est, sicut homo finem suæ actionis sibi præstituit; in quibusdã verò separata est, sicut in his, quæ agunt per naturam*, seù, & idem est, cognitio determinans actionem, & præstituens finem actioni in quibusdam est in eodem agente, cuius est actio, cui præstituitur finis, in quibusdam verò est in agente separato, & distincto ab eo, cuius est actio; qualiter sunt agentia per naturam, quorũ actiones sunt ipsis determinatæ à cognitione existente in intellectu naturam instituente, & præstituente finem actionibus eiusdem naturæ. Tertia.

Quarta denique est. *Nec aliquod agens* (hoc est, nullum agens) *finem sibi præstituere potest; nisi rationem finis cognoscat, & ordinem eius, quod est ad finem ipsum, quod solùm in habentibus intellectum est.* Quarta.

Modò dicat Suarius discursum S. Doctoris. quo ex prædictis quattuor propositionibus deducit dictam resolutionem quæsiti.

477 Ex prædictis propositionibus cogitur Suar. aßerere, quæ sũt in nostra concluſ. 12 Sed quid respondebit à nostra resolutione diuersum? Quid dicet sibi non contrarium, suamque sententiam fundi tus non subuertens? Velit, nolit; ipso S. Doctoris textu, nõ aperto dumtaxat, sed apertissimo; cogitur respondere, S. Doctorem ex prædictis propositionibus sic discurrere. Oportet omne agens esse determinatum ad alteram partẽ, seù ad vnam actionem, ad hoc, vt ab eo exeat actio. Sed determinatio agentis ad aliquam actionem oportet, quòd sit ab aliqua cognitione præstituente finem actioni. Ergo oportet, omne agẽs esse determinatum ad alteram partem ab aliqua cognitione præstituente finem actioni, ad hoc, vt ab eo exeat actio. Tunc vltra. Sed cognitio determinans actionem, & præstituens finem actioni, in quibusdam agentibus est coniuncta ipsi agenti, seù est in eodem agente, vt in homine, qui finem suæ actionis sibi præstituit: in quibusdam verò non est coniuncta eidem

Discursus S. Doctoris

eidem agenti; sed est in agente separato, & à se distincto, vt in agentibus, quæ agũt per naturam, quorũ actiones non sũt frustra; sed ad certos fines ordinatæ ab intellectu naturam instituente. Ergo aliqua agentia sunt, quæ agunt determinata per cognitionem sibi coniunctam, seù cognitionem propriam, qua, scilicet, ipsamet agentia iudicant de proprijs actionibus, & præstituunt, seù determinãt sibi finem, & actum, seù actionem in finem: quædam verò, quæ agunt determinata per cognitionem, quæ non est in ipsis; sed in alio agente à se distincto, & separato, & sic sũt determinata ad agendum ab alio. Tunc vltra. Sed nullum agens potest præstituere sibi finẽ, nisi rationem finis cognoscat, & ordinem eius, quod est ad finem ipsum; quod solùm in habentibus intellectum est. Ergo nullum agens; nisi habens intellectũ agit determinatum per cognitionem propriam, quæ scilicet, in ipso est, qua determinat sibi finem, & actum in finem, seù agit determinatum à seipso per propriam cognitionem, & iudicium de sua propria actione. Quod quidem idem est cum eo, quod intulit S. Thom. nempè: ergo iudicium de actione propria, quo, scilicet, iudicio, agens determinat sibi propriã actionem, præstituens ei finem, est solùm in habentibus intellectum, quasi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem, vel illam; vndè, & dominium sui actus habere dicuntur, &c.

478 *Probat S. D. intellectualia hẽre dominiũ sui actꝰ, qa determinãt sibi actionem p cognitione propriam*

13 In quo discursu, vt patet, ex eo probat S. Doctor in solis agentibus, quæ habent intellectum, inueniri liberum arbitr. & dominium suorum actuum: quia hæc sola agentia per cognitionem, seù iudiciũ, quod ipsamet habent de suis proprijs actibus, determinant sibi finem, & actum in finem ipsum. Idque deducit ex illo duplici principio, puta. *Oportet omne agens esse determinatũ ad alterã partem:* & *determinatio agẽtis ad aliq̃ actionẽ oportet, q̃ sit ab aliqua cognitione:* ac ẽt inuento illo discrimine in agẽtibus, nẽpe, quòd eorũ, quædã sunt, quæ iudicant de suis proprijs actibus per cognitionem propriam, quæ. est in ipsismet agentibus, determinant sibi finem, & actionem, qua pergunt in finem; ita vt ipsamet sint, quæ sibi determinant actionem, seù quæ se proprio iudicio determinant ad alteram partem: quædam verò sunt, in quibus non inuenitur cognitio, seù iudicium præstituens finem actionibus proprijs, & determinans sibi suas actiones; sed talis cognitio inuenitur in intellectu naturam instituente: atque adeò non sunt ipsamet, quæ sibi determinant actionem, sed eam habent determinatam ab eo, in quo inuenitur cognitio, seù iudicium, quod præstituit finem actionibus eorum, ficque sunt determinata ad alteram partem, seù ad vnum, ab intellectu naturã instituente, non autem à seipsis. Idq; est quod nos in nostra conclusione posuimus. Ex quo sequitur, quod si homo, seù humana voluntas, non determinaret se per suam propriam cognitionem ad alteram partẽ, seù non determinaret sibi actionẽ per suũ proprium iudicium, non haberet liberum arbitrium, & dominium suorum actuum. Et inde etiam fieret, quòd si voluntas non habens sibi determinatam à cognitione propria suam propriam actionem, seù existens non determinata ad alteram partem à sua cognitione, prodiret in actum, in eum prodiret sine dominio, immo simul prodiret in actus oppositos: cum non esset rõ, cur in vnũ prodiret, & non in alterũ.

Si homo nõ determinaret sibi actionẽ per propriũ iudiciũ, careret lib. arb

14 Et indè etiam patet, quid intelligat S. Doctor, dum in responsione ad primum docet, quòd *liberum arbitrium saluatur in Deo, quantum ad hoc, quòd determinatio sui actus non est sibi ab alio; sed à seipso: vndè ipse verissimè sui operis dominus est.* Sentit enim liberum arbitriũ in Deo saluari; quantùm ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi à cognitione, quæ est in alio agente; sed à cognitione, quæ est in ipso, ex qua habet dominiũ sui operis. Et hoc quidem satis diuersum est ab eo, quod concepit Suarius dictũ esse à S. Thoma. Porrò ipse existimat diuinam voluntatem prodire in actum determinatum non determinatam per iudicium; sed solùm per hoc, quòd prodit (nostro modo intelligendi) in actum, ita vt determinatio sit suus proprius actus, inquem intelligitur prodire: quod quidem, nec est à S. Thoma somniatum.

479 *Ex dictis patet qd intelligat S. D. in resp. ad primũ.*

15 Similiter patet quid S. Doctor sentiat in responsione ad tertium, dum dicit: *quòd Deo operãte liberum arbitrium operatur. Sed tamen determinatio actionis, & finis in libero arbitrio constituitur.* Hoc enim verum est, inquantùm Deo operante voluntas determinat sibi finem, & actum in finem per iudicium, quod est in ipso agente, seù habente voluntatem; non autem per iudicium, quod est in alio agẽte; sic enim est in potestate liberi arbitrij constituta determinatio actionis, & finis. Et tandem patet, nil esse in prædicta doctrina D. Thomæ, fauens cogitationi Suarij: Sed in ea esse expressissimè nostram conclusionem funditus subuertentem ipsius Suarij cogitationem.

480 *Quid sẽtiat S. D. in resp. ad 2.*

16 Dices. Etsi verum sit, D. Thomã sentire, prædictum axioma verificari in omni agente intellectuali, inquantùm habet

481 *Responsio.*

Digitized by Google

bet dominium sui actus: euidentissimè n. componit, immo, & deducit, intellectualia habere dominium sui actus posito prædicto axiomate; attamen in rei veritate posset res non ita se habere, ac per hoc exceptio illa Suarij, qua vult, sub prædicto axiomate non includi agentia, quæ habẽt suæ actionis dominium, videtur adhuc subsistere.

482 *Contra responsionẽ.*

17 Cõtra tamẽ est, Nã discursus prædictus S. Tho. continet veram demostrationem, quã probatur, voluntatem ex hoc habere dominium sui actus, quod habens voluntatem habet iudicium de actione propriæ voluntatis, quo eandem suam voluntatem determinat ad prodeundum in eam actionem, quam ipsummet voluntatẽ habens suo proprio iudicio determinat, agendam esse. Inquantùm, scilicet, se determinat iudicio rationis deliberantis, seù proferentis vltimam sentẽtiam, per quam dictat, præcipit, imperat, quid hìc, & nunc in singulari sibi agendum sit: de qua re agemus diffusè disp. 2. & 3. seq.

Primum supponendum ex auctoritate D. Thomæ.

483 *Doct. S.T. qua docet, qd̃ hõ ex hõc est dominus suorũ actuũ, q̃ hẽt deliberationem de eis.*

18 NVnc autem breuiter ex his, quæ in sequentibus disputabuntur probaturi sumus, suppono ex auctoritate S. Thomæ tria. Primum est, quòd creatura rationalis ex hoc habet dominium suorum actuum, quòd habet deliberationem de suis actibus. Inquit enim S. Doctor 1. 2. q. 6. art. 2. ad 2. *Dicendum, quòd ex hoc cõtingit, quòd homo est dominus sui actus, quòd habet deliberationẽ de suis actibus. Ex hoc enim, quòd ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas vtrumque potest.* Et eadem 1. 2. q. 109. art. 2. *Ad primum*, inquit, *dicendum, quòd homo est dominus suorum actuum, & volendi & nolendi propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad vnam partem, vel ad aliã.* Et hoc quidem, ita verum est, vt solus ille actus voluntatis sit sub eiusdem voluntatis dominio, seù sub liberi arbitrij potestate, qui deliberationem rationis sequitur; ille verò, qui deliberationem rationis subterfugit, non sit sub liberi arbitrij potestate. Hinc S. Doctor lib. 2. sen. dist. 24. q. 3. art. 2. in corp. sic habet. *Voluntas completum dominium habet in illis actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt: & hi sunt actus deliberationem sequentes, qui rationi ascribuntur.* Et de verit. q. 24. art. 12. in corp. sic habet. *Cum actus liberi arbitrij sit electio, quæ consilium, ideſt, deliberationem rationis sequitur, ad illud se liberum arbitrium extendere non potest, quod deliberationis rationis subterfugit.*

Alia loca S.D. ad idẽ

484 *Quæ sit voluntas deliberata, & q̃ indeliberata loca S.D.*

19 Hinc communiter dicitur, quòd quædam voluntas est deliberata, quædam indeliberata. Indeliberata, quæ à Damasceno (vt notat D. Thom. in 3. dist. 17. q. 1. art. 1. quæstiũcula 3. ad 1. & 3. p. q. 8. ar. 3. in corp.) appellatur, *Thelesis*, & à Magistro, cum S. Thom. voluntas, vt natura, importat actum voluntatis consequentem quandam apprehensionem absolutam boni conuenientis homini. Deliberata verò, quæ à Damasceno appellatur, *Bulisis*, & à Magistro, & alijs cum D. Thoma, voluntas, vt ratio, importat actum voluntatis consequentem actum rationis deliberantis. Hinc S. Doctor in 1. dist. 48. q. 1. art. 4. in corp. sic habet. *Est autem quædam voluntas in nobis naturalis, qua, scilicet, appetimus id, quod secundum se bonum est homini: & hæc sequitur apprehensionem rationis, prout est aliquid absolutè considerans, sicut vult homo scientiam, virtutem, sanitatem, & huiusmodi. Est etiam in nobis quædam voluntas deliberata, consequens actum rationis deliberantis de fine, & alijs circumstantijs.* Et in 2. dist. 24. q. 3. art. 1. in corp. sic dicit. *Rationis apprehensio dupliciter esse potest; vna simplex, & absoluta, quando, scilicet, statim sine discussione apprehensum dijudicat, & hanc apprehensionem sequitur voluntas, quæ dicitur indeliberata. Alia est inquisitiua, quando, scilicet, bonum, & malum conueniens, vel nociuum inuestigat, & talem apprehensionem sequitur voluntas deliberata. Ratio ergo inferior, quæ terrenis disponendis intendit, vtroque modo motum voluntatis circa terrena elicere potest, vel quando subitò apprehendit hoc esse conueniens, vel nociuum corpori, & tunc sequitur motus rationis inferioris, qui dicitur delectatio; quia tunc accipit illud, quod corpori delectabile est, vt faciendum: vel quando inquirendo deliberat: & tunc non potest sequi appetitus ante deliberationem finitam.* Et idem docet in eodem 2. dist. 39. q. 2. art. 2. ad 2. & alibi sæpe.

485 *Damasc.*

20 Adde Damascenũ lib. 2. Orth. fid. cap. 24. in fine; vbi sic habet. *Quæ non ex deliberatione, & consilio fiunt non sunt secundum electionem. Deliberatio verò electionem præcedat, necesse est, quemadmodum superius diximus.*

486 *Locus Aristot. ad idẽ*

21 Addere tam Aristotelem lib. 3. Ethic. ap. D. Thom. lect. 9. litt. textuali, d, vbi secundum versionem Argiropoli, quæ est clarior, sic habet. *Cum igitur ipsum eligibile sit consultabile appetibile ex his, quæ in nostra sunt potestate, & ipsa electio deliberatiua appetitio erit earum rerum,*

Digitized by Google

rum, quæ in nostra sunt potestate. Nam simul atque iudicamus ex consultatione, affectamus deliberationem, seù vt legit versio antiqua, *affectamus secundum consilium*. In quibus ex eo, quòd ipsum eligibile est consultabile, & consultabile est ex his, quæ sunt in nostra potestate, infert, quòd electio deliberatiua est appetitio earum rerum, quæ sunt in nostra potestate. Et hoc probat ex eo, quod statim, ac facta consultatione iudicamus, seù concludimus ex discussione consilij, affectamus secundùm quod definitum est per cõsilium, seù secundùm quod deliberatum est.

Secundum supponendum ex eodem S. Doctore.

487 *Quid importat rõnis deliberatio.*

22 SVppono secundò, quòd deliberatio rationis, seù actus rationis deliberantis importat consilium rationis, seù discursum rationis practicæ inquirentis de agendis terminatum ad sententiam, qua vltimatè determinat, quid hìc, & nunc sit eligendum, seù agendum, vndè completiuè importat practicum, & vltimatum dictamen rationis, quę per sententiam de singulari agendo applicat appetitum hìc, & nunc in actum illum, quem dictat agendum esse. Pro hac re, accipe primò doctrinam Aristotelis, & D. Tho. Porrò Aristoteles tertio de Anima tex. 59. apud D. Thom. lec. 16. assignãs differentiã inter animalia bruta, in quibus non inuenitur deliberatio, & hominem, in quo est deliberatio, sic habet. *Sẽsibilis igitur phãtasia, sicut dictum est, & in alijs animalibus inest. Deliberatiua autem rationalibus inest. Vtrum enim aget hoc, aut hoc, iam rationis, est opus. Et necesse est vno mensurare. Maius enim imitatur. Quare potest vnum ex pluribus phantasmatibus facere. Et causa hæc est, cur opinionem non putatur habere; quoniam eam, quæ ex syllogismo nõ habet. Hæc autem illam. Propter quod deliberatiuum non habet appetitus.* Quæ verba sic applicat S. Doct.

Insignis locus Arist. quo explicat rõnem deliberationis.

488 *Verba S. T. explicãtis Aristot.*

23 *Dicit ergo primò, quòd phantasia sensibilis, vt ex dictis patet, est etiam in alijs animalibus; sed illa, quæ est per deliberationem, est tantùm in rationalibus: quia considerare, vtrum hoc sit agendum, aut hoc (quod est deliberare) opus est rationis. Et in tali consideratione necesse est, accipere aliquam vnam regulam, vel finem, vel aliquid huiusmodi, ad quod mensuretur, quid sit magis agendum. Manifestum est enim, quod homo (imitatur) ideò desiderat id, quod est magis in bonitate, & id, q̃ est melius; melius autem semper dijudicamus mẽsura; & ideò oportet accipere aliquam mensuram in deliberando, quid magis sit agendum. Et hoc est medium, ex quo ratio practica syllogizat, quid sit eligendum. Vndè manifestum est, quòd ratio deliberans potest ex pluribus phantasmatibus vnum facere, scilicet, ex tribus, quorum vnum præeligitur alteri, & tertium est quasi mensura quæ præeligit. Et hæc est causa quare animalia non habent opinionem licèt habeant phãtasiam, quia non possunt vti syllogismo, per quem vnum præeligant alteri. Sed deliberatio rationis habet illam, aliàs non faceret ex pluribus phantasmatibus vnũ. Et indè est, quod appetitus inferior, qui sequitur phantasiam, non habet deliberationem, sed absque deliberatione mouetur ad concupiscendum, vel irascendum; quia scilicet, sequitur phantasiam sensibilem.*

489 *Sũma doctr. Arist.*

24 Ex quibus habes, deliberationem, qua ratio humana deliberat de agendis, importare rationis practicæ discursum, seù syllogismum, quo ratio practica inquirens de agendis, assumendo regulam agendorum, puta rationem finis, cui voluntas adhæret, & eam applicando singularibus agendis, hìc, & nunc occurrentibus, syllogizando concludit, seù inuenit, quid sit magis expediens, seù melius, hìc, & nunc, agere, ita vt hoc ipsum sit deliberare, nẽpe, syllogizando, & applicando regulam agendis, inuenire, quid hìc, & nunc, sit melius agere. Et quòd bruta animalia ratione carentia ideò non deliberant; quia sequuntur phantasiam sensibilem, qua sine discursu, & applicatione regulæ dijudicant.

490 *Alius locus S. D. referentis eum dẽ locum Aristotel.*

25 Meminit huius doctrinæ Aristotelis S. Doctor quæst. 10. de veritate art. 5. in corp. vbi sic habet. *Motus ab anima ad res incipit à mente, & procedit in partem sensitiuam, prout mens regit inferiores vires, & sic singularibus se immiscet, mouẽte ratione particulari, quæ est quædam potentia indiuidualis, quæ alio nomine dicitur cogitatiua, & habet determinatũ organum in corpore, scilicet, mediam cellulam capitis. Vniuersalem verò sententiam, quam mens habet de operabilibus, non est possibile applicari ad particulare actum; nisi per aliquam potentiam mediã apprehendentem singulare, vt sic fiat quidam syllogismus, cuius maior sit vniuersalis, quæ est sententia mentis, minor autem singularis, quæ est applicatio particularis rationis, conclusio verò electio singularis operis, vt patet per id, quod habetur 3. de Anima.* Locus autem Aristotelis est, quem proximè retulimus iunctus cum sequẽti, quẽ parũ infra subiungit, puta eadem lec. 16. in tex. lit. e, vbi sic hẽt Arist.

Scienti-

491 *Verba Aristot. relata à S.Th.*

26 *Scientificum autem non mouet; sed manet. Quoniam autem hoc quidem vniuersalis existimatio & ratio: alia verò particularis. Hæc quidem enim dicit, quòd oportet talem, tale agere, hoc autem, quòd hoc quidem est tale, & ego talis iam hæc mouet opinio, non quæ vniuersalis. Aut vtraq; sed hæc quidem quiescens magis, hæc autem non.* Quæ verba sic diligenter explicat S. Doctor. *Ostendit, quæ ratio sit mouens. Et primò sciendum est, quòd ratio speculatiua, quam appellat scientificam, non mouet; sed in quiete est; quia nihil de imitando, vel fugiendo dicit, vt supra dictum est. Ratio autem practica quædam est vniuersalis, & quædam particularis. Vniuersalis quidem, sicut, quæ dicit quòd oportet talem, tale agere; sicut filium honorare parentes. Ratio autem particularis dicit, quòd hoc quidem est tale & ego talis, puta quòd ego filius, & hunc honorem debeo nunc exibere parenti. Hæc autem opinio mouet, non autem illa, quæ est vniuersalis. Aut si vtraque mouet, illa, quæ est vniuersalis, mouet vt causa prima & quiescens; particularis verò, vt causa proxima, & quodammodo motui applicata. Nam operationes, & motus in particularibus sunt; vndè oportet ad hoc; quòd motus sequatur, opinio vniuersalis ad particularia applicetur.* Ex quibus omnibus patet deliberationem rationis practicę importare istum syllogismum, quo practica ratio assumens aliquam regulam agendorum, puta, vniuersalem propositionem, eam syllogizando applicat actioni singulari, dum concludit, quod hoc, hic, & nunc, est expediens, seù melius, vt agatur; actum verò deliberandi completiuè importare ipsam singularem sententiam rationis, quam deducit per applicationem vniuersalis regulæ ad singularem actionem: sicut actus sciendi completiuè importat cognitionem deductam per syllogismum demonstratiuum, licèt possit significare totum discursum demonstratiuum.

Concluditur ex dictis, deliberationẽ importare cõcluſ. syllogismi practici.

492 *Loca S.D. vbi loquitur de dicto syllogismo.*

27 Meminit huius syllogismi rationis practicæ, quem importat ipsa rationis deliberatio, D. Thomas sæpissime. Hinc 1. 2. quæst. 76. art. 1. in corp. sic habet. *Considerandum est, quòd ratio secundùm duplicem scientiam est humanorum actuum directiua, scilicet, secundùm scientiam vniuersalem, & particularem. Conferẽs enim de agẽdis vtitur quodam syllogismo, cuius conclusio est iudicium, seù electio, & operatio; actiones autem in singularibus sunt, vndè conclusio syllogismi operatiui est singularis. Singularis autem propositio non concluditur ex vniuersali, nisi mediante aliqua propositione singulari.* Et q. 3. de malo art. 9. ad 7. sic habet. *Dicendum, quòd cum actus peccati & virtutis sit secundum electionem; electio autem est appetitus præconsiliati: consilium autem est quædam inquisitio necesse est, quod in quolibet actu virtutis, vel peccati sit quædam deductio quasi syllogistica.* Et lib. 6. Ethic. lec. 9. circa finem, sic loquitur de hoc syllogismo operatiuo. *Oportet in hoc syllogismo operatiuo, secundùm quem ratio mouet ad agendum, esse minorem singularem & etiam conclusionem, quæ cõcludit ipsummet operabile, quod est singulare.* Idque millies passìm apud S. Doct. inueniens.

Tertium Supponendum.

28 TErtiò suppono id, quod in doctrina Aristotelis, & D. Thomæ est euidentissimum, nempè, quòd ratio practica, dum ex ratione finis, cui voluntas inhæret, suo syllogismo concludit, seù sententiat, & deliberat, quòd, hìc, & nunc, hoc est expediens, & melius, vt fiat, seù nunc hoc est agendum: efficaciter impellit voluntatem in actum conclusum, seù sententiatum, & deliberatum: nata quidem, vt statim ac profert sententiam, seù in illo eodem instanti, quo concludit, & deliberat, quid sit agendum, inducit voluntatem in actum interiorem sententiatum, seù conclusum, & etiam in exteriorem, si deliberatio sit de actu exteriori, & non adest impedimentum.

493 *Sẽtiaẽnis practicę efficaciter mouet voluntatem.*

Docuit hoc expresse Aristoteles, & D. Thomas 7. Ethicorum lec. 3. litera text. 8, vbi sic loquitur Arist. secundum versionem Argiropoli, quę est clarior. *Hoc modo quisquiã naturaliter inspexerit causam: Opinionum enim alia est vniuersalis alia de singularibus, quibus iã ipse præsidet sẽsus. Atq; cum ex ipsis ratio fuerit vna: anima conclusum ipsum in contemplandis quidem dicat; in agendis autem rebus, continuò agat necesse est. Nam si omne dulce gustare oportet; & hoc est dulce, ut vnũquid singularium; is hoc simul, & agat, qui potest, nec prohibetur, necesse est.*

Locus Arist. pro dicta doctrina.

494 *Expositio S. Doct.*

29 Quæ quidem verba sic explicat in Commentario S. Thom. *Dicit ergo, quòd si aliquis velit considerare causam, quare incontinentes, præter scientiam agant secundum naturalem processum scientia practica, oportet scire, quòd in eius processu est duplex opinio, vna quidem vniuersalis, puta, omne inhonestum est fugiendum: alia autem singularis, circa ea, quæ propriè secundum sensum cognoscũtur, puta hoc est inhonestum. Cum autem*

Digitized by Google

ex his duabus opinionibus fiat vna ratio, necesse est, quòd sequatur conclusio; sed in speculatiuis anima solùm dicit conclusionem. In factiuis autem statim operatur ea. Vt si opinio vniuersalis sit, quòd omne dulce oportet gustare. Opinio autem particularis sit, quòd hoc (demonstrato aliquo particulari) sit dulce, necessè est, quod ille, qui potest gustare, statim gustet; nisi sit aliquid prohibens. Hæc S. Doctor in quibus ex Aristotele docet expressè, quod intendimus, nempè, quòd ratio practica, dum concludit supposita adhæsione voluntatis ad finem, quam explicat assensus in propositione vniuersali, inducit statim operationem, idque spectare ad munus scientiæ practicæ, quæ in hoc differt à speculatiua, quòd illa dicit conclusionem, hæc verò infert operationem.

495 *Insignia loca S. D. quibus probat electionẽ sequi determinationẽ consilij.*

30 Hinc S. Doctor ex ipso Aristotele sæpissimè docet, quod electio sequitur determinationem consilij. Ita vt id, quod iam definitũ est, & sententiatũ per syllogismũ operatiuum, eligatur, sic loquitur Arist. lib. 3. Ethic. apud D. Thom. lec. 9. lit. text. a, & b. *Consiliabile autem, & eligibile idẽ. Verumtamen determinatum est iam eligibile. Quod enim ex consilio præiudicatum est, eligibile est. Quiescit enim vnusquisq; quærens qualiter operabitur, quando in seipsum reducet principium, & ipsũ in antecedens: hoc enim est, quod eligitur.* Quæ verba sic explicat S. Doctor. *Comparat ergo primò consilium ad electionem dupliciter, vno modo quantùm ad obiectũ, siuè materiam vtriusq; in quo conueniũt: & quantùm ad hoc dicit, quòd idem est consiliabile, & eligibile; quia, videlicet, tàm consilium, quàm electio est de his, quæ operantur propter finem. Alio modo quãtùm ad ordinem vtriusq. Et quantùm ad hoc dicit, quòd quando iam determinatum est aliquid per consilium, tunc primò eligitur, quasi consilio præcedente electionem.* Nota hîc ly, *quando iam determinatum est aliquid per cõsilium tunc primò eligitur*; nam per ly, *quando*, & ly, *tunc* designat, quòd tunc, quãdo aliquid est determinatum, seù deliberatum per consiliũ, eligitur tunc primò, licèt determinatio consilij præcedat natura electionem. Deindè attende ad explicationem alterius partis textus. Nam sequitur. *Deindè cum dicit (quod enim ex consilio, &c. manifestat quod dixerat per rationem sumptam ex his, quæ supra dicta sunt de consilio, & dicit, quòd ideò determinatio consilij præcedit electionem, quia oportet, quòd post inquisitionem consilij sequatur iudicium de inuentis per consilium. Et tunc primò eligitur id, quod prius est iudicatum. Et quod iudicium rationis consequatur inquisitionem consilij, manifestat per hoc, quod vnusquisq. qui inquirit consiliando, qualiter debeat operari, desistit à consiliando, quando inquisitionem suam resoluendo perduxit ad id, quod ipse potest operari. Et si plura potest operari, quando reducit ad antecedens id est, ad id, quod ei primò operandum occurrit. Et hoc est, quod eligitur, scilicet, quod primò operãdum occurrit, vndè relinquitur, quòd electio sequitur determinationem consilij.*

496 *Alia loca S. D. ad idẽ*

31 Hinc D. Thomas 1. 2. q. 12. art. 1. ad 2. sic habet. *Dicendum, quòd conclusio syllogismi, quæ fit in operabilibus, ad rationem pertinet, & dicitur sententia, vel iudicium, quam sequitur electio, & ob hoc ipsa cõclusio pertinere videtur ad electionem, tanquam ad consequens*, id est, tanquam ad id, quod sequitur ad ipsam. Et art. 3. sequenti eiusdem quæstionis, sic habet. *Dicendum, quod, sicut iam dictum est*, verbis modo relatis, *electio sequitur sententiam, vel iudicium, quod est sicut conclusio syllogismi operatiui: vndè illud cadit sub electione, quod est sicut conclusio syllogismi operabilium.* Nota bene hoc, denotat. n. S. D. quòd illud, q̃nõ cõcluditur per syllogismũ operabilium, non cadit sub electione; ideoq; vt sic eligi minimè põt.

497 *Valde nota hunc locum.*

32 Et 3. p. q. 18. art. 4. ad 2. sic habet. *Dicendum, quod electio præsupponit consilium, non tamen sequitur ex consilio nisi iam determinato per iudicium, illud. n. quod iudicamus agendum post inquisitionem consilij, eligimus, vt in 3. Ethic. dicitur. Et ideò si aliquid iudicetur vt agendum absq; dubitatione, & inquisitione hoc sufficit ad electionem.* Hæc S. Doctor, & similia millies reperies ex quibus appareret, quòd electio sequitur determinationẽ factam per consilium, quæ idem est, quod deliberatio rationis. Vt habet S. Doctor de verit. q. 24. art. 12. in corp. verbis relatis nu. 18. huius §. sequitur, inquam, non solùm, quia illud præsupponitur; sed quia ex illa sequitur, vt effectus ad causam: hoc enim designauit S. Doctor, dum dixit electio præsupponit consilium, non sequitur ex consilio, nisi iam determinato per iudicium: illa enim particula, *nisi*, hoc significat, nempè, quod electio sequitur ex consilio determinato per iudicium, & aliter non sequitur.

498 *Impossibile est, q̃ voluntas discordet ad vltimata sẽia rõnis practicæ.*

33 Et hoc quidem ita verum est, vt implicet, & sit impossibile voluntatẽ discordare ab eo, quod hìc, & nunc definitur agendum per vltimam sententiam, seù determinationem consilij, seù conclusionem syllogismi operatiui. Ita S. Doctor q. 24. de verit. art. 2. in corp. vbi sic habet. *Appetitus*

Digitized by Google

titus cognitionem sequitur, cum appetitus non sit nisi boni quod sibi per vim cognitiuã proponitur. Et quòd quandoq; appetitus videatur cognitionem non sequi, hoc ideò est; quia non circa idem decipitur appetitus, & cognitionis iudicium. Est enim appetitus de particulari operabili; iudicium verò cognitionis quãdoque est de aliquo vniuersali, quod est quandoque contrarium appetitui. Sed iudicium de hoc particulari eligibili, vt nunc, nunquam potest esse contrarium appetitui. Hæc S. Doctor. Qui idem confirmat, & probat à priori quæstione de malo artic. 2. in corp. illis verbis. *Sciendum est, quòd appetitus nihil est aliud, quàm inclinatio quadam in appetibile. Et sicut appetitus naturalis consequitur formam naturalem, ita appetitus sensitiuus, vel rationalis consequitur formam apprehensam, non enim est, nisi boni apprehensi per sensum, vel intellectum. Non ergo potest malum in appetitu accidere ex hoc, quod discordat ab apprehensione, quam sequitur.* Hæc S. Doctor. in quibus ratione, quam disputatione tertia demonstratiuam probabimus, concludit, non posse voluntatem discordare, à dictamine vltimato, & singulari rationis practicæ.

+ 16

598 *Ex dictis concluditur intentum.*

34 His ex auctoritate S. Doctoris, & Aristotelis positis, quæ erunt disputatione 3. probanda, facilè apparet, voluntatem nostram non habere dominium sui actus, nisi per id, quod eandem voluntatem mouet, & determinat ad vnum. Siquidem per hoc habet voluntas nostra dominium sui actus, quod nos deliberamus de nostris actibus, ratio autem, dum de agendis deliberat, determinatè accipit vnam partem, voluntatemque impellit in eandem partem, per hoc ergo voluntas habet dominium sui actus, quod impellitur, & determinatur ad alteram partem à ratione deliberante.

PVNCTVM QVARTVM
in quo

Soluuntur obiectiones.

SOluendæ sunt in hoc quarto, & vltimo puncto obiectiones. Verùm circa eas aduertendum est, quòd quædam sunt, quarum solutio notitiam eorum expostulat, quę in secunda, & tertia, sequentibus disputationibus sunt à nobis definiẽda; quædam verò tales non sunt: atque has in hac disputatione proponemus, precipuè autem eas, quas ex auctoritate S. Doctoris aduersarij obijciunt: eas verò, quæ doctrinã in sequentibus disputationibus explicandam expoſcunt, in eisdem disputationibus proponemus.

§. XII.

Prima obiectio ex Hieronymo Faſolo, & Ioſepho Requeſens proponitur, ipſiq; obijcientes conuincuntur.

1 POteſt obijci primò doctrina, quã Faſolus tanquam ex D. Thom. extractam affert 1.p.quęſt.14.artic.3.dub. 17.num.421. vbi obijcit ſibi illam propoſitionem: A cauſa indifferenti, inquantùm indifferens, non exit determinatus actus: & reſpondet his verbis. *Mirificè placet expreſsè ſignari, atque inculcari frequẽter præcipuum contrariæ opinionis fundamentum, quia ex illius debilitate clariſsimè demonſtrata, conſtare apud omnes certò, & facilè poterit, quam vim habeat opinio, quæ tali fundamento ipſorum auctorum confeſſione, maximè nititur. Itaque iuxta doctrinam S.Thomæ 1. Perihermenias lec. 14. allatam ſupra num. 345. diſtinguenda eſt maior, in qua fundatur totum argumentum, eſt enim vera de cauſa indifferente non libera; ſed neceſſaria, qualis eſt, v.g. oculus indifferens ad videndum album, & nigrum, qui propterea ad determinatam viſionem albi indiget prædeterminari ſpecie albi: & eandem indifferentiam, inquit S. Thomas, habet materia ſublunaris ad diuerſas formas ſubſtantiales. & habẽt corpora cœleſtia ad diuerſa vbi: & ideò indigent aliqua determinatione, vt cauſare poſſint determinatum effectum. Falſa autem de cauſa indifferenti libera.* Hæc Faſolus. Ex quibus poteſt obijci contra noſtram concluſionem. Nam ſi dicta reſponſio eſt ſecundum doctrinam D. Thomæ hoc loco, quem Faſolus citat: iam D. Thom. ſaltem in hoc loco reprobat dictum axioma in cauſis liberis.

Doctr. quã ſub nomine D.T. ſub mittit Faſ.

500

2 Eandem doctrinam, ſed multò vberiorem, & cum multis expreſſionibus ad ſuam firmàdam exiſtimationem affert Ioſephus Requeſens tanquam allatam à S. Thoma hac eadem lect. 14. 1. lib. Perihermenias. Hic enim diſputan. 12. ſelectarum diſputat. in 1. 2. D. Thom. ſection. 3. numer. 61. fol. 281. obijcit contra ſe axioma de quo agimus, nempè, à principio indeterminato, & indifferenti non poteſt exire aliquod determinatum. Et reſpondet dicens. *Retorqueo argumentũ: voluntas ſolũ determinata ad amorẽ põt odio habere*

501

Doctrina, quam imponit S.T. Req

habere, quamvis non habeat prædeterminationem ad odium: ergo potentia non determinata potest exire in aliquod determinatum. Et addit num. 62. dicens. *Respondeo igitur cum S Thoma 1. Perih. lec. 14. indifferentiam, & indeterminationem esse de essentia actus primi potentiæ liberæ, quæ sicuti per hoc vltimò, & completè distinguitur ab actu primo potentiæ necessariæ, quod sit indeterminata antequam operetur, ita sit radix determinationis seù actus determinatissime vlla prædeterminatione antecedente; vt patet exemplo Dei, qui verè operatur liberè, quamvis nulla in eo præcedat prædeterminatio ante actualem operationem, aliter daretur processus in infinitum in prædeterminationibus, vt voluntas diuina intelligeretur prædeterminata ad hanc potiùs prædeterminationem habendam, quàm aliã. Distinguo igitur maiorem: ab indeterminato, & necessario nõ potest exire aliquod determinatum concedo, à principio libero, & indeterminato, non quidem ex defectu conditionis requisitæ ad agendum sed ex natura libertatis, nego & distinguo minorem, est indeterminata indeterminatione tollente potentiam proximam à principio libero, nego; indeterminatione constituente potentiam proximam in ratione principij liberi, concedo.* Ita Requesens. Quæ quidem doctrina, vt vides, tota, ad minus secundum substantiam eorum, quæ continet, ascribitur D. Thomæ. Inquit enim iste bonus vir, *Respondeo cum S. Thoma*, ac per hoc designat suam huius responsionis doctrinam fuisse allatam à S. Thoma: In prædicta autem responsione non solùm posuit contradictorium eorum, quæ ex S. Thoma expressissima doctrina definimus in tota hac disputatione; sed etiam explicationem in propriis terminis totius excogitati ab his recentioribus circa exitum voluntatis in actus liberos, simul cum præcipuis rationibus, quas ijdem Recentiores ad suam phantasiam probandam excogitarunt. Mira res! Sed quis patiens audiet hæc? Si enim scripta D. Thomæ perijssent, tolerabilis, & venialis esset audacia dicendi quodlibet de tanto Ecclesiæ Doctore, quando ex præsentia scriptorum confundi minimè posset obloquentis audacia; At verò ipso Sancto Doctore præsente, ei impingere contradictoria suæ doctrinæ, nimis exorbitat.

Doctr. hæc tota, saltem sũ substãtiã ascribitur S.T. à Reques.

(: † :)

Requesinio, & Fasolo respondetur verbis Fasoli, & statuitur contra eos conclusio.

502 Resp. quæ datur Req. & Fasolo.

3 REspondeo igitur Fasolo verbis eiusdem Fasoli. *Mirificè placet expressè signari, & inculcari frequenter præcipua S. Thomæ testimonia, quæ existimantur, contrariæ opinionis fundamentum; quia ex illorum,* non dico *debilitate;* sed nullitate, & absoluta non existentia in scriptis S. Doctoris, *clarissimè demonstrata constare apud omnes certò, & facilè poterit, quam vim habeat opinio, quæ tali fundamento ipsorum auctorum confessione maximè nititur.* Quare statue sequentem conclusionem.

Conclusio aduersus dictos Recentes.

503 Cõcl. cõtra prædictos.

4 NIhil penitùs habetur in D. Th. loco ab his Recentibus citato ex his, quæ ijdem Recentes dicunt fuæ fauere sententiæ: potiùs autem habetur doctrina in hac disputatione sæpiùs inculcata, qua prædictorum Recentium existimatio funditùs euertitur.

504 Quid D.T. cũ Arist. in q. 1. de cæl. à Fas.

5 Conclusio hæc probari euidentiùs non potest, quam trãscribendo fideliter integrum textum S. D. quem vterq; ex dictis Recentibus designat. Quilibet enim simplici intuitu statim videbit, nil omninò esse eorum, quæ ei ascribunt. Itaq; sciendum est, quòd hoc loco lib. 1. Periher. quæ exponit S. Doctor hac lec. 14. agitat Aristoteles quæstionem illam, quæ his temporibus maximè viget, habetque Aristoteles quamplures ex recentibus post Molinam sibi contrarios: nempè, An oporteat oppositarum propositionum singularium de futuro contingenti alteram esse veram, & alteram falsam. Probauerat autẽ Aristoteles; quod si altera prædictarum propositionum esset vera, & altera falsa, sicut hoc verum est de alijs propositionibus, sequeretur omnia euentura necessariò, quod quia est falsum, inferebat falsitatem antecedentis. Falsitatem consequentis probabat ex eo, quia si omnia necessario euenirent, rerum contingentia tolleretur, & simul liberum arbitrium, & ex consequenti non oporteret consiliari de rebus humanis, periretque scientia moralis, quæ circa hæc versatur. Sic ergo hac occasione assumit Aristoteles aliquas propositiones spectantes ad liberum arbitrium, & ad rerum contingentiam, quas Sanctus Doctor hac lect. 14. exponit, definitque hac occasione arduum dubium Theologicum, concordatq;

diuinam

diuinam prouidentiam, voluntatisque diuinæ decreta cum rerum contingentia nostrique arbitrij libertate. Vndè hanc lectionem, sic incipit S. Doctor.

505 verba S. D. quibus incipit lec. 14.

6 *Ostenderat superius Philosophus, ducendo ad inconuenies, quòd non est similiter verum vel falsum determinatè in altero oppositorum in singularibus, & futuris, sicut supra de alijs enunciationibus dixerat: nunc autem ostendit inconuenientia, ad quæ adduxerat esse impossibilia. Et circa hoc duo facit. Primò ostendit impossibilia ea, quæ sequebantur. Secundò cõcludit, quomodo circa hæc se veritas habet ibi (igitur esse quod est) circa primum tria facit. Primò ponit inconuenientia, quæ sequuntur Secundò ostendit, hæc inconuenientia ex prædicta positione sequi ibi (Nihil enim prohibet) Tertiò ostendit esse impossibilia inconuenientia memorata, ibi (Quod si hæc possibilia non sunt.) Dicit ergo primò ex prædictis rationibus concludens, quòd hæc inconuenientia sequuntur, si ponatur, quòd necesse sit oppositarum enunciationum alterã determinatè esse veram, & alterã esse falsam similiter in singularibus, sicut in vniuersalibus, quòd, scilicet, nihil in his, quæ fiunt, sit ad vtrumlibet; sed omnia sint, & fiant ex necessitate. Et ex hoc vlteriùs inducit alia duo inconuenientia, quorum primum est, quod non oportebit de aliquo consiliari. Probatum est enim in 3. Ethic. quod consilium non est de his, quæ sunt ex necessitate; sed solùm de contingentibus, quæ possunt esse, & non esse. Secundum inconueniens est, quòd omnes actiones humanæ, quæ sunt propter aliquem finem puta, negotiatio quæ est propter diuitias acquirendas, erunt superflue: quia si omnia ex necessitate eueniunt, siuè operemur, siuè non operemur, erit quod intendimus. Sed hoc est contra intentionem hominum, quia ea intentione videntur consiliari, & negotiari, vt si hæc faciant, erit talis finis, si autem faciant aliquid aliud, erit alius finis.* His verbis S. Doctor incepit hanc lectionem; ex quibus apparet intentionem S. Doctoris in tota hac lect. esse quam diximus. Patet etiam nihil in hac lectionis parte inueniri, quod vel leuiter indicet S. Doctorem, docere principium illud, *ab indeterminato non procedit aliquis effectus*, intelligi non de causis liberis, sed dumtaxat de necessarijs.

506 *Recẽtiores nõ bẽnt leue testimoniũ contra se, dũ bẽnt*

7 Expresse enim docet cum philosophorum omnium principe, sequi absurda, si propositionum singularium oppositarũ de futuro contingenti ponatur altera determinatè vera, & altera determinatè falsa: quod contra ipsos obijcientes est in primò, & vnico fundamento, ex quo totũ eorum ædificium in concilianda nostra libertate cum diuina prouidentia consurgit. Nec sanè leue testimonium contra ipsos est Peripateticorum princeps in rebus logicis. Quem si excusare vellent de ignorata Theologia, non leuis Theologi testimonium contra se habent, quando S. Thomã habent, cui nec dicere possunt in huius loci explicatione non aduertisse, philosophi doctrinam obesse theologicis veritatibus, quando in hac eadem lectione proponit quæstionem de concilianda nostra libertate, seù etiam euentuum contingentia, cum diuina prouidentia, diuinæque voluntatis decretis, ipsamq; soluit concilians efficaciam diuinæ voluntatis cum effectuum cõtingentia, & libertate supposita Aristotelis, & suæ expositionis doctrina. *Aris. et D. Thomam.*

8 Verùm, redeundo ad Fasolum, certum est, ipsum non attendisse ad recitatam partem lec. S. Doctoris, quippe quia se refert ad verba, quæ ipsemet num. 315. ex hac lec. D. Thomæ citauerat, quæ alia sunt à nunc relatis, & modo infra referam. At verò non ita certum est de Requesenio, qui locum huius lectionis non citat: videtur tamen certum, ad aliquam partem eius attendisse. Nam licèt citet lectionem quartam lib. 1. Periher. videtur tamen id accidisse ex impressoris defectu. Nam lec 4. tàm Aristoteles, quàm D. Thom. non nisi de nominis diffinitione loquuntur: nec ad aliud, etiam per accidens, se diuertunt. Sicque certum esse videtur, vel attendisse Requesenium ad aliquam partem lectionis quartædecimæ, vel (quod ego veriùs puto) non ad D. Thomam, quem fortè non vidit (sic enim licèt piè existimare de pio viro, ne imponatur ei impostura crimen) sed ad Fasolum, vel alium similem attendisse, addidisseque ex suo illam vberem suæ sententiæ explicationem, ipsamq; D. Tho. considerato dicto Fasoli, ascripsisse. Verùm quoniam, an ita sit ignoramus. posset q; aliquis existimare in aliqua huius lection. 14. parte inuenisse Requesenium, quod ipse refert: ideò ad defendendum S. Thomam ab iectitijs hisce doctrinis, referemus, tam verba ad quæ attendit Fasolus, quàm reliquas huius lec. 14. partes. 507 *Fas. refert determinata verba S. D. non sic Reques.*

9 Itaq; Fasolus num. 315. dub. 17. ad art. 13. q. 14. ad quem se refert verbis relatis num. 1. huius §. sic habet. *Nunc placet addere contra Thomistas ex eodem S. Th. doctrinam notatu dignissimam, in lib. 1. Periher. lec. 14. ante medium, qua asserit, sufficientem rationem contingentiæ non esse habere simpliciter potentiam ad esse, & non esse, siuè ad vtrumque oppositorum; quia hanc potentiam habet materia* 508 *Verba Fas. quibus arg. contra Thomistas.*

Digitized by Google

ria sublunaris ad diuersas formas substãtiales, & habẽt corpora cœlestia ad diuersa vbi, & tamen, inquit, (nihil ex eis euenit contingenter; sed solùm ex necessitate. Vndè dicendum est, quòd possibilitas materiæ, si communiter loquamur, nõ est sufficiens ratio contingentiæ, nisi etiam addatur ex parte potentiæ actiuæ, quòd non sit omnino determinata ad vnum: alioquin, si ita sit determinata ad vnum, quòd impediri non potest, consequens est, quòd ex necessitate reducat in actum potentiam passiuam eodem modo) Hæc, quæ Parenthesi conclusimus, ex D. Th. Fasolus. Postquæ sic subiungit. *Sed voluntas per decretum prædeterminans, ita est determinata ad vnum, quòd impediri nõ potest: nam illa decreti prædeterminatio, neque posita est à libero arbitrio: neque posita quã posita est potest liberè tolli, aut fieri inefficax.* Ergo per S. Thomam tollit contingentiam, & libertatem. Hæc Fasolus.

509 *Nihil pãt notari in doctr. S.T. pro Fasolo.*

10 Sed nunc audita iam doctrina notatu dignissima, ad quam se retulit Fasolus in illa sua distinctione, qua restrinxit illud principium, *A causa indifferenti, inquantùm indifferens, non exit determinatus actus*, ad causas indifferentes non liberas: Interrogo Fasolum: quid notare debemus in tam insigni auctoritate? Est ne in ea distinctio illa, propter quam ipse dixit: *Distinguenda est maior*, puta, illa propositio: *A causa indifferenti, inquantùm indifferens, non exit determinatus actus, est enim vera de causa indifferente non libera; sed necessaria: falsa autem de causa indifferente libera?* Dicat quod verbum de tali principio? Dicat quod verbum de causis liberis? Dicat quod verbum de prædicta distinctione? Si ergo nil horum in ea notare possumus: dicat cur dixerit. *Itaque iuxta doctrinam S. Thomæ 1. Periher. lect. 14. allatam num. 315. distinguenda est maior*, s. A causa indifferenti, inquantùm indifferens non exit determinatus actus: *Est enim vera de causa indifferente non libera; sed necessaria: falsa autem de causa indifferenti libera?* Cur iuxta doctrinam D. Thomæ in eo loco talis distinctio, talisque principij restrictio ad causas non liberas, quando in citata doctrina, nec de distinctione, nec de principio, nec de causis liberis, vel non liberis mentio aliqua facta fuit?

Reprehenditur, & cõuincitur Fasolus.

510 *Licèt supponãtur, quod est Fasẽ in D. Th. adhuc nullitèr cõcluderet.*

11 Num dicet, dixisse D. Thomam: *quod possibilitas materiæ ad vtrumq; si cõmuniter loquamur, non est sufficiens ratio cõtingẽtiæ, nisi et addatur ex parte potẽtiæ actiuæ, quòd non sit omnino determinata ad vnum: alioquin, si ita sit determinata ad vnum, quòd impediri non potest, consequens est, quòd ex necessitate reducit in actum potentiam passiuam eodem modo*, ex quo videtur sequi, excludendum esse decretum prædeterminans? Sed quid inde?

Pone decretum diuinum prædeterminans excludendum esse ab omni effectu contingente, idque colligi ex prædicta doctrina (quod tamen falsum esse statim demonstrabo) num propter hoc habebis ex dicta auctoritate, principium illud. *A causa indifferente, inquantùm indifferens, nõ exit determinatus actus*, esse verum de causa contingenti non libera, falsum verò de libera? Quis hoc sanus mẽte deducet?

511 *Conuincitur Fasol. inaniter deduxisse.*

12 Fortè ne ex doctrina S. Thomæ sic philosopharis? Possibilitas materiæ ad vtrumque non est sufficiens ratio contingentiæ; nisi addatur ex parte potentiæ actiuæ, quòd non sit omnino determinata ad vnum, ita vt impediri nequeat, quin inducat effectum. Ergo principium illud, *A causa indifferenti non exit determinatus actus*, est verum de causa non libera, falsum verò de libera? Sed quæ connexio huius consequentis cum antecedente? quæ arte enthymema istud reduces ad syllogismum? Quis medius terminus? Quæ maior, quæ minor extremitas, quando nihil conclusionis extat in antecedẽte? Quare conclude, non iuxta doctrinam D. Thomæ restrinxisse Fasolum principium illud ad causas non liberas; sed nullo in D. Thoma fundamento habito. Et indè tandem agnoscat ipse Fasolus, quam vim habeat ista sua distinctio, & opinio circa dictum principium, quæ tali fundamento ipsiusmet Fasoli confessione maximè nititur. Et hæc sunt verba ipsiusmet Fasoli supra num. 1. huius §. relata, quibus & suam commendat, & nostram, quam ex D. Thoma stabiliuimus, oppugnat sententiam.

Impugnatur Requesenius, conuincitur; vel de leui credulitate, vel de impostura.

512

13 VEnio nunc ad Requesenium, ipsumque interrogo: an cũ doctrina D. Thomæ loci huius, quem citat Fasolus, responderit, cum dixit verbis relatis num. 2 huius §. Respondeo cum D. Th. lib. 1. Perihermenias? Si affirmat: contra eum pono integrum S. Thomę textum huius loci citati à Fasolo. Vbi S. Doctor post explicationem textus Arist. proponit dubium motum à Boetio circa possibile, & necessarium: & postquam duos relatos ab ipso Boetio recensuit dicendi modos, eosque impugnauit, sic rem prosequitur. *Et idcò alij meliùs, ita dixerunt secundùm naturam rerum, vt, scilicet dicatur illud necessarium, quòd in sua natura determinatum*

Opponitur Reques. integer tex. S. Thomæ

Digitized by Google

natum est solùm ad esse: impossibile autẽ, quod est determinatum solùm ad non esse: possibile autem, quod ad neutrum est omnino determinatum, siuè se habeat magis ad vnum, quàm ad alterum, siuè se habeat aqualiter ad vtrumque, quod dicitur contingens ad vtrumlibet. Et hoc est, quod Boethus aſcribit Philoni. Sed manifestè hęc est sententia Arist in hoc loco. Assignat enim rationem possibilitatis, et contingentiæ; in his quidem, quæ sunt à nobis, ex eo quòd sumus consiliatiui. in alijs autem ex eo, quòd materia est in potentia ad vtrumque oppositorum. Sed videtur hæc ratio non esse sufficiens. Sicut enim in corporibus corruptibilibus materia inuenitur in potentia se habens ad esse, & non esse, ita etiam in corporibus cœlestibus inuenitur potentia ad diuersa vbi, & tamen nihil in eis euenit cõtingenter; sed solùm ex necessitate. Vndè dicendum est, quòd possibilitas materiæ ad vtrumq; si communiter loquamur, non est sufficiens ratio contingentiæ. nisi etiã addatur ex parte potentiæ actiuæ, quòd non sit omnino determinata ad vnũ: aliquin si ita sit determinatum ad vnum, quòd impediri non possit, consequens est, quòd ex necessitate reducat in actum potentiam possimam eodem modo. Hęc S. Doctor.

513 Expenditur dicta doctrina S.T.

14 In quibus, vt vides, postquam S. Doctor assignauit proprias rationes, seù definitiones secundum naturam ipsarum rerum, necessarij, impossibilis, & possibilis, seù contingentis; *assignat ex manifesta sententia Aristotelis hoc loco rationem possibilitatis seù contingentiæ, in his quidem, quæ sunt à nobis*, ideſt, ex nostro libero arbitrio, *ex eo, quod sumus consiliatiui: in alijs autem*, scilicet, possibilibus, seù contingentibus, quæ non sunt à nostro libero arbitrio, *ex eo, quod materia est in potentia ad vtrumque oppositorum.* Et de hac ratione contingentiæ, quæ est in alijs, quæ scilicet, non sunt à nobis, seù nostro libero arbitrio; sed quæ oritur ex potentia materiæ ad neutrum determinata, excitat subindè S. Doctor dubium, dicens: *sed videtur hæc ratio non esse sufficiens*, & dubium resoluit, concedens in his contingentibus, quæ non sunt à nobis, possibilitatẽ materiæ ad vtrumque non esse sufficientem rationem contingentiæ; *nisi addatur ex parte potentiæ actiuæ* (quæ scilicet, respicitur ab ipsa possibilitate materiæ, qualis est sola potentia naturalis agentis) *quòd non sit omnino determinata ad vnum, ita quod impediri non possit*, qualis sola est potentia actiua mouentis cœlos in ordine ad motum, seù diuersa, vbi, ipsorum cœlorum. Et hoc obiter valdè nota. Indè enim conuinces Fasolum inconsideratè processisse, dum ex hac D. Thomę doctrina, qua ipse S. Doctor solùm à contingentibus, quæ non sunt à libero arbitrio, quorum ratio contingentiæ est possibilitas materiæ ad vtrumque, excludit potentiam actiuam naturalem inimpedibilem ab inducendo effectum, seù omninò determinatam ad vnum, ita vt impediri nequeat: ipse Fasolus vult excludere determinationem diuini decreti à contingentibus, quæ sunt in nostra potestate, quorum contingentiæ ratio non est possibilitas materiæ ad vtrumque; sed ex eo, quod sumus consiliatiui, & de quibus S. Doctor nullo modo loquitur in dicto dubio, vt statim post disputationem, quam modo habeo cum Requesenio, ostendam.

514 *Verba Reques. q̃ dicit ex S. T. desũpsisse.*

15 Peto itaq; à Requesenio: An in modò relata doctrina S. Thomæ, sit suæ responsionis doctrina, qua dicit: *Indifferentiam, & indeterminationem esse de essentia actus primi potentiæ liberæ quæ sic vti per hoc vltimò, & completè distinguitur ab actu primò potentiæ necessariæ, quod sit indeterminata antequam operetur, ita sit radix determinationis, seù actus determinati sine vlla determinatione antecedente, vt patet exemplo Dei, qui verè operatur liberè, quamuis nulla in eo præcedat predeterminatio ante actualẽ operationem, aliter daretur processus in infinitum?* Non peto: An hæc sua doctrina sit, vel non sit vera; sed siuè sit, siuè non sit vera, an sit in recitatis verbis S. Thomę, cũ quo dicit Requesenius, se respondere?

515 *Exemplũ Requ. s. nõ est in D. T.*

16 Incipiendo autem ab vltimo suæ responsionis: arbitror, eum non responsurum, exemplum de Deo reperiri in prædictis verbis S. Doctoris. Quis enim hoc dicet? Putauerim potiùs eum dicturum, exemplum ex sua propria existimatione adhibuisse ad doctrinam, quam credidit se à D. Thoma accepisse, illustrandam. Verùm circa hoc debuisset aduertere Requesenius, sibi esse oppositam sententiam S. Doct. circa ideni exemplum. Docet enim S. Doctor sępissimè, Deum liberè non operari, nisi inquantùm se determinat ad hoc, vel illud agendum per iudicium sui diuini intellectus, vt supra agentes contra Iosephum Agustinum §. 6. in fine notauimus. Idq; docet expresè S. Doctor in 2. dist. 25. artic. 1. in corp. cuius doctrinam expendimus contra Suarium §. 11. à num. 6. & de. inceps. Idem etiam docet lib. 1. contra gen. cap. 93. vbi ratione 4 ex eo probat in Deo esse propriè prudentiam; quia diuina voluntas in his, quæ sunt alia ab ipso determinatur ad vnum per cognitionem suam.

Sea S. T. circa exẽplũ opponitur Requesen.

Verba S. D. doctis opponitur.

Digitized by Google

suam, & sic habet. *Diuina voluntas in his, quæ sunt alia ab ipso, determinatur ad vnum per cognitionem suam (vt supra ostensum est) cognitio autem ordinans voluntatem ad agendum prudentia est, quia secũdum philosophum 6. Ethicorum prudentia est recta ratio agibilium. Est igitur in Deo prudentia.* In quibus, vt vides, vult, voluntatem diuinam determinari ad vnum eligendum per iudicium prudentię. Certum est autem, ēt secundùm ipsummet Requesenium, iudicium prudentiæ præcedere electionem: ergo secundum D. Thomam voluntas diuina per aliquid præcedens operationem suæ voluntatis determinatur ad opetandum.

516 *Alia testimonia S. D. quibus cõuincitur Requesen.*

17 Idem docet locis, ad quæ se refert, dum dicit, *vt supra dictum est*, puta, cap. 82. & 88. In priori quidem loco, verbis relatis in hac disp. §. 2. num. 8. vbi sibi obijcit illud principium, Ab eo, quod est ad vtrũlibet, &c. Et respondet non oportere ex vi talis principij voluntatem Dei determinandam esse per aliquid realiter distinctũ; sed per cognitionem boni, quæ non est aliquid distinctum realiter à diuina volunte; in posteriori verò, puta, cap. 88. sic habet ratione 2. *Voluntas diuina in his, ad quæ non secundum naturam suam determinatur, inclinatur quodammodo per suum intellectum (vt supra ostensum est)* videlicet cap. 82. *Sed ex hoc homo dicitur præ cęteris animalibus liberum arbitrium habere, quia ad volendum iudicio rationis inclinatur, non impetu naturæ, sicut bruta. Ergo in Deo est liberum arbitrium.* In quibus, vt vides, ex eo probat in Deo esse liberum arbitrium; quia diuina voluntas in ordine ad ea, ad quæ non est determinata à natura, determinatur per suum intellectum. Idem enim significat S. Doctor, per ly, *inclinatur*, & per ly, *determinatur*, vt patet, tum ex loco ad quem se refert, dum dicit, *vt supra dictum est*, puta, cap. præcedenti 82. vbi concedit voluntatem diuinam determinari per bonũ appræhensum à suo diuino intellectu, tum ex his, quæ ex eodem S. Doctore notauimus in hac disp. § 6. num. 16. & 17. Addidit autem terminum illum, *quodammodo*, vt designaret istam determinationem esse, non per principium realiter distinctũ; sed secundùm modum nostrum concipiẽdi. Patet ergo ex his locis S. Doct. quod exemplum allatum à Requesenio in sua responsione, non solùm non est in citatis verbis S. Doctoris ex lec. 14. p. lib. Perih. sed nec est conforme doctrinæ eiusdem S. Doctoris, qui de ipsa re, quæ affertur in exemplum, docet oppositum. Immò etiam multoties obijcit contra se, & soluit illam

Notabile pro intelligẽda doct. S. Thomæ

rationem de processu in infinitum, quam nos afferemus disput. 3. simul cum locis S. Doct. vbi eam soluit.

517

18 Sic ergo, dum tale exemplum cõstat non esse in recensitis verbis S. Doct. remanet, vt Requesenius ostendat in eis inueniri, saltem secundum substantiam, doctrinam suæ responsionis, qua dicit, *indeterminationem esse de essẽtia actus primi potentiæ liberæ, quæ sicut per hoc vltimò, & completè distinguitur ab actu primo potentiæ necessariæ quod sit ex se indeterminata antequam operetur, ita sit radix determinationis, seù actus determinati sine vlla determinatione præcedente.*

518 *tres doctrinas tradit hoc loco S. Doctor.*

19 Porrò S. Doctor verbis relatis ex lec. 14. p. Perih. tres doctrinas breuiter recensuit. primam de necessario, secundam de impossibili, & tertiam de possibili, seù contingenti, inquiens: *Dicitur necessariũ, quod in sua natura determinatum est solùm ad esse: impossibile, quod est determinatum solùm ad non esse: possibile, quod ad neutrum est omninò determinatum, siuè se habeat magis ad vnum, quàm ad aliud, siuè se habeat æqualiter ad vtrumque, quod dicitur contingens ad vtrumlibet.* Dicat ergo Requesenius, in qua ex dictis doctrinis S. Doctoris, doctrina illa suæ responsionis de actu primò potentiæ liberæ continetur? non potest dicere in duabus primis, quia liberum, nec potest esse determinatum solùm ad esse, nec solùm ad non esse. Quare remanet, quòd si doctrina Requesenij in prædictis doctrinis S. Th. contineretur, non nisi in illa cõtineri, posset, qua S. Doctor dicit, *possibile, quod ad neutrum est determinatum, siuè se habeat magis ad vnum, quam ad aliud, siue se habeat æqualiter ad vtrumque, quod dicitur contingens ad vtrumlibet.* Nec sanè est aliud, quod dici potest.

Doctr. Reques. nõ nisi in 3. doctr. posset inueniri.

519 *Nil doctr. Requef. in D. T. inuenitur.*

20 Oporteret ergo, Requesenium asserere, D. Thomam verbis prædictis explicasse propriam rationem potentiæ liberæ, ipsamque dixisse, cuius actus primus ad neutrum est determinatus antecedenter ad suam operationem, ita vt sit radix determinati effectus nulla determinatione præcedente. Sed quis legens prædicta verba S. Doctoris non dicet, merè hæc esse conficta, nilque huius excogitati esse in D. Thoma? Euidens profectò est S. Doct. prędictis verbis diffiniisse possibile, seù contingens in communi, prout est membrum contradistinctum à necessariò, & impossibili, seù explicasse ipsam rationem contingentiæ, quæ est communis, tam contingenti libero, quàm non libero; non autem ipsam rationem libertatis. Hinc S. Doct. referens, tanquam dictum ab Aristotele,

Conuincitur Req. ex verbis S. Doct.

totum

totum id, quod continetur prędicta diffinitione entis possibilis, seù contingentis, sic subiungit. *Sed manifestè hæc est sententia Aristotelis in hoc loco. Assignat enim rationem possibilitatis, & contingentiæ* (nota benè non dixit libertatis; sed possibilitatis, & contingentiæ) *in his quidem, quæ sunt in nobis, ex eo quòd sumus consiliativi; in alijs autem ex eo quòd materia est in potentia ad vtrumque oppositorum.* Ex quibus apparet, vtrumque genus contingentium, siue quod est in nobis, siue quodcumq; aliud contingens, quod habet materiam subiectam contrarietati continetur sub illa diffinitione, qua S. Doct. dixit, *possibile esse, quod ad neutrum est omninò determinatum*, ac per hoc definiuit ipsum possibile, seù contingens, vt sic. Numquid idem erit diffinire contingens, & diffinire liberum? Num nil, nisi liberum est tale, quod potest esse, & non esse, seù quod non est omninò determinatum ad esse, nec omninò determinatum ad non esse, quod est ad neutrum esse omninò determinatum? Quis hoc dicet?

520 *Absurda, in quæ incidit Fos. & attribuit D. Th.*

21 Vide ergo in quæ prorumperet Requesenius, si existimaret doctrinam suæ responsionis esse in prędictis verbis D. Th. Primò putaret definitionem possibilitatis, seù contingentiæ, coincidere cum diffinitione libertatis, quasi nihil esset possibile contingens, nisi solùm liberum. Secundò tribueret contingenti, vt sic, principium indifferens, quod ex se esset causa determinatæ operationis nulla determinatione præcedente. Tertiò totam hãc doctrinam ascriberet S. Thomæ: cum tamen omnia hæc sint falsissima, & sententiæ S. Thomæ opposita. Nam in hoc loco explicat rationem possibilitatis, seù contingentiæ, non autem rationem libertatis. Licèt enim omne liberum creatum sit contingens, nõ autem omne contingens est liberum. Amplius S. Doct. omninò impossibilem censet exitum actionis à principio indeterminato, vt patet ex locis in hac disputatione relatis, nec aliquid S. Doct. affert hoc loco spectans ad istum punctum. Quare necesse est Requesenium fateri, vel se temerè imposuisse S. Thomæ, quod in S. Thoma non est, vel id bona fide fecisse, quia credulus alicui hoc dicenti assensum præbuit: vel se errasse in loci citatione, sed tunc incumberet ei locum S. Doctoris ostendere, vbi suæ responsionis doctrina inueniretur, quod nec facit, nec est possibile eum facere non existente tali doctrina in D. Tho.

Conuincitur Requ. vel esse impostorem, vel credulum.

Probatur secunda pars conclusionis.

22 DVo diximus in nostra conclusione nu. 4. huius §. primum est, nil esse in loco S. Doct. relato à Requesenio eorum, quæ ei ascribit idem Requesenius. Secundum est: aliquid esse in eodem loco, quod veritatem principij de quo agimus confirmat. Primum hactenus probauimus: secundum sic nunc ostẽdimus. Nam, inquit D. Thomas ex Aristotele, quod ratio contingentiæ in his, quæ sunt in nobis, est ex eo, quod sumus consiliativi, referens se ad ea, quæ in eadem lectione dixerat ad verba Aristotelis notata litera d, puta illa: *Quod si hæc non sunt possibilia: videmur enim esse principium futurorum, & ab eo, quod consultamus, & agimus aliquid.* Quæ verba sic explicat S. Doctor. 521 *verba Aristotelis.*

23 *Quantùm autem ad res humanas ostendit esse impossibilia, quæ dicta sunt, per hoc, quod homo manifestè videtur esse principium eorum futurorũ, quæ agit, quasi dominus existens suorum actuum, & in sua potestate habens agere, vel non agere. Quod quidem principium, si removeatur, tollitur totus ordo conversationis humanæ, & omnia principia philosophiæ moralis. Hoc enim sublato non erit aliqua utilitas persuasionis, nec comminationis, nec permutationis, aut remunerationis, quibus homines alliciuntur ad ad bona, & retrahuntur à malis, & sic euacuatur tota ciuilis scientia. Hoc ergo Philosophus accipit pro principio manifesto, quod homo sit principium futurorum; non est autem futurorum principium, nisi per hoc, quod consiliatur, & facit aliquid: ea enim, quæ agunt absq; consilio nõ habent dominium sui actus, quasi libere iudicantes de his, quæ sunt agenda; sed quædam naturali instinctu mouentur ad ad agendum, vt patet in animalibus brutis.* 522 *Explicat. S. Thomæ.*

24 Ex his autem apparet, aliquid esse in hoc loco à S. Doctor dictum pertinẽs ad cõfirmationem axiomatis, de quo agimus. Nam, vt supra probauimus, tale axioma secundum mentem S. Doctoris verificatur in causis liberis per hoc, quod voluntas non eligit, seù aliquid liberè vult, vt habens dominium sui actus, nisi determinata per sententiam inuentam per consilium rationis deliberantis, seù per iudicium deliberatum, ratione cuius habet liberè iudicare, vt domina sui actus, seù vt habens arbitriũ de suo proprio actu. Verbis autem quæ modo retulimus hoc ipsum asserit S. Doctor, dum dicit: *Ea quæ agunt absq;* 523 *Ex verbis S. Th. colligitur nostra cõclus.*

absq; consilio, nõ habẽt dominium sui actus quasi liberè iudicantis de his, quæ sunt agenda, ad quæ ipse S. Doctor se refert verbis illis, *assignat Aristoteles in hoc loco rationem possibilitatis, & contingentiæ, in his quidem, quæ sunt à nobis, ex eo quod sumus consiliatiui.* Habemus ergo in hoc ipso loco, quem Requesenius, & Fasolus citant, aliquid, quo principium, de quo agimus, confirmatur.

DVBIVM VNICVM APPENDIX circa solutionem ad primum

An secundùm doctrinam S. Thomæ, quam Fasolus citat verbis relatis in num. 9. eamq; dicit notatu dignissimam sibi excludenda ab effectibus contingentibus, et liberis decreta diuina absoluta, seù antecedentia vsum nostræ libertatis.

524. 25 DVbium hoc excitamus, & quasi appendimus circa solutionem ad primum argumentum, ne aliqua prætereat data nobis occasio defendendi D. Thomam, ne ei imponatur doctrina non sua. Proponentes enim argumentum ex his, quæ Fasolus imponebat S. Thomæ, casu incidimus in aliud argumentum, quo ipsemet Fasolus imponit S. Tho. quòd secundùm doctrinam, quam habet in hac lec. 14. 1. lib. Periher. decretum diuinum absolutum, & antecedens vsum nostræ libertatis; quod, scilicet, non supponit scientiam vsus nostræ libertatis sub conditione futuri, tollit contingentiam, & libertatem: vndè concludit verbis relatis nu. 9. Ergo decretum prædeterminãs per S. Th. tollit contingentiam, & libertatem. Nomine autem decreti prædeterminantis non solùm intelligit diuinum decretum inferens causis secundis motionem determinantem eas ad indefectibiliter operandum, vt ponitur à quibusdam Recentibus, & nos dari negamus; sed etiam actũ diuinę voluntatis absolutum, quo sine vsu scientiæ conditionatæ vult absolutè, aliquem effectum esse, vel non esse, à causis creatis contingenter agentibus, quod decretum nos cum S. Thoma ponimus: soletque à Recentibus appellari antecedens, vsum nostræ libertatis, inquantùm non supponit effectum præscitum futurum in statu conditionato. Ac per hoc Fasolus asserit, D. Thomam illis verbis, quæ ipsæ citat ex lec. 14. lib. 1. Periher. docere, quòd determinatio dicti decreti, quod ponere, vel auferre, non est in potestate nostræ voluntatis, tollat contingentiam, & libertatem à causis creatis. Vt ergo defendamus S. Thomam ab hoc, quod ei imponit Fasolus, præsens dubium obiter excitauimus, quo non quærimus: An talia decreta sint, vel non sint in Deo, nec; An tollant, vel non tollant contingentiam, & libertatem: hæc enim non obiter tractanda sunt; sed altiorem expoſcunt indaginem. Id verò, quod quærimus, est. An secundum doctrinam D. Thom. in hac lec. 14. quam citat Fasolus, debeamus dicere, prædicta decreta imponere necessitatem, & excludere contingentiam, & libertatem ab effectibus causarum contingentium absolutè, & determinatè volitis. *Punct. difficultatis.*

Quid intelligit Fasol. nõe decreti prædeterminantis.

Resolutio dubij.

525 26 AD quod dicendum est: non haberi in tota lec. 14. lib. 1. Periher. (quam citat Fasolus 1. p. q. 14. art. 13. dub. 17. num. 315.) doctrinam, quæ, vel leuiter, indicet, decreta absoluta, & determinata diuinæ volũtatis de effectibus causarum contingentium, & liberarum imponere necessitatem, quæ excludat contingentiam, & libertatem ab eisdem effectibus; sed haberi doctrinam, qua S. Doctor expresse docet oppositum, videlicet, diuinæ voluntatis decreta efficacissima, & determinatissima, quæque impediri minimè possunt, ne perueniant ad effectum determinatissimè volitum, non imponere necessitatem, qua effectuum tollatur contingentia, vel libertas.

526 27 Duas habet partes hæc resolutio. Prima negat, affirmat altera. Illa negat esse in D. Thoma, quæ ei imponit Fasolus: hæc verò affirmat, D. Thomam docere expresse oppositum in eadem omnino lectione. Prima pars sic probari potest. Nã si aliquid doctrinæ S. Doct. in hac lectione faueret Fasolo; maximè illa esset, quam verbis citatis ab ipsomet Fasolo expressit, dicens: *Possibilitas materiæ ad vtrumlibet, si communiter loquamur, non est sufficiens ratio contingentiæ; nisi etiam addatur ex parte potentiæ actiuæ, quòd non sit omninò determinata ad vnum: aliquin, si ita sit determinata ad vnum, quòd impediri non potest; consequens est, quòd ex necessitate reducat in actum potentiã passiuam eodem modo.* Sed hæc nullo modo fauet Fasolo. Ergo. Probo minorem. Quia si Fasolo faueret, id esset per hoc, quòd ex prædicta doctrina, & ex eo, quod assumit Fasolus, posset in bona consequentia, & seruato recto modo argumentandi inferri

Concl. hẽt duas partes.

Probatur prima pars

Digitized by Google

inferri illa conclusio: *Ergo per Diuum Thomam decretum prædeterminans tollit contingentiam*. Sed hoc fieri minimè potest. Ergo &c. Probo minorem. Nam Fasolus sub recitata doctrina S. Thomæ sic subsumit; *sed voluntas per decretum prædeterminans ita est determinata ad vnū, quòd impediri non potest. Nam illa decreti prædeterminatio, nec posita est ex libero voluntatis consensu, nec posita esset, potest liberè tolli, aut fieri ineffieax.* Et deindè infert *Ergo per Diuum Thom. tollit contingentiam, & libertatem.* At verò ex doctrina D.Th. & ex prædicto subsumpto nec dictū consequens, neq; aliud inferri potest; quippè quia non est vera subsumpta, quod stat sub doctrina D. Th. sed aliquid omnino disparatum: Ergo

527 *Explicatur vltimū subsūptū. Assertio S. Doct.*

28 Explicatur hoc. Propositio Sancti Thomæ est, si potentia actiua, quæ scilicet respicitur à possibilitate materiæ ad vtrūque, ita sit determinata ad vnum, quòd impediri non potest, possibilitas materiæ ad oppositа, loquendo communiter, (tam scilicet, vt comprehendit possibilitatem, quæ est in corporibus cœlestibus ad diuersa vbi, quam possibilitatem, quæ est in omnibus corruptibilibus ad esse, & non esse per hanc, vel illam formām) non est sufficiens ratio contingentiæ; quia potentia actiua determinata ad vnum, si impediri non potest, reducet potentiam passiuam in actum eodem necessitatis modo, quo est ipsa potentia actiua. Propositio autem, quæ posset subsumi sub prædicta propositione, esset ista; sed hoc, e. g. decretum diuinum prædeterminans, est potentia actiua determinata ad vnum, quæ impediri non potest, inordine ad possibilitatem materiæ ad vtrumlibet. Ex qua deindè posset inferri. Ergo possibilitas materiæ non est sufficiens ratio contingentiæ; quia potentia diuini decreti determinata ad vnum reduceret in actum possibilitatem materiæ eodem modo, &c. Tunc autem esset falsa minor; & esto esset vera nihil concluderet ad propositum. Esset quidem falsa minor. Nam diuinum decretum non est potentia actiua determinata ad vnum; potentia enim actiua Dei est omnipotentia, quæ non est determinata ad vnum; sed se habet indifferenter ad multa. Decretum verò diuinum importat actum applicantem diuinam omnipotentiam ad determinatum effectum habendum secundum illum modum, quem voluntas vult. Amplius diuina omnipotentia non est illa potentia actiua, quæ inspicitur à possibilitate materiæ: potentia enim actiua, quam respicit possibilitas materiæ, est potentia naturalis, quæ est determinata ad vnum: ex quo sequitur, quòd si impediri non potest, inducet effectum ex necessitate naturali. Potētia aūt diuina nō est determinata ad vnum, vt dixi, & ideo in ordine ad ipsā non pōt haberi ista necessitas.

Quid pōt subsumi sub prædicta propositione.

29 Esto etiam esset vera minor, adhuc nihil concluderet ad propositum. Id enim quod posset inferri, esset: Ergo possibilitas materiæ ad vtrumlibet non est sufficiēs ratio contingentiæ; seù quòd actus, in quem reducitur possibilitas materiæ à potentia actiua, quæ esset diuinum decretum, non est contingens. Non autem posset inferri, quòd non est sufficiens ratio contingentiæ eorum, quæ sunt à nobis, hæc, scilicet, quòd nos sumus consiliatiui. Ista enim contingentiæ ratio, cum non fit possibilitas materiæ, non respicit potentiam actiuam naturalem; sed respicit principium, vndè nos consiliamur de agendis; & quia consilium non est de his, quæ sunt ex necessitate; & ratio agendorum, per quam consiliamur, est ratio finis, quæ non habet necessariam connexionem cum agendis; ideo est, quòd ista, quæ sunt à nobis, possunt esse, & nō esse, & sunt contingentia; respiciuntq; vt proprium principium actiuum, ipsam rationē consiliatiuam de agendis, quæ non est determinata ad vnum. Vndè ad excludendā hanc contingentiam hoc requireretur, nēpè, quòd ratio finis, ex qua mouemur ad eligendum, sit inimpedibilis ad inducendam electionem particularis agibilis; seù quòd fit necessariò connexa cum singularibus agendis. Sicut enim se habet potētia actiua naturalis, quæ impediri non potest, ad reducendum in actum possibilitatem materiæ; ita se habet forma apprehensa finis, qui est propriū principiū mouens ad appetendū, ad reducēdū possibilitatē appetitus, quā habet in ordine ad ea, quę sūt ad finē.

528 *Quid posset inferri ex minori si cōcederetur.*

Quid esset pbādū ad excludendā contingētiā eorū, quæ sūt in nobis.

30 Hinc D.Thom. hoc loco duas obiectiones proponit circa istas duas rationes contingentiæ, alterā, qua infert, possibilitatem materiæ non sufficere contingētię: alterā verò, qua infert, rationē cōsiliatiui non esse sufficientē rationem contingētiæ eorum, quę sunt in nobis. Et primā quidem proposuit verbis relatis n. 27. secundā verò circa finē eiusdem lect. 14. postquam cōpletè soluit replicam, quā adiecit solutioni primæ obiectionis. Vndè subdit. *Similiter aūt aliā radicē cōtingentiæ, quam hic Philosoph ponit, ex hoc, quòd sumus consiliatiui, aliqui subuertere nituntur; volentes ostendere, quòd voluntas in eligendo ex necessitate mouetur, &c.* Sic ergo apparet, q̃ ex eo, quòd decretum diuinū esset potētia determinata ad vnū respectu possibilitatis materiæ, non posset inferri, nō haberi sufficientem radicem contingentiæ ex hoc,

529 *S. D. proponit obiectionē cōtra aliā radicē cōtingentiæ.*

quod sumus consiliatiui; seù esse ex necessitate ea, quæ sunt à nobis.

530 *Enumerãtur incõuenientia inuẽta in arcum Fas.*

31 Vide ergo, quæ simul implicat, & confundit Fasolus. dum ex hoc, quod diuinum decretum nõ potest deficere ab effectu, infert, quòd tollitur libertas nostrorũ actuum. Argumentatur tanquam si ratio contingentiæ eorum, quæ sunt à nobis, esset possibilitas materiæ: insuper, non secus ac decretum diuinum esset potentia actiua determinata ad vnum in ordine ad possibilitatem materiæ, quæ tractatur, ac si esset ratio contingentiæ eorum, quæ sunt in nobis. Amplius confundit libertatem cum contingentia, & saltat ex his, quæ malè assumit, vt dicta à S. Thoma circa contingẽtiam, venientem ex possibilitate materiæ ad opposita, ad tollendam contingẽtiam prouenientem ex eo, quòd sumus consiliatiui, non distinguens inter vnam, & alteram radicem cõtingentiæ. Et tandẽ (quod prius est) conclusionem suam tribuit D.T. dicens: ergo *secundum D.Thomam*, &c. Ex quo nos cogimur S. Th. defendere.

531 *Proposita cõtra Fas. probãtur.*

32 Vt, quæ diximus euidenter cognoscas: peto à Fasolo, vt dicat, quænam est illa ratio, quæ secundùm S. Thom. loquendo communiter, non sufficit contingentia, nisi addatur ex parte potentiæ actiuæ, qđ non sit, ita determinata ad vnum, quòd impediri non potest? Sed quid dicere potest, nisi possibilitatem materiæ ad vtrumque? Sic enim habet S. Doctor. *Sed possibilitas materiæ ad vtrumque, si communiter loquamur, non est sufficiens ratio contingentiæ nisi etiam addatur ex parte potentiæ actiuæ, &c.* Iterum peto: An possibilitas materiæ ad vtrumque secundùm D. Thom. & Aristotelem hoc loco, sit ratio contingentiæ eorum, quæ sunt à nobis, seù à nostro libero arbitrio, an verò sit dũtaxat ratio contingẽtiæ in alijs entibus merè naturalibus, quæ possunt esse, & non esse, qualia sunt corruptibilia sublunaria? Sed quid respondebit; nisi hoc secundum? Siquidem duplicem rationem contingentiæ assignauit S. Doctor ex Aristotele hoc loco, alteram eorum, quæ sunt in nostra potestate, quæ contingẽtiæ ratio est ex hoc quòd sumus consiliatiui; alteram verò aliorum omnium contingentium, quæ non sũt à nobis; & hanc dixit esse possibilitatem materiæ ad vtrumque. Sic enim inquit S. Doctor. *Manifestè hæc est sententia Aristotelis hoc loco: assignauit enim rationem possibilitatis, & contingentiæ, in his quidem, quæ sunt à nobis, ex eo, quòd sumus consiliatiui: in alijs autem ex eo, quòd materia est in potentia ad vtrumque oppositorum.* Possibilitas ergo materiæ ad vtrumque oppositorum est ratio contingentiæ in alijs, & quæ non sunt ex his, quæ sunt à nostro libero arbitrio. Decet ergo S. Doctor expressè, quòd possibilitas materiæ ad vtrumque oppositorum, quæ est ratio contingentiæ in entibus naturalibus, non est sufficiens ratio contingentiæ eorumdem entium; nisi addatur ex parte potentiæ actiuæ, quòd non sit, ita determinata ad vnum, quod impediri non possit. Sed tunc quæro; Quæ est ista potentia actiua respectu materiæ habentis potentiam ad opposita, quæ est determinata ad vnum, & in ordine ad aliquos effectus impediri non potest, & in ordine ad aliquos impediri potest? Sic enim habet Sanct. Doctor; *nisi etiam addatur ex parte potentiæ actiuæ, quòd non sit omnino determinata ad vnum; aliquin, si ita sit determinata ad vnum, quòd impediri non potest, &c.* quibus designat dari potentiam actiuam respectu possibilitatis materiæ, quæ sit omnino determinata ad vnum, quæ scilicet, impediri non potest, & etiam, quæ non sit omnino determinata ad vnum, & quæ impediri potest. Hoc ergo peto: Quæ est ista potentia actiua respectu materiæ, habens istam naturam, seù conditionem, puta, quæ potest esse omnino determinata ad vnum, taliter vt impediri non possit, & etiam potest esse determinata ad vnum, non omnino, quæ, scilicet, impediri potest? Sed quis non videt, talem esse potentiam actiuam agentis naturalis? cum enim sermo sit de contingentibus naturalibus quorum contingentiæ ratio est possibilitas materiæ ad vtrumque, non potest esse, nisi potentia actiua naturalis agentis, ista, quæ & inuenitur in ordine ad aliquos effectus omnino determinata ad vnum, ita quòd impediri non potest, vt est potentia actiua mouentis cœlos in ordine ad illos effectus, qui immediate recipiuntur in ipsis cœlis, vt sunt motus ipsi cœlorum, eclipses, oppositiones, coniunctiones, exaltationes, retrogradationes planetarum, & similes: & etiam inuenitur in ordine ad aliquos alios nõ omnino determinata, ita vt impediri possit, vt in ordine ad aliquos effectus sublunares in ordine ad quos tàm virtus cœlestis corporis, quã quælibet alia inferior, impediri põt, vt sunt generationes viuẽtium, & similiũ. Ex quo est, quod in istis; non in illis, possibilitas materiæ ad vtrumque est ratio contingentiæ.

S. Thom.

Possibilitas materiæ ad vtrũq; est radix cõtingentiæ in alijs, nõ in his, q̃ sunt ex nobis.

Inqritur, quæ sit põa actiua respectu possibilitatis materiæ.

Nõ põt esse, nisi põa actiua naturalis.

33 Nunc ergo dicat Fasolus; quæ arte, qua regula sub ista potentia omnino determinata ad vnum; ita vt impediri non possit, quin reducat possibilitatem materiæ in actum, ac per hoc imponat necessitatem effectibus merè naturalibus 532

Sine regu lis, & arte subsumit Fas. in suo argum.

turalibus, potuit ipse subsumere decretum diuinum de actibus humanis, ad excludendam contingentiam, non quæ est ex possibilitate materiæ; sed quæ est ex hoc, quod nos sumus consiliatiui? Num diuinum decretum est potentia actiua omninò determinata ad vnum; & actus nostri liberi arbitrij sunt actus materiæ habentis possibilitatem ad oppositа? Quis hæc dicet?

34 Vide ergo modum argumentandi Fasoli. §. Doctor dicit potentia actiua omninò determinata ad vnum, ita quòd impediri non possit, ex necessitate reducit possibilitatem materiæ in actum, ac per hoc excludit contingentiam, quæ radicatur in possibilitate materiæ ad oppositа. Sub hac propositione subsumit Fasolus, sed decretum diuinum de actibus, qui sunt ex nostro libero arbitrio, impediri non potest. Et deindè infert. Ergo decretum diuinum tollit contingentiam à nostris actibus, quorum contingentia est ex hoc, quod sumus consiliatiui. In quo sanè modo arguendi includuntur illa inconuenientia, quæ num. 31. huius §. enumerauimus. Quorum omnium radix hæc vna est. Quia D. Th. rationem necessitatis circa effectus receptos in possibilitate materiæ, dixit esse totum hoc; puta, *potentia actiua omninò determinata ad vnum, ita quod impediri non potest*; quod totum deberet esse medius terminus ad inferẽdam necessitatem effectuum naturalium. Fasolus autem non posuit in suo subsumpto totum illud, quod S. Doctor dixit, esse rationem necessitatis effectuũ naturalium; sed solùm hoc, puta, *causa, quæ impediri non potest*, quasi Sanc. Doctor dixerit: Ab eo, quod impediri non potest procedit effectus necessarius; quod tamen est falsum, nec asserrum à S. Thoma. Et indè Fasolus arguendo incidit in illa inconuenientia, & Diuo Thom. attribuit, quod in ipso non est.

533 *Discursus Fas. proponitur eiusque vitia manifestã tur.*

Probatur alia pars conclusionis. Quòd. s. D. Th. lec. 14. 1. lib. Perih. expressè docet, diuina decreta absoluta de effectibus contingentibus, & liberis non tollere ab eisdem effectibus contingentiam, & libertatem.

534 35 SEcundam autem conclusionis partem continentem hęc, quę in titulo posuimus euidentissimè probat ipsemet textus S. Doctoris in eadem lect. 14. Siquidem postquam posuit illam doctrinam citatã à Fasolo, puta; *Dicendum est, quòd possibilitas materiæ ad vtrumq; si communiter loquamur, non est sufficiens ratio contingentiæ; nisi etiam addatur ex parte potentiæ actiuæ, quòd non sit omninò determinata ad vnum: alioquin, si ita sit determinata ad vnum, quòd impediri non potest, consequens est, quòd ex necessitate reducat in actum potentiam passiuã eodem modo.* Statim subiungit fallum consequens, quod ex prædicta doctrina deducebant Stoici, & sic subiungit. *Hoc igitur quidam attendentes posuerunt, quòd potentia quæ est in ipsis rebus naturalibus, sortitur necessitatem ex aliqua causa determinata ad vnum quam dixerunt fatũ. Quorum Stoici posuerunt fatum in quadam serie, seu commistione causarum, supponentes, quòd omne, quod in mundo accidit, habet causam: causa autem posita necesse est effectum poni. Et si vna causa per se non sufficit, multa causæ ad hoc concurrentes acceperũt rationẽ vnius causæ sufficientis. Et ita concludebant, quod omnia ex necessitate eueniunt.* Itaq; vt vides, Stoici ex illa doctrina S. Thomæ, & suppositis alijs duabus propositionibus, scilicet, quod omne, quod accidit in mundo, habet causam, & quòd posita causa, necesse est effectum poni, inferebant omnia ex necessitate euenire.

Posita fal lacia doctr. opponit S. D difficultatẽ Stoic.

535 *S. D. soluit prædictã difficultatẽ ex doctr. Arist.*

36 Soluit deindè prædictam rationẽ Stoicorum ex doctrina Aristotelis; & sic subiungit. *Sed hanc rationem soluit Arist. in 6. metha. interimens vtramq; propositionum assumptarum. Dicit enim, quòd non omne, quod fit, habet causam: sed solùm illud, quod est per se. Sed illud, qđ est per accidens, non habet causam; quia propriè non est ens; sed magis ordinatur cum non ente, vt etiam Plato dixit. Vndè esse musicum habet causam, & similiter esse album; sed hoc, quod est, musicum esse album, non habet causam: & idem est in omnibus alijs huiusmodi. Similiter etiã hæc est falsa, quòd posita causa, etiam sufficienti, necesse est effectum poni. Non enim omnis causa est talis, etiam si sufficiens sit, quod eius effectus impediri non possit: sicut ignis est sufficiens causa combustionis lignorum; sed tamen per effusionem aquæ impeditur combustio: Si autem vtraq; propositionum prædictarum esset vera, infallibiliter sequeretur omnia ex necessitate contingere.*

536 *Continuatur discursus S. D.*

37 Explicat deindè S. Doctor prædictam doctrinam Aristotelis; & postquam probauit ex ipsomet Aristotele, non posse omnes effectus, qui fiunt in mundo, reduci in virtutem cœlestis corporis, vt in causam per se; tum quia actus pendentes ex libero arbitrio non pendent per se ex virtute cœlestis corporis: tum quia quod

Verba S. D. citata à Fasolo.

Digitized by Google

est merè per accidens, ut album musicum, utpotè, quia non est unum; sed plura, non potest reduci, ut in causam per se, in uirtutem cœlestis corporis, quæ est determinata ad vnum; statim subiungit doctrinam, per quam explicari potest modus, quo ea, quę sunt per accidẽs, possunt reduci in causam per se intellectualem, & sic rem prosequitur. *Sed cõsiderandũ est, q. id quòd est per accidens, potest ab intellectu accipi vt vnum, sicut album esse musicum, quodquãuis secundum se non sit vnum; tamen intellectus vt vnum accipit, inquantùm, scilicet, componendo formar enunciationem vnam.*

517 *Effectus p accidẽs reducũtur p se in diuinã prouidentiam.*

38 Posthæc S. Doct. explicat causam in quam possunt per se reduci effectus per accidens, & sic subiungit. *Et secundum hoc contingit id quod secundum se per accidens euenit & casualiter reduci in aliquem intellectum præordinantem, sicut concursus duorum seruorum ad certum locum est per accidens, & casualis, quantùm ad eos; cum vnus eorum ignoret de alio; potest tamen esse per se intentus à domino, qui vtrumque mittit ad hoc; quòd in certo loco sibi occurrant. Et secundum hoc aliqui posuerunt omnia, quæcunque in hoc mundo aguntur, etiam quæ videntur fortuita, & casualia, reduci in ordinem prouidentiæ diuinæ, ex qua dicebant dependere fatum. Et hoc quidam aliqui stulti negauerunt, iudicantes de intellectu diuino ad modum intellectus nostri.*

518 *Proponit S. D. difficultatẽ cõtra decreta diuinæ volũtatis.*

39 Denique postquam probauit omnes effectus fortuitos, & casuales reduci, tanquam in causam per se ordinantem, in diuinam prouidentiam includentem diuinum intelligere, & diuinum uelle, proponit rationem in oppositum, & sic habet. *Sed si prouidentia diuina sit per se causa omnium, quæ in hoc mundo accidunt, saltem bonorum, videtur, quòd omnia ex necessitate accidant. Primò quidem ex parte scientiæ eius: non enim potest eius scientia falli; & ita ea, quæ ipse scit, videtur, quòd necesse sit euenire. Secundò ex parte voluntatis. Voluntas enim Dei ineffi cax esse non potest; videtur ergo, quòd omnia, quæ vult, ex necessitate eueniant.*

519

40 Nunc ergo iam peruenimus ad id, quòd desideramus. Ecce seriem difficultatis, quam S. Doctor prosequitur, & quæ originem trahit ab illis uerbis, quæ citauit Fasolus, & deuenit usque ad efficaciam diuinorum decretorum. Videamus modo: an efficacia diuinorum decretorum, quæ impediri non possunt, euertat euentuum contingentiam; uel S. Doctor dicat, diuina decreta non esse absoluta; sed supponere effectum futuritionem sub statu cõditionato, seù facta suppositione, quòd uoluntas creata sic, vel aliter se uoluisset determinare. Prosequitur enim S. Doctor respõsionem, & sic habet. *Verba S. D. quibus sol. it difficultatem propositã.* *Procedunt autem hæ obiectiones ex eo, quod cognitio diuini intellectus, & operatio diuinæ voluntatis pensantur ad modum eorum, quæ in nobis sunt; cum tamen multò dissimiliter se habeant.* Et postquam discrimen inter intellectum humanum, seù creatum, & diuinum explicuit, sic prosequitur, *similiter ex parte voluntatis diuinæ differentia est attendenda. Nam voluntas diuina est intelligenda, vt extra ordinem entium existens, velut causa quædam profundãs totum ens, & omnes eius differentias. Sunt autem differentiæ entis possibile, & necessarium; & ideò ex ipsa voluntate diuina originantur necessitas & contingentia in rebus, & distinctio vtriusque secundùm conditionem proximarum causarum. Ad effectus enim, quos voluit necessarios esse, disposuit causas necessarias: ad effectus autem, quos voluit esse contingentes, ordinauit causas contingenter agentes, ideò, potentes deficere. Et secundùm harum conditionem causarum, effectus dicuntur, vel necessarij, vel contingentes, quamuis omnes dependeant à voluntate diuina, sicut à prima causa, quæ transcendit ordinem necessitatis, & contingentiæ. Hoc autem dici non potest, de voluntate humana, nec de aliqua alia causa: quia omnis alia causa cadit iam sub ordine necessitatis, & contingentiæ, & ideo oportet, quòd vel ipsa causa possit deficere, vel effectus eius non sit contingens, sed necessarius. Voluntas autem diuina indefectibilis est, tamen non omnes effectus eius sunt necessarij, sed quidam contingentes.* Hæc S. Doctor notatu dignissima.

41 Sed quid? hæc vltima integra sententia, in qua includitur doctrina opposita Fasolo, nempè, *Oportet quòd omnis alia causa, vel possit deficere, vel effectus eius non sit contingens, voluntas autem diuina indefectibilis est, tamen non omnes effectus eius sunt necessarij, sed aliqui contingentes.* Quæ sententia S. Doctor terminauit solutionem difficultatis obiectæ contra doctrinam illam eandem, quam ex ipso D. Thoma citauit Fasolus. Sed mirares! Ex illa Fasolus intulit, determinationem decretorum diuinæ voluntatis imponere necessitatem effectibus. At verò S. Thomas soluens eandem difficultatẽ concluſit doctrinam illam valere in alijs causis, non autem de diuina voluntate. Nec sane in alio loco; sed in eodem. Dixit Fasolus doctrinam S. Doctoris esse notatu dignissimam; sed nescio, an sic diuisset, si totum textum

S. Doct.

540 *Concluditur cõtra Fasolum.*

S. Doct. legisset: quippe quia hæc est doctrina sæpissime in suis operibus à S. Thoma inculcata, qua cogitatio Fasoli funditus euertitur. Conclude ergo malè Fasolum inculsisse illam consequentiam, ergo secundum D. Thom. determinatio diuini decreti tollit contingentiam, & libertatẽ.

541 *Probatur non distinxisse Fas. inter contingentiã, & libertatem.*

42 Amplius incongruentiùs inimpedibilitatem determinationis diuini decreti ad excludendam contingentiam probauit, dicens: *Nam illa decreti prædeterminatio neque posita est ex libero voluntatis consensu, nec postquam posita est, potest liberè tolli, aut fieri inefficax.* Nam loquẽdo (vt in dicto loco loquitur ipse Fasolus) de determinatione decreti, qũ est formaliter tale, probatio posset habere aliquam apparentiam, ad excludendam libertatẽ; ad excludendam autem contingentiam nullã penitùs potest habere apparentiam. Sic enim possem probare nullum effectum ex causis merè naturalibus esse contingẽtem, & ita periret illa ratio contingentiæ, quæ habetur ex possibilitate materiæ ad vtrumque. Siquidem nulla causa merè naturalis habet in sua potestate occursum, vel non occursum causæ impedientis, vel etiam influentiam superiorum causarum. Nullus ergo talium causarum effectus esset contingens, si talis potestas requireretur ad contingentiam. Er indè conclude Fasolum in illa sua argumentatione non distinxisse inter contingentiam, & libertatẽ. Et hæc sat sint ad defendendum S. Thomam ab his, quæ ei impouit Fasolus in lec. 14. lib. 1. Periher. cuius defensionem obiter in hoc dubio suscepimus.

§. XIII.

Proponitur, & soluitur alia obiectio ex eodem Fasolo.

542 *Notanda fiducia in apponenda rõne cõtra axioma approbatũ à S. Th.*

1 OBijcit 2. Fasolus directè contra principium: Ab eo, quod est ad vtrumlibet loc. sup. cit. num. 422. & sic habet. *Quoniam, vt fatentur, tota contraria opinio de prædeterminatione liberi arbitrij fundatur in præcitata maiori, scilicet, à causa indifferenti, inquantum indifferens non sequitur determinatus actus: probo illam esse euidenter falsã, intellectam de causa libera, de qua est præsens disputatio. Omnis actus determinatus, qui exit à causa libera, exit ab illa inquantùm libera; sed causa libera inquantùm libera est causa indifferens. Ergo à causa indifferenti libera inquantùm est indifferens, exit determinatus actus. Consequentia est in forma, vt patet. Minor certa est ex receptissima illa definitione causæ liberæ, quam omnes theologi, & ipsi etiam aduersarij recipiunt. Causa libera est, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest operari & non operari; sed causa completa cum omnibus prærequisitis antecedenter, quæ potest operari, & non operari, est indifferens ad operandum, & non operandum, ergo causa libera inquantùm libera est indifferens. Probo maiorem; tum quia omnis actus determinatus exiens à tali causa constituta in tali specie causæ debet ab illa exire secundum vltimam rationem differentialem constitutiuam in tali specifico esse causæ, & distinctiuã ab alijs causarũ speciebus. Sed causa libera, inquantùm libera, constituitur in tali specie causæ & distinguitur ab alia specie causæ necessariæ; ergo.* Ita Fasolus, qui postea multiplicat probationes eiusdem maioris.

543 *1. Aduertendum.*

2 Antequam respondeam aduerto, quòd arguens ideo negat, & laborat, vt probet principium de quo agimus, esse falsum in causis liberis, quia existimat ex eo inferri, dandum esse motum, seù influẽtiam Dei receptam in voluntate, qua determinatur ad vnum. Nos verò oppositum existimamus cum D. Th. nempè, tale principium esse verissimum in causis liberis, quia indè sequitur, reijciendam esse motionem prædeterminantem, & voluntatem determinare seipsam, habereque suæ operationis dominium.

Aduerto secundò, quod merito verbotenus discursum arguentis retuli, vt quisq; videat fideliter, qualiter decipiatur arguẽs, dum quæ nullius est valoris, rationem euidenter conuincẽtem existimat, dicens, *probo illam esse euidenter falsam.*

544 *Rõ & Fas. nil valere probatur exẽplo euidenti.*

3 Respondeo igitur, & dico primò, quod principalis obiectio, non solùm non probat euidenter, quod intendit; sed euidenter nil concludit, & est sequenti argumento omnino similis, videlicet. Omnis effectus determinatus, qui exit à potentia actiua rationali (qualis est ars, seù scientia medicinalis, & similes, potentia motiua animalis, de quibus agit Aristotelis 9. methaph. apud Diuus Thomam lection. 4.) exit ab illa inquantũ potentia actiua rationalis; sed potentia actiua rationalis, inquantum potentia actiua rationalis, est indifferens ad oppositа; ergo à potentia actiua rationali indifferenti ad oppositа, inquantùm est indifferens ad oppositа, procedit determinatus actus. Conclusio est falsa secundum ipsummet Fasolum, & Suarium sup. §. 11. nu. 1. huius disputationis relatos, volentes axioma, de quo agimus, esse verum de potentijs rationalibus non habentibus suæ actionis dominium. Præmissæ

missæ autem sunt veræ, & probari possunt ijsdem rationibus, quibus præmissæ obiectionis: maior quidem, illa propositione, quia omnis actus determinatus, &c. Minor verò, quia potentia actiua rationalis per hoc differt ab irrationali, quia se habet indifferenter ad opposita, vt patet per Aristotelem loco proximè cit.

545 *Idē cōfirmatur alio exēplo*

4 Amplius non valeret sequens argumentum: omnis homo inquantùm homo est rationalis; sed homo inquantùm homo est animal, ergo animal homo, inquantū animal, est rationalis. Sic enim omne animal esset rationale, licèt videatur argumētum in forma, & in modo datapti. Sic ergo non valet obiectio aduersarij consistēs in sequenti argumento præcedenti omnino simile. Causa libera, inquantùm libera, est causa effectus liberi; sed causa libera inquantùm libera est indifferens. Ergo causa indifferens libera, inquantùm indifferēs est causa effectus liberi. Quia hoc est falsum, cum multæ sint causæ indifferentes non liberæ. Iamq; ipsimet aduersarij hoc concedunt, dum dicunt, quòd causa libera, non ex ipsa ratione indifferentiæ; sed ex ratione domini habet, quòd ab ipsa se habente indifferenter ad opposita emanet determinatus actus, absque eo, quod per aliud determinetur ad effectum. Atq; ex his patere potest, quàm longè à veritate abierit Fasolus existimans, rationem suam esse euidenter conuincentem, quæ tamen euidentissimè inutilis, & sophistica est argumentatio.

546 *Fas. cōtra regulas dialecticas docuit suū medium terminū ingredi cō clusionem*

5 Amplius peto à Fasolo cur sua conclusione intulit dicens. *Ergo à causa indifferenti libera inquantùm indifferens exit determinatus actus*: & non potius, ergo à causa indifferenti inquantùm est indifferens, exit determinatus actus? Cur inquam posuit ly *causa libera*? Secundum enim regulas dialecticas medius terminus nescit ingredi conclusionem, & *causa libera*, est medius terminus in sua ratione. Cur ergo docuit suum medium terminum conclusionem ingredi, maximè dum fine tali addito conclusio fuisset expeditior, & propositioni illi maiori, quam intēdit impugnare, repugnantior? Sed dicam quid sentio. Aduertit Fasolus suum discursum plùs sibi probare, quàm vellet. Nam probaret (si tamen non esset inutilis) quòd non solùm à causa indifferenti libera; sed ex omni causa indifferenti posset prodire determinatus effectus, nullo alio existente determinante. Hinc, vt conclusionem restringeret, docuit suum medium terminū contra regulas dialecticas conclusionem ingredi. Sed vanè: nam nos talem industriam aduertimus; ac per hoc data opera exempla cum eodem vitio, quo similiora apparerent, proposuimus.

6 Dico secundò: deceptionem in prædicta obiectione procedere ex eo, quod dictio reduplicatiua, *inquantùm*, habet plures sensus, & in sensu, qui est intentus in maiori, est falsa minor. Amplius in satis diuerso sensu accipitur in conclusione ab eo, quo accipitur in præmissis. Vndè esto essent veræ præmissæ, & in eodem sensu, adhuc consequentia nulla esset, dum infert conclusionem opositam principio, de quo agimus. 547

7 Manifesto primum vitium. Namly. *inquantùm*, positum in maiori, reduplicat propriam rationem causæ liberæ, prout distinguitur ab omni alia non libera, vt patet ex probationibus, quibus dicta maior confirmatur. In hoc autem sensu est falsa minor, qua dicitur: *Causa libera, inquantùm libera, est indifferens*. Siquidem ly, *indifferens*, quod est prædicatum, non est proprium solius causæ liberæ; sed communis omni potentiæ rationali, etiam eis, quæ non habent dominium sui actus, de quibus ipsemet Fasolus, & Suarius relatus §. 11. nu. 1. huius disputationis, docent verificari axioma, de quo agimus. Vt quod dico videas euidentiùs, nota vitium sequētis argumenti. Actio propriè humana, puta, libera, procedit ab homine, inquantùm homo (vt docet S. Doctor 1. 2. q. 1. ar. 1. in corpor.) Sed homo inquantùm homo est animal, viuens, &c. Ergo actio propriè humana, puta libera, procedit ab homine inquantùm animal, corpus, &c. Falsa est conclusio ex falsitate minoris. Nam cum ly, *inquantùm*, in maiori designet propriam rationem, secundum quam homo, vt agens, distinguitur ab omni alio agente, non potest deindè sub isto sensu verificari minor; sed est vera in alio sensu, vt patet. Et sic est in proposito, vt manifestauimus. Verùm quoniam falsitas consequentis illati, prout intelligitur esse contra axioma, de quo agimus, non ex prædicto solùm; sed etiam ex alio occultiori quidem; sed maiori defectu nascitur; ideò notauimus, quod esto esset vera minor, & in eodem sensu, ac per hoc nulla alia causa esset indifferens ad opposita, nisi libera, adhuc nihil inferretur contra nos. 548 *Primū vitiū arg. Fasoli manifestatur euidēti exē p°.*

8 Manifesto hoc secundum vitium detegendo sensum propositionis nostræ, quam deberet aduersarius impugnare, simulque sensum propositionis, quam aduersarius infert. Aduerto igitur, quod nos non dicimus, quòd à causa ad vtrumlibet, seù indeterminatè se habenti nulla procedit actio; sed addimus, *inquantùm huiusmodi*, dicimusque, quòd ab ea, 549 *manifestatur sm̄ vitiū eiusdē argum.*

inquan

inquantùm huiusmodi non procedit & per ly, *inquantùm huiusmodi*, volumus designare quandam conditionem, seù proprietatem talis causæ, quę per principium, quo se habet ad opposita constituitur. Itaque (vt explicuimus §. 10. nu. 7. huius disput.) per ly, *inquantùm huiusmodi*, designamus quòd talis causa quantùm est ex vi sui principij præcisè sumpti, & secluso eo, quod tali causæ potest adiungi ex coniunctione ad aliam causam, quæ principium ad vtrũlibet mouet determinatè ad vnum, non procedit actio. Volumus enim, quod principium ad vtrumlibet sit talis conditionis, quod nisi addatur ei alia causa, quæ ipsum mouet determinatè ad vnũ, ab ipso sumpto solo, & præciso ab alia causa mouente determinatè ad vnũ, nulla procedit actio. Virtus enim motiua animalis ad locum nõ est sicut virtus grauitatis, & leuitatis. Siquidem ad hoc, vt à graui procedat motus deorsum, nullam aliam causam oportet addere. Si enim est extra centrum, & nullum adsit impedimentum, procedit in motum deorsum. At verò virtus motiua animalis in nullum procedit motum; nisi ab appetitu animalis applicetur determinatè ad mouendum, vel sursum, vel deorsum, vel dextrorsum, vel sinistrorsum: ab ipsa autem virtute præcisè sumpta, & nulla addita causa applicante ad motum, nullus procedit motus, qui tamen procedit à graui. Sicut ergo aliud est dicere, quod à virtute motiua animalis nullus procedit motus, & aliud, quod à virtute motiua animalis præcisè sumpta, & seiuncta ab alia causa, quæ talem virtutem applicat determinatè ad vnum, non procedit motus; ita aliud est dicere, quòd à virtute animalis nullus procedit motus, & aliud, quòd à tali virtute, quæ se habet ad oppositа, *inquãtùm huiusmodi*, non procedit motus. Nam ly, *inquantùm huiusmodi*, hoc significat, puta, quantum est ex vi talis principij præcisè sumpti. Ex quo sequitur, qđ ei, qui vellet impugnare hãc vltimam propositionem, non sufficeret probare, quòd à virtute motiua animalis procedit motus; sed deberet probare, quod à virtute motiua animalis præcisè sumpta ab appetitu, à quo mouetur determinatè in vnum, procedat motus. Nõ enim ista duo repugnãt, nempè, à principio indifferenti secundum ea, quæ habet ex se, præcisè, non procedit actio: Et, à principio indifferenti addita sibi alia causa, quę tale principium mouet in vnum, procedit actio, vtrumque enim potest esse verum, vt patet in exemplo allato de virtute motiua animalis.

Quid significat ly, inquãtùm huiusmodi, explicatur.

Quid regitur ad impugnãdã dictam ppositionem.

550 9 Aduerto secundò, circa hanc propositionem, potentia actiua rationalis, inquantùm est potentia actiua rationalis, se habet indifferenter ad oppositа, sub qua continetur hæc alia, potentia libera, inquantùm libera, se habet ad oppositа. Aduerto, inquam, quòd potest facere hunc sẽsum, puta, potentia actiua rationalis ex essentia sua est principium quod, quantum est ex se, non est determinatum ad vnum, & huic sensui non repugnat, quod talis potentia possit determinari ad vnum ab alio, à quo mouetur determinatè in vnum. Posset etiam facere hunc sensum, nempè; potentia actiua rationalis est essentialiter indifferens ad oppositа, ita vt ei repugnet quæcunque determinatio, etiam prouenies ab alia causa, & hic sensus est falsus. Potentia enim actiua rationalis essentialiter est virtus, quæ quantùm est de se, non est determinata, & est determinabilis per aliam causam. Sicut materia est potentia, quæ, quantum est de se, ad nullam formam specificè sumptam est determinata, est tamen determinabilis ab agente ad quamlibet formam, & hoc, quod est, quãtùm est de se non esse determinatam ad aliquam formam, non opponitur, ad ly posse determinari ab agente ad vnam determinatam formam. Ita in proposito potentia actiua rationalis, quantum est de se, non est determinata ad vnum, & se habet ad oppositа; est tamen determinabilis ad vnum per hoc, quòd ab alio mouetur in vnum. Sicut gladius anceps, quantùm est de se, & attenta forma, per quam potest scindere, non est determinatus ad scindendum vno acumine, est tamen talis naturæ, quòd potest ab alio determinari ad scindendum hoc, vel illo acumine, secundùm quod mouetur à gladiatore. Ita potentia actiua rationalis, quantùm est de se, non est determinata ad vnum effectum; sed indifferẽs ad oppositos actus, est tamen talis naturę, quod potest applicari à mouente ad illum determinatum effectum, in quem tendit mouens.

Propositio prædicta põt in duplici sẽsu accipi.

Exẽplum ad ppositũ.

10 Hoc posito apparet defectus rationis Fasoli. Nam, vel concludit aliquid, quod nõ opponitur axiomati, de quo agimus, vel si aliquid contra dictum axioma prætendit concludere, minor est euidenter falsa, & petit principium. Siquidem propositio maior. *Omnis actus determinatus procedens à causa libera, exit ab illa, inquantùm libera*, est vera si de actu libero sit sermo, de quo loquitur arguens, & ly, *inquantùm*, sumatur specificatiuè, & determinet proprium principium, vnde exit actus liber, vt liber. Minor deindè, puta; sed causa libera, inquantùm libera, est causa indifferens, esset falsa, si ly, *inquantùm*, sumeretur eodem modo, & determinaret

551 *Fas velnõ probat cõtra axioma, vel petit principium.*

proprium

proprium principium, vndè prouenit libertas, libertas enim licèt supponat indifferentiam in causa, quæ est libera, non tamen proprium, & per se principium libertatis est indifferentia principij, cum multa alia sint principia indifferentia, quæ non sunt libera. Causa enim libera, vt talis, & prout distinguitur ab omni causa non libera (vt infra demonstrabimus) est cuius forma, per quam determinatur ad actum, & ad quam sequitur actus liber, est causata ab ipsamet causa, seù agente, quod agit, & determinatur ad agendum per talem formam. Et licèt minor esset vera, seù supposito, quòd omnis causa indifferens ad oppositа esset libera, adhuc talis minor potest esse vera', & falsa; vera, si facit hunc sensum, nempè, causa libera, inquantùm libera, seù secundum essentiam suam, est indifferens, quantùm est ex se, & ex vi proprij principij, p qđ nō est determinata ad vnum, sed se habet indifferenter ad oppositа. Esset autem falsa, si sensus esset, quòd causa libera, secundùm essentiam suā est indifferens, tam secundum id, quod habet ex vi proprij principij, seù ex se, quam secundum ea, quæ ei possunt competere ex alia causa sibi coniuncta, ita vt petat essentialiter, ne determinetur per aliquam aliam causam, & quod indeterminata, tam ex se, quàm ex alia causa, procedat in actū determinatum. Et quidem si minor sumatur in primo sensu, quo est vera, tunc inferret, ergo actus determinatus liber procedit à causa, quæ quantùm est ex se, est indeterminata, quod est verum. Non enim per hoc excluditur à causa libera omnis determinatio; sed illa solùm, quæ est ex vi sui proprij principij: illa verò, quæ potest aduenire principio ab alia causa, non excluderetur per tale consequens, & hoc solùm repugnat principio de quo agimus, non autem primum. Tota enim ratio esset sequens.

Si minor sumatur i secūdo sēsu, ē falsa, & petit principiū.

11 Actus determinatus, qui exit à causa libera, exit ab illa, inquantùm libera; sed causa libera, inquantùm libera, quantū ē ex se, & vi proprij principij est indifferēs ad oppositа, ergo actus determinatus, qui exit à causa libera, exit ab illa, quæ quātū est ex se, & vi proprij principij, est indifferens. Et hoc quidem nō est contrarium axiomati; sed cum illo valdè coherens. Siquidem actus determinatus exit à causa libera, quæ licèt, quantum est ex se, sit indifferens; attamen est determinata ad illum actum ab alia causa ipsam mouente in dictum actum determinatè.

552 Quid probat arg. si rectè formetur.

12 Si verò minor sumatur in secundo sensu, tūc est falsa, & petit euidenter principium assumens id, quod esset probandū. Falsa quidem, vt patet in hoc simili argumento: actus determinatus, qui exit à potentia actiua rationali, exit ab illa inquantùm est potentia actiua rationalis, sed potentia actiua rationalis, inquantùm est potentia actiua rationalis, est indifferens ad oppositа: ergo actus determinatus, qui exit à potentia actiua rationali, exit à potentia indifferenti ad oppositа. Falsa, inquam, est minor sumpta in secundo sensu, nam significaret, quòd potentia rationalis petit essentialiter esse indifferens, tàm secundum id, quod habet ex se, seù ex vi sui proprij principij, tàm secundū id, quod habet ex alia causa. Et similiter esset falsum consequens, cuius sensus esset, quòd actus determinatus omnis potentiæ rationalis exiret à potentia indifferenti, tàm secūdum id, quod habet ex vi sui principij, quàm secundum ea, quæ habet ex alia causa, quod est falsum, etiam secundum ipsos aduersarios, vt supra notauimus.

553

554 Manifestatur, q petit principiū.

13 Petit autem principium, seù assumit probandum euidenter. Siquidem hoc nos asserimus prædicto axiomate, nēpè, quod à causa libera, quæ, quantùm est ex se, & vi sui principij præcisè, est indifferens, non procedit aliquis actus liber, nisi inquantùm per iudicium sui proprij intellectus (quæ suo modo est alia causa) mouetur determinatè, seù determinatur ad vnum; assumere verò, quod causa libera, inquantum est libera, est indifferens, tàm ex se, & vi proprij principij, quàm ex his, quæ potest habere ex alia causa, & quod vt sic, procedit in actum, est assumere, contrarium eius, quod nos asserimus. Dicimus enim quòd causa libera, & omnis potentia actiua rationalis hoc exigit, scilicet, quòd quantùm est ex se, & vi sui principij, non sit determinata ad vnum, non autem exigit, quòd non possit determinari ad vnum ex causa sibi coniuncta, seù à causa mouente dictum principium, quod est ad vtrumlibet, ita vt necesse sit quod nulla præcedat determinatio exitum actionis liberæ à principio indifferenti.

555 Instantia ex diffinitione causæ liberæ.

14 Dices probo, quòd de ratione causæ liberæ sit, quod nulla præcedat determinatio exitum actus liberi à suo principio indifferenti. Nam causa libera est, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, & non agere componendo cum prærequisitis: ergo determinatio ad vnum cum qua, non potest componi; tàm agere, quàm non agere, non potest præcedere, etiam prioritate naturæ, exitum actionis à causa libera: ergo oportet, quòd actus liber procedat à principio nullam habente determinationem, nec scilicet, ex vi sui principij, nec ex alia causa, cum qua

non

Digitized by Google

non potest componi, tàm agere, quàm non agere causæ liberæ.

556 *Diffiniti o ꝓdicta inuoluit cõtradictionem in sensu, quo profertur ab aduersarijs.*

15 Respondeo, quod explicatio causæ liberæ assumpta in antecedẽti inuoluit cõtradictionem in sensu, quo intelligitur ab aduersarijs. Mira res! Fasol. talem explicationem causæ liberæ dicit, *receptissimam diffinitionẽ causę liberę, quã omnes Theologi recipiunt*, & addit, vt notaui supra nu. 110. videl. q. 14. ar. 13. dub. 9. n. 100. vbi eã appellat vulgatissimã definitionem causæ liberæ, & affert pro se inter alios Franciscũ Zumel approbatem prædictã definitionẽ, ac explicantem, quod volũtas secundũ ea, quæ habet, prout est prior sola prioritate naturæ eliciẽtia actus liberi, *habet facultatem pro illo priori, vt indifferenter velit, aut nolit, vel vt ab omni actu pro illo istãti cesset, vndè posterius natura liberè se determinat ad vnum illorum.* Ampliùs eandẽ explicationẽ amplectũtur, & in eodem sẽsu, P. Societatis voto vnanimi. Approbat etiam, licèt in alio sensu, Ioa. à S. Th. in 4. p. sui cursus philosop. seu de anima to. 2. quæs. 12. ar. 3. §. vlt. & sic inquit. *Ex dictis colliges quomodo rectè intelligatur definitio libertatis: Quod est facultas, seu potentia, quæ positis omnibus requisitis ad agendũ põt agere, & non agere. Quæ definitio cõmuniter est apud vetustiores recepta, & intelligẽda est in omni amplitudine, positis omnibus requisitis, tàm ex parte causarum secundarum mouentium, quã ex parte causæ primæ, quia ꝺt positâ diuina motione, & prædeterminatione põt agere, & nõ agere.*

A probatur à Ioa. à S. Th.

16 Mira res, vt dixi est hæc: non quia verum non est, ad rationem agentis liberi pertinere, esse tale per suum principium, quo cõstituitur actiuum, quod in sua potestate habeat agere, & non agere. Id enim est verissimum, & demonstratũ à Philosop. & Theolog. præsertim à S. Th. cuius demõstrationes (quas omni vigore tales existimamus) suo loco adducemus; sed quia sub illa verborum structura, ex industria excogitata à Recentibus cõcoperunt, qui eam, vt diffinitionẽ libertatis proclamant, quẽdam sensum, quo nõ solùm non explicatur ratio libertatis; sed ratio destruẽs propriũ & verum conceptum agentis liberi, quem conceperunt præcipui fundatores moralis philosop. Aristot. & D. Th. qui etiam rem hanc demonstratã dederũt ex primo principio per se noto; *vnũquodq; agit, inquãtum est in actu per formã, ita vt secundũ modũ formæ sit modus operationis agentis per talem formã*, ex quo deduxerunt, agens liberũ, seu habẽs dominium suorũ actuũ, ꝙ .s. hẽt in sua potestate agere, & non agere, illud esse, ꝙ per hoc, ꝙ iudicat de suo proprio iudicio; est causa formæ, seu habet in

557 *Sẽsus prędictę diffinitionis destruit veram rõnẽ libertatis explicatam à S. Thoma.*

sua potestate formam, ad quã sequitur suũ proprium agere, vel non agere, vt cõcludit S. D. lib. 2, contr. gent. cap. 47. rõne 3. Ampliùs, ex eo, quòd agens voluntarium est, ꝙ agit ex cognitione finis, ita vt secũdũ modum cognitionis sit modus volũtariè agẽdi, deduxerunt illud agẽs voluntarium esse in agendo liberũ, qđ agit ex iudicio deliberato. Ampliùs ex eo, quod liberũ est, qđ sui causa est, deduxerunt illud esse liberum in arbitrando, quod est sibi sui arbitrij causa, vt iudex sui proprij arbitrij, ac per hoc iudicat de agẽdis iudicio iudicato, seu deliberato. Ampliùs ex eo, quod omne agẽs debet esse determinatum ad vnũ deduxerunt, qđ illud agens est liberum, & habens dominiũ sui actus, quod determinatur ad vnum per suam cognitionem, vt infert S. D. verbis relatis §. 11. n. 7. Hęc autem omnia, quæ ex primis, & ꝑ se notis principijs, tam insignes philosophi deduxerunt pertinere ad ipsam rationem agentis liberi falsa essent, si in sensu à Recentibus excogitato admitti posset illa definitio.

17 Siquidẽ repugnaret libertati, & dominio volũtatis in actus proprios ipsamet deliberatio iudicij, quę præcedit actũ volũtatis deliberatũ, & cum qua nõ põt cõponi actus oppositus, cum tamẽ dicat D. Th. verbis relatis §. 11. n. 18. huius disp. *qđ ex hoc contingit, quòd homo est dominus sui actus, qđ hẽt deliberationẽ de suis actibus.* Ampliùs repugnaret libertati imperiũ rõnis, quo actus ipsi voluntatis imperantur. Repugnaret, inquã, libertati, vt docẽt ferè omnes PP. Societatis ex Ruiz. Arriag. Fas. & alijs quos nouissimè sequitur Requel. cũ tamen S. D. fundatus in demõstrationibus modo sup. cit. (quas alio loco, vt dixi, prosequemur) dicat, quod *voluntas cõpletum dominium hẽt in illis actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt, & hi sunt actus deliberationem sequentes.* Est enim hoc valdè mirabile, quod isti Recentiores per hanc suam definitionem illud cõcludãt repugnare libertati, quod S. Th. dicit ita pertinere ad essentiam, seu consistentiã libertatis, qđ sine eo, nulla esset libertas. Sed de hac re infra. Oportuit aũt in primo occursu huius definitionis hæc aduertere. Nam si (vt aduertit ex Phil. S. D. in procemio de ente, & essẽtia) *parvus error in principio fit maximus in fine*, qd fiet si in principio fuerit magnus, & ita magn⁹, vt ꝑ principio accipiatur opposita rõ sui principij? certũ est. n. qđ diffinitio subiecti est principiũ demonstrandi passiones, & sic ex diffinitione agentis liberi passiones de tali agente sunt demonstrandę. Pessimè ergo erratur, quando sic erratur circa immediatum principium, vnde desumenda est tota veritas.

558 *Locus S. T. ad ꝓpositũ*

Dixi,

Digitized by Google

559 *Prædicta definitio causæ liberæ pōt habere rectū sensum.*

18 Dixi, *in sensu, quo intelligitur ab aduersarijs*, vt designarem, quòd prædicta explicatio causæ liberæ potest habere rectum sensum. Nam si sciantur, quæ sunt requisita in agente ad liberè agendum, & qualiter agens habens requisita procedat in liberam actionem, potest ex illa verborum structura, qua causa libera dicitur, *quę positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere*, concipi rectus sensus explicans suo modo rationem agētis liberi. Quoniam autem hæc omnia sumus explicaturi in secūda, & tertia sequētibus disputationibus, ideo nunc ab vberiori huius rei explicatione supersedemus, & ad alias obiectiones Fasoli transimus.

§. XIV.

Proponuntur alia obiectiones Fasoli, soluuntur, & cōuincitur ipsemet Fasolus.

Obiectiones Fasoli.

POstquam Fasolus aliqua retulit motiua, quibus intendebat confirmare illam suam maiorem: *actus determinatus, qui exit à causa libera, exit ab illa inquātùm libera*, sic prosequitur suam intentionem confirmare.

560 1 *Tum, quia causa libera, saltem increatis, est & agit, vt causa cōtingens; sed ex hoc articulo causa contingens se habet ad oppositа: ergo agit vt se habēs ad oppositа: ergo agit vt indifferēs: Quia causa cōtingens non dicitur habere se ad oppositа per vim productiuā vtriusq; simul, sed per vim productiuam vtrislibet disiunctiuè.*

561 2 *Tum à pari, quia voluntas diuina ex eo formaliter, quod sit libera, agit ad vtrumlibet.* Voluntas diuina, *inquit S. T. 1. d 45 q. vnica art. 3. ad 3.* libertatem habet, & ex hoc conuenit sibi, quod sit ad vtrumlibet. *Sed agere cū potentia ad vtrūlibet, est agere cum potentia indifferenti; ergo causa libera ex libertate formaliter habet agere cum potentia indifferenti.*

562 3 *Tum quia omnes Sācti & Scholastici locis, & verbis citatis dub. 11 præsertim à n 156 & hoc dub. 17 plūc. 1. & 3. docētes voluntatē creatā liberā à nullo alio determinari, quā à seipsa, censentur manifestè negare istam maiorē.* de causa indifferēti, inquantùm indifferens non exit determinatus actus. *Cum n aliquid se determinat, eius determinatio ex principio indeterminato, atq; indifferenti exeat necesse est.*

663 4 *Tum demum, quia ex prædicta maiori sequeretur voluntatem creatam prædeterminari à Deo ad actus etiam peccatorum, quod ferri non potest.* Hæc Fasolus: Quibus credit euidēter probasse, axioma, de quo agimus, esse falsum in causis liberis.

564 5 Respōdeo ad primā ex enumeratis obiectionibus, quòd nimis excessit Fas. dū intendēs probare axioma Cōmēr. nō verificari in causis liberis propter specialē rationē, quā habēt ex eo, quod habēt dominiū sui actus, nō aduertit se probare (si tamen sua ratio non esset inutilis) de nulla causa contingenti, siuè libera sit, siue nō libera, verificari axioma, & sic oporteret, q̄ omnis causa cōtingens, etiā nō libera, determinaret se ipsā, dum exit in determinatam actionē. Peto. n. à Fasolo, an potentia motiua bruti, quæ potest mouere sursum, & deorsum, dextrorsū, &c. sit causa cōtingens, an verò sit causa necessaria, sicut est motus corporis cęlestis in ordine ad impressiones, quæ in ipsismet corporibus cęlest bus recipiuntur? Quid respondebit, nisi cōtingens? Alias nulla esset causa contingens, nisi libera, & idem oportet dicere de plantis in ordine ad productionē florū, & fructuū, de igne in ordine ad cōbustionem, omnes, enim hæ causæ sunt contingentes.: Si enim istæ contingentes non sunt, assignet ipse Fasol. aliquam causam cōtingentē nō liberā. Tunc peto. An à tali causa se habente indifferēter ad oppositа (vt ipse dicit) inquātùm est indifferēs, seù nullo existente determinātе talē causā ad vnū, procedat aliquis effectus. Si dicat nō: nihil ergo cōuincit suū argumentū contra nos, qui hoc ipsum dicimus. Si dicat sic, dicat, quòd effectus ex oppositis in ordine ad quos est indifferens, procedet à tali causa, nullā existētе alia causa determinātе ipsā ad vnū? Vel ergo nullus effectus procedet à tali causa, vel procedēt oppositа simul, vt cū Arist. cōclusimus § x. n. 13. huius disp. Nec sanè effugiū Suar. q̄ retulimus §. 11. n. 1. ad q̄ēt recurrit ipse Fasol. vt notauimus §. 7. nu. 10. habet locū in causa non libera.

Respō. primæ vnius ētię. Excessus Fas. aperitur.

Cōuincitur Fasolus.

565 *Incōmoda quæ incurrit Fasol.*

6 Vide ergo modum, quo procedit in sua argumentatione Fasol. Nam (si esset efficax) vel oporteret eum dicere nullam aliam causam esse cōtingentē, nisi liberā, quod est euidenter falsum, & cōtra Arist. eo ipso loco, quem ipse Fasol. cit. ex lib. 1. Perih. vbi duas radices contingentiæ enumerat alterā in liberis, alterā in nō liberis. Vel oporteret, eum asserere, à tali causa procedere oppositа simul, si semel causa indifferens ad oppositа, inquantùm est indifferens ad oppositа, seù nullo determinātе procederet in effectū. Vel oporteret, eum dicere, causam nō liberā determinare seipsam, si procederet ex se in vnū ex oppositis, & nō in oppositа simul, & sic causa non libera haberet dominium sui actus.

566 *Incōsiderationes Fas. aperiuntur.*

7 Dicēdū ergo, quòd Fasol. nō cōsiderauit, q̄ causę cōtingētes, aliquę sūt determinatę ad vnū, licèt nō oīno, quia possūt impediri, vel ex occursu causę cōtrarię, vel ex defectu

Digitized by Google

fectu materiæ, vndè sunt indifferentes solũ ratione materiæ. quæ est receptiua contrariorum, & istæ causæ, licèt habeant istã indifferentiam, ratione cuius possunt impediri, ad hoc tamen, vt agant, non indigent, vt eis addatur aliquid aliud ex parte agentis, quod eas determinet ad vnum; sed sufficit, quòd nullum occurrat impediens, seù non sit defectus ex parte materiæ, vt docet S. Doct. à nobis relatus in hac disp. §. 2. nu. 12. Aliæ verò sunt ex se indeterminatæ, & ad vtrumlibet, vt potentiæ actiuę rationales, & ab istis causis si præcisè sumantur, & attento eo, quod habent ex se, nullus sequitur effectus, nisi addatur alia causa, quæ mouet, & inclinat ad vnum determinatè, vt docet S. Doct. locis relatis §. 1. & 2. huius disp. Et hinc est, quòd causa libera dum agit, vt causa contingens rationalis, agit vt causa, quæ quantum est ex se nihil causaret, nisi adderetur ei alia causa determinans ad vnum, & hoc est agere, vt agit causa, quæ de se est indifferens, agere, scilicet, vt causa, quæ nisi esset ei coniuncta alia causa, quæ ipsam inclinaret ad vnum, nihil ageret.

567 1. Considerandũ circa differentiã inuẽtã in causis.

8 Itaque considera primò, differentiam, quæ reperitur in causis. Nam aliquæ sunt, quæ ex vi principij, per quod agunt, sunt omnino determinatæ ad vnum, ita, scilicet, vt impediri non possint ab effectu per nullam aliam causam naturalem, & hæc sunt causæ necessariæ, qualia sunt corpora cœlestia in ordine ad effectus, qui in ipsismet corporibus cœlestibus recipiũtur; aliquæ sunt, quæ ex vi principij, quo sunt actiuæ, sunt determinatæ ad vnum, non omnino, ita vt impediri nequeant; sed sunt impedibiles, vt graue ad motum deorsum, leue ad motum sursum, magnes ad attrahendum ferrum, ignis ad comburẽdum, viuentia ad generandum sibi simile, &c. Hæ enim causæ impediri possunt ab effectu, & dicuntur determinatæ ad vnum, vt in pluribus, suntque indifferentes propter hoc solùm, quod impediri possunt. Aliquæ denique sunt, quæ ex vi principij, per quod sunt actiuæ, non sunt determinatæ ad vnũ, qualis est virtus progressiua, seù motiua animalium perfectorum, per quam possunt mouere sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, &c. vt patet in quibus, quę secundum omnem differentiam loci volant. Similiter omnis potentia actiua rationalis de quibus agit Aristoteles 9. methaph.

568 Oĩs causa agit, vt aliquo mõ determinata ad vnum.

9 Considera secũdò, qualiter ad hoc, vt à causa determinata primo modo procedat effectus, nihil desideratur, quod non sit à natura determinatum. Ad hos autem, vt à causa determinata ad vnum secundo modo procedat effectus, vltra principium actiuum completum, per quod determinatur ad effectum, requiritur, quod non adsit impedimentum ex parte alterius agentis, nec indispositio ex parte subiecti recipientis actionem; nam vtroque modo impediri potest, propter quod dicitur contingenter agere, & esse aliquo modo indifferẽs ad oppositа, inquantũ, s. impediri põt, & esse, & nõ esse. Ad hoc demũ, vt à causa actiua, quæ ratione sui principij, per quod agit, se habet indifferenter ad multa, procedat effectus, non sufficit principiũ, etiam si nullum adsit impedimentum, vt probat Aristoteles 9. metaph. de potentijs actiuis rationalibus, alias produceret oppositа simul; sed requiritur, quod moueatur, seù inclinetur ad vnum effectum ab alia causa, quæ tendit determinatè in vnum. Et sic omnis causa agit, vt aliquo modo determinata ad vnum; sed necessaria, vt ex vi sui principij omnino determinata, ita vt sit inimpedibilis ab effectu. Cõtingens verò naturalis, vt ex vi sui principij determinata ad vnum non quidem omnino, & inimpedibiliter; sed impedibiliter; & ideo ex vi sui principij est determinata ad vnum, vt in pluribus. Illæ demum causæ, quæ ex vi sui principij se habent ad vtrumlibet, agunt vt inclinatæ, seù determinatæ ad vnum, non ex se; sed per hoc, quod mouentur, & inclinantur determinatè ad vnum à suo mouente, licèt sint ex se, & ex vi sui principij indifferentes.

569 Quid dẽt assumi ad probandũ al q̃ causã esse necessariã, vel cõtingẽtẽ nõ liberã.

10 His consideratis videbis qualiter deficiat, si quis ita argumentetur. Ista causa agit, vt determinata ad vnum. Ergo agit, vt causa necessaria, vel vt causa contingẽs naturalis. Deficit, inquam, nam ad hoc, vt inferatur de aliqua causa, quòd agit, vt causa necessaria, deberet assumi, quòd agit vt causa ex vi sui principij inimpedibiliter ordinata ad effectum: ad hoc verò, vt inferatur, quòd agit, vt causa contingens naturalis, deberet assumi, quòd agit, vt causa ex vi sui principij determinata ad vnum defectibiliter. Nam hoc, quod est agere, vt determinata ad vnum, nõ ex vi sui principij; sed solùm per hoc, quod inclinatur à suo mouente ad vnum, conuenit causæ, quę ex se, & vi proprij principij se habet indifferenter ad multa. Huic arguenti, voluntas agit, vt determinata ad vnum, ergo agit, vt causa naturalis, deberet claritatis gratia distingui antecedens, *agit vt causa determinata ad vnum ex vi proprij principij*: & debet negari; *agit vt causa determinata ad vnum non ex se; sed per hoc, quòd inclinatur à suo mouente*: & debet concedi, & negari consequentia, quæ non ex hoc secundo; sed primo antecedenti infertur.

570 *Quid malè, & quid rectè inferatur ex dicto antecedente.*

11 Similiter videbis, qualiter deficiat, si quis sic argumentetur. Ista causa agit, vt virtus actiua rationalis, vel vt causa libera, ergo agit, vt est indifferens. Deficit, inquam, quia reduplicatio, seù specificatio, *vt indifferens*, posita in consequenti est ambigua: potest enim excludere omnem determinationem, tàm, scilicet, illam, quam causa libera ex se, & vi sui principij non habet, tàm etiam illam, quàm habet, vt mota ex alia causa. Conclusio autem, quæ legitimè, & sine ambiguitate potest inferri, est ista: ergo agit, vt causa, quæ quantum est ex se, & vi proprij principij, per quod agit, est indifferens: quod quidem est verum, & non excludit determinationem, quam necessario exposcit causa libera. & omnis virtus actiua rationalis ad hoc vt agat, nempè, determinationem per hoc, quod monetur, & inclinatur ad vnum ab alia causa, immo hoc includit, quia (vt cõclusimus num. 7. huius §.) aliquid agere, vt causa, quæ, quantum est ex se, est indifferens, importat causam agere, quæ, quantũ est se, nihil ageret, nisi esset inclinata, seù determinata ad vnum ex alia causa.

571 *Alia aduertentia ad dignoscendũ defectũ cõsequentiæ.*

12 Denique debet aduerti qualiter deficeret. si quis sic argumentetur, omnia generabilia, & corruptibilia, vt grauia, leuia, viuentia, &c. agũt, vt causæ contingẽtes; sed omnis causa contingens se habet ad opposita, erga grauia, & leuia agunt, vt causæ, quæ se habent ad opposita, non ergo agunt, vt causæ determinatæ ad vnum. Deficeret, quia minor est ambigua, & sic distingui debet, *Omnis causa contingens se habet ad opposita, vel propter hoc, quod habet principium, quod quantum est de se, se habet ad opposita, vel saltem quia, licèt habeat principium de se determinatum ad vnum, potest impediri*, & ita etiam debet distingui primum consequens; ergo grauia, & leuia se habent ad opposita; *quia grauitas, & leuitas, per quam mouentur, se habent ad opposita*, & negari debet. *quia possunt impediri*, concedi debet, & tunc non valet vltima consequentia, quia grauia, & leuia dicuntur causæ contingentes, & se habentes ad opposita, non quia non habent principium determinatum ad vnũ, sed quia est determinatum ad vnum impedibiliter. Atq; ex his patet qualiter Fasolus in sua argumentatione, qua nullum discrimen inter indifferentiam conuenientẽ causis contingentibus agnoscit decipiatur, & qualiter illa sua existimatio, qua credit probare axioma Commentatoris esse euidenter falsum, à veritate deficiat.

572 13 Ad instantiam propositam nu. 2. quæ procedit à pari, seù ex his, quæ secundum D. Thom. conueniunt voluntati diuinæ, iam ex his, quæ diximus contra Reques. qui exemplo Dei vtebatur, patet quid dicendum sit, Deus enim agit, vt causa, quæ est libera, & ad vtrumlibet, de cuius ratione est, quod non agit, nisi determinata ad vnum per sunum proprium iudicium, & sic Deus est determinatus ad vnum ex se ipso. Vide dicta contra Suarium §. 11. à nu. 7. & deinceps præsertim nu. 14. & 15. & quæ diximus contra Requesenium §. 12. nu. 16.

573 *Resp. 2. instantiæ.*

14 Ad instantiam positam nu. 3. qua Fasolus existimat, quod Doctores docentes voluntatem determinare seipsam, videntur manifestè negare istã maiorem: à causa indifferenti, inquantùm indifferens, non exit determinatus actus. Respondeo, quod quantum spectat ad D. Th. quem inter docentes voluntatem determinare seipsam recenset dub. 11. nu. 157. ad quem se refert in instantia prædicta, tantum abest, vt in illis locis, quæ citat ipsemet Fasolus, manifeste videatur negare dictam maiorẽ, quod illam doctrinam, qua docet agentia libera determinare se ipsa, deduxit ex prædicta maiore; ita quidem, vt illam maiorem posuerit pro antecedenti, volũtatem verò, seù agentia libera determinare seipsa posuerit pro consequenti. Ex hoc dicto videri potest, quàm longè absit iste doctor à vera intelligentia S. Th. quando illud censet manifestè negari ex positione consequentis, quod D. Th. posuit pro antecedẽte. Regula Dialecticorum est, quod ex opposito cõsequentis sequitur oppositum antecedentis: noua hæc regula Fasoli esset, ex positione consequentis manifestè negari antecedẽs. Miram rem in hac responsione dicimus, quæ tamen est manifesta.

574 *Conuincitur Fasolus.*

15 Siquidem Fasolus, ad probandum D. Th. docere voluntatem determinare seipsam, recenset illa eadem loca, quæ affert Suarius, & nos retulimus §. 11. nu. 4. eodem autem loco à n. 7. & deinceps probauimus, quòd ex positione prædictæ maioris, seù axiomatis commentatoris probat S. Doct. agẽtia libera determinare seipsa, & prorũpit in illa verba, quæ prædicti doctores ex S. Th. referunt, Fasol. ergo existimat D. Th. manifestè negare antecedens per hoc, qđ posuit consequens, nec indiget hoc dictum clariori probatione.

575 *Resp. 4. instantiæ.*

16 Ad vltimam instantiam relatam n. 4. iam patet ex his, quæ ex D. Th. retulimus in hac disp. §. 2. n. 3. 4. & 5. quod ex positione nostri axiomatis non sequitur Deum prædeterminare ad actum peccati. Et hæc satis sint de hac disputatione.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO SECVNDA

An principium illud S.Doctoris, motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus; sed in vnoquoq; secundùm proprium modum, *possit auctoritatibus eiusdem S.Doct. vel alijs rationibus infirmari.*

176 DIsputationem hanc habemus cum profitentibus doctrinam S. Th. cuius est principium, quod defendendum suscepimus. Cum eis enim agimus, qui doctrinam illam S.D. relatam 1.p.huius tract. §.2.n.2. recipiunt, tanquam ab Arist.demonstratam ex vera philosophia in perse ordinatis mouentibns, in quibus fit ascensus ad primum mouēs immobile: & à quo, tanquam à primo mouente, ordinato descensu procedunt omnes motus inferiorum mouentium vsq; ad vltimum effectum, quem tota series mouentium, quæ mota mouent, producit. De hoc enim motu profert S.Doctor, *quòd non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus; sed in vnoquoque secundum proprium modum.* Agimus, inquam, cum prædictis Recentibus, inquantùm motui primi mouentis, quo omnia inferiora mouentia mouentur ab eodem primo, vt mota moueāt, attribuūt naturam, proprietates, & munera, quæ repugnant principio, de quo agimus. Cogimur autem prædicti principij defensionem suscipere, ne, si maneat indefensum, indefensa etiam relinquatur Resolutio principalis dubij in hoc Trac propositi; quam in dicto principio cum S.Thom. fundauimus. Disputationem verò quinque punctis absoluemus. Primò proponemus doctrinam, qua Recētes prædicti explicant naturam, proprietates, & munera prædicti motus. Secūdò proponemus fundamenta, quæ ijdem Recentes existimant in S. Thoma se habere. Tertiò redarguemus eosdem ex eiusdem S.Doct. fundamentis, quibus probabimus eos S. Thomæ repugnare. Quartò naturam, proprietates, & munera prædicti motus explicabimus secundùm veram sententiam S. Thomæ. Quintò tandem dubia, quæ erunt residua, soluemus.

§. I.

Proponitur opinio existimantium, S.Th. dicere motum mouentis primi determinare inferiora mouentia in quibus recipitur.

577 *Mot° mouentis immobilis appellāt prædeterminationē triplici rōne. Primo, qa applicatur ad talē effectū in individuo.*

1 QVantum ad primum pūctum sciendum est, quosdam existimasse, quod secūdum mentem S.Thomæ motus primi mouentis receptus in inferioribus mouentibus, seù agentibus, est quædam qualitas per modū fluxus, qua eadem agentia determinantur. Dicuntur autem agētia per talem motum determinari, tum quia, si sint indeterminata, & attenta sua virtute possent plura producere, per talem motum impelluntur in vnum determinatum effectum; tum quia certitudinaliter, seù infallibiliter assequuntur effectum illum, in quem inducuntur per eundem motum; tum etiam, quia per eum completur causa ad hoc, vt sit in actu secundo coniuncta cum suo exercitio agendi. Explico hoc: hæc vox, determino, quandoq; significat idem, quod præfigere alicui terminum; & in hoc sensu, determinare aliquod agens ad effectum, importat idem, quod præfigere agēti terminum, quem sua actione agat. Quandoque significat idem, quod stabilire, concludere, diffinire, vndè determinatum dicimus, quod est, conclusum, stabilitum, diffinitum: & in hoc sensu illud determinaret agens ad agēdum, quod illud redderet certitudinaliter, & infallibiliter addictum ad agendum

2.qa efficaciter, & infallibiliter.

3.qa completpōam, vt sit sub exercitio agendi.

Digitized by Google

dum, seù quod faceret, vt tale agens infallibiliter ageret determinatum effectum. Quandoq; significat idem quod vltimam perfectionem impono, vndè dicimus ædificium terminatum, quod habet vltimam perfectionē; interminatum verò dicimus, quod ad perfectionem non peruenit: & in hoc sensu illud agens ad agendum dicitur terminatum, quòd habet vltimum complementum, quòd contingit ipsum cum effectu, transferens ipsum de otio in actum agendi. Siquidem hæc videtur esse vltima perfectio agentis, esse coniunctum cum suo effectu. Dicunt ergo isti Recentiores, quòd motus primi mouentis propter triplicem prædictam rationem dicitur prædeterminatio agentis, in quo recipitur; tum, scilicet, quia Deus per istum suum motum inclinat causam, quæ est indifferens, in determinatum effectum: tum quia causa etiā contingens de se, & defectibilis, virtute talis motus infallibiliter assequitur effectum, ad quem ipse motus determinat: Ex quo est, quòd à suis assertoribus dicitur, quòd habet vim intentionalem diuini decreti, cuius vicem gerit ad exequendum infallibilem ordinem diuinæ prouidentiæ: tum tertiò, quia est vltimum complementum virtutis, trāsferens causam de otio in exercitium agendi, seù applicans in actu secundo causam ad effectum.

578 *Sequūtur hūc modū dicendi, q sequuntur partē Bān. cōtra Mol.*

2 Ita quamplures ex Thomistis post exortam controuersiam inter hispanos satis celebres Bannes, & Molinam. Et quidē, qui partem Bannes sequuti sunt, motui primi mouentis tribuerunt prædicta munera, quæ nomine prædeterminationis significarunt. Idque apparet, quia volentes probare ex dictis S. Thomæ, Deum sua motione prædeterminare causas secundas ad agendum, processerunt ex eo, quod D. Th. docet Deum, prout est primus motor immobilis, mouere omnes causas inferiores, quæ, nisi mouerentur, non mouerent: ex quo intulerunt, quod si mouet prædeterminat. Ita Aluarez lib. 2. Responsionum cap. 1. n. 13. vbi vt probet S. Doc. sentētiam esse, causas secundas indigere motu Dei, *quo moueantur, & determinentur ad operandum*; sic rem prosequitur. *Et quidem generaliter id docet de omnibus causis 1. p. q. 2. art. 3. in corp. vbi ait. (Mouentia secunda non mouent, nisi per hoc, quòd sunt mota à primo mouente, sicut baculus non mouet, nisi per hoc, quòd est motus à manu). Et q. 83. art. 1. ad 2. ait, quod (liberum arbitrium ad hoc non est sufficiēs (nempè, ad volendum, & currendum) nisi moueatur, & iuuetur à Deo. Et in solutione ad 3. sic cōcludit (Deus igitur est prima causa mouens, & naturales causas, & voluntarias. Et sicut naturalibus causis mouendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales: ita mouendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ; sed potiùs hoc in eis facit. Operatur enim in vnoquoq; secundum eius proprietatem.) Et 1. 2. q. 109 ar. 1. in corp. (manifestum est inquit, quòd sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœlestis corporis, sicut in primum mouens corporale: ita omnes motus, tàm corporales, quàm spirituales reducuntur in primum mouens simpliciter, quod est Deus; & ideo quantumcunque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta non potest in suum actū procedere, nisi moueatur à Deo.) Et art. 9. eiusdem q. in corpor. subdit: nulla res creata potest in suum actum prodire; nisi virtute motionis diuinæ) Et clarius q. 3. de potentia art. 7 in corp. ait (quod Deus est causa actionis cuiuslibet rei naturalis, vt mouens, & applicans virtutem ad agendum) Et in solutione ad 7. eiusdem artci. ait: (Quod virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, ineſt eis, vt quædam forma habens esse ratum, & firmum in natura. Sed id, quod à Deo sit in re naturali, quo actualiter agat est vt intentio sola habens esse quoddam incompletum: per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis.) Hæc ex D. Th. Aluerez, ex quibus immediatè concludit. *Sentit ergo quòd per illam motionem determinat causam secundam ad agendū. Motio enim, qua causa secunda actualiter agit, eam ad agendum determinat.*

Ita Alu.

Testim. S. D. quibus vtitur Alu. ad suū intentum.

Inqt Alu. si Deus mouet prædeterminat.

Ex qua conclusione iam clarè habetur, quòd munus determinādi causas secundas ascribit Aluerez motui, quo ex sententia S. Thomæ in relatis auctoritatibus Deus, vt prima, & vniuersalissima causa mouet omnes alias causas, seù agentia, quæ agunt vt mota à primo mouente.

579 *Ioan. à S. Th. refert alia loca S. Doct.*

3 Ita etiam Ioannes à S. Thoma tom. 2. naturalis philosophiæ quæst. 25. art. 2. §. *cum ergo constet apud D. Thomam*, vbi alia loca S. Doct. citat quibus docet Deum mouere causas secundas, ex quibus deindè infert Deum prædeterminare causas quas suo motu mouet. citat autem S Doct. 1. p. q. 105. art. 5. vbi in corp. sic habet, *Considerandum est, quòd si sint multa agentia ordinata semper secundum agens agit in virtute primi. Nam primum agens mouet secundum ad agendum. Et secundum hoc omnia agunt in vitute ipsius Dei: & ita ipse est causa actionum omnium agentium.* Citat etiam S. Th. 1. 2. q. 6. art. 1. ad 3. vbi sic habet. *Dicendum, quod Deus*

mouet

Digitized by Google

monet hominem ad agendum, nō solùm sicut proponens sensui appetibile, vel sicut mouens corpus; sed etiam sicut mouens ipsam voluntatem: quia omnis motus, tā voluntatis, quàm naturæ, ab eo procedit, sicut à primo mouente. Ampliùs ex eadem 1.2.qu. art. 1. q. 109. vbi ante verba, quę retulit Aluarez, sic habet S. Doctor. *Videmus in corporalibus, quòd ad motum non solùm requiritur ipsa forma, quę est principium motus, vel actionis; sed etiam requiritur motio primi mouentis. Primum autem mouens in ordine corporalium est corpus cœleste. Vndè quantumcunque ignis habeat calorem perfectum, nō alteraret, nisi per motionem corporis cœlestis.* Posteà subdit verba relata ab Aluarez. *Manifestum est, &c.* Tandem citat cap. 67. lib. 3. cont. gent. vbi ratione quinta S. Doctor, sic habet. *In omnibus causis agentibus ordinatis, semper oportet, quòd causa sequentes agant in virtute causæ primæ, sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum cœlestium, &c. In ordine autem causarum agentium Deus est prima causa, vt in primo ostensum est, ergo omnes causæ inferiores agentes agunt in virtute ipsius.* Ex quibus apparet hos Recentes existimasse, quòd motus primi mouentis, quo secundùm doctrinam S. Thomæ locis modo relatis, Deus, vt primus motor in serie per se ordinatorum mouentium, mouet sibi subordinata agentia, determinat eadem agentia.

Quid sentiunt hi Doctor. de motu primi mouētis.

580 *Motū, quē dicūt prædeterminā tē, credunt cognitum ab Arist.*

4 Idque euidentius patet ex eo, quòd motum illum, cui munus determinādi tribuunt, dicunt cognitum fuisse lumine naturæ ab ipso Aristotele 8. Physicorū, dum ex illo principio: Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, concluſit deueniendum esse ad primum mouens immobile, quod mouet omnia inferiora mouētia, quæ mouentur, vt moueant, ipsum autem mouet, & non mouetur. Hinc Aluarez loco citato post illa loca S. Doct. quæ ipse refert n. 13. sic sequenti num. 14. rem prosequitur.

581 *Locꝰ Arist.*

5 *Aristoteles etiam solo lumine naturali ductus hanc veritatem agnouit, nēmirum omnes causas secundas indigere actuali motione primi mouentis, qua ad operandum mouentur. Etenim 8. physicorum tex. 33. lect. 9. apud S. Thomā inquit; (vtraq; igitur mouere dicimus; & primū & vltimū mouentium; sed magis primū; illud enim mouet vltimum; sed non hoc primum; sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit, nisi moueatur ab homine) Vndè idem Aristoteles 7. Phys. cap. 1. & 8. Phys. cap. 5. concludit deueniendū esse ad vnum primum mouens, quod omnia agentia mouet, & non mouetur ab alio, ne detur processus in infinitum.* Eundem locum citatum passim inuenies apud alios ad idem propositum, vt videre est apud Franciscum Manca lib. 2. Physic. quæst. 5. dub. 8. conclus. 1. in 2. probatione. Vndè patet, hos doctores motum illum appellasse prædeterminationem, per quem ab vltimo mobili per intermediata mouentia fit ascensus ad motorem immobilem, & à motore immobili fit descensus per omnia intermedia mouentia vsq; ad id, quod vltimò mouetur. Et hæc quantùm ad primum punctum.

§. II.

Aperiuntur spectantia ad secundum punctum; & probatur, præcipuum fundamentum prædictæ opinionis esse principium illud Commentatoris, ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur; nisi per aliquod, quod determinat ad vnum.

1 QVātùm autem ad secundum punctum, considero, quòd in duabus, vel tribus rationibus, fundant prædicti Recentes suum modum dicendi. Præcipuum verò, est principium illud Commentatoris, de quo egimus disp. præcedenti. Quo supposito existimarunt, id, quo Deus determinat agentia, quæ sunt ad vtrumlibet, esse prædictum motum. Considerauerunt enim, quòd quodlibet agens habet aliquam indifferētiam, saltem inquantùm potest producere plura numero. Vel enim agentia habēt indifferentiam per hoc, quòd possunt opposita, vt est voluntas, vel per hoc, quòd possunt plura secundùm numerum, vel etiam per hoc, quòd ita possunt producere effectum, quòd etiam possunt ab effectu deficere: subindè existimarūt posito prædicto principio Commentat. quòd agentia, si sunt indifferentia, vt voluntas, per prædictum motum determinantur a Deo, vt procedant in alteram partem, si verò non sunt ex istis, determinantur, vt procedant in hunc, vel illum effectum numero, ex his, quæ possunt, & etiam, vt non deficiant ab effectu à quo possunt deficere. 581

Oēs causæ creatæ sūt indifferētes ad producenda plura individua secundū hos doctores.

2 Hinc Ioannes à S. Th (quem plures tanquam D. Tho. internuncium receperunt) fundamentum ascribendi D. Thom. motū primi motoris prædeterminatiuum agentium posuit doctrinam S. Doct. qua principium Cōmentatoris approbat, tàm lib. 2. Physicorum lect. 8. quàm nos retulimus disp. præcedenti §. 1. nu. 2. & diffusiùs §. 3. num. 6. tum etiam 1. p. quæst. 19. art. 3. 583

Celebre nomē Ioā. à S. Tho. apud recētiores.

ad

ad 5. quam transcripsimus eadem disp. §. 2. nu 7. & 8. & repetitionibus sæpè §. 5. agentes contra Ruiz §. 7. agentes contra Fasolum. Et sic inquit Tom. 2. Naturalis philosophiæ q. 25. art. 2. §. *Inaduertenter.*

584 *Verba D. à S. Th. 1. il propositū.*

3 *Pater Suarez dixit, neutiquam reperiri apud D. Th. causam primam determinare secundas ad omnes actiones earū; multoq; minùs reperiri apud D. Thomam mentionem physicæ prædeterminationis. Oppositum tamen euidenter constat.* (Nota loca in quibus credit id euidenter constare, nam subdit) *Dixit enim D. Thomas 2. Physic. lect. 8 super tex 48 (Quòd sicut potentia motiua, quæ est ad vtrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitiuam determinetur ad vnum, ita nihil quod est ad vtrumlibet exit in actum; nisi per aliquid determinetur ad vnum; quia id, quod est ad vtrumlibet, est sicut ens in potentia: potentia autem non est principium agendi sed solùm actus; vndè ex eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquid aliud, quod determinat ad vnum) Qui locus manifestissimus est pro isto præuio concursu determinante causam, vt agat. Idemque confirmat S. Doct. 1. p. quæst. 19 art. 3. ad 5. vbi inquit (quòd causa quæ de se est contingēs, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum.) Vbi loquitur de prædeterminatione causæ ante ipsum effectū, quæ vno nomine appellatur prædeterminatio.* Hæc prælatus doctor. Ex quibus apparet se existimare D. Thom. in prædicta doctrina, qua approbat, & probat axioma Commentatoris, asserere manifestissimè, motum Dei esse prædeterminātem.

585 *Concl. Ioa. à S. Th. & fundamēta, quibus innititur.*

4 Et indè est, quòd eodem art. parum post, ideſt post quatuor paragraphos sic conclusionem suam ponit. *Dico ergo primò. Causa secunda antecedenter ad influxum, & actionem, qua producunt effectus, indigent aliqua motione causæ primæ, qua applicentur ad agendum. Hæc conclusio sumitur ex locis D. Thomæ supra citatis* (scilicet relatis num. 3. præcedentis §. & proximè relatis.) *Ratio autem & fundamentum sumitur ex duobus. Primò, ex indeterminatione causæ secundæ. Secundò ex potentialitate eius ad operandum. Et primum constat ex eo, quod causæ secundæ possunt producere diuersos effectus, aliquando quidem diuersos specie, sicut potentia cognoscitiua, & volitiua, vel saltem diuersos in individuo, vt quæcumque virtutes actiuæ. Neque enim virtus aliqua creata permanens datur solùm ad vnam actionem, & effectum, alioquin illo producto euanesceret virtus, vtpotè iam vtiosa, & ita solùm se haberet per modum transeuntis, sicut virtus instrumenti, & quæcumque motio ad vnum tantum actum. Immo in hoc præcipuè differt concursus istè prguius, seù auxilium efficaciter mouens* (hæc refero, non quia materiā de auxilijs, etiā per accidens, tracto; sed vt videas quid attribuant motui primi mouentis de quo est præsens disputatio) *ab eo, quòd solùm dat sufficientiam, & virtutem, quòd sufficiens non solùm respicit vnū actum in individuo; sed speciē actus, ad quem dat virtutem; efficax autem respicit determinationem* (legendum puto) *operationem in individuo. Omnis ergo causa creata de se indifferens est ad diuersas actiones, & effectus in individuo. Secundum verò constat, quia causa secūda, ita est in potentia ad operandum, quòd indiget mutari in se, vt de facto operetur: siquidem non semper operatur in actu: ergo necesse est, quòd vt operetur, aliter se habeat: si enim eodem modo se habet, sicut antea, manebit in potentia operans; quia antea in potentia erat operans.* Et paucis intermissis, sic ex prædictis principijs formal rationem.

586 *Rō in forma Io. à S. T. fundata in axiomate Cōmen.*

5 *Ex quibus principijs deducitur, necessariam esse aliquam motionem in omni causa creata antecedenter ad eius actionem. Quia omnis causa creata indiget aliqua mutatione ad hoc, vt operetur, quia est indeterminata ad hanc, vel illam actionem in singulari, & est in potentia ad operandum, cum non semper actu sit operans. Ergo indiget ab aliqua causa reduci in actum, & determinari. Siquidem, à causa existente in potentia, & indeterminata non exit effectus in actu, & determinatus.* Ecce rationem Commentatoris, quam præcedenti disput. toties inculcauimus.

587 *Ratio Alx. fundata in eodem axiomate.*

6 Eandem rationem in eodem axiomate Commētatoris fundatam prosequitur Aluarez in causis liberis lib. 3. de auxilijs disp. 18. num. 13. & sic inquit. *Præterea probatur speciali ratione, quam assignat S. Thomas 1. p. q. 19 artic. 3. ad 5. Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio determinata, nisi ab aliquo alio moueatur, & inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator in 2. Physicorum tex. 48. Ab eo enim, quod est in potentia, & indifferens, inquantùm huiusmodi, non exit determinatus actus; quia non est maior ratio, quare exeat iste actus, quàm oppositus. Sed causa libera, & contingēs se habet indifferenter ad opposita. Ergo nō exibit ab illa determinata operatio, nisi moueatur à primo agente, & determinetur ad vnam particularem actionem.*

7 Franciscus verò Manca lib. 2. Physicorum

Fr. Iacius Manca sequitur Io. à S. Th.

corum quæst. quinta cõclusione prima ratione 3. sequitur Ioannem à S. Tho. siquidem postquam rationem secundam proposuit ex Auctoritate Aristotelis his verbis. *Probatur auctoritate Arist. 8. Physic. tex. 33. sic dicentis. Vtrumq; igitur mouere dicimus, & primum, & vltimũ mouentium, sed magis primum: illud n. mouet vltimum; sed non hoc primum: & sine primo vltimum non mouebit; illud autem sine hoc. Vt baculus non mouebit non mouente homine.* Et paucis intermissis concludit, quòd causæ secundæ *recipiunt à Deo motionem aliquam physicam à qua physicè compleantur & determinentur ad producendum infallibiliter effectum.*

Affert pro se Aristotelem.

Vtitur ratione Io. à S. Th. fundata in axiomate Comm.

Postquam, inquam, prædictam rationẽ posuit sic prosequitur. *Tertiò probatur ratione ex Aristotele, & D. Th desumpta, Quælibet causa creata prius natura, quã intelligatur eius effectus, debet esse physicè applicata, & determinata ad hunc potius, quàm illum in indiuiduo producendum. Ergo indigent necessariò physica prædeterminatione.* (intermitto quę non sunt ad propositum.) *Antecedens autem probatur. Qualibet causa creata est de se, & ratione propriæ virtutis indifferẽs ad hunc potius, quàm illum effectum in indiuiduo producendum. v. g. calor ad producendum hunc, vel illum calorem: vtrumq; enim in sua virtute actiua habet continere. Ergo ad hoc, vt potius hunc, quàm illum effectũ producat, debet prius natura, physicè applicari, ac determinari. Aliàs non esset maior ratio, quare hunc potius effectum, quàm illum produceret.* Ecce rationem Commentatoris.

589 *Ratio recentiũ cũ suo fundamento.*

8 Itaq; volunt hi Doctores, quòd, quia ex vna parte, A causa indifferenti, & indeterminata non sequitur aliquis effectus: & ex alia parte omnes causæ creatæ sunt indeterminatæ: aliquæ quidem ad oppositos actus specie distinctos, vt causæ liberæ, aliquę verò ad plures effectus in indiuiduo, vt causæ non liberæ: ideo indigeant motu, quo moueantur à primo mouente, eoq; ipsis recepto determinentur ad effectũ, siue in specie, siue in indiuiduo. Amplius volunt, quòd causæ per talẽ motum compleantur, & applicentur ad producẽdum effectum infallibiliter. Idq; designauit Ioannes à S. Tho. dum de tali motu dixit quòd *efficaciter mouet*, & quòd causa *indiget mutari in se, vt de facto operetur.* Et expressius Manca illis verbis, *recipiant motionem aliquam, à qua cõpleantur, & determinentur ad producendum infallibiliter effectum.*

590 *Triplex*

9 Sic ergo secundum hos Doctores triplicem indifferentiam possumus in causis creatis aduertere; vnam ad effectus oppositos, seu specie diuersos, quæ inuenitur in causis liberis; secundam ad plures effectus in indiuiduo, quæ inuenitur etiam in causis non liberis, & tertiam ad exercitium agendi, inquantũ non semper agunt, vnde quandoq; sunt in exercitio agendi, quandoq; sunt in potentia ad tale exercitium. Et similiter triplex munus determinandi debemus secundùm eosdem Doctores aduertere in motu, quo causæ mouentur à primo mouente: puta, munus determinandi ad speciem actus, vt cum causas liberas determinat ad habendum actum amoris potiùs, quàm odij: munus determinandi ad habendum hunc in indiuiduo actum amoris, & nõ alium actum amoris, quomodo potest determinari calor ad producendum hunc calorem in indiuiduo, & non alium: & munus determinandi ad exercitium agendi, per hoc quod transfert infallibiliter causam de otio in actum, seu reducit in actum agendi, quod est applicare, & coniungere causam cum effectu. Videntur ergo hi Doctores, quòd ex eo, quòd ab indifferenti, & indeterminato nõ sequitur aliquis actus, nisi determinetur ab alia causa, colligant, causas omnes, quæ sunt indifferentes secundùm aliquem, vel omnes ex prædictis tribus modis, determinandas esse à Deo per istum motũ, quo illos ad agendum mouet; ad hoc, vt ab eisdem causis procedat aliquis determinatus actus, seu effectus. Sicq; videntur axiomate Cõmentatoris moti ad tribuendũ motui primi motoris triplex istud munus determinandi causas ad suos effectus.

indifferẽtia in causis notatur ab hs Recentibus, propter q̃ indigent determinari.

591 *Discursus Recẽtium quo excogitauerint multa circa motum primi mouentis, quod scilicet esset medium infallibile.*

10 Moti autem fuerunt ad prædicta excogitanda de dicto motu, quo Deus, vt primus motor, mouet omnes causas, ex eo, quòd sciebant, diuinam voluntatem esse efficacissimam, habereq; ordinem infallibilem ad ponẽdum in esse totum id, quod per sua decreta vult facere per causas ipsas creatas. Cogitauerunt deinde, quòd talẽ infallibilitatem habere minimè possent diuina decreta, nisi haberet Deus aliquod medium proportionatum, puta infallibile, quo posset causas contingentes (quæ de se sunt defectibiles) & liberas (quæ præter defectibilitatem, habent indifferẽtiam ad oppositа) infallibiliter adducere ad causandos eos effectus, quos ipse vult suis decretis, quibus accipit determinatissimè ea ipsa, quæ vult cum omnibus circumstãtijs singularibus. Indè visum est eis tale medium esse motum, quo Deus, vt primus motor, mouet omnia agentia, seu causas efficientes creatas. Quoniam autẽ, vt diximus, diuina decreta sunt determinatissima, ideo cogitauerunt, quòd etiam

Quod determinaret ad effectũ in specie, & indiuiduo.

Digitized by Google

motus illi, quibus Deus mouet causas, essent simili modo determinati, determinatè & infallibiliter tendentes in effectus determinatè acceptos per decreta. Sic ergo ascripserunt motui Dei mouentis, tam infallibilitatem ad inducendum effectus per causas defectibiles, tam vim determinatiuam, ad determinandas causas ipsas ad agendum illum determinatum effectum in specie, & individuo, quē Deus vult per dictas causas efficere. Cœperūt deindè inquirere rationes, quibus cum suis aduersarijs agentes ostendere possent, prædicta munera motui primi mouētis conuenire; & tandem post multas inquisitiones, & concertationes, siue cum domesticis, siue cum aduersarijs deuenerūt ad hoc, vt crederent, sufficientem rationem esse dictum axioma Commentatoris, quo necesse est asserere, quòd omne ageus, si aliquam habet indeterminationem, & indifferentiā, sit determinandum ab aliquo alio ad hoc, vt ab eo procedat aliquis effectus. Nam ex dicto principio, & ex eo, quod hoc aliud, à quo sunt determinanda agentia creata, non potest esse (vt dictis Recentibus videtur) nisi Deus mediante motu, quo mouet causas secundas, necessariò infertur, prædicta munera motui primi mouentis cōuenire. Et ita existimarunt, quòd sicut secundùm nostrum modum concipiendi est in Deo aliquod speciale decretum, quo e.g. vult, vt ego modò velim scribere, & aliquod, quo vult, vt ego post horam nolim scribere; ita datur quædam specialis motio, per quam fit, vt ego modò velim scribere hoc individuo actu volendi, & quædam alia, per quam fit, vt nolim scribere tali individuo actu nolitionis: & sicut prior non nisi ad illum actum determinatum valet, ita hæc posterior ad hunc posteriorem, vtpotè quia sunt motiones ad vnum tantum actum determinantes, & infallibiliter applicantes. Et ita dicunt de omnibus alijs causis in ordine ad quoslibet effectus earumdem.

Existimarūt motiones carrespōdere diuinis decretis.

QVÆ DICENDA SVNT in defensionem S. Thomæ. Et quæ in hoc tertio puncto.

Secūdum sententiam S. Th. motus superiorū mouentiū est indeterminatus in ordine ad effectus inferiorum.

11 SEd cōtra hæc, quæ ad stabiliendū infallibilē ordinem diuinæ prouidētiæ, efficaciamq; volūtatis diuinæ ab his Recentibus excogitata fuere, multa nobis occurrunt in defensionem S. Tho. Siquidem in huius S. Doct. sentētia, & veritate ipsa fundata in per se notis principijs ab Aristotele traditis satis diuersæ naturæ, conditionis, & muneris est motus, quo inferiora mouentia mouentur à superioribus, & à primo. Est enim talis motus inquantùm descendit à superiori causa indeterminatus, & indifferens in ordine ad effectus inferiorum causarum; Estque determinabilis, & determinatur per hoc, quod recipitur in causis inferioribus secūdum modum inferiorum, & non solùm ad rationem specificam sed etiam ad genericam. Ita quidem, vt quo in inferiori mouente in serie per se ordinatorum agentium sit receptus, eo sit determinatior & minus indifferens; Quò verò in superiori, & magis immediato primo mouenti receptus sit, eo sit indeterminatior, & ad plura magis indifferēs, & ex cōsequēti determinabilior per inferiores causas Quantum verò ad effectum numericum seu individuum secundarum causarum, non solùm implicat causam determinari ad aliquod individuum per influētiam, seu motum, quo mouetur à superioribus causis; sed nec etiam influentia, seu motus, superiorum causarum, qui est indifferens in ordine ad effectus inferiorū est determinabilis ad effectū in individuo per hoc quod recipitur in aliqua ex inferioribus totius seriei. Hanc enim determinationē influentia totius seriei causarū ordinatarū accipit ab vltimo subiecto, in quod tota series agit. Insuper talis motus in causis per se ordinatis nō in omnibus causis est immediatè causatus à prima, seu à Deo primo mouente, sed solum ille qui recipitur in immediata sub prima, ille verò qui recipitur in causa, quæ distat à prima per aliquā intermediam, non à sola prima; sed etiam ab intermedia causatur, nec à prima, nisi per intermediā. Et si sint plures intermediæ, motus receptus in infima, causatur ab omnibus intermedijs, nec à prima, nisi per intermedias. Amplius talis motus est virtus ad agendum; ita quidem, vt motus receptus in vltimo mouente in tota serie cōtineat virtutē omnium superiorum mouētium, itaut perindè sit agere virtute talis motus, quod agere virtute omnium superiorum mouentium. Ampliùs, quātùm ad defectibilitatē, vel indefectibilitatem, est determinabilis per causas, in quibus recipitur, vnde nō solùm minimè valet causam defectibilē indefectibiliter ordinare ad effectū; sed ipsemet per hoc quod recipitur in causis defectibilibus fit defectibilis, & de facto deficit, cum dictæ causæ deficiūt. Vnde cū ignis superueniēte aqua impeditur, ne cōburat lignū, impeditur simul, & deficit ab effectu impressio recepta in igne ei impressa ab omnibus superioribus causis, et à Deo. Infallibilitas deniq; ordinis, quē habet diuina volūtas ad effectum volitū, nō habetur per hoc, quod datur, vel

Determinatur per causas inferiores.

Nō potest determinari ad individuum per causas.

Tota causarū series determinatur per vltimum subiectum.

Motus primi mouētis ē vnus. Quātū ad actū volitionis ē determinatur per subiectū, in quo recipitur.

Infallibilitas ordinis diuinæ volūtatis ad volitū fundatur in maximam veritate.

fit

fit dabile aliquod speciale mediũ receptũ in causis cõtingẽtibus, vel liberis ordinatis easdẽ causas infallibiliter ad effectũ futurũ; sed habetur per hoc, quod diuina volũtas est prima causa, non particularis, & in hac, vel illa determinata serie; sed vniuersalissima, & omnium omnino serierum: ex quo est, quòd sua influentia, seù motus multifariam receptus in causis per particulares series ordinatis, in quibus recipit modos earundem causarum, licèt impediatur, & impediat, prout continetur in aliqua speciali serie, non tamen, prout diffunditur per omnes omnino series, potest pati impedimẽtum. Et indè est, quod diuina voluntas, quæ, vt principium omnium serierum per omnes series causarum agens adimplet decreta sua, indefectibiliter, & efficacissimè assequitur, quod ipsa vult, etiã per causas defectibiles, quæ se inuicem, & impediũt, & impediuntur virtute motus, quem ab ipsa diuina voluntate recipiunt. vt rigorosis demonstrationibus ostendemus disp. 4. huius secundæ partis.

593 *Munus determinãdi repugnat motui primi mouẽtis.*

12 Itaque existimamus, quòd illa tria munera, quæ tribuerunt Recentes motui primi mouentis recepto in causis per se ordinatis repugnant prædicto motui secũdum veram sententiam S. Thomæ, & quòd licèt virtus primi mouentis, quæ participatur per motum, in ipsis receptum, ab inferioribus causis, sit complementum virtutũ omnium inferiorum mouentium; attamen hoc asseritur à S. Thoma in satis diuerso sensu ab eo, quo id dicunt isti Recentiores. Porrò est complementum virtutum omnium inferiorum agentium inquantùm in ordine ad virtutes inferiorum causarum eodem motu participatas, & etiam in ordine ad virtutem inferioris mouentis, in quo recipitur, se habet, vt formale ad materiale, & vt eleuans virtutes inferiorum agentium in obiectum sublimius, & tanquam id, quo omnis alia virtus agit. Et insuper motus prædictus, prout est à primo mouente, est sustentaculum virtutum omnium inferiorum agentium, & se habet in ordine ad illas, vt materiale ad formale, & per illas determinatur ad speciem effectus magis, vel minus vniuersalẽ, secundũ q̃ fuerit vniuersalitas virtutis agentis p̃ q̃ determinatur. Procedemus autem contra dictos Recentes hoc modo. Primò manifestabimus qualiter ipsi per malum discursum intulerunt conclusiones contrarias S. Thomæ ex illis eisdem principijs, ex quibus necessario discursu idem S. Thomas intulit suã, & insuper inconuenientia ad quæ inducũtur ex malo discursu. Idque præstabimus in hoc puncto: in sequenti verò tam locis S. Thomæ, quàm ostensiuis rationibus ex ipso S. Doct. desumptis manifestabimus vera esse hæc ipsa, quæ circa motum primi mouentis modò diximus esse de mente D. Thomæ.

Dicitur à D.T. complementũ virtutis, & in quo sensu.

Modus p. cedẽdi cõtra dictos Recentes.

§. III.

Considerat discursus Aluarez, confertur cum Aristotele, & D. Thoma sæpè discurrentibus ex eodem principio, ostenditur in multis deficiens, & S. Doct. repugnans.

1 VT, quod intendimus ostendere, videas euidenter, considera primò discursum Aluarez, ipsumq; compone cum discursu Aristotelis, & D. Thomæ sæpissimè discurrentis ex eodem principio. Porrò (vt patet verbis relatis nu. 6. præcedentis §.) ipse Aluarez sic discurrit. *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio; nisi ab aliquo alio moueatur, & inclinetur ad vnum, vt ait Cõmentator; sed causa libera, & contingens se habet indifferenter ad oppositа* (seù ad vtrumlibet) *Ergo non exibit ab illa determinata operatio; nisi moueatur à primo agente, & determinetur ad vnam particularem actionem.* Considera modo consequens, ac vide, si ex præmissis inferri potest. Certum sanè est, conclusionem constare ex maiori, & minori extremitate, nilque, quod à prædictis extremitatibus abest, conclusioni addendum esse sine euidẽti vitio, & nullitate. Nunc vide si ly, *primo agente*, sit in extremitatibus, quod cum in illis, non sit, talem conclusionem minimè inferri posse, concludes. Quid ergo inferri potuit? hoc sane: *Ergo à voluntate non exibit determinata operatio, nisi ab aliquo alio moueatur, & inclinetur ad vnũ.* Quod vtique verum est. Sed quod nam est hoc aliud? num non nisi primum mouens? & non nisi per motum ab ipso solo, & à nulla alia causa, seù per nullam aliam causam sibi subordinatam causatum? cur hoc aliud non erit potiùs proprium, seù proximum, & sibi proportionatum mouens, qd̃ non excludit primum; sed, supposito primo, mouet, & determinat tanquam proprium principium, vnde oriri debet determinatio, seù motio ad vnum?

594 *demõstratur defect⁹ discursus Aluar.*

Cõsequens q̃ deberet inferre.

2 Considera verba S. Doctoris à nobis relata disp. præcedenti §. 9. num. 5. quæ diligenter expendimus vsque per totum nu. 14. puta. *Ea, quæ sunt ad vtrumlibet, nũ habent aliquam formam ex qua inclinentur ad vnum determinatè; sed à proprio mouente determinãtur ad aliquod vnum.* Nota benè, & considera, dixisse S. Doctorem; *à proprio mouente determinantur ad*

595 *Demõstratur defect⁹ Aluar. discursu S. Thomæ.*

Digitized by Google

aliquod vnum: non autem dixisse, *à solo primo agente*, sed à proprio. Et inde est, quod S. Doctor intulit: *Quia igitur vis appetitiua, se habet ad vtrumlibet, non tendit in vnum, nisi secundùm quod à ratione determinatur in illud.* Nota, quòd non intulit; igitur quia vis appetitiua, se habet ad vtrumlibet, non tendit in vnum, nisi secundùm quod à Deo primo agente determinatur in illud. (Sic enim debuisset inferre, si phantasiam Aluarez habuisset S. Doctor) sed intulit: *non tendit in vnum, nisi secundùm quod à ratione determinatur in illud*; inquantùm, scilicet, propriũ principium mouens voluntatem nostram est ipsa nostra ratio per apprehensionem boni, vt docuit ipsemet S. Doct. lib. 3. con. gen. cap. 10. verbis à nobis relatis in hoc Tract. 1. p. §. 9. num. 12. quibus S. Doct. concludit: *Sicut igitur appetitus sensitiui proprium motiuum est vis apprehensiua sensualis; ita voluntatis proprium motiuum est ratio.*

596 *Discursus S. T. in forma.*

3 Percipies enim S. Thomam fecisse hunc discursum. *Quæ se habent ad vtrumlibet, non tendunt determinatè in vnum, nisi secundùm quod à proprio mouente determinantur in illud: sed vis nostra appetitiua se habet ad vtrumlibet. Ergo non tendit in vnum; nisi secundùm quod à suo proprio mouente determinatur in illud. Sed proprium motiuum voluntatis est ratio. Ergo noster appetitus non tendit in vnum; nisi secundùm quod à ratione determinatur in illud.*

597 *Manifestatur malus modus arguẽdi Alu.*

4 Et inde dignosces saltum argumenti Aluarez. Dum enim deberet inferre: *Ergo à voluntate non exibit determinata operatio; nisi ab aliquo alio moueatur, & inclinetur in vnum*, ipse intulit: *nisi moueatur à primo agente, & determinetur ad vnum.* Ecce saltum. Nam dum sub ly, *ab aliquo alio*, poterat intelligi proprium motiuum cuiuslibet ad vtrumlibet (habet enim quodlibet mobile suum proprium motiuum in suo ordine, & huius est vnum, alterius verò aliud) ille relicto proprio mouente, per saltum se reduxit ad primum, quasi sub illis terminis, *ab aliquo alio*, non nisi primum agens, qui non aliter esset determinans, quàm per motionem ab ipso solo immediate prodeuntem, & receptam in ipso, quod est ad vtrumlibet, contineretur. Falsum est hoc in sententia S. Thomæ, sub ly, *ab aliquo alio*, continetur proprium motiuum cuiuslibet ad vtrumlibet; imo hoc propriè continetur, vt propositio illa S. Thomæ demonstrat; puta: *Ea, quæ sunt ad vtrumlibet, non habent aliquam formam, ex qua inclinẽtur ad vnũ; sed à proprio mouente determinantur in aliquod vnum.* Proprium ergo mouens intelligitur, sub ly, *ab aliquo alio*, siquidem hoc aliud est proprium mouens secundum S. Thomam.

5 Amplius si in sensu excogitato ab Aluarez prædictum axioma posset intelligi, falsa omnino esset doctrina S. Thomæ, & Commentatoris, propter quam prædictum axioma pronunciant, & approbant. Siquidem (vt patet ex verbis S. Thomę relatis disp. præcedenti §. 7. num. 6.) ideo S. Thomas simul cum Commẽtatore doctrinam prædicti axiomatis tradiderunt, puta, quod ab existente ad vtrumlibet non procedit effectus; nisi ex alia causa coniuncta cum eo, per quam determinatur ad vnum, vt per eam possent explicare, qualiter in agentibus ad vtrumlibet possit inueniri effectus fortuitus. Quod explicauerunt cum Auicenna per hoc, quòd licèt effectus non possit habere rationem fortuiti in ordine ad principium, quod est ad vtrumlibet; potest tamen eam habere in ordine ad principium, quod causam ad vtrumlibet determinat ad vnum. Recole illa verba S. Thomæ. *Auicenna ergo dixit, quod in his, quæ sunt ad vtrumlibet contingit aliquid esse à fortuna, sicut ea, quæ sunt in minori parte. Nec obstat, quod non dicitur à fortuna, quia Socrates sedet, cum hoc sit ad vtrumlibet; quia, licèt hoc sit ad vtrumlibet respectu potentiæ motiuæ, non tamen est ad vtrumlibet respectu potentiæ appetitiuæ, quæ determinatè tendit in vnum: præter quam si aliquid accideret esset fortuitum.* Post quæ subiungit doctrinam de omnibus, quæ sunt ad vtrumlibet. Et eandem doctrinam ex Auicenna affert Commentator, vt notaui loco citato nu. 7. At verò hæc doctrina falsa esset, si iuxta excogitationem Aluarez causa determinans potentias ad vtrumlibet esset solùm primum agens producens effectum per illum motum, qui nunquam deficit ab effectu: in ordine enim ad Deum nullus est effectus fortuitus.

598 *Ex sensu, quem tribuit Alu. axiomati, sequitur falsam esse sententiam S. Th.*

In ordine ad Deum nullus est effectus fortuitus.

6 Amplius S. Doctor verbis sequentibus ad ea, quæ modo retulimus, & quæ citat ex aduersarijs Ioannes à S. Thoma relatus §. præcedenti num. 3. malè dixisset: *Sicut potentia, quæ est ad vtrumlibet, nõ exit in actum, nisi per potentiam appetitiuam determinetur ad vnum: ita nihil, quod est ad vtrumlibet exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad vnum.* Malè, inquam, sic dixisset; debuisset enim dicere iuxta sensum excogitatum ab Aluarez. Sicut potentia motiua, quæ est ad vtrumlibet, non exit in actum, nisi à primo agẽte per motum impressum ipsi potentiæ motiuæ determinetur ad vnum; ita nihil, quod

599 *Secũdum sensũ Alu. malè loquutus fuisset D. T. et esset corrigendus.*

Digitized by Google

quod est ad vtrumlibet exit in actum, nisi à primo agente determinetur ad vnum. Si enim illud aliud, à quo determinantur ea, quæ sunt ad vtrumlibet, non est, nisi primum agens per impressionem motus determinantis, potentia etiam motiua, quæ est ad vtrumlibet, esset etiam à tali agente, & per impressionem motus determinantis, determinanda. Vel si potentia motiua, quæ est ad vtrumlibet, ad hoc, vt ab ea exeat actio determinatur à potentia appetitiua, iam ly, *aliquid aliud*, à quo determinantur agentia ad vtrumlibet, nõ erit solùm primum agens per impressionẽ motus determinantis.

600 *Malè etiã dixisset Aristoteles.*

7 Ampliùs, malè Aristoteles 9. meth. apud D. Thom. lec. 4. lit. text. e, ex eo, quod à potentijs rationalibus, quæ sunt ad vtrũlibet, non exit effectus, nisi determinentur per aliquid aliud, concluſisset eas determinari per appetitum, vel per electionem, & sic ab eis sequi effectum illum, in quem sunt determinatæ. Malè, inquam, sic concluſisset: debuisset enim concludere, eas determinãdas esse à primo agẽte per impressionem motus determinantis; aliàs nullus ex eis procederet effectus. Sic enim cõcludit Aluarez cum alijs Recentioribus.

601 *Arg. & responsio S. Thomæ.*

8 Præterea S. Doct. q. 3. de malo ar. 3. ad 5. malè soluisset argumentum. Siquidem, vt notauimus disp. præcedenti §. 2. n. 3. & 4. Obijcit sibi hoc modo: *Omne, quod se habet ad vtrumlibet, indiget aliquo determinante ad hoc, quòd exeat in actum: sed liberum arbitrium hominis ad vtrumlibet se habet, scilicet, ad bonum, & malum. Ergo ad hoc, vt exeat in actum peccati, indiget, quòd ab aliquo determinetur ad malum. Maximè autem hoc videtur fieri à diabolo, cuius voluntas est determinata ad malum. Ergo videtur, quòd diabolus sit causa peccati.* Et respondet. *Ad quartum dicendum, quòd voluntas, cum sit ad vtrumlibet, per aliquid determinatur ad vnum, scilicet, per consilium rationis. Nec hoc oportet esse per aliquod agens extrinsecum.*

602 *D. T. malè soluisset arg. & esset corrigẽda resp. S. T. sm. Alu.*

9 Malè, inquam, sic soluisset argumẽtum. Debuisset enim dicere iuxta sensum Recentiorum: voluntas, cum sit ad vtrumlibet, per aliquid determinatur ad vnum, scilicet à primo agente per motum determinantem ad substantiam actus mali, & sic hoc oportet esse ab agente extrinseco. Nec enim posset aliter solui prædictum argumentum in sententia horum Recentiũ. At verò S. Thomas non dixit sic; sed *cum sit ad vtrumlibet, per aliquid determinatur ad vnum, scilicet, per consilium rationis.* Illud ergo *aliud*, per quod voluntas, quæ est ad vtrumlibet determinatur ad vnum, ad hoc vt exeat in actum, est rationis consilium, scilicet, completè sumptum, seù ratio per tale consilium, quo determinat, quid sit, vel non sit agendum, vt infra explicabimus ex expressa doctrina S. Thomæ, non autem motus iste excogitatus à Recentibus. Aliàs S. Doctor non soluisset argumentum.

603

10 Vt hoc videas, pensa qualiter S. Doctor soluat argumentum. Negauitne maiorem, aut minorem, aut etiam distinxit? Nullum horum sanè: immo vtramq; præmissam absolutè concessit simul cum conclusione, quæ ex vtraq; infertur. Cum enim dixit: *Voluntas, cum sit ad vtrumlibet per aliquid determinatur ad vnum*, concessisse se conclusionem, quæ ex vtraq; præmissa concessa deducitur, designauit. Dum ergo non negauit, nec distinxit præmissas; sed absolutè concessit conclusionẽ, quæ ex ipsis sequitur, quomodo soluit argumentum? Non aliter sanè, quàm designando proprium principium, seù motiuũ, quo necesse est voluntatem, quæ est ad vtrumlibet, determinari ad vnum, ad hoc, vt ab ea exeat actus, ipsumq; dixit esse consilium rationis. Quia autem poterat fortè aduersarius prætendere, tale principium debere esse nõ aliquod principium intrinsecum; sed agens extrinsecum, vt sic posset inferre tale principium esse diabolum; S. Doctor negauit expressè tale principium (scilicet, proprium) per quod determinanda est voluntas esse agẽs extrinsecum. Idq; quod hic dicit S. Doctor, est euidens in omnibus potentijs rationalibus, quæ, cũ sint ad vtrumlibet, determinantur, tanquam per proprium principium, per appetitum, & electionem, quæ non sunt agentia extrinseca.

604 *Alu. intulit cõcl. cõtra S. Th. nullũ hẽns fundamentum.*

11 Apparet igitur ex dictis, quòd Aluarez sine fundamento in D. Thoma; immo contra D. Thom. intulit illam conclusionem: *Ergo à voluntate non exibit determinata operatio, nisi moueatur à primo agente, & determinetur* (scilicet, per motũ ab ipso solo primo agẽte immediatè prodeuntem) *ad vnam particularem actionem.* Deficit autem illatio, sicut si quis sic argumentetur. Materia, quæ est ad vtrumlibet, seù indifferens ad plures formas, non recipit vnam determinatè, nisi ab aliquo agente determinetur ad illam; sed lignum, e. g. est materia, quæ potest recipere formam ignis, & formam terræ: ergo non recipiet formam ignis determinatè, nisi à primo agẽte per motionem ab ipso solo prodeuntem determinetur ad formam ignis. Mala esset consequentia. Siquidem (seruato naturali cursu) materia ligni determinatur ad recipiendam formã ignis,

Demõstratur inualidus discursus Aluar. euidenti exemplo.

ignis, & non terrę, per calorem sibi illatum à suo proximo agẽte, scilicet, ab alio igne, non autem per motionem sibi illatam à solo Deo; licèt calor, qui procedit ab igne, vt ab agente proximo, procedat etiam à Deo, vt ab agente primo; & sic determinatio ligni ad formam ignis sit etiam à Deo agente per intermediam causam, puta, per ignem, non autem à Deo agente nulla causa mediante. Ita in proposito. Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non exit actus, nisi ab aliquo alio determinetur ad vnum; sed hoc aliud non oportet, quòd sit solùm primum agens, nec oportet, quod sit motus procedens à solo primo agente; sed potest esse aliquod principium intrinsecum ipsius agentis ad vtrumlibet, quod vt proprium mouens determinat, vel per seipsam, vel per aliquid à seipso dimanans licèt verum sit, quod talè principium intrinsecum non agat independenter à primo. Hoc ergo vult S. Thomas, quod proprium mouens, & determinans volũtatem sit ratio nostra per consilium: licèt verum sit, quòd ipsa ratio in suo consilio dependeat a Deo, & ita etiam determinatio sit à Deo mediantibus alijs causis, à quibus pendet ipsum rationis consilium, per qđ determinatur voluntas: non autem ita, vt determinatio voluntatis ad vnum sit à solo à Deo per aliquem motum ab ipso solo dimanantem.

605 *Intentũ probatur doctr. D. Th.*

12 Vndè notanda sunt ad hoc propositum verba D. Thomæ à nobis relata disputatione præcedenti §. 2. num. 2. quibus probat electiones nostras liberas esse à Deo. Et sic inquit. ***Probat autem hoc speciali ratione Aristoteles de operibus voluntatis humanæ. Cum enim homo habeat potentiam ad oppositа, puta, ad sedẽdum, vel non sedendum; oportet quod reducatur in actum per aliquid aliud. Reducitur autem in actum alterius horum per consilium, ex quo vnum oppositorum prę eligit alteri. Sed cum iterum homo habeat potentiam consiliandi, vel non consiliandi, oportet esse aliquid, per quod reducitur in actum consilii. Et cum in hoc non sit procedere in infinitum, oportet esse aliquod principium extrinsecum superius homine, quod ipsum moueat ad consiliandum. Et hoc non est aliud, quàm Deus.***

606 *S. Dreducit nostras electiones in Deũ mediantibus alijs causis non sic Recentiores.*

13 In quibus, vt vides, reduxit S. Doctor electiones nostras in Deum per hoc, quòd consilium rationis, per quod mouetur, seù reducitur in actum determinatum voluntas, est à Deo mediantibus alijs causis, à quibus dependet consilium, in quibus, quia non potest dari processus in infinitum; deueniendum est ad Deum, tanquam ad primum. At verò isti Recentiores resecato ordine per se in causis, & sublato proprio determinante, posuerunt Deum determinare voluntatem per motum à nulla alia causa, quàm à solo Deo dimanantem. Quod quidem non solùm non deducitur ab illo principio: ***ab eo, quod est ad vtrumlibet, &c.*** Vt probauimus: nec solùm destruit ordinem per se in causis, & per saltum se transfert ad Deum: verùm etiam attentis principijs naturalibus per se notis, & à D. Thoma approbatis, destruit nostri arbitrij libertatẽ, quæ exposcit ad sui consistentiam, vt determinatio agentis ad agendum non sit per aliquid impressum à solo extrinseco agente; sed per aliquid procedens ab ipsomet agente, puta, per iudicium suæ propriæ cognitionis.

§. IV.

Inculcatur contra hos Recentes insignis locus S. Thomæ, quo probatur, quòd si voluntas determinaretur ad vnum ex oppositis per aliquid sibi impressum à solo Deo, non haberet libertatem in agendo; sed ageret ex necessitate naturæ.

1 REdarguimus aduersarios, & (ni fallor) conuicimus de mala consequentia suæ fundamentalis rationis. Procedemus contra eos in hoc, & duobus sequẽtibus §§. ducendo ad inconueniens. Maximum est, quod posuimus in titulo. Tria autem occurrunt nobis loca, quibus §. Doctor expressè probat, quod intendimus, & in sententia eorum, cum quibus disputamus, demonstratiuè. Insignis est totus articulus, quem disputatione præcedeuti §. 11. num. 7. transcripsimus, & inculcauimus cõtra Suarium, quem iterum repetere oportet, vt præ oculis habitus, & expensus aduersarij euidentius per præsentiam testimonij conuincantur. Itaque in 2. dist. 25. quæst. vnica ar. 1. quo quærit, ***In quo sit liberum arbitrium***, sic respondet S. Doctor.

607 *proceditur cõtra Recẽtes ducendo ad incõueniens.*

2 ***Dicendum, quòd nihil agit, nisi secundùm quod est in actu. Et indè est, quòd oportet omne agens esse determinatũ ad alteram partem. Quod enim ad vtrumlibet est æqualiter se habens, est quodammodo potentia respectu vtriusq. Et indè est (vt dicit Commentator in 2. physicorum) quòd ab eo, quod est ad vtrumlibet nihil sequitur, nisi determinetur. Determinatio autem agentis ad aliquam actionem oportet, quòd sit ab aliqua cognitione præstituente finem illi actioni. Sed cognitio***

608 *Tenor totius artic. S. Doct.*

Digitized by Google

gnitio determinans actionem, & præſtituens finem in quibuſdam quidem coniuncta eſt, ſicut homo finem ſuæ actionis ſibi præſtituit; in quibuſdam verò ſeparata eſt, ſicut in his, quæ agunt per naturam. Rerum enim naturalium actiones nō ſunt fruſtra, vt in 2 phyſic. probatur; ſed ad certos fines ordinata ab intellectu naturam inſtituente; vt ſic totum opus naturæ ſit quodammodo opus intelligentiæ, vt Philoſophus dicit. Sic ergo patet, quòd hæc eſt differentia in agētibus, quia quædam determinat ſibi finem, & actum in finem illum: quædam verò non: nec aliud agens finem ſibi præſtituere poteſt; niſi rationem finis cognoſcat, & ordinem eius, quod eſt ad finem ipſum quod ſolum in habentibus intellectum eſt. Et indè eſt, quòd iudicium de actione propria eſt ſolū in habentibus intellectum, quaſi in poteſtate eorum conſtitutū ſit, eligere hanc actionem, vel illam: vnde, & dominium ſui actus habere dicuntur. Et propter hoc in ſolis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus; ſed à quibuſdam alijs cauſis prioribus.

609 *Quę sūt cō ſideranda, & inueſtigāda circa doctr. eccl. art.*

3 Conſidera attentè ſenſum huius articuli, ac inquire de qua determinatione loquitur S. Doctor, dum dicit: *Oportet omne agens eſſe determinatum ad alterā partem*. Loquiturne de determinatione, quæ ſufficit agenti ad vtrumlibet ad hoc, vt ab eo exeat actus, ſeù effectus, an verò de aliqua alia, ita vt cauſa ad vtrumlibet ad hoc, vt exeat in actum, indigeat alia ſpecialiori determinatione ad alteram partem, quæ non eſt iſta, qua oportet omne agens eſſe determinatum ad alteram partem? Sed quid poterit reſponderi, niſi loqui de illa, quæ ſufficit agenti ad vtrumlibet? Sic enim inquit S. Doctor: *Oportet omne agēs eſſe determinatum ad alteram partem, & inde eſt, vt dicit Commentator, quòd ab eo, quod eſt ad vtrumlibet, nihil ſequitur, niſi determinetur*, quia, ſcilicet, illud, quod eſt ad vtrūlibet, oportet habere illud, quod neceſſe eſt eſſe in omni agente. Iterum inquire: an quando S. Doctor dicit: *Determinatio autem agētis ad aliquam actionem oportet, quòd ſit ab aliqua cognitione præſtituente finem actioni*, loquatur de alia determinatione, an de eadem? Sed quis dicet de alia? S. n. Thomas diſcurrit ex eo, quod priùs concluſit. Et indè apparet, quòd illud, quod ſequitur, puta, *Cognitio autem determinans actionem, & præſtituens finem in quibuſdam quidem coniuncta eſt, ſicut homo finem ſuæ actionis ſibi præſtituit, in quibuſdam verò ſeparata eſt, ſicut in his, quæ agunt per naturam*, de determinatione, qua indigent agētia ad hoc, vt agāt, oportet intelligere. Et ita euidenter habes, quòd in aliquibus agentibus illa determinatio, quæ in agente requiritur ad hoc, vt ab eo exeat effectus, ſeù operatio, eſt à cognitione, quæ eſt in eodem agente; in aliquibus verò eſt à cognitione, exiſtente in agente ſeparato, & hæc ſunt agētia per naturam; illa verò per intellectum.

610 *Quid intēdit S. D. in hac propoſitione: Quędā determināt ſibi finem, &c.*

4 Et ex hoc deindè ſequitur, quòd dum S. Doctor concludit; *Sic ergo patet, quod hæc eſt differentia in agētibus, quia quędam determinant ſibi finem, & actū in finem illum, quędam verò non*, hoc S. Doctor concludat, nempè, hanc eſſe differentiam in agentibus, quòd quędam determinant ſibi actum, ſeù actionem in finem illa determinatione, quæ eſt neceſſaria in agentibus ad hoc, vt ab eis ſequatur actus, ſeù actio, qua tendunt in finem: quædam verò non; ſed eorum determinatio ad actum, ſeù actionem, quæ eſt eis neceſſaria ad hoc, vt ab eis exeat actus, ſeù actio, eſt ſibi impreſſa à cognitione, quæ eſt in alijs cauſis, quæ actionibus eorum præſtituunt finem.

611 *Quodnam eſt genus agentiū, quod gaudet libertate.*

5 Hoc poſito inquire, quænam ex his duabus ſpeciebus, ſeù etiam generibus agentium gaudet libertate ſecundum doctrinam huius articuli. Et inuenies S. Doctorem reſoluiſſe, quod illa agentia ſunt, quæ per hoc, quod habent intellectum per cognitionem ſuam determinant ſibi ſuam propriam actionem, qua tendunt in finē, non autem illa, quorum actiones non determinantur ab ipſis met agentibus; ſed ab alijs cauſis. Vndè concluſit S. Doctor. *Et propter hoc in ſolis habentibus intellectum liberum arbitrium inuenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus; ſed à quibuſdam alijs cauſis prioribus.*

612 *Rō in forma deſūpta ex doct. S. Thomæ.*

6 Hoc concluſo, & (vt puto) euidēter, manifeſtiſſimè habemus id, quod probare intendimus; ſi ſic ex doctrina D. Th. diſcurramus. Illa agentia quorum determinatio ad actum, ſeù operationem requiſita in agentibus ad hoc, vt ab eis procedat actus, ſeù operatio, non eſt à cognitione exiſtente in eodem agente; ſed à cognitione, quæ eſt in alijs cauſis prioribus, ſunt agentia, quæ carent libertate. Sed ſi determinatio ad actum, ſeù operationem requiſita in voluntate ad hoc, vt ab ea procedat actus, ſeù operatio, eſſet ille motus impreſſus voluntati à ſolo primo agente, determinatio requiſita voluntati ad hoc, vt ab ea procedat operatio, non eſſet à cognitione exiſtente in eodem agente,

Digitized by Google

gente, quod agit per voluntatem; sed à cognitione existente in causis prioribus. Ergo si determinatio requisita in voluntate ad hoc, vt ab ea procedat operatio, esset ille motus impressus voluntati à solo Deo, voluntas non esset libera. Maior est doctrina D. Thomæ in art. minor est euidens, & assertum ab ipsis aduersarijs dicentibus, talem motum esse impressum voluntati à solo Deo.

613 *Prædictæ rõnis efficacia manifestatur.*

7 Doctrina prędicta S. Doct. sic inculcata contra hos Recentes nullum habet effugium, quod ex expẽsione eiusdem doctrinæ à nobis allata non sit occlusum. Habet enim expresse S. Doctor, quòd quędam agentia sunt, quæ determinant sibi suum proprium actum, seù determinãt se ad agendum per propriam cognitionem, & quod hæc sunt intellectum habentia, quæque habent liberum arbitrium: quædam verò sunt, quæ habent sibi actionem determinatam ab alijs causis prioribus, & hæc carent libertate. Quæ si coniuncta fuerint cum illa doctrina, scilicet, quòd S. Doctor loquitur de illa determinatione, quæ exigitur in causis ad vtrumlibet, ad hoc vt ab eis fluat actio, ita vt agens liberum sit, cuius actiones sunt sibi determinatæ à propria cognitione ad hoc, vt procedat in actum; & simul etiam cum doctrina aduersariorum, qua dicunt motum illum, quo determinatur voluntas ad agẽdum, non esse causatum à nostra cognitione, sed solùm à Deo; reddunt nostram conclusionem inexcusabilem.

8 Verùm ad intelligendum doctrinã prædictam S. Thomæ esset hic explicandus modus, quo determinatio ad actionẽ in agentibus liberis est à propria cognitione; & quo in agentibus, quæ carent libertate, est à cognitione, quæ est in causis prioribus; sed de hac re infra diffusè agemus.

§. V.

Inculcantur ad idem propositum alia duo loca S. Doc. alterum ex lib. 2. con. gen. cap. 47. alterum verò ex q. 24. de veritate art. 1. in corp.

614 *Principiũ ex quo S. D. deducit dari agentia habentia dominiũ suæ actionis.*

1 EAndem efficaciam ad inducendum hos Recentes in dictum inconueniẽs habet, tum doctrina, qua probat S. Doctor, loco cit. ex lib. contra gentes: ratione 4. intellectualia habere liberũ arbitrium, tũ ẽt qua probat naturalia habentia principium intrinsecum sui motus carere libero arbitrio loco cit. de verit. & quidem in priori loco suam rationem, sic proponit S. Doctor.

Principiũ cuiuslibet operationis est forma, per quam aliquid est in actu: cum omne agens agat inquantùm est in actu. Oportet igitur, quòd secundùm modum formæ, sit modus operationis consequentis formam. Forma igitur, quæ non est ab ipso agente per formam, causat operationẽ, cuius agens non est Dominus, si qua verò fuerit forma, quæ sit ab eo, qui per ipsam operatur, etiam consequentis operationis dominium habebit.

615 *Rõ ad nostrũ propositũ desũpta ex dicta doctr. S. T.*

2 Ex hac doctrina sic potest formari ratio. Omnis operatio, quæ consequitur formam, quæ non est causata ab eo, qui agit per talẽ formã, est operatio, quæ non est sub dominio talis agẽtis; sed si daretur ille motus à Deo impressus voluntati, per quẽ Deus, vt vera causa efficiẽs faceret, vt volũtas ipsa operaretur, omnis nostra operatio sequeretur formã, quæ nõ esset causata à nobis ipsis, qui agimus per talem formam. Ergo omnis operatio nostræ voluntatis non esset sub dominio nostro. Maior est doctrina S. Thomæ, minor est doctrina horum Recentium. Ipsi enim volunt, quòd prædictus motus sit quædam forma, seù qualitas per modum fluxus, per quam Deus efficaciter facit, vt nos operemur, ita vt ad positionem talis formæ in voluntate sequatur nostra operatio, immo volunt, quod Deus non esset causa physica, & propria faciens, vt nos operemur, si non induceret nos per talem motũ in operationem.

616 *Efficacia prædictæ rõnis manifestatur.*

3 Hìc aduerte, quòd prædicta ratio est demonstratiua non solùm ex suppositione doctrinæ S. Thomæ, sed absolutè, & simpliciter. Id enim quod supponitur, est discursus demonstratiuus resoluens conclusionem ad illud principium per se notum, *vnumquodque agit inquantùm est in actu per formam*. Solùm esset explicanda virtus principij ad inferẽdam primam, & secundam consequentiam, quod nos infra faciemus, tam ex eo, quòd sicut operatio sequitur formam, ita modus operationis sequitur modum formæ, tam etiam ex eo, quod proprius modus formæ, ad quem sequitur modus operandi liberè, est habere suum esse causatum ab eodem agente.

617 *Quid requiritur ad libertatẽ actionis sm S. Thomã.*

4 Vidè ergo, & attentè considera, quid est, quod requiritur ad libertatem operationis secundùm S. Thomam, & veritatem ab ipso demonstratam, tam in prædicta ratione, quàm in doctrina inculcata S. præcedẽti: illud est, quod ille actus, seù principium, quo posito sequitur operatio, nisi adsit impedimentum, sit causatum ab ipsomet operante. Et quoniam talis actus determinat agens ad alteram partem, ex hoc enim habet agens esse de-

in

terminatum ad alteram partem, quod est in actu. Sic.n. inquit S. Doct. relatus §. precedenti. *Nihil agit, nisi secundùm, quod est in actu; & inde est quod oportet, omne agens esse determinatum ad alteram partem*, ex quo deindè infertur, quòd illud, qđ est ad vtrumlibet non agit, quia non est in actu, nisi determinetur per aliquid, qđ est in actu: ideo vult S. Doct. quòd illa determinatio, qua agens liberum determinatur ad operationem, sit causata ab ipsomet operante per cognitionem eiusdem operãtis: & quia etiam talis actus est forma ad q̃ sequitur operatio; ideo etiam vult, & demõstrat, quod illa forma, seù actus, ad quẽ sequitur operatio libera, quę est sub dominio agẽtis, dẽt esse causata ab eodẽ agẽte.

Aduert. Aduerte hìc, quòd notantèr dixi, *illud principium, quo posito sequitur operatio*. Nam si non sit tale, vt sunt habitus, & virtutes, seù potentiæ operatiuæ, quæ non ita constituunt agens in actu, vt ad ipsas positas sequatur operatio, non oportet, illud esse ab eodem agente.

618 *Alius locꝰ S.D. expẽdendus: ad uersus Recentiores.* 5 In posteriori autem loco. s. q. 24. de Ver. ar. 1. in corp. inquirit S. Doct. per viam diuisionis illud agens, cui conuenit habere liberum arbitrium. Inter alia verò probat grauia, & leuia liberum arbitrium non habere, esto habeant principium intrinsecum sui motus, & vtitur sequenti discursu, quod etiam applicat brutis animalibus: vt probet ea non esse causas sui arbitrij, & sic habet. *Quædam autem sunt, quæ non mouẽt seipsa, quamuis in seipsis sui motus aliqđ principium habeãt, sicut grauia & leuia non enim ipsa seipsa mouent, cum nõ possint distingui in duas partes, quarũ una sit mouens, & alia mota, sicut in animalibus inuenitur, quamuis motui eorum cõsequatur aliquod principium in seipsis: s. formam, quam quia à generante habet, dicuntur à generante moueri per se, secundùm Philosophum in 8. phys. sed à remouente prohibens per accidens. Et hac mouentur seipsis; sed non à seipsis, vnde nec in eis liberum arbitrium inuenitur. Quia non sunt sibi ipsis causa agendi, vel mouẽdi; sed astringũtur ad agendum, vel mouendum per id, quod ab altero receperũt.* Et parum infra concludit. *Vnde patet, qđ rectè considerãti apparet, quòd per quem modum attribuitur motus, & actio corporibus naturalibus inanimatis, per eundem modum attribuitur brutis animalibus iudicium de agendis.*

619 6 In quo discursu considero primò, S. Doctorem probare, non inueniri liberum arbitrium in grauibus, & leuibus, quamuis habeant intrinsecum principium sui motus, tali ratione. Prædicta nõ sunt sibi causa agendi, vel mouendi, sed astringũtur ad agendum per id, quod ab altero receperũt. Ergo prædicta non habent lib. arb. Et cõsequentia valet virtute alterius principij, quod initio art. presupposuit S. Doctor his verbis. *Liberum est, qđ sui causa est, secũdũ Philosophũ in principio Methaphysicę.*

620 *Discursus S D. cõsid.* 7 Considero secũdò ad nostrum propositum, qđ anteced. assumptum in prędicta ratione continet duas propositiones, vnam negatiuam, affirmatiuam alteram. Prima est. *grauia, & leuia nõ sunt sibi ipsis causa agendi, vel mouendi* Secunda est; *sed astringuntur ad agendum per id, quod ab altero receperunt.* Considero tertiò, qđ ex prædictis duabus propositionibus in vno antecedenti assumptis enthymematicè intulit conclusionem negatiuam, puta: ergo prædicta non habent lib. arb. Ex his autem duabus cõsiderationibus infero, qđ S. Doct. in prædicta ratione duas subintellexit propositiones; vnam vniuersalem negatiuam, putá, omne id, quod astringitur ad agendum per id, quod ab alio recepit, non habet liberum arbitrium. Alteram verò affirmatiuam, puta, omne liberum est sibi causa agendi.

621 *Duos syllogismos cõfecit S.D. & qui illi sint.* 8 Ratio illationis est. Quia dũ, ex vna parte, in anteced. assumpto sunt duæ propositiones, quarum vna est affirmatiua, & altera negatiua: & ex altera parte, conclusio negatiua non infertur ex affirmatiua, nisi mediante aliqua præmissa negatiua: & ex negatiua non infertur, nisi mediante affirmatiua, & hoc secundum debitam cõbinationẽ medij termini cũ extremis, quæ sunt in conclusione; fit inde, vt in prædicta ratione prędictę duæ propositiones necessario subintelligãtur. Et ita duos syllogismos confecit breuiter S. D. Vnus est. Quod habet liber. arb. est sibi ipsi causa agendi, vel mouendi, sed grauia, & leuia, quamuis habeãt principium intrinsecum sui motus, non sunt sibi ipsis causa agendi, vel mouẽdi. Ergo grauia, & leuia, quamuis habeant principium intrinsecum sui motus, nõ habent liberum arbitr. Alter verò est. Quæ astringuntur ad agendum per id, q̃ ab altero receperũt, non sũt sibi ipsis causa agẽdi, nec habent liberum arbitrium; sed grauia, & leuia astringuntur ad agendam per id, quod ab altero receperunt. Ergo non habent liberum arbitrium.

622 *Rõ ex doctr. S.T. cõtra Recẽt.* 9 His positis, quæ sunt in recitata doctrina S. Thom. manifesta, fit ad nostrum propositum potest formari ratio, quæ est quædam confirmatio præcedentis. Quæ astringuntur ad agendum per id, quod ab altero receperunt, non sunt sibi causa agendi, nec habent liberum arbitrium; sed si daretur ille motus impressus voluntati

Digitized by Google

Probatur minor.

voluntati à Deo talis efficaciæ, vt ad ipsũ sequatur operatio nostræ voluntatis, volũtas determinata tali motu esset astricta ad agendum per id, quod ab alio recepisset. Ergo si daretur ille motus, &c. voluntas nõ esset sibi causa agendi, nec haberet liberum arbitrium. Maior est D. Th. minor ex principijs S. Th. in eodem ar. sic probatur. Quod habet non à se; sed ab alio formam, seù principiũ, ad quod reali, & physica sequela, sequitur operatio, est astrictũ ad operandum, seù agendum, per id, quod ab alio recepit; sed voluntas determinata per talem motum habet quandam formã, ad quam per sequelam realem, & physicã sequitur operatio nostræ voluntatis. Ergo voluntas prædeterminiata per talem motũ est astricta ad agendum per id, quod ab alio recepit. Minor huius probationis est manifesta in sententia horum Recentium: ipsi enim volũt, quod talis motus sit quædam forma, puta, qualitas per modum fluxus, vt videre est apud Salmãticenses to. 3. trac. 10. disp. 2. §. 1. num. 31. causata à solo Deo, ad quã sequitur operatio nostræ voluntatis per sequelam physicam, sicut sequitur effectus ad causam efficientem, quę sequela non solùm sit necessaria physicè, sicut est inter motum deorsum, & grauitatem non impeditam; sed quæ sit infallibilis metaph. & hoc ex intrinseca natura talis qualitatis, quæ in genere physico habet efficaciam inducendi voluntatem in actionem.

623 *Probatur maior.*

10 Maior verò consideranti doctrinã S. Thomæ est manifesta. Siquidem S. Doct. astrictionem istam, qua grauia, & leuia sunt astricta ad motum per formam grauitatis, quam ab alio receperunt, colligit ex eo, quòd motus sequitur, tanquam ad principium, ad formam, quam ab alio receperunt. Sic enim inquit: ***Motus eorum cõsequitur aliquod principium in seipsis, scilicet, formam, quam, quia à generante habent, dicuntur à generante moueri.*** Ex quo deindè deducitur, ***quòd non sunt sibi causa agendi; sed astringuntur ad agendum per id, quod ab alio receperunt.*** Ergo, quæ habent ab alio formã, seù principium, ad quod per sequelam physicam sequitur suus motus, & operatio, sũt astricta ad agendum per id, quod ab alio receperunt.

624 *Quid significatur esse astrictũ ad agendũ*

11 Porrò ista astrictio, quæ est inter rem habentem formam, seù principium, & motum, seù operationem consequentem formam, seù principium, aliud importare non potest, quam illam connexionem, quã habet talis res cum sua operatione, & motu ex eo, quod habet formam, & principiũ, ad quod sequitur motus, & operatio. Cum enim principium cõnectat, & stringat causam cũ effectu per hoc, quod ad tale principium sequitur effectus: fit indè, quod illa res, quæ habet principium, ad quod sequitur motus, & operatio, dicatur connexa, & astricta ad operationem, & motum per tale principium; quod si ab alio, & non à se ipsa res recepit, dicetur res, quæ recepit tale principium ab alio, astricta ad operationem, & motum per id, quod ab alio recepit.

625 *Magis stringit ad agẽdum forma ista, q̃ est motus primi mouentis, q̃ grauitas ad motũ deorsũ.*

12 Et ex hoc sequitur euidenter, qd voluntas determinata per prædictam qualitatem esset magis astricta ad operãdum per id, quod recepit à Deo, quã sint astricta grauia, & leuia ad suum motum per id, quod receperunt à generante. Et hoc sic apparet. Nam si strictio alicuius ad suum motum, seù suam operationem importat illam connexionem, seù consecutionem, quæ est inter principium, quod res habet, & operationem, seu motum consequentẽ tale principium, clarum est quòd quantò maior, firmior, & infallibilior est sequela operationis ad tale principium, tantò maior, firmior, & infallibilior erit astrictio ad operationem, quam res habet ex vi talis principij. Sed connexio, & sequela, secundùm quam motus deorsum. E. g. sequitur grauitatem, est minor, infirmior, & fallibilior, quàm sit sequela, & connexio, secundum quam operatio nostræ voluntatis sequitur prædeterminationem, seù formam istam, & qualitatẽ per modum fluxus. Ergo, &c. Probo minorem. Nam sequela, qua motus deorsum connectitur, & astringitur grauitati, est solùm physica, quæ est impedibilis, & de facto impeditur, vt patet in lapide proiecto sursum, vel extra centrũ retento; ex quo est, quod ista consequentia non valet, lapis est grauis, ergo mouetur deorsum, nisi addatur, quod est extra centrum, & non est impeditus. Ac per hoc, sicut contingens est, graue impediri, vel nõ impediri, & esse, vel non esse extra centrũ ita contingens est, ipsum moueri, vel non moueri. At verò sequela, qua connectitur, & astringitur operatio voluntatis motui primi mouentis prædeterminãti, non solũ est physica, vt volunt; sed etiam est firma metaph. taliter quòd ista consequentia valeat, & sit infallibilis. Volũtas habet nũc prædeterminationem ad amandum, ergo nunc amat. Cõsequẽtia aũt infallibilis designat strictissimum vinculum, inter principiũ, & rem cõsequentem principiũ. Idq; in materia de qua agimus in sententia prædictorum Recentium est ita firmũ, & infallibile, vt firmitas, & infallibilitas diuinę prouidentię per ipsum motũ primi mouentis, tãquam per medium habeatur. Magis igitur

firma

firma, & infallibilis est astrictio, qua volũtas p motũ primi mouentis astringitur ad suã operationẽ, q̃ sit astrictio, qua rõne gra uitatis astringitur graue ad motũ deorsũ.

626 *Infallibilitas ordinis diuinę prouidẽtię habetur per motũ Dei receptũ in causis sm Alu. Naz. &c.*

13 Quod autem secundum prędictos Recentes infallibilitas diuinæ prouidentiæ habeatur per hoc, quod operatio nostrę voluntatis, & omnium causarum contingentium infallibiliter sequitur ad motũ primi mouentis prædeterminantem causas, & efficaciter inducentem eas in operationem, patet ex his, quæ communiter docẽt dicti Recentes. Et videri potest Aluarez lib. 3. de auxilijs disp. 23. nu. 22. versu. *Octauò*, & lib. 9. disp. 83. num. 14. versu. *Sextò auxilia*. Nazarius 1. p. quæst. 22. art. 4. controuersia 2. in resolutione tertiæ partis §. *Probatur necessitas physicę prę motionis*. Vbi concludit his verbis. *Neq; enim alia ratione certus, & infallibilis esse, aut intelligi poterit diuinę prouidentię & prędestinationis ordo, aut euentus, aut esse in Deo certa, & infallibilis prescientia futurorum ex libero arbitrio dependentium.* Quibus docet, infallibilem ordinem diuinæ prouidentiæ non aliundè consistere, quàm ex infallibili consecutione, qua operatio voluntatis sequitur motum mouentis Dei receptum in voluntate, ipsamque applicantem efficaciter ad operãdum. Idque apud Sectatores Bannes passim inuenies.

Primus modus euadendi prędictas rationes impugnatur.

627 *1. Modus respõdẽdi.*

14 Dices prædictam rationem in sententia horum Recentiũ posse facile solui. Primò, si dicatur, quòd S. Doctor per illa verba, *astringuntur ad agendum*, significauit idem, quòd necessitantur ad agendum, vel coguntur per id, quod ab alio receperunt, in quo sensu falsum est, voluntatem nostram necessitari, & cogi ad agendum per motum illum, quo Deus voluntatem mouet: non enim Deus per suum motum immutat modum naturalem agendi liberè, & contingenter ipsius voluntatis.

628 *Cõfutatur responsio, quæ non minuit; sed auget efficaciam rõnis*

15 Sed contra. Nam hæc responsio non minuit; sed auget vim rationis. Siquidem siuè illa dictio, *astringuntur*, significet idem, quod, *coguntur, necessitantur*, siuè non, certum est, (vt modò probantes minorem diximus,) quòd significatum illius vocis, *astringuntur*, secundùm S. Thomam conuenit agentibus, & mouentibus ex hoc, quod eorum actiones, & motus sequuntur formas, seù principia, quæ habuerunt, non à seipsis; sed ab alio. Ex eo enim, quòd motus grauium, & leuium sequitur illud principium, quod habuerunt à generante, infert S. Doctor, quod dicũtur per se moueri à generante, & per accidens à remouente prohibens; ac per hoc, quod non sunt sibi causa, quòd mouentur, & agunt; sed astringuntur ad agendum, vel mouendum per id, quod ab altero receperunt. Hæc autem ratio vim habet in voluntate, si eius operatio sequitur ad motum sibi impressum à Deo, & potest sic iterum formari ratio.

629 *Rõ in forma contra Recentes.*

16 Omne agens, cuius operatio, seù motus, & actio, sequitur aliquod principium, quod ipsum agens recepit non à se; sed ab alio, non est sibi causa, quòd agit; sed astringitur (dicas vt vis) *cogitur necessitatur*, ad agendum per id, quod ab altero recepit. Sed secundùm hos doctores voluntas esset agẽs, cuius operatio sequeretur ad illum motum, quem ipsa voluntas recepisset, non à se; sed ab alio. Ergo voluntas non esset sibi causa, quod ageret, seù operaretur; sed astringeretur, cogeretur, necessitaretur (si ita vis loqui) ad agendum, & ad operãdum per id, quod ab alio recepisset. Itaque vis rationis non consistit in significato illius vocis, *astringuntur*; sed in eo, quòd in tali casu operatio voluntatis sequeretur id, quod voluntas recepisset non à seipsa; sed immediatè ab alio agente, puta, Deo.

630 *Rõ S.T. in Disp. eadẽ est cũ illa lib. 3. con. geu. verba S.T*

17 Et ex his colliges, quòd ista ratio, qua S. Doctor vtitur in Disputatis ad prohandum grauia, & leuia non habere liberum motum, est illa eadem, qua ad idem propositum vtitur lib. 2. con. gen. cap. 47. ratione 3. Siquidem post verba, quæ in hoc §. num. 3. retulimus, nempè. *Forma, quæ non est ab ipso agente per formam, causat operationem, cuius agens non est dominus* subiungit, *formę autem naturales, ex quibus sequuntur motus, & operationes naturales non sunt ab ipsis, quorum sunt formæ; sed ab exterioribus agentibus totaliter; sum per formam naturalem vnũquodque habeat esse in verum naturæ. Nihil autem potest sibi esse causa essendi. Et ideo, quę mouentur naturaliter, non mouent seipsa; sed generans, quod dedit eis formas.* Hæc S. Doctor. In quibus euidenter asserit, quòd ideo ea, quæ mouentur naturaliter, vt sunt grauia, & leuia, non mouent seipsa, nec habent dominium supra proprium motum, & operationem, quia formæ, ex quibus sequuntur motus, & operationes naturales, non sunt causatæ ab ipsis, quorum sunt formæ; sed ab exterioribus agentibus totaliter. Et hæc eadem est ratio, qua vtitur in Disputatis, & addidit, quod prædicta agentia astringuntur ad agendum per id, quod ab alio receperunt.

Digitized by Google

Secunda responsio, quæ ex doctrina Recentium posset colligi; confutatur.

631 *Motus p. mouētis non est forma.*

18 POssent secundo respondere, motum primi mouentis nō esse formam: D. autem Thomas in sua propositione loquitur de forma. Sic ergo ad rationem positam num. 3. huius §. posset negari minor, & eadem responsio posset accommodari rationi positę num. 10. & 16. quæ in eodem principio fundatur, vt num. præcedenti diximus.

19 Sed contra est. Quia Recentiores Thomistę communiter existimant motionem primi mouentis receptam in voluntate esse formam, & qualitatem per modum transeuntis, & actualis applicationis; vnde Salmaticenses. Tom. 3. sui cursus theologici trac. 10. disp. 2. dub. 2. §. 1. num. 31. sic habent.

632 *Motum p. mouētis esse formam docent Salmaticēses, & alij Recentes.*

Dicendum est tertiò ad omnem libertatem creatam requiri indifferentiam passiuam respectu agentis extrinseci, & formæ ab eo recipiendæ. Circa hanc assertionem supponimus (id, quod in schola D. Augustini, & D. Thomæ disputatione non eget) voluntatem creatam, sicut, & quamlibet causam secundam in omni sua operatione omnino esse à Deo pręmouendam, ita vt priùs quàm ipsa agat, & se moueat moueatur, & applicetur ab illo ad agendum, ac proindè patiatur recipiendo eius motionem. Vt enim ait Angel. Doctor 1. p. quæst. 2. art. 3. Mouentia secunda non mouent, nisi per hoc, quod sūt mota à primo mouente, sicut baculus non mouet, nisi per hoc, quod sit motus à manu. *Quod exemplum sumpsit ex Aristot. 8 physic. text. 34. vbi loquens de concursu causæ primæ cū secundā hæc habet.* Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium; sed magis primum: illud enim mouet vltimum; sed non hoc primum: & sine primo quidem vltimum non mouebit: illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit, nisi moueatur ab homine. *Neque disputare volumus de quidditate huius prǽmotionis; sed supponere cum omnibus vtriusque S. Doctoris discipulis fieri media qualitate physica intrinsecè recepta in voluntate per modum efficacis applicationis ad actum decreto Dei prædiffinitum, pro quo exibetur, illumq; infallibiliter inferente.*

Aucti quibus vtitur Salmatic. D. Th.

Aristot.

633 *Motū primi mouentis esse formā sic certū credūt, & disp. non indiget.*

20 In quibus, vt vides, existimant, motum Dei mouentis receptum in causis esse formam, & qualitatem per modum efficacis applicationis infallibiliter inferētem actum illum voluntatis, ad quem inferendum datur: asseruntq; non esse de hac re disputandum; sed supponēdum in schola huius classis doctorum. Et hic obiter nota (id, qd ex industria transcripsimus) quē motum dicūt esse qualitatem per modum efficacis applicationis ad actum, illum, s. de quo loquitur D. Th. & Aristoteles in relatis auctoritatibus. Nota, inquam, hoc, nā est valdè mirabile, viros tam doctos sic excessisse, vt infra demonstrabimus.

634 *Responsio.*

21 Dices primò, propositiones S. Doctoris comprehendere formas habentes esse permanens, non autem formas habētes esse per modum transeuntis.

Impugnatur, qz ponit euidenter falsum

Sed hoc est falsum euidenter. Nam D. Thomas differentiam agētium liberorum ab agentibus non liberis deduxit ex differenti modo formæ, nō secundum modum essendi permanenter, vel transeunter; sed secundum modum, quo forma habet esse causatum, vel non causatum ab eodē agēte, quod per talem formam inducitur in operationem. Quod autem forma habeat modum essendi permanenter, vel transeunter, non est ad propositum huius, quod est, esse, vel non esse liberum. Vnde possunt dari, & de facto dantur formæ per modum transeuntis, ad quas sequitur motus, qui non est in potestate eorum, quæ ex vi talium formarum mouentur, vt patet in motibus proiectorum, & in motu aquæ ad motum lunæ, quorum motus sequuntur formas impressas per modum transeuntis ab extrinseco agente. Dantur etiam formæ per modum transeuntis ad quas, quoniam sunt causatæ ab eo, quod per tales formas mouetur, sequitur motus, qui est in potestate agentis, vt patet in dictamine rationis practicæ, ad quod, vt supra diximus, ex sententia D. Tho. sequitur actus voluntatis, qui est in potestate voluntatis. Dictamē autem practicum importat quēdam actum intellectus, seù formā apprehensam habens esse per modum transeuntis. Itaq; hoc, quod est, formam habere esse per modum permanentis, vel transeuntis non facit ad rem.

635 *Alia resp.*

22 Dices secundò; propositiones S. Th. verificari de formis, quæ nō habēt modum efficacis applicationis ad opus, at verò motus primi mouentis est qualitas per modum efficacis applicationis ad actum.

636 *Cōfutatur ex doctrina eorundē Recētium.*

23 Sed contra hoc est, quod S. Th. loquitur de formis, ad quas sequitur motus vt ad principium, a quo tanquam propria passio emanat, vt patet de grauitate, & leuitate, à quibus motus emanat, vt propria passio. Certū est autem apud Thomist. quòd tales formæ se habent ad suos motus per modū efficacis applicationis. Vndè ex hoc quod generans producit graue, per grauitatē applicat ipsum ad motum deorsum:

Digitized by Google

sum: & licèt possit impediri ab extrinseco; cessante tamen impedimento mouetur, & ad motum de nouo incipiendum, nec noua motione, nec determinatione indiget, vt docet Ioannes à S. Thoma Tom. 2. Naturalis philosophiæ quæst. 23. art. 1. in solutione vltimæ obiectionis vbi sic habet. *Verba Io. à S. Tho. docentis graue ad motū deorsum nō indigere prę motione.*

Dicendum est quòd motus grauium & leuium semper est à generante, siue fiat in principio generationis, siue postea quando sublato impedimento iterum graue mouetur; quia semper est emanatio propriæ passionis, nempe, collocationis, & quietis in loco proprio, & licet generatio prima cesset, & interrumpatur formaliter; tamen manet virtualiter; quia manet ipsa virtus generationis, qua generans generabat, quatenus manet forma genita impedita suo complemento, & propria passione: generans autem non attingit proprias passiones immediatè, sed mediante forma cui conueniunt, & connectuntur, vt dicit D. Tho. q. 3. de Potentia art. 11. ad 5. Generatum tandiu mouetur à generante in grauibus, & leuibus, quandiu retinet formam sibi traditam à generante, sicut instrumentum intelligitur moueri à principali agẽte, quandiu retinet virtutem à principali agente impressam. Oportet autem mouens, & motum esse simul, quantùm ad principium motus, nō tamen quantùm ad totum motum, vt patet in proiectis. *S Th. verba ad propositum.* *Ita D. Tho. Quare cum virtus relicta à generante non sit aliud, quàm forma geniti, vt perficiatur generatio in his, quæ habent cōnexionē cum ipsa forma. Quotiescumq; impeditur ista virtus, ne explicet sui talem emanationem propriæ passionis, sublato impedimento, iterum se explicat, nouo quidem emanatione, eadem virtute petente illam nouam instaurationē emanationis. Nec ad hoc indiget noua excitatione, & motu; quia iam de se determinata est, vt sublato impedimento emanet iterum propria passio propter necessariam connexionem, & debitum propriæ passionis cum natura genita, iam mota à generante, quando primò attacta est; facta est enim vt determinata ad hanc passionem; neq; enim est aliud virtus generātis remanens in genito, quàm ipsa forma genita, vt dicit D. Tho. quatenus connexionem habet cum sua propria passione: & ad talem emanationem non requiritur noua motio, aut determinatio, sed impedimenti sublatio.* Hæc Ioannes à S. Tho. qui idē vniuersaliter confirmat de omni emanatione passionis ab essentia Tom. 1. Naturalis philosophię quæst. 12. art. 4. in appendice. Vbi pro hac sententia citat Caietanum, Ferrariensem, Conradum, Sotum, & alios plures apud Cursum Carmelitanum, cui in omnibus PP. Salmāticenses conformantur. Non mireris hìc, me tam multa transcripsisse ab hoc doctore: sunt enim hæc ad conuincendos ipsosmet aduersarios valdè notanda pro infra dicēdis. *citat Caietanū Ferrariensem Conradum Cursum, Carmelitanum.*

24 His positis euidenter sequitur. D. Thomam in prædictis propositionibus loqui de formis, quæ in ordine ad motus, & operationes fluentes ab eis, se habent per modum efficacis applicationis. Loquitur enim S. Doct. de illis formis, ex quibus cum tanta connexione emanat motus & operatio, vt per hoc ipsum agens sit causa motus, & operationis sequentis, quòd est causa formæ, vt patet ex exēplo grauium & leuium, quorum generans per hoc est causa motus, quod est causa grauitatis, & leuitatis, à quibus motus emānat sine alia motione, & prædeterminatione. Sed quoties motus talem cōnexionem habet cum formis, vt ad suum motum inducendum, non indigeant alia motione, nec prædeterminatione, formæ se habent per modum efficacis applicationis ad motum, vt docent ipsimet aduersarij. Ergo S. Doct. de prædictis formis, quæ se habent in ordine ad motum per modum efficacis applicationis loquitur. 637 *Formatur ratio contra aduersarios.*

Responsio vniuersalis refugij proponitur, & euertitur.

25 TAndem dices S. Thomam loqui de formis, quæ in agentibus creatis se tenēt ex parte ipsorum agentium creatorum; nō autem de hac forma, quæ in agentibus creatis se tenet ex parte primi, & supremi agentis. Hæc enim est quædam forma instrumentaria, vim habens ex intentione Dei, & conseruat, non destruit naturas rerum; per quam Deus assequitur intentum sui decreti efficacis, & inducit infallibiliter in operationē secundùm modum intentum per decretum; ac per hoc si Deus intendit per talem formā, seu qualitatem causare operationem liberam, causabit liberam, etiam si talis forma non sit causata ab agente, quod ex vi talis formæ inducitur in operationem. 638 *Respondetur, quod D. Th. non loquitur de forma, quæ est vicaria diuini decreti.*

26 Sed contra est. Nam talis responsio innititur falsò fundamento, nempe, in eo, quod supponit, formas, quę sunt instrumenta diuinæ virtutis ad assequendum varios, & diuersos effectus intentos per diuinum decretum, non exposcere in se diuersitatem in perfectione, & modo essendi proportionatam effectibus; sed qualitercumq; in se sint in modo perfectionis, & essendi, posse inducere effectus cuiuscūq; perfectionis. Hoc autem, (etiam secundum 639 *Cōfutatur responsio, quia supponit falsum, etiā secundùm ipsos Recentes.*

dùm ipsosmet aduersarios in materia, de qua agimus) est falsissimum. Omnis enim forma, & natura, est instrumentum Dei mouentis in ordine ad motus naturales fluentes ex ipsis formis, & rerum naturis, vt docet S. Doct. p. 2. q. 6. ar. 1. ad 3. dicens. *Non est contra rationem naturæ, quod motus naturæ sit à Deo, sicut à primo mouente, in quantùm natura est quoddã instrumentùm Dei mouentis.* Nec tamen propter hoc à qualibet natura potest emanare motus cuiuslibet conditionis. Sed dumtaxat motus proportionatus naturæ. Et hinc est, quod Deus ad effectus contingentes causandos non vtitur, immo nec vti potest, principijs indefectibilibus, & necessarijs; sed principijs, & causis defectibilibus, & impedibilibus. Et similiter ad effectus necessarios causandos, nõ defectibilibus, sed indefectibilibus causis vtitur. Modum etiam operandi cum discursu facit Deus, sed mediante forma, quæ ita sit immaterialis, quòd tamen sit informatiua materiæ. At verò modum intelligendi sine discursu facit mediante forma immateriali per se subsistente, & carente ordine ad informandum materiam; vt ita modus operandi sit proportionatus modo essendi principiorum, & formarum, à quibus talis modus operandi fluit.

640 *Non per quãlibet præmotionem posset Deus causare quãlibet operationem.*

27 Hoc posito clarum est, quòd non per quamlibet præmotionem, seu prædeterminationem causaret Deus quamlibet operationem causarum secundarum, sed per præmotionem proportionatam operationi, quæ ab ipsa fluit tamquam ex causa. Vnde debet esse certa, & determinata proportio inter istam formã, quæ est præmotio, & operationem sequentem. Vnde alium modum perfectionis exigeret forma quæ est præmotio ad operandum liberè, & alium forma, quæ est præmotio ad operandum necessariò. Et hoc quidem vnanimiter fatentur ipsi aduersarij.

641 *Probatur, falsã esse propositionẽ Recentiũ, in qua fundatur responsio.*

28 Hoc autem existente vero, euidẽter falsa erit illa propositio, in qua fundatur responsio, nempe, si Deus per talem formam intendit causare operationem liberam, causabit liberam, tametsi talis forma nõ fuerit causata ab ipso agente, quod inducitur in actionem, seu operationem per talem formam. Siquidem modus perfectionis, qui exigitur in forma ad hoc, vt ab ea fluat operatio libera, est modus essendi dependens, vt à causa, ab ipsomet agente. Et similis propositio est, si quis diceret: Si Deus intendit per hanc formã causare effectum necessarium causabit necessarium: tametsi possit impediri, & sit defectibilis ad inducendum effectum: vel, si Deus intendit per hanc formam causare operationem intellectualẽ cum discursu, causabit talem, tametsi forma non sit anima rationalis, sed spiritus subsistens, vt Angelus Gabriel. Vel, si quis in materia, de qua agimus, diceret. Si Deus præmotione, qua mouet voluntatem, intendit eam inferre in actum amoris liberum, voluntas liberè amabit, tametsi talis præmotio esset ex illis, quibus Deus mouet causas necessarias. Falsæ sunt omnes prædictæ propositiones, & implicantiam inuoluentes. Ratio est: quia illa clausula *tametsi &c.* addit aliquid repugnans, & subuertens suppositum primæ propositionis. Siquidem si supponamus Deum velle effectum, qui petit emanare à causis talis conditionis, iam supponimus Deum adhibere causam habentem illam conditionẽ, quam exposcit effectus; cũ verò addimus, tametsi talem conditionem non habeat, addimus id, quod destruit suppositũ. Idq; patet in propositionibus supra positis, puta. Si Deus intendit per aliquam causam causare effectum necessarium causabit necessarium; supponimus Deum facturum talem effectum per causas illius conditionis, quas petit effectus necessarius, puta, per causas indefectibiles, & inimpedibiles ab effectu; cum verò addimus: tametsi talis causa sit defectibilis, destruimus suppositum primæ propositionis.

Falsitas propositionis suppositæ manifestatur exemplis.

Propositiones istæ sunt falsæ, quia addũt aliqd repugnãs supposito.

642 *Prædicta doctrina applicatur proposito.*

29 Et sic est in proposito, cum dicimus: Si Deus intendit per illam formam & qualitatem, quæ est præmotio, seu motus, quo mouet causas ad operãdum, causare operationem liberam, causabit liberam, tametsi talis forma non sit causata ab agente, quod operatur liberè. Nam prima propositio supponit, Deum facturũ nos operari liberè per causas, quas effectus liber per se petit. Operatio autem libera hoc petit, nempe, quòd procedat ab agẽte habente dominium suæ actionis: habet autem agens dominium suæ actionis per hoc, quod est causa formæ, ad quam sequitur sua operatio, vt ex verbis D. Th. patet. Addere ergo, *tametsi talis forma non sit causata ab ipso agente*, est addere quod repugnat, & destruit suppositum. Ac proinde in vna propositione inuoluuntur cõtradictoria simul, sicut si quis diceret. Petrus est homo, etiamsi non sit rationalis.

643 *Ex proportione, q̃ debet habere forma cũ suo effectu cõuincitur intentum.*

30 Itaq; si semel inter istam formam, quam vocant præmotionem; & effectum liberum debet esse proportio, hæc alia esse non potest, quàm illa, quæ per discursum S. Thomæ deducitur ex principio per se noto, puta, *Forma est principium cuiuslibet operationis*, ex quo sequitur, *quòd secundum modum formæ sit modus operationis*: & hęc consequentia habet pro se illud

Digitized by Google

illud axioma, *modus operandi sequitur modum essendi*; cum principium essendi sit forma. Et ex vtraq; deindè sequitur, quòd si forma, ad quam sequitur operatio, habet hunc modum essendi, puta, essendi ab eo, cuius est operatio consequens formam; modus essendi talis operationis erit esse sub potestate, & dominio talis agētis, seu erit operatio liberè procedens à suo principio. Secus esset, si forma, ad quam sequitur operatio, haberet alium modum essendi, puta, causatum, non ab eodem agente, cuius est operatio sequens formā, sed ab alio agente, modus enim essendi huius operationis esset, nō esse sub dominio agentis, cuius est operatio; sed in dominio illius agentis, qui imprimit formā, ac per hoc *talis forma causat operationem, cuius agens non est Dominus*, vt concludit S. Doctor.

643 *Cōsueuerunt prædicti Recētes inuoluere similes repugnantias.*

31 Ex hactenus dictis aduertes prædictos Recentes in suis responsionibus cōsueuisse inuoluere similes repugnantias. Sæpissimè enim vtuntur illa doctrina S. Tho. dicentis, Deum mouere causas secundas secundum modum ipsarum. Ex quo cum eodem S. Doctore inferunt, quòd diuina motio non destruit, sed conseruat modum operandi earumdē causarum: vnde à causis necessarijs motis à Deo proueniunt effectus necessarij; à causis verò contingentibus, contingentes. Huic deindè doctrinæ componunt, quòd diuina motio recepta in causis hunc habet modum ad inferendum effectum, nempè, quòd nequeat ab effectu deficere, & sit ex sua intrinseca natura, & prout venit à Deo, indefectibilis tam ab effectu, quàm à modo eueniēdi talis effectus: ita quidē, quòd à diuina motione recepta in causis contingentibus indefectibiliter procedat effectus cōtingēs, & ex recepta in causis liberis infallibiliter effectus liber, sicut ex causis necessarijs, necessarius.

644 *Ex vera doctrina D.T. inferūt cōclusionem inuolūtem cōtradictoria simul.*

32 Doctrina hæc similem supra explicatæ inuoluit repugnantiam. Si quidem ex principio vero D. Th. inferunt conclusionem inuoluentem contradictoria simul. Porrò ipsi ponunt cum D. Th. Deum mouere causas secundas secundum modum ipsarum, ita vt diuina motio recepta in causis contingentibus moueat secundum illum modum, quo mouet causa contingens; recepta verò in causa libera secundum illum modum, quo mouet causa libera, & recepta in causa necessaria secundū modū causæ necessariæ. Hoc posito pero: quinā est modus operandi causæ contingentis: qui causæ liberæ: & qui causæ necessariæ? Quid respondebis; nisi modum operandi causæ contingentis esse operari defectibiliter, & impedibiliter: modum causæ necessariæ operari indefectibiliter, causæ verò liberæ, ita operari, vt ipsa operatio sit subdominio & potestate ipsiusmet operantis? Modus ergo inducendi effectum in motu diuino recepto in causa contingenti erit ad inducendum effectum defectibiliter: in recepto in causa necessaria ad inducēdum effectum indefectibiliter: in causa verò libera est ad operandū, vt stat sub vsu, & potestate ipsiusmet agētis, ita quidem, quod voluntas per eundem diuinum motum, quo mouetur à Deo, nūc operatur vnum, nunc oppositum, & nunc cessat, nunc incipit operari, & nunc operatur bonum, nunc peccat, vt patet ex his quæ diximus in 1. parte huius Tractatus à §. X. & deinceps, & infra melius explicabimus. Repugnantia est ergo dicere, quòd Deus mouet causas secundas secundum modum ipsarum: & quod diuinus motus receptus in causa cōtingenti habente modum defectibilitatis ab effectu, sit infallibilis, & indefectibilis ex conditione propriæ naturæ, & prout procedit à Deo. Sic enim poneretur diuinus motus habere simul modum indefectibilitatis ex conditione propriæ naturæ, & defectibilitatis secundum modum causæ contingentis in qua recipitur. Apparet hæc implicantia euidentiùs in causis necessarijs: si quis ita diceret, nempè, quòd Deus mouet causas necessarias secundum modum ipsarum, & quod diuinus motus receptus in dictis causis esset ex natura sua defectibilis ab effectu. Statim quilibet videret repugnantiam. Nam si modus talium causarum est indefectibilitatis ab effectu: quomodo poterit intelligi, quòd diuinus motus receptus in prædictis causis secundum modum ipsarum habeat modum defectibilitatis ab effectu? Tales enim causæ ponerentur simul defectibiles, & indefectibiles ab effectu. Indefectibiles quidem, quia talis est natura causarum: defectibiles verò, quia talis esset modus diuini motus recepti in ipsis, qui si esset defectibilis non in alio posset deficere, quàm in effectu causarum, quæ supponuntur indefectibiles ab eodem effectu.

645 33 Eodem prorsus, modò ponitur res hæc ab aduersarijs, dum in causis contingētibus defectibilibus, & impedibilibus ponunt motum diuinum secundū modum ipsarum, qui tamen sit infallibilis inferens infallibiliter effectus ipsarum causarū contingentium. Hæc planè euidentissimè repugnant, inuoluuntq; quòd tam motus diuinus, quàm ipsæ causæ contingentes motæ prædicto motu, essent simul defectibiles, & indefectibiles, vt infra euidenter, & de-

descendendo ad causas in particulari, ex eijsdem aduersarijs demonstrabimus.

646 *Vis rationis S.T. nõ dependet ex quæst. de nomine*

34 Tandem aduerto: quod vis rationis nostræ desumptę ex S. Thoma non dependet ab ista quæstione de nomine, puta: an ille motus primi mouentis receptus in voluntate, quo voluntas determinatur ad alteram partem, & infertur efficaciter in operationem determinatam, sit appellandus forma, vel qualitas: hoc n. enim parum refert. Siquidem, quouis nomine appelletur, illa duo non possunt conuenire entitati impressę solùm ab exteriori agente, in agente libero. Oportet enim, quòd illa entitas, qua tanquam principio intrinseco determinatur ad alteram partem, sit causata ab eodem agẽte, sicut etiam illa entitas, seù principium intrinsecum, ad quam sequitur operatio, seù per quod efficaciter inducitur in operationem. Si enim illa entitas, seù principium, per quod determinatur ad alteram partem esset ab alio, agens non esset determinatum à se; sed ab alio ad vnum, & sic non esset agens liberum. Similiter si illa entitas recepta in agente, per quã inducitur in operationem, non esset causata ab eodem agente, operatio nõ esset sub eius dominio: cum non contineretur sub sua potestate illa entitas sibi impressa, per quam inducitur in suã operationem. Sufficit enim ad rationem S. Thom. quòd talis entitas habeat aliquam rationem intrinseci principij, tàm ad inferẽdam operationem, quàm ad determinandam voluntatem. Illud enim principium inhęrens agenti, cui conueniunt ista duo munera, oportet esse causatum ab eodem agente, si agens sit liberum. Aliàs tale agens esset astrictum ad agendum, & determinatum per id, quòd ab alio recepit.

§. VI.

Ex eadem doctrina S. Thomæ vtraq; doctorum Recentium classis conuincitur negasse dari agens liberum in rerum natura.

647 *Duas propositiones intulit S. D. ex principio per se noto.*

1 ADde, quòd S. Doctor ex principio per se noto non solùm intulit illam propositionem, ***Forma, quæ non est ab ipso agente per formam causat operationem, cuius agens non est dominus;*** Sed etiam hanc aliam, ***si qua verò fuerit forma, quę sit ab eo, qui per ipsam operatur, etiam consequentis operationis dominium habebit.*** Ex hac autem propositione non solùm possunt conuinci negasse libertatem actuum humanorum illi, qui motui Dei mouentis recepti in voluntate humana ascribunt munus determinandi voluntatem ad alteram partem, & eam inferendi infallibiliter in operationem; sed etiam oppositæ classis doctores, illi, scilicet, qui credunt actum liberum procedere à voluntate nulla existente forma determinante, & inducẽte eandem voluntatem in operationem determinatam. Et potest sic formari ratio.

648 *Rõ, qua ex principio S. D. probatur, non dari agẽs liberũ iuxta principia Recẽt.*

2 Agẽs aliquod habet dominium suæ operationis, si aliqua datur in eo forma causans operationem, quæ sit causata ab ipsomet, quod agit p dictam formam. Sed secundum vtramque doctorum recentium classem nulla datur talis forma in agentibus. Ergo secundùm eos nullum datur agens habens dominium suæ actionis, si attendamus ad doctrinam S. Thomæ. Maior est propositio S. Tho. Minor quantùm ad classem ponentium præmotionem, seù motum primi mouentis determinatiuum, & infallibiliter illatiuum voluntatis creatę in operationem, est euidens. Siquidem hi Doctores nõ agnoscunt in agẽtibus creatis, quæ sunt ad vtrumlibet, formam aliquã ab ipsismet agentibus causatam, ad quam in ipsis positam sequatur operatio voluntatis eorundem agentium; ita vt agens per hoc ipsum sit causa suæ operationis, quòd est causa formę, ad quam sequitur sua propria operatio. Credunt sanè, quòd si prę scindatur à voluntate creata motus eidem impressus à primo mouente (qui secundum ipsos est qualitas, & forma determinans voluntatem ad alteram partem, & ipsam inferens in operationem) voluntas remaneat indeterminata, & indifferens, ita vt nequeat, ab ea egredi aliquis effectus, dum illo principio ab indifferenti nulla sequitur actio. Igitur, præcisa ab agente libero ista forma, quæ est motus primi mouentis, nulla datur forma causata ab eodẽ agente, per quam determinetur, & efficaciter inducatur in operationem. Forma autem illa quæ est præmotio, per quam efficaciter in operationem inducitur, non est causata ab eodem agente; sed dumtaxat à primo mouente.

649 *Prob. minor contra alteram classẽ Recentium.*

3 Quantùm verò ad Doctores classis oppositæ est magis euidens. Ipsi enim nullam agnoscunt formam determinantem voluntatem, ad quam sequitur operatio liberta eiusdem voluntatis creatæ. Credunt enim, & benè, agenti libero repugnare determinationem prouenientem à forma illata solùm ab agente extrinseco: non agnoscunt deindè formam aliquam prouenientem ab eodem agente, per quam ipsum agens determinetur, & inferatur efficaciter in operationem; sed existimant operationem liberam debere emanare à princi-

principio indifferenti, nulla existente forma determinante.

650 *Manifestatur, quę sit forma in agente, ad quā sequitur operatio, quæ ē sub dominio agentis.*

4 In sententia autem Doctoris Angelici, & Aristotelis, quam diffusè infra explicabimus, iam datur ista forma causata ab ipso agente per voluntatem, per quam determinatur sua propria voluntas, & infertur efficaciter in operationem. Hæc autem non est forma naturalis, seu habens esse naturale sicut, e. g. est calor in igne, grauitas in re graui, potentiæ, & habitus in anima: ad huius enim conditionis formas sequitur appetitus naturalis, inclinans per modum naturæ; sed est forma apprehensa, ad quam sequitur appetitus animalis. Forma, inquam, apprehensa, non quauis apprehensione, (ad formam enim apprehensam per sensum sequitur appetitus, qui appellatur sensualitas, qui diuiditur in irascibilem, & concupiscibilem) sed apprehensione rationis, & huius non illa, qua apprehenditur bonum absolutè, & absque collatione, quæ non est sub potestate voluntatis; nam ad hanc sequitur appetitus intellectiuus, seu voluntas tendens in bonum indeliberatè, & per modum naturæ; sed apprehensione discussiua, seù collatiua. & deliberatiua, ad quam sequitur volitio deliberata. Hæc autem est forma apprehensa de particulari operabili, quæ in hominibus est inuenta per discursum rationis consiliantis de agendis, quæ in suo esse dependet à volũtate applicante rationem ad inueniẽdum, quid sit agendum, semperque seruante inuentum sub placito reflexiuo, quo tendit in rem iudicatam iudicio iudicante, & sententiante de se ipso. Ex quo sequitur, quòd hoc ipso homo est dominus, & imperium habens in proprias actiones, quòd non sicut bruta, quæ habent dictamen sibi impressum ab alio; sed ipsemet, per sentẽtiã inuentam, & excogitatã à seipso conferendo, & discutiendo negotium ex principijs agibilium, est inuentor, excogitator, auctor, & causa illius formæ, ad quam sequitur sua operatio.

651 *Recentiores agnouerunt formas apprehensas determinantes, & applicantes voluntatẽ ad operationem.*

5 Dices agnouisse Thomistas Recentiores hanc formam apprehensam de particulari operabili, ipsamque dixisse efficacissimam ad inferendum actum electionis, & ad determinandam voluntatem ad vnam determinatam partem ex oppositis, quæ dictamine vltimato de agendis (quod est idem, quod forma apprehensa de singulari operabili) iudicatur amplectenda: ac per hoc docuisse, quod ad prędictam formam apprehensam infallibiliter sequitur operatio voluntatis. Amplius videntur agnouisse, quod talis forma pendeat à voluntate. Videntur ergo Recentes istius classis posuisse totum id, quod Sanctus Doctor exposcit in agente, vt habeat dominium suæ actionis.

652 *Sic inter alios Salmāticens.*

6 Fateor, quòd celebriores ex Recentibus Thomistis agnouerunt formas istas apprehensas, & insuper, quòd per eam determinatur voluntas ad alteram partem, & applicatur efficaciter ad operationem, taliter vt ad earum positionem sequatur infallibiliter determinata operatio voluntatis. Ita inter alios Salmāticenses Tomo tertio, tractatu decimo, disputatione secunda; vbi numero octauo, agnoscunt formam apprehensam boni vniuersalis, quæ se habet indifferenter ad multa, & quam apprehendit solus intellectus, & formam apprehensam boni singularis, quam apprehendit etiam sensus, & quòd prima est fundamentum indifferentiæ, quæ est in voluntate, & quòd, quia forma apprehensa per sensum, est solùm singularis, ideo appetitus sensitiuus est determinatus ad vnum, vt prosequuntur ipsimet numero quadragesimo nono. Hanc doctrinam habet Sanctus Doctor quæstione sexta de malo articulo vnico in corpor.

653 *Quæ dicāt Salmā. de dictamine vltimato rōnis practicæ.*

7 Amplius numero quinto decimo, agnoscunt, quòd repugnat, voluntatem liberè operari, nisi intellectus iudicet, seù apprehendat talem operationem esse hìc, & nunc agendam, & quòd ad talem apprehensionem sequitur infallibiliter actus ille determinatus voluntatis, qui apprehenditur agendus esse, & sic concludunt. ***Ergo posito ex parte intellectus vltimo iudicio requisito, vt voluntas operetur, debet ipsa prædictum iudicium omnino sequi.*** Idque probant à dicto numero quinto decimo, vsq; ad decimum septimum, vbi concludunt, voluntatem determinari ad alteram partem, per prædictum iudicium, & sic habent. ***Manent igitur, voluntatem in suis actibus omnino conformandam esse modo iudicij intellectus; ita vt dum intellectus indifferenter tantummodo eligibilia proponit, voluntas solùm sit indifferens: tunc verò infallibiliter vnum determinatè eligat, quando intellectus vltimo, & imperiali iudicio ita decernit.*** Et numero vigesimo primo duplex iudicium, quo apprehenditur forma boni, docent necessarium ad actum libertatis: ***Alterum proponens indifferenter extrema, inter quæ exercenda est libertas***, &c. ***Alterum dictans determinatè, & efficaciter, quæ pars hìc, & nunc sit eligenda.*** Et subiungunt, quòd prima apprehensio constituit voluntatem se habentem ad vtrumlibet; secunda verò determinatam, & applicatam

Digitized by Google

determinatè ad vnum, & ita habent. *Ex quibus primum constituit voluntatem in actu primo liberam, & potentem vtrumlibet: secundum verò constituit eam sub actuali exercitio libertatis applicatam ad partem, quæ eligitur.* Quæ sententia in his Doctoribus est valdè notãda. Ampliùs nu. 18. agnoscunt dependentiam, qua prędicta forma apprehensa pendet à voluntate in genere causæ efficientis, & sic habent: *Infallibilem connexionem actus voluntatis cum vltimo iudicio practico intellectus non officere eius libertati: quia etsi voluntas potestate consequenti non possit à tali iudicio dissentire, benè tamen potestate antecedenti, qua intellectum ad sic iudicandum liberè applicuit. Et quia efficacia illius iudicii tota est ex hac libera applicatione, nihil adimit libertatis.* Videntur ergo hi doctores agnouisse in agẽte formam causatã ab eodem agente, ad quam sequitur motus, seu operatio eiusdem agentis.

Contra prædictam responsionem est; primò, quia dicta forma apprehensa ab his, qui innituntur principio Commentatoris, non potest admitti.

Secundò, quia ponerent duas formas incompossibiles, & altera esset superflua.

654 *Alu. Io. à S. T. & alij eos sequẽtes nõ possunt vti prædicta respons.*

8 SEd contra est primò. Quia hæc dicere minimè possunt, qui cum Aluarez tribuunt motui primi mouentis munus determinandi voluntatem ad alteram partem ex vi illius principij; *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nulla sequitur actio, nisi per aliquod, quod determinat ad vnum.* Nam si semel forma apprehensa de singulari operabili determinat, mouet, & applicat efficaciter voluntatem ad alteram partem; ita vt ipsam reddat actualiter applicatam ad vnum determinatum actum: & insuper voluntas causando talẽ formam in ipso agente cuius est voluntas, infert ipsum idem agens per voluntatem, seu eandem voluntatem in operationem, quæ sequitur talem formam: adeo vt dicatur causa sui motus illo simili modo, quo generans causando grauitatem in re grani, & applicans ipsam ad motum deorsum, dicitur causa motus grauis; tunc euidens est, quod illa ratio, qua ipse Aluarez cum Ioanne à Sancto Thoma, & alij vtũtur ad tribuendum motui primi mouentis illa eadem munera, quæ conuenire dicunt Salmãticenses formæ apprehensæ, nil concludit.

655 *Prob. rõnẽ Alua. nihil concludere data dicta respõs.*

9 Siquidem (vt supra dicebamus) ad hoc, vt illa ratio concluderet conuenire motui illi, quem voluntati (vt hi Recentes existimant) imprimit solus Deus, oporteret, quòd munus determinandi voluntatem ad alteram partem, nulli alteri formæ, nullique alij agenti posset conuenire, nisi dumtaxat isti formæ per modum transeuntis, seu motui, quem solus Deus imprimit. Ex eo.n. quòd ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliud determinetur, ac etiam ex eo, quòd voluntas est ad vtrumlibet, solùm infertur, quod à voluntate nil sequitur, nisi per aliquid aliud. Ad hoc verò, vt inferatur, quòd à voluntate non sequitur actio, nisi determinetur à Deo per motum ab ipso solo Deo impressum, oporteret subsumere (vt subsumit Ioannes à S. Thoma post verba relata paragraph. 2. num. 5.) sed hoc aliud non potest esse nisi Deus per istum motum: & sic inferre. Ergo à voluntate non sequitur aliqua actio, nisi determinetur à Deo per istum motum. Istud autem subsumptum esset falsum secundum ipsosmet, si ipsi dicerent voluntatem determinari ad vnam determinatam actionem, & ad eam efficaciter applicari per formam apprehensam dependentem ab eadem voluntate; ita vt vis applicandi, & efficacia dictæ formæ ad mouendum proueniant proximè à voluntate creata ratione actus alicuius præcedentis, in quem mouet Deus, vt volunt ipsimet Salmãticenses in Tractat. de Angelis disputatione vndecima, num. vigesimosexto Et expressius Ioannes à Sanc. Thoma 1. p. quæstione 59. disputatione 23. articul. 2. numero quarto decimo; vbi loquitur de formatione dictaminis practici intellectus angelici, quod idem est, quod forma apprehensa de particulari agendo, & numero vigesimo septimo, & vigesimo octauo, vbi loquitur de dictamine practico rationis humanæ. Et sic illa ratio nihil conuinceret. Vel si illa ratio conuincit, forma apprehensa per dictamen practicum non determinabit voluntatem ad alteram partem, nec eam reddet efficaciter applicatam ad operationem, ad quam determinat: quo admisso sequitur, nullum dari agens habens dominium suæ actionis.

Salmãtic. Io. à S. T. sententia de formatione dictaminis.

10 Contra est secundò, quia, qui talia munera tribueret formæ apprehensæ, & simul poneret, motum primi mouentis receptum in voluntate cõstituere eandem voluntatem sub actuali exercitio libertatis

656 *Prob. 2. quæ ponerent duas formas ad eũdẽ effectũ*

tatis applicatam ad determinatum actum decreto Dei prædiffinitum ad quem infallibiliter inferendum datur : vt loquuntur Salmāticenſes, tunc poneret, quòd idem effectus procederet à duabus formis, quæ conuenirent in eundem effectum, non vt duæ cauſæ partiales, nec vt vna ſubordinata alteri; ſed vt duæ formæ diſparatæ, a quarum qualibet effectus procederet proximè, & immediatè, quod eſt impoſſibile. Poneret enim, quod tam forma apprehēſa per vltimum dictamen rationis, quàm forma cōſiſtens in illo motu impreſſo voluntati à ſolo Deo haberet munus conſtituendi voluntatem ſub actuali exercitio libertatis applicatam ad vnam determinatam partem, tanquam forma, quæ infallibiliter infert illum determinatum actū; & tamen forma apprehenſa non tribueret iſtum effectū mediante illo motu impreſſo à ſolo Deo, ita vt motus iſte eſſet ſubordinatus apprehenſioni ad inducendum effectum, nec forma apprehenſa eſſet ſubordinata illi motui, ita vt ille motus produceret talem effectum mediante forma apprehenſa. Poneret ergo duas formas, quarum vna non eſſet ſubordinata alteri in inducendo effectu, à quarum qualibet effectus proximè, & immediatè prodiret.

657 *Confirm. ex doct. Io. à S. Th.*

11 Porrò Ioannes à S. Thoma verbis relatis §. 5. num. 23. ex eo, quod grauitas, & leuitas ſunt formæ, quibus grauia, & leuia applicantur in ſuos proprios motus, intulit, non eſſe neceſſariam motionem, & prædeterminationem; ſed ſufficere actionem generantis virtualiter manentem, dū manent ipſæ formę grauitatis, & leuitatis, quæ ſunt determinantes, & applicantes ad motum ceſſante impedimento. Cur ergo non dicemus eodem modo? Quia forma apprehenſa ſe habet per modum efficacis applicationis in ordine ad operationem voluntatis; ita vt implicet contradictionē, dari prędictam formam apprehenſam per vltimum dictamem, & eam non inferre actum voluntatis prædeterminatum per dictamen; vt potè, quia per ipſam conſtituitur voluntas actualiter applicata ad infallibiliter producendum eundem actum; ideo non eſt neceſſaria alia motio, & prædeterminatio; ſed illa eadem actio erit ſufficiens, quæ virtualiter manet, dum manet forma apprehenſa, quæ determinat, & efficaciter applicat voluntatem in actum ad quem determinat, & infallibiliter infert.

658 *Efficacia ſuperioris rōnis manifeſtatur.*

12 Hoc autem ideo neceſſe eſt aſſerere, quia data ſufficienti cauſa alicuius effectus, non oportet addere aliam; alias prior non fuiſſet ſufficiens; ſi ergo forma apprehenſa per dictamen vltimatū, *quod dictat determinatè, & efficaciter* (verba ſunt Salmāticenſium) *quæ pars hìc, & nunc eſt eligenda conſtituit voluntatem ſub actuali exercitio libertatis applicatam ad partem, quæ eligitur*, eſt ſufficiens ad hunc effectum, puta, ad reddendam voluntatem actualiter applicatam ad determinatam operationem, nulla erit neceſſitas illius formæ impreſſæ à ſolo Deo nullis mediantibus cauſis; quia talis forma nullū aliud munus deberet exequi : ſi verò hæc etiam eſſet neceſſaria, forma apprehenſa non fuiſſet ſufficiens ad illum effectum.

Salmā. tr. 10. diſp. 1. num. 22.

659 *Proh. 3 qz imperium mouet ex vi motionis diuinę*

13 Ampliùs (vt ſic impugnemus tacitam reſponſionem) ſi forma apprehenſa per iudicium vltimatum importat (vt volunt ipſi Salmāticenſes) imperiale iudicium decernens, & imperans hanc determinatam partem eſſe eligendam. Inde ſequitur, quòd talis forma inducat efficaciter volūntatem in actum imperatum, ſeù apprehenſum agendum eſſe ex vi alicuius volitionis præcedentis. Imperium enim, ſecundùm ipſoſmet Salmāticenſes, & expreſſam doctrinam D. Thomæ habet efficaciam ad applicandam, & inducendam voluntatem in exercitium actus ex vi alicuius actus voluntatis præcedentis. Si ergo ſupponamus per iudicium practicum imperari, hanc determinatam partem eſſe eligendam ab ipſamet voluntate; tunc prædictum iudicium applicabit efficaciter voluntatem ad exercitium actus, ipſamq; conſtituet ſub actuali exercitio liberè volendi applicatam ad illam determinatam partem, quæ imperatur, ex vi alicuius actus volitionis præcedentis, in quem voluntas eſt mota, vel immediatè, vel mediātibus alijs actibus à Deo primo mouente. Forma ergo apprehenſa per iudicium imperiale applicabit efficaciter voluntatem ad exercitium actus imperati ex vi motionis diuinæ, qua Deus, vt primus motor voluntatem mouit in actum illum præcedentem, ex quo talis forma, ſeù imperium habet vim mouendi ad exercitium actus. Ad quid ergo erit neceſſarius ille alius motus procedens à ſolo Deo nulla alia cauſa mediante? Siquidem dum illa forma apprehenſa applicat efficaciter voluntatem, ipſamque conſtituit ſub actuali exercitio agendi determinatam actionem, & hoc ex vi, qua prædicta forma procedit à Deo ſuis mediantibus cauſis, nil omnino relinquet præſtandum motui illi, qui fuit excogitatus, vt hæc ipſa præſtaret, quæ ſufficienter præſtat forma iſta apprehenſa ſecundum S. Thomam.

660 *Superior rō manifeſtatur ex doctr. S.T.*

14 Vt quod intendo probare, facilius intelligas, aduerte, quòd voluntas mota à Deo, mouet, & determinat ſeipſam ad determinatam operationem exercendam per

per istam formam apprehensam de singularibus agendis, quam excogitat, dum discusso negotio per industriam consilij, applicat singularibus agendis regulas agendorum, & profert iudicium, & sententiam de rebus agendis. Hoc posito, quod in sententia S. Thomæ est certum, vt infra demonstrabimus, quæro: quo motu debet esse mota voluntas ad hoc, vt per hanc formam apprehensam se moueat, & determinet? Considera antequam respondeas verba S. Thomæ, quę habet 1.2. quęst. 9. art. 4. in corp. pura. *Voluntas mouet seipsam, inquantùm per hoc, quod vult finem reducit seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem. Hoc autem non potest facere nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodo hoc consequi possit, & per talem cogitationem peruenit ad hoc, quòd potest sanari per medium; & hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est, quòd inciperet velle sanari ab aliquo mouente, & siquidem ipsa moueret seipsam ad volendam, oportuisset, quòd mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsupposita: hoc autem non est procedere in infinitum. Vnde necesse est ponere, quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris mouentis, vt Aristot. concludit in quodam cap. Ethica Eudimica.*

661 *Inducitur doct. S. D. ad probandū intentum.*

15 Considera, inquam, prædictam doctrinam, ac expende singula verba: licèt enim sit familiarissima S. Thomæ, & multoties repetita, ipsa tamen est, quæ conuincit Recentes vtrisque ciuibus à S. Doctore secundum aliquid discessisse. Dic modò; quo motu, attenta doctrina D. Th. debet esse mota voluntas ad hoc, vt consilio mediante, per formam apprehēsam, ad quam peruenit per consilium, se moueat, & determinet ad eligendum id, quod est inuentum per consilium? Num dices aliud quàm motu volitionis finis, ex quo se mouet ad volendum ea, quæ sunt ad finem? Si enim voluntas mota aliquo motu ab alio, ex illo motu procedit ad mouendam seipsam, ex vna parte; & ex alia, voluntas seipsam non mouet, nisi inquantum ex hoc, quod vult finem, e. g. sanitatem, per consilium rationis, quo inuenit, quid agendum sit, seù apprehendit formam singularis agibilis, qua sententiat, e.g. vocandum esse medicum, se determinat, & applicat ad volendum id, quod est inuentum per consilium, puta ad volendum vocare medicum: iam clarè colligitur, quòd motus, quo voluntas est mota, ad hoc, vt ex eo motu se reducat in alium motum, est actus volitionis finis, puta actus volitionis sanitatis. Idque euidenter patet ex prædicto discursu S. Doctoris. Dum enim sic discurrit: si voluntas moueret seipsam ad volendam sanitatem, oportuisset, quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsuppositā, quæ vtique esset volitio alicuius finis, & si ad hanc aliam esset mota à se, id fuisset ex eo, quod esset mota per aliquem actum priorem, & quòd ne detur processus in infinitum oportet deuenire in aliquem motum voluntatis, in quem prodit mota ab alio: iam clarè demonstrat quod ille motus, in quem prodit mota ab alio, est ille actus voluntatis, in quem voluntas non mouet se, & ex quo procedebat voluntas ad mouendum se, talis autem est actus volitionis finis. Sic. n. voluntas mouet se, nempè, ex eo quod vult finem, reducit se per consilium rationis ad volendum ea, quæ sunt ad finem: actus ergo volitionis finis est motus, quo voluntas est mota à Deo, & ex quo voluntas procedit ad se mouendum.

662 *Manifestatur amplius eadē doct. S. D. & applicatur ad propositum.*

16 Idque vide in exemplo S. Thomæ. Voluntas ex volitione sanitatis se mouet, & determinat per sententiam consilij dictantis, vocandum esse medicum, ad volendum vocare medicum: volens autem vocare medicum, ex prædicta volitione iterum per consilium dictans, præparandā esse pecuniam soluendam medico, se mouet ad volendum præparare pecuniam, ex qua volitione iterum per cōsilium dictās, vocandos debitores, vt sibi soluatur pecunia, vult, & præcipit vocari debitores. Vide, inquam, quòd motus voluntatis, in quem voluntas vltimò se mouit, est actus volitionis, quo voluit vocare debitores, & ad hunc actum se mouit per sententiam rationis procedētis ex actu volitionis, quo voluit vocare medicum, & iste actus est motus, in quem mouit se per sententiam procedentem alio actu, quo voluit sanitatem. Si ergo ad volendam sanitatem mouisset se ex priori aliquo actu volitionis, volitio ipsa sanitatis esset motus, in quem mouisset se per aliam sententiam procedentem ex alio actu priori, si autem in talem actum non esset mota à se, tunc in talem actum ex quo processit voluntas ad volendum vocare medicum, esset motus in quem voluntas esset mota non a se; sed ab alio exteriori principio. Motus ergo voluntatis, quo voluntas mota à Deo procedit ad mouendum seipsam in alium motū voluntatis, est actus volitionis finis, in quē voluntas non mouet se, & hic est primus omnium, vnde procedunt omnes alij motus voluntatis, in quas voluntas mouet, & determinat seipsam per sententiam rationis consiliantis.

Hoc

663 *Conclud. propositiõ.*

17 Hoc supposito clarum est, quòd forma apprehensa per iudicium imperiale, quæ vim habet mouendi, & applicandi ad exercitium actus ex vi, qua procedit ex motu voluntatis, quo voluntas mouetur à Deo primo mouente, siuè immediatè, siuè mediantibus alijs motibus eiusdem voluntatis, iam mouet, & applicat ad exercitium actus ex vi, qua voluntas mouetur à Deo, vt à primo motore. Haberemus ergo per istam formam apprehensam totum id, ad quod dicunt esse necessariam formam illam consistentem in qualitate fluente impressam voluntati à solo Deo. Nulla ergo esset necessitas talis formæ.

664 *Aduertẽda ad excludendas tergiuersationes Recentiũ*

18 Aduertè hìc (vt ita occludas omnes tergiuersationes) quòd prædicti Recentes, ne conuincãtur ex principijs S. Th. se negare, dari agens habẽs dominium suæ actionis, tenẽtur in sensu, quo loquitur ipse S. Doctor, asserere, & agnoscere, quòd inter formas, quæ sunt principium operationum, aliqua est, quæ est ab eodem agẽte, quod per ipsam operatur. Sensus autem habetur ex sensu, quem habent principia, ex quibus S. Doctor suam conclusionem deduxit: principia autem sunt illæ propositiones, nempè: *Principium cuiuslibet operationis est forma, per quam aliquid est in actu, cum omne agens agat in quantùm est in actu: oportet igitur, quod secundum modum formæ sit modus operationis consequentis formam.* Prædictæ autem propositiones non de formis extrinsecis, sed de intrinsecis, quibus agens constituitur in actu, loquuntur. Ampliùs loquuntur de formis, à quibus physicè, & modo reali emanant operationes, sic enim emanat operatio, ab eo, quod est in actu per formam, ac per hoc non sufficit ad saluandam doctrinam S. Thomæ agnoscere formas, quæ determinant, & influunt moraliter, sed oportet eos agnoscere formam aliquam, qua constituitur in actu ipsum agens liberum, per quam physicè, & realiter determinetur, & applicetur ipsũ agens ad agendum, & à qua physicè, & modo reali emanet operatio ipsius agẽtis, cuius est forma. Et quidem si hoc concedunt conuenire formæ apprehensæ (vt nos infra in hac eadem disputatione euidenti doctrina D. Thom. demonstrabimus) necessariò concludent, conuenire formæ apprehensæ ea, quæ ipsi tribuunt illi qualitati, Deumq; inquantùm est primus motor, per hanc formam apprehensam dependẽtem ab ipsa voluntate creata physicè determinare, & applicare ad operandum eãdem voluntatem. Si verò hæc negent conuenire formæ apprehensæ, tunc vel conuincuntur se negare dari agẽs habens dominium suæ actionis, vel tenentur inuenire hanc formam causatam ab ipsomet agente, quod constituitur in actu ad agendum per talem formam, vt sic habeat dominium operationis consequentis eandem formam, quod hactenus non fecerunt.

665 *Impugnatur 3 quia si actus voluntatis sequitur formã apprehẽsam ex se, & motũ impressũ ab alio, esset simul liber, & nõ liber.*

19 Contra est tertiò. Nam, qui in vno eodemque agente in ordine ad eandem operationem poneret simul has duas formas habentes idem munus, puta, formam apprehensam efficacem ad inferendum actum voluntatis, qui apprehenditur agendus, & constituentem eandem voluntatem sub actuali exercitio libertatis applicatam ad partem, quæ eligitur: Et formam (quam dicunt consistere in motu voluntati impresso à solo Deo) quæ etiam (vt ipsi volunt) per modum efficacis applicationis constituit eandem voluntatem sub actuali exercitio libertatis applicatam ad actum decreto Dei prædiffinitum, quẽ infallibiliter infert (vt ponunt Salmaticẽses verbis supra relatis §. 5. num. 19.) iste consequenter poneret tale agens esse simul liberum, & non liberum in ordine ad eandem operationem. Liberum quidem, quia haberet suam operationem determinatam à se per suum proprium iudicium, & appetitũ, & sic esset dominus suæ actionis, inquantùm haberet à se, & sub potestate sui iudicij, & appetitus formam, ad quam sequitur sua operatio. Esset verò nõ liberum, inquantùm non haberet à se, & sub potestate sui iudicij, illã aliam formã, ad quam (vt illius assertores ponunt) eodem modo sequitur sua propria operatio.

666 *Idẽ probatur à simili in motu naturali, & violẽto*

20. Et esset simile, si quis poneret simul motum aliquem procedere à principio extrinseco, passo non conferente vim; & etiam procedere à principio intrinseco. Iste enim simul poneret talem motum esse violentum, & naturalem secundum eãdem rationem. Ratio est, quia simul poneret id, quod constituit motum naturalem, & quod constituit motum violentum in ordine ad eundem motum. Simili modo, quia (vt docet S. Doctor verbis relatis §. 5. nu. 1. & §. 4. nu. 2. huius disp.) forma, qua agens determinatur, & constituitur habens dominium suæ operationis, est forma apprehensa excogitata per iudicium cognitionis eiusdem agentis, quod propria cognitione seipsum determinat, & applicat ad agendum: forma verò, qua cõstituitur agens carẽs dominio suæ actionis, est forma, quæ non procedit ab ipsomet agente, quod per talem formam determinatur ad agendum; sed procedit à cognitione, quæ est in alio agente, ac per hoc

Forma apprehensa excogitata, & inuẽta per iudiciũ apprehensionis constituit agens habẽs dominium suæ actionis.

hoc non est forma appræhensa inuenta ex industria suæ proprtiæ virtutis cognoscitiuæ, sed vel est forma naturalis, vel apprehensa naturali instintu: ideo est, quod qui in eodem agente in ordine ad eandē operationem poneret tam formam inuentā, & excogitatam à se, quàm formam sibi impressam ex excogitatione alterius agētis, poneret simul agens liberum, & non liberum in ordine ad eandem operationē. Hæc ratio, & implicantia fiet euidentior ex dicendis puncto quarto huius disput.

§. VII.

Discursus, quo ijdem Recentes procedunt ex testimonijs Aristotelis, & S Thomæ expenditur, ostenditur inutilis, & eisdem testimonijs repugnans.

667 1. COnfutauimus iam præcedentibus quattuor Paragraphis, nullumq; ostendimus, tum ostensiuè, tum ducendo ad impossibile, discursum, quo Recentes, (cum quibus disputamus) ex illo principio *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur &c.* procedunt ad imponendum motui, quo causæ secundæ mouentur à prima, munus determinandi, & efficaciter applicandi easdē causas ad determinatòs effectus. Superest nunc, vt eodem modo confutemus eorundem discursum, quo procedunt ad idem probandum ex testimonijs S. Thomæ, & Aristotelis.

668 *Recentes in ōnibus testimonijs S. D. inculcant eandē doctrinam.*

2. Porrò in omnibus auctoritatibus S. Thomæ inculcant vnam eandemq; doctrinam, qua in agentibus, seu etiam mouentibus per se ordinatis docet cum Aristotele, quòd intermedia agentia, seu mouentia non mouent, nisi per hoc, quod sunt mota à primo, sicut baculus non mouet; nisi per hoc, quod est motus à manu: vt patet ex locis, quæ retulimus ex Aluarez. Io. à S. Thoma Francisco Manca in hac disp. §. 1. num. 2. 3. 4 & 5. & § 5. nu. 19 & ex PP. Salmāticensibus §. 5. nu. 19. citant autem omnes Aristotelis sententiam, quam habet 8. Physic. text. 33. & notanda sunt verba Aluarez. relata §. 1. num. 5. quibus asserit, quod Aristoteles ex eo, quod secunda mouentia non mouent, nisi moueantur, sicut baculus non mouet, nisi moueatur ab homine *concludit 7. Physic. cap. 1. & 8. Physic. cap. 5. deueniendum esse ad vnum primum mouens, quod omnia agentia moueat, & non mouetur ab alio, ne detur processus in infinitum.*

669 *Quæ inferunt Recē*

3. Ex prædicta autem doctrina inferunt; quòd omnia media mouentia mouentur à primo motu quodam procedente ab ipso solo primo, & à nullo alio ex superioribus mouentibus intermedijs, qui sit huius naturæ, puta qualitas per modum fluxus, quæ non sit virtus ad agendum; sed solùm applicatio virtutis, quęq; hunc habeat proprium effectum, nempe reddere causam determinatam, & applicatam ad producendum infallibiliter effectum aliquem determinatum in individuo, ad quem inferendum datur. *tes ex dicta sētētia S. Th. enumerantur.*

4. Verùm prædictus discursus procedens ex hoc principio Sancti Doctoris, & Aristotelis *Mouentia secunda non mouēt, nisi moueantur à primo*, illo eodem modo deficit, quo præcedens hactenus impugnatus, procedens ex illo principio, *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nulla sequitur actio, &c.* inquantùm scilicet per saltum infert conclusiones repugnantes eidem principio, & doctrinæ Aristotelis, & S. Tho. *In prædictis illationibus deficiunt.*

5. Vt quod intendo euidenter ostendam: expendo Doctrinam S. Tho. & Aristotelis, qua prædictum principium afferunt. Itaq; S. D. 1. p. q. 2. art. 3. in quo affert rationes, quibus demonstratur à Philosophis Deum esse, refert primam, qua vtitur Aristoteles 8. Physicorum, & postquam rationibus eiusdem Aristotelis statuit illud principiū (de quo nos dabimus specialem tractatum) nempe *Omne, quod mouetur, ab alio mouetur*, sic habet: *Omne ergo, quod mouetur, oportet ab alio moueri. Si ergo id à quo mouetur moueatur, oportet & ipsum ab alio moueri; & illud ab alio: hic autem non est procedere in infinitum: quia sic nō esset aliquod primum mouens, & per consequens nec aliquid aliud mouens; quia mouentia secunda non mouēt, nisi per hoc, quod sunt mota à primo mouente, sicut baculus non mouet, nisi per hoc, quod est motus à manu, ergo est deuenire ad aliquod primum mouens, quod à nullo mouetur: Et hoc omnes intelligunt Deum.* 670 *Doctrina S. Th. cōtinēs principiū, quo vtuntur Recentes.*

6. Et hìc quidē nō expēdo, an prædicta ratio sit demonstratiua, constetq; ex propositionibus resolutis in per se nota: Id enim præstabimus in speciali tractatu, quo agemus contra eos, qui sequentes Suarium circa hunc punctum, recedunt ab Aristotele, & à S. Th. sed suppositā S. Tho. & Aristotelis doctrina, quam profitentur, cum quibus in hac disputatione agimus; expēdo, quod S. Doctor illam propositionem *mouētia secunda non mouent, nisi per hoc, quod sunt mota à primo*, assumit ad probandum, non dari processum in infinitum in illo processu, quo, ex eo quod omne quod mouetur, mouetur ab alio, oportet quod si id, à quo mouetur, moueatur, quòd moueatur ab alio, & hoc aliud ab alio. Nā si da- 671 *Cōsideratur doctr. S. D. & explicatur vis principij assūpti.*

Digitized by Google

si daretur processus in infinitum in isto ascensu, non daretur primum mouens, & si nō daretur primum, sequeretur quòd nullum daretur aliud mouens: & istam sequelam probat; quia si in illo processu mouētium ascendēdo non possemus peruenire ad primum, omnia talia mouentia essent sicut secunda mouentia, idest sicut mouētia intermedia, in illa serie & ordine mouentium, mouentia autē intermedia non mouent, nisi moueantur à primo, vt patet in exemplo baculi, qui nō mouet, nisi moueatur à manu. Vnde S. D. lib. 1. cont. gen. cap. 13. ver. *secunda ratio ad idem*, eandē rationem proposuit vt infra. *In mouentibus, & motis ordinatis, quorum scilicet vnum per ordinem ab alio mouetur, hoc necesse est inueniri, quod remoto primo mouente vel cessante à motione, nullum aliorum mouebit, neque mouebitur: quia primum est causa mouendi omnibus alijs; sed si sunt mouentia, & mota per ordinem in infinitum, non erit aliquod primum mouens: sed omnia erunt quasi media mouentia: ergo nullum aliorum poterit moueri, & sic nihil mouebitur in mundo.*

Alius locus S. D. quo eandē doctrinā explicat.

672 *Quid intelligat S. D. per ly media mouentia.*

7 In quibus, vt vides, per ly *media mouentia* non intelligit aliquod vnū immediatum sub primo; cum sermo sit ex suppositione processus in infinitum, secundum quem non datur primum, ac etiam facta suppositione, quod essent per se ordinata, ita vt vnum moueretur ab alio, & & hoc aliud ab alio, & non omnia immediatè ab aliquo tertio: factis enim prædictis suppositionibus, dicit quod omnia talia mouentia essent sicut media mouentia, inquantùm nullum esset, quod moueret non motum, & vt primum mouens. Et de istis mouentibus pronunciat, quòd si nullum daretur primum mouens, nullum ex medijs moueret, & sic nihil moueretur: & hoc quia mouentia secunda, (quæ essent ista omnia in processu infinito) non possent mouere nisi mouerētur à primo, quod est causa mouendi omnibus alijs. Et hoc quidem est euidens in textu.

673 *Offenditur saltus Recentium.*

8 Sed hoc supposito apparet, saltus horum Recentium. Nam ex hoc, quod in serie mouentium, & motorum per se ordinatorum, quorum vnum mouetur immediatè ab alio, & istud aliud ab alio, quousq; perueniatur ad illud, quod immediate mouetur ab eo, quod mouet, & non mouetur ab alio, aliquid est vnum ex mouentibus medijs, ac per hoc non mouet, nisi moueatur ab alio, & si dum mouet, mouetur; mouetur ēt ab alio, vsq; quò perueniatur ad primū, nullo modo potest inferri, quòd illo motu, quo mouetur, moueatur à solo primo; nisi sit illud mouens medium, quod in serie talium mouentium ascendēdo est immediatū sub primo, illo, scilicet, quod mouet, & non mouetur ab alio.

Exemplo eiusdē S. D idē ostenditur.

Si enim homo manu mouet baculū, quo mouet lapidem, quo moto mouet etiam funem ligatum lapidi, & lapis mouet funē inquantùm mouetur à baculo, qui mouet inquantùm mouetur à baculo, qui mouet inquantùm mouetur à manu, quæ mouetur ab anima, non sequitur quòd si lapis mouet funem inquātùm mouetur, ab anima, quòd motus lapidis sit à sola anima hominis, sed quòd sit ab anima mediante manu, & baculo, ita vt motus eius, per quē habet quòd mouet funem, procedat, non à sola anima, sed etiam à baculo, & manu. Qui autem diceret, lapidem moueri à sola anima ad hoc vt moueat funem, excluderet illum ordinem, quo ponitur, animam mouere lapidem mediante manu & baculo, & sic manus & baculus non essent media mouentia, quibus vteretur anima ad mouendum lapidem: poneretq; contradictoria simul, nempe quòd anima moueret lapidem manu, & baculo, & quòd non moueret manu, & baculo. Moueret quidem; quia sic ponitur: non moueret verò manu, & baculo; quia poneretur, quòd motus ille, quo mouetur lapis, non esset sibi impressum per manum, & baculum; sed à sola anima.

Vide qualiter Recētes inuoluunt cōtradictionem.

674 *Applicatur exemplum ad propositū.*

9 Sic ergo in proposito non valet cōsequentia, & saltat saltu excludente ordinem per se in causis, dum ex eo, quod media mouentia non mouent, nisi moueantur à primo, infert, quòd motus ille, quo omnia media agentia mouentur à primo, seruato ordine in causis, procedat à solo primo, & à nulla alia intermedia. Siquidē talis consequentia solum valet de illo medio mouente, quod est immediatum sub primo; de alijs verò, quæ in serie distant a primo per vnum, vel plura media, est falsa, & inuoluit contradictoria simul, vt in dicto exemplo patet.

675 *Cōtra Recentes inculcatur doctrina S. T. quam pro se afferunt ipsimet Recētes.*

10 Idq; palām fiet, si expendamus illam eandem doctrinam D. Tho. quam ipsimet Recentes pro se afferunt verbis relatis § 1. num. 2. & 3. huius disp. Porrò corpus cœleste est primum mouens in genere, seu in ordine corporalium, quòd si non moueret seu (vt loquitur S. Doctor) ejus motio cessaret, nullum ex his inferioribus mouentibus moueret, vnde *ignis quantumcumq; haberet calorem perfectum non alteraret*, vt de facto continget post diem Iudicij, quando cessabit motus cœlestis corporis, vt docet idem S. D. de Potentia quæst. quinta. art. 8. tam in corp. quàm in solutionibus argumentorum: Est tamen absolutè, & simpliciter mouens me-

Digitized by Google

medium: vnde licèt sit primum alterans non alteratum, ratione cuius est primum mouens in ordine corporalium; attamen non est mouens, nisi motũ: vnde in tãtùm mouet hæc inferiora corpora ad alterandum, inquantùm ipsum mouetur motu locali regulatissimo, qui inquantùm est simplicissimus & regulatissimus, est causa omnium aliorum motuum, vt docet S. Doct. lib. 3. con. gent. cap. 82. & notanda sunt ad hoc propositum verba S. Thomæ de Potẽtia quæst. 3. ar. 7. in corpo. puta. *Natura inferior agens non agit, nisi mota, eo quod huiusmodi corpora sunt alterantia alterata: Cœlum autem est alterans non alteratum; & tamen non est mouens, nisi motum, & hoc non cessat quousq; peruenimus ad Deũ*, quibus adde quæ in eadem quæst. 3. de Poten. art. 11. ad 19. docet, inquiens: *Dicendum, quòd corpus potest mouere quasi non motum illa specie motus, qua mouet; licèt non possit mouere, nisi aliquo modo motum. Corpus enim Cœli alterat non alteratum sed localiter motum. Et similiter organum virtutis appetitiuæ mouet localiter non localiter motum, sed aliquo modo alteratum, operatio enim appetitiua sensibilis sine corporali alteratione non contingit sicut patet in ira, & huiusmodi passionibus.*

Locas. D. valdè notanda, ad propositũ.

676 *Ex doctr. S. T. ostenditur, primã consequentiam Recentiorũ nõ valere.*

11 Hac facta expensione peto: An valeat ista consequentia: Cœlum est mouens medium, quia non alterat, & mouet hæc inferiora, nisi sit motum motu locali: ergo motus localis procedit solùm a primo mouente, puta, Deo, & à nulla alia intermedia, puta, Intelligentia? similiter, organum virtutis appetitiuę est mouens medium, quia nõ mouet localiter, nisi sit motum, puta, alteratum: ergo motus alterationis, quo mouetur organum virtutis appetitiuæ, procedit à solo primo mouente, & à nulla alia intermedia puta à Cęlo primo alterante? Quis dicet, consequentiam valere? sic. n. motus localis Cœlorum non esset ab Intelligentijs, nec alteratio organi sensus esset à Cœlo primo alterante. Non ergo valet ista consequentia media mouentia, seu secunda mouẽtia (hæc enim idem significant apud D. Thom. vt probauimus) non mouent, nisi moueantur: ergo motus quo media mouentia mouentur ad hoc vt moueant, est quidam motus qui procedit à solo primo agente, & à nulla alia causa intermedia superiori.

677 *Salmãti. Trac. x. disp. 2. nu. 31.*

12 Si autem ista consequentia non valet, dicant Salmãticenses: vnde collegerunt illam propositionem, quam disputatione non egere dixerunt, puta, *quamlibet causam secundam in omni sua operatione omnino esse à Deo præmouendam, itaut priusquam illa agat, moueatur, & applicetur ab illo ad agendum?* Dicant iste motus, quo indiget omnis causa secunda ad hoc vt moueat, puta, ignis ad alterandum lignum, procedit ne à solo Deo, an etiam à Cœlo, & Intelligentijs motricibus Cœlorum? si hoc secundum dicerent, verum dicerent; sed tunc talis motus non posset esse, illius naturæ, proprietatis, & muneris, quæ dicto motui ipsimet tribuũt. Si autem dicant: primum, vt re vera asserunt: dicant, ex quo principio deduxerunt, si illa consequentia non valet?

13 Num dicent, Cœlum ad hoc, vt moueat, & alteret hæc inferiora, non solùm mouendum esse motu locali procedente à Deo mediante Intelligentia, quæ mota à Deo mouet Cœlum; sed etiam alio motu, quo nulla causa mediante Deus ipse mouet Cœlum?

678 *Responsio quæ posset excogitari à recentibus.*

Confutatur prædicta excogitatio: Primò, quia non est conformis sed repugnans eidem textui D. Thomæ, & Aristotelis.

679 *Responsio, nõ est cõformis doctrinæ Aristotelis. 1. qz hic alius motus non esset localis.*

14 Verùm si ita sentirent (quòd à nemine hactenus dictum reperi) deberẽt in primis aduertere, quòd hunc alium motum ponere nõ est conforme principio prædicto desumpto ex Aristotele. Primò: quia hic alius motus non esset localis: Aristoteles autem in corporibus cœlestibus nullum alium motũ agnouit, nisi localem, quem existimauit perpetuum; & inde perpetuitatem motoris deduxit. Amplius si Aristoteles existimasset, quòd omne intermedium mouens, dum mouetur, mouendum esset aliquo motu ab ipso mouente immobili, non laborasset in quærendo, & procedendo, siquidem statim deuenisset ad motorem immobilem, per illum motum, qui à nullo alio procederet, quàm ab ipso immobili. Aristoteles autem & S. Doct. non ita procedunt; sed ex eo, quod aliquod, dum mouet, mouetur; inferunt: ergo mouetur ab alio: & si hoc aliud, dum mouet, mouetur, mouendum est etiam ab alio: & ita ascendunt ad motorem, qui mouet, & non mouetur. At verò secundùm dictam responsionem, si aliquod dum mouet, mouetur, mouendum esset aliquo motu statim, & nullo facto processu ab ipso mouente immobili: & si moueretur alio motu ab alio mouẽte, quòd dum mouet, mouetur, ad huc hoc aliud mouens esset motum aliquo motu ab ipso mouente immobili, & sic processus per se ordinatorum mouentium non esset secundum illum modum, quem ponunt Arist. & S. Thomas.

2. quia secundũ hũc modũ statim inueniretur mouẽs immobile.

Am-

Digitized by Google

680 *Proponitur considerandadoct. D.T. de causis per se ordinatis.*

15 Ampliùs vt agnoscatur in quæ inconuenientia incideret, qui prædictam responsionem sequeretur, propono considerandam doctrinam S. Thomæ, qua docet, quòd in causis per se ordinatis hoc contingit, scilicet, quod superior mouendo sibi proximam, transmittit operationem suam per omnes intermedias, & pertingit vsque ad effectum infimæ, & remotissimæ in linea cum tanta perfectione, quòd hoc ordine agẽdo superior intimior, & perfectiori modo causat effectum vltimum, quàm infima proxima effectui. Docet hoc S. Doctor multoties; sed mota quæstione in proprijs terminis docet lib. de causis lectione prima, vbi postquam exposuit, & probauit illas propositiones, puta *Causa prima plus influit in effectum quàm secunda*: proponit circa finem lectionis quæstionem, & soluit, vt infra. *Si autem quaeratur in vnoquoque causarum genere; vtrum predicta verificentur in omnibus causis quomodolibet ordinatis? manifestum est, quod non. Inuenimus enim causas ordinari dupliciter. Vno modo per se. Alio modo per accidens. Per se quidem, intentio prima causa respicit vsque ad vltimum effectum per omnes causas medias. Sicut enim ars fabri mouet manum, manus martellum, qui ferrum percussum extendit, ad quod fertur intentio artis. Per accidens autem, quando intentio causa non procedit, nisi ad proximum effectum. Quod autem ab illo effectu efficiatur iterum aliud, est prater intentionem primi efficientis: Sicut cum aliquis accendit candelam, prater intentionem eius est, quod iterum accensa candela accendat aliam, & illa aliam. Quod autem prater intentionem est, dicimus esse per accidens. In causis igitur per se ordinatis, hac propositio habet veritatem, in quibus causa prima mouet omnes causas medias ad effectum. In causis autem ordinatis per accidens, est è conuerso. Nã effectus, qui per se producitur à causa proxima per accidens producitur à causa prima, prater intentionem eius existens. Quod autem est per se, potior est eo, quod est per accidens. Et ad hoc significandum dixit: Causa vniuersalis est causa per se.*

D.Th. lib. de causis.

Quæ sint causæ ordinatæ per se, & quæ per accid.

Debet notari prædicta doctr. contr. Sua.

Considera, inquam, prædictam doctrinam, ne audiens, Deum mouendo sibi proximam causam in linea per se sibi subordinatorum agentium extendere operationem per omnes intermedias vsque ad effectum vltimæ, & remotæ causæ, existimes, Deum sic agendo esse causam effectuum inferiorum causarum non per se, & perfectissimo modo, sed per accidens, & per denominationem remotam, vt docuit Suarius libro tertio, de diuina gratia capit. vigesimo octauo, numero tertio, contra quem agemus in tractatu de principio philosophico.

681 *Locus S. D. cõsiderãdus, quo docet Deũ agere per intermedias causas.*

16 Secundò considerandam propono rationem, qua Sanctus Doctor libro tertio, contra gent. capit. 73. ratione tertia probat, Deum agere per intermedias causas, videlicet. *Quantò virtus alicuius agentis est fortior, tantò in magis remota suam operationem extendit: sicut ignis quantò est maior, tantò magis remota calefacit. Hoc autem non contingit in agente, quod non agit per medium: quia quodlibet, in quod agit, est sibi proximum. Cum igitur virtus diuina prouidentiæ sit maxima, per aliqua media in vltima suam operationem producere debet.* Considerandа est, inquam prædicta ratio. Indè enim percipies ad eminentiam diuinæ potentiæ spectare, agere per intermedias causas, sic dispositas, vt inter ipsas sit proxima, & remota, ita vt Deus per proximas producat, seu extendat operationem suam ad vltimam, & remotam. Aduerte tamen, quòd ad hanc distantiam, quæ in serie causarum per se ordinatarum inuenitur inter primam, & vltimam, seu remotissimam in serie, non exigitur distantia situalis, seu localis (vt imaginatur Suarius loco supra citato. Lege Ferrariensem explicantem, & defendentem prædictam rationem Sancti Doctoris paragraph. *Ad huius euidentiam*, & nota illa verba. *Relinquitur ergo, quod intelligitur secundùm distantiam in ratione agentis, & passi. Agit enim Deus in remotissimum passum, inquantùm per multa media agentia, & passa suam operationem ad aliquod passum extendit.*

682 *Deus è prima causa sm̃ seriem per se ordinatorũm entium.*

17 Considera tertiò, quòd Deus est prima causa in serie causarum per se ordinatarum, ita vt terminus, in quem ascendit series tanquam ad primum, vnde incipit motus, sit ipse Deus, vt docet Sanctus Doctor sæpissimè, vt libro primo contra gent. capit. tertio decimo, circa finem versu. *Procedit autem Philosophus alia via in secundo Metaphisic.* & libro tertio capit. sexagesimo septimo, verbis relatis paragrapho primo huius disputationis numero tertio, circa finem. Sed euidentius in mirabili Opusculo de Angelis: quod est quintum decimum capite quarto decimo parùm post principium; & sic habet.

Digitized by Google

Doct. S. T. valde cõsiderãda ad propositũ.

Primum mouens immobile, quod est Deus, omnium motionum principium est, sicut & primum ens est omnis esse principium. In causis autem (Nota) *per se ordinatis tantò aliquid magis est causa, quantò in ordine causarum prior est; cum ipsa alijs conferat, quod causa sint. Deus igitur secundùm hoc omnium motionum vehementior causa est, quàm etiam singulares causæ mouentes.* Et parum infra, sic intentum suum prosequitur Sanctus Doctor. *Amplius sic sunt res in vniuerso dispositæ, sicut optimum est eas esse, eo quod omnia ex summa bonitate dependent. Melius est autem aliqua esse ordinata per se, quàm per accidens ordinentur; est igitur vniuersi ordo non per accidens; sed per se. Hoc autem requiritur ad hoc, quod aliqua per se ordinentur, quod primi intentio feratur vsque ad vltimum. Si enim primum moueret secundum, & eius intentio vlterius non feratur secundum verò tertium moueat, hoc erit præter intentionem primi mouentis: erit igitur talis ordo per accidens. Oportet igitur, quòd primi mouentis, & ordinantis intentio, scilicet Dei, non solùm vsque ad quædam entium procedat; sed etiam vsque ad vltima.* Hæc Sanctus Doctor, valdè notanda. Habemus enim, Deum primum motorem in ordine mouentium per se ordinatorum, illo simili modo, quo ars fabri mouet manum, & manus martellum, qui ferrum extendit. Habemus etiam, quòd Deus tali ordine procedens in vltimum effectum infimæ, & remotissimæ causæ, est magis, & perfectiori modo, ac etiam magis per se causa effectus remotissimæ, & infimæ causæ, quam sit ipsamet infima. Et hoc maximè notari debet (vt supra dixi) contra Suarium qui abstulit in ordine ad Deum ordinationem causarum per se, finxitque Deum esse cooperatorem simultaneum, & quod, si secundùm prædictum ordinem moueret causas incideret in opinionem Durandi, euaderetque causa per accidens, & per denominationem remotam à causalitate motus, quo causæ inferiores mouerentur, & sic posuit Cœlum causam per accidens, & per denominationem remotam motuũ sublunarium, & similiter dixit de generante in ordine ad motus grauium, & leuium, contra quem (vt supra dixi) procedemus in alio Tractatu.

Quæ sint causæ ordinatæ per se, & quæ per accidens.

Cosiderãda doctrina ad vitãdam excogitationẽ Suarij.

18 Considerandæ sunt etiam, vt aduertas, quòd Durandus (quem nouiter sequitur Ludouicus à Dola) & Origenes (quem errore damnat Sanctus Doctor lib. tertio contra gentiles cap. octuagesimo nono) ex eo decepti sunt circa modum, quo à Deo procedunt nostræ operationes pendentes ex libero arbitrio, quod inter dictas operationes, & Deum posuerunt ordinem causarum per accidẽs. Existimarunt enim diuinam operationem terminari ad ipsas potentias, seu principia, ex quibus prouenit nostra operatio: processum verò operationum ab ipsis potentijs non posuerunt prouenire ex vi eiusdem actionis diuinæ, quæ vel mediantibus aliquibus causis, quas mouet, vel nulla causa mediante inducat dictas potentias, seu principia operatiua in operationes. Sed quòd operatio incipiat ab ipsis potentijs conseruatis, sicut posuit exemplum Diuus Thomæ de candela accensa, quæ in ordine ad accendentem per accidens accendit aliam. Cæterum res non sic se habet; sed diuina operatio per causas intermedias, à Deo motas, pertingit perfectissimè, & intimè ad ipsasmet operationes remotissimarum causarum secundum ordinem motarum ab ipso mouente immobili, vt in Tractatu de Principio Philosophico lato calamo explicabimus, & demonstrabimus.

Orig. existimarunt voluntatẽ creatam liberè operatẽ ordinari per accidens sub Deo.

19 His cosideratis potest apparere, quòd motus ille, quem impressum Cœlo à solo Deo, & nulla causa mediante, prætendit responsio, quam impugnamus, in primis est superfluus. Nam si semel Deus, vt primus motor mouendo creaturam spiritualem, mediante motu, quo talem creaturam mouet, mouet ea mediante Cœlum, & sic per mouentia, & mota per se ordinata protendit operationem suam vsque ad effectum infimæ causæ, ita vt propter hoc sit causa talis effectus perfectissimo modo, & magis per se, quàm sit ipsamet causa infima, & proxima effectui, ad quid posset valere ille alius motus, quo non seruato tali ordine, nulla alia causa mediante moueret iterum, vel causas intermedias, vel etiam infimas causas? Idque exemplo, quo vtitur Sanctus Doctor, patet. Si enim ars mouendo manum, & manu martellum, martello ferrum extendit, ita vt extensio illa ferri procedat, tãquam à causa, perfectiori modo ab arte, quàm à manu, & martello, ad quid esset necessarius alius motus, quem forte aliquis fingeret causatum esse in martello ab arte sine manu? Et quidem si quis alium motum necessarium crederet martello ad hoc, vt eo ars extẽderet ferrũ, motus ille, quo eadẽ ars manu mouet mar-

684 Ex dictis impugnatur primò iste alius motus, qe superfluus

633 Dur. Lud. à Dola, &

tellum

tellum ad extendendum ferrum, non esset sufficiens, & si hìc semel ponitur sufficiens, ille alius non esset necessarius. In nostro autem casu motus ille, quo ordinato descensu per intermedias causas mouet Deus omnes causas ad vltimum effectum, ponitur esse sufficiens; quippe, quia Deus est infinitæ virtutis, omniaque mouet iuxta exigentiam, quam habent: idque patet ex auctoritatibus S. Doctoris supra inductis.

684 *3. quia qlibet esset proxima moueti immobili.*

10 Ampliùs quælibet ex causis creatis, siue vniuersalis esset, siue particularis, esset proxima primo mouenti immobili, vtpotè, quia quælibet secundum aliquem motum moueretur ab ipso mouente immobili nulla causa mediante, & esset prima, vnde in vniuerso incipit aliquis motus: quod S. Doctor ratione supra relata in hoc §. num. 16. reputat inconueniens, & reuera esset maximum inconueniens, quia ordinem vniuersi in proportione partium cōsistentem euerteret: quia vniuersum esset sicut corpus cuius omnia mēbra essent caput, inquantùm quælibet ex causis esset secundum aliquem motum proxima primo mouenti immobili, & esset, vnde incipit talis motus, tanquam id, quod primo mouetur.

3. quia sequeretur, eūdē effectū pluriès fieri.

Ampliùs sequitur, quod tàm Deus, quàm quælibet ex causis creatis (vna dempta, quæ esset omnium vniuersalissima) pluries causaret effectum causæ infimæ: & causa quidem infima pluries, quam sua superior proxima, & ista pluries, quàm sua superior, & sic ascendendo vsque ad vniuersalissimā inter creatas, quæ sola semel produceret effectum infimæ causæ: mouens denique immobile tot vicibus effectum infimę causæ perfectissimo modo produceret, quot essent causæ creatæ ordinatæ ad eundem effectum, quas secundùm aliquem motum sine medio moueret. Quæ omnia sunt inconuenientia demonstrantq; superfluum istum alium motum, ex cuius superfluitate ista superfluitas productionum proueniret.

685 *Probāda dicta inc̄ uenientia sequi.*

11 Hæc autem sic apparent. Nam per hoc, quod Deus corpora inferiora, per superiora, & hæc per creaturam spiritualem mouet, & ita ordinato discensu protendit operationem suam vsque ad effectum infimæ causæ, v. g. ad leonem genitum à leone; tam Deus, quàm omnes causæ in tali linea sunt causa leonis geniti illo simili modo, quo ars mouens manum, & manus martellum, percussum ferrum extendentes, sunt causa extensionis artificiosę, tam ars, quàm manus, & martellus. Ita quidem, quòd sicut martellus, est inferiori modo causa artificiosæ extensionis, quàm manus, & manus, quàm ars, quæ est primum principium artificiosæ extensionis: ita causa infima, puta leo, sit imperfectiori modo causa leonis geniti, quàm corpus cœleste; & hoc imperfectiori modo, quàm spiritualis creatura; & hæc imperfectiori modo, quàm Deus, qui est primum principium, vnde incipit omnis motus naturę. Vt docet S. Doctor locis supra relatis. Hoc posito si deinde poneremus, quòd Deus per se ipsum, seu nulla causa mediante, moueret Cœlum alio motu disparato, & nō subordinato illi motui locali, quo Cœlum mouet mediante Intelligentia; iam etiam per talem motum operationem suā protenderet vsque ad vltimum effectum, indeq; tam Deus, quàm aliæ causæ, per quas descenderet iste motus in vltimum effectum, essent causæ eiusdem effectus illo simili modo, quo per descēsum alterius motus erant etiam eiusdem effectus causę: & sic tam Deus, quàm corpus cœleste simul cū leone moto à Cœlo hoc alio motu, bis producerent leonem genitum. Ampliùs, si deinde supponeremus, Deum motorem immobilem mouere leonem generantem, nulla causa mediante, motu alio non subordinato, duobus prioribus, iam etiam per hunc alium motum pertingeret ad eundem leonem genitum perfectiori modo, quàm ipse leo: & ipse leo esset etiā per hunc alium motum causa eiusdem leonis. Et sic leo generans ter produceret leonem: semel vt causa subordinata corporibus cœlestibus, & intelligentiæ; alia vice, vt causa subordinata corpori cœlesti, non autem intelligentiæ: & tertia vice, vt subordinata soli Deo. Ex quo esset, quòd meliori modo causaret leonem genitum, ipsa infima causa, puta leo generans, quàm Cœlum; & Cœlum meliori modo, quàm Intelligentia. Quia leo generans ter, Cœlum bis, Intelligentia verò semel leonem produceret. Quantùm verò ad proximitatem ad mouens immobile, omnes tales causæ essent secundùm aliquem motum æquè proximæ, inquantùm omnes essent secundum aliquem motum motæ nulla causa mediante.

12 Dices, responderi posse, quòd ille motus, quo Cœlum mouetur ab Intelligētia, & ille alius motus impressus eidē Cœlo à solo Deo, tametsi diuersę rationis sint, quia ille localis, iste verò qualitas per modum transeuntis, vniuntur tamen, vt duæ causæ partiales ad producendum eundem effectum, & sic non oportet multiplicare productionem. 686 *Respons.*

13 Cōtra tamē est. Quia secūdū hāc responsionē maiora inconuenientia sequerētur. Primò quia intelligentia mouendo Cœlū 687

Digitized by Google

Contra respõsionem: quia maiora incõuenientia sequerentur

non esset causa totalis vltimi effectus; sed partialis recipiens adiutorium à motu illo impresso corpori cœlesti à solo Deo. Cœlum etiam esset causa partialis recipiens adiutorium ab illo alio motu impresso leoni à mouente immobili, & sic intelligentia minorem influentiam haberet, quàm Cœlum, & Cœlum minorem, quàm leo, indigeretque influentia Intelligentiæ duplici adiutorio, quorum alterum reciperet in Cœlo, alterum in leone: & sic quò causa esset superior, & vniuersalior, eò haberet minorem influentiam, & pluribus adiutorijs indigeret. Deus etiam, inquantùm mouendo causas vniuersaliores descenderet in minus vniuersales, & per has in vltimum effectum causarum infimarum, esset simili modo causa partialis: eo quia eius influentia pertrãsiens per dictas causas esset causa partialis indigens iuuamine alterius motus, quem ipsemet Deus se solo influeret in inferiores causas, suamque influentiam descendentem per vniuersaliores causas iuuaret ipsemet, sicut trahẽs vna manu, se iuuat addẽdo aliam manum. Quæ omnia sunt falsa, maximè in sententia horum doctorum, pro quibus facta est præsumptio responsionis impugnatæ.

Ineulcantur alia inconuenientia contra præsumptam responsionem.

688 *Recẽsetur quæ possẽt imaginari circa motionem impreßã Cœlo à Deo.*

24 Ampliùs iste motus, seù qualitas per modum transeuntis, quam impressam Cœlo à Deo nulla causa mediante prędicta responsio ponit, vel determinaret influentiam Cœli ad suos effectus: vel nõ determinaret. Et quidẽ si determinaret; vel ad aliquẽ vnum determinatũ; vel ad omnia, quæ Cœlũ sua influentia in aliquo determinato instãti producit. Ampliùs, vel in quolibet instanti imprimeret Deus nouam qualitatem diuersam ab ea, quæ fuit in alio instanti vel eadem durat aliquo tempore determinato inuariata; vel successiuè variatur secundum diuersas partes, sicuti forma in motu existens secũdum intensionem, & remissionem; vel contractionem, & extensionem.

689 *Excluditur vnus dicẽdi modus.*

25 Et quidem non potest dici, quòd non determinaret. Sic enim deficeret ei munus, pro quo est excogitata, esset que inutilis, ac proindè non daretur. Ex hoc autem euidenter haberetur, quòd Cœlum, catẽs motu sibi impresso à Deo nullo mediante, esset mouens motum à Deo per hoc, quod esset motum ab ipso, motũ locali mediante Intelligentia, quàm ipse Deus mouet ad mouendum Cœlum. Ex quo postea euidenter habetur. consequentiam Recentium non valere, quod in hoc §. probare intendimus.

690 *Excluditur alius dicẽdi modus.*

26 Nec etiam dici potest, quòd determinaret influentiam Cœli ad aliquẽ vnum determinatũ effectum. Hoc enim est omnino falsum in sententia S. Thomæ. Siquidem ipse lib. 3. contra gent. cap. 82. inter alia innumera loca docet, & probat ex professo: corpus cœleste per suum motum esse causam omnium motuum, & mutationum inferiorum corporum. Et notari debet vltima ratio, qua dicto cap. id probat inquiens.

Rõ S. Doc. qua probat, motũ Cœli esse causã oĩum inferiorũ motuũ, & mutationum.

Sicut se habet immobile simpliciter ad motum simpliciter, ita se habet immobile secundum hunc motum ad motum talem: id autem, quod est immobile simpliciter, est principium omnis motus (vt supra probatum est) Quod ergo est immobile secundum alterationem, est principium omnis alterationis. Corpora autem cœlestia sola inter corpora sunt inalterabilia: quod demonstrat dispositio eorum, quæ semper eadem inuenitur. Est ergo corpus cœleste causa omnis alterationis in his quæ alterantur. Alteratio autem in his inferioribus est principium omnis motus: nam per alterationem peruenitur ad augmentum, & generationem: generans autem est motor per se in motu localigrauium, & leuium. Oportet ergo, quòd Cœlum sit causa omnis motus in istis inferioribus corporibus.

691 *Motio determinans Cœlum ad oẽs effectũ, qui nunc fiũt in mũdo, impugnatur.*

27 Si autem diceretur, quòd influentia cœlestis corporis per dictam qualitatem determinatur ad producendum illos determinatos motus, quibus de facto hìc, & nunc hæc inferiora corpora mouentur, & mouent: tunc in primis sequitur, quòd influentia cœlestis corporis, quæ esset determinata ad producendum hìc, & nunc illam numero alterationem, qua e. g. hìc leo generat hunc alium numero leonem, determinaret ipsum leonem ad generandum talem leonem numero, & ita esset in omnibus alijs. Hoc autem posito non esset necessaria in his corporibus inferioribus qualitas prędeterminãs ipsa inferiora corpora ad producendum determinatos effectus: siquidem iam essent determinata, & applicata ad determinatos motus, & effectus per influentiam corporis cœlestis.

692 *Impugnatur 2 quæ sequeretur, nullũ esse effectũ cõtingẽtem.*

28 Ampliùs sequeretur, quòd in his corporibus inferioribus nullus effectus esset per accidens, & casualis in ordine ad Cœlum, neque esset aliquis effectus contingens; sed omnis necessarius, sicut eclipsis Solis, & Lunæ. Primum horum patet per hoc, quod effectus per accidens in ordine ad aliquã causam est, qui euenit præter intentionem talis causæ. Nihil autem eueniret prẽter intentionem cœlestis corporis

Digitized by Google

poris, si eius influentia esset determinata ad istos dumtaxat effectus in singulari, qui de facto fiunt. Siquidem hæc sola, quæ fiũt, & nihil aliud per suam influentiam per se intenderet. Secundum verò probat euidẽter doctrina S. Thomæ, quam retulimus, & expendimus disp. præcedenti §. 12. nu. 13. qua docet, quòd, *possibilitas potentiæ ad vtrumque, si communiter loquamur, non est sufficiens ratio contingentiæ, nisi etiã addatur ex parte potentiæ actiuæ, quòd non sit omnino determinata ad vnum, quòd quin si ita sit determinata ad vnum, quòd impediri non possit, consequens est, quòd ex necessitate reducat in actũ potentiam passiuam eodem modo.*

Hæc, inquam, doctrina probat intentũ si componatur cum doctrina eiusdem S. Doctoris relata nu. 26. huius §. nempè; qđ corpora cœlestia sunt in genere corporalium primum alterans, seu primum actiuũ mouens ad alterandum omnia hæc inferiora corpora, quod ita se habet in ordine ad causandum omnes motus omnium inferiorum corporum habentium materiam contrarietati subiectam, seu alterabilem per dispositiones contrarias, sicut se habet primum mouens simpliciter immobile in ordine ad omnes motus omnium omnino rerum. His positis, sic potest formari ratio.

693 *Rõ ex doctrina S.T. desumpta, quæ probatur, sequi prędictum inconueniens.*

29 Potentia materiæ ad vtrumque in sublunaribus agentibus, & effectibus corporeis non est sufficiens ratio contingentiæ, si principium actiuum in ordine ad talem materiam sit omnino determinatum ad vnum; sed si corpus cœleste esset determinatum ad omnia illa, quæ ab ipso procedunt, tanquam ad vnum effectum, principium actiuum in ordine ad talem materiam esset omnino determinatum ad vnũ. Ergo potentia materiæ ad vtrumque non esset ratio contingentiæ, & ex consequenti nullus esset effectus contingens in agentibus corporalibus, in quibus contingentia solùm ex hac radice oritur, puta, ex potẽtia materiæ ad vtrumq. Maior est propositio S. Thomæ: minor verò patet. Nam, ex vna parte, corpus cœleste est principium motiuum, seu alteratiuum omnium corporum sublunarium: & ex altera parte esset omnino determinatum; quia est agens naturale ex necessitate naturæ, & in isto casu esset sic determinatum ad omnia, quæ de facto hìc, & nunc, producit, quod à nulla causa creata posset impediri. Quæ enim est causa creata ordinata ad impediendũ Cœlum? Sic ergo in corpore cœlesti determinato per istum motum impressum à Deo nulla causa mediante, essent determinatæ omnes actiones, & effectus inferiorum corporum; corpusq; cœleste per suam influentiam determinaret omnia inferiora agentia ad tales determinatos effectus non solùm infallibiliter producendos; sed etiam ex necessitate.

30 In sententia autem S. Thomæ, quã modò infra proponemus, hęc inconueniẽtia non sequuntur, licèt enim Cœlum sit agens ex necessitate naturæ determinatũ ad vnum, est tamen causa vniuersalis, ac per hoc illud vnum, ad quod est determinatum, est aliquod vniuersaliter sumptũ. Ampliùs eius influentia est determinabilis per causas inferiores secũdum modum inferiorum causarum, & sic recepta in leone determinatur ad producendum leonem, esto; impedibilis, & defectibilis sicut virtus leonis potest impediri, & deficere ab effectu. Et similiter recepta in igne determinatur ad producẽdum ignem, & recepta in aqua determinatur ad extinguendum ignem, ipsiusque Cœli influentiam receptam in igne. Et inde est, quòd per occursum harum inferiorum causarum, qui non potest esse semper ex Cœli influentia, effectus eueniunt, & contingenter, & casualiter, etiam in ordine ad corpus cœleste. Non negamus tamen, quòd Cœli influentia circa aliquos effectus sit omnino inimpedibilis, & quòd aliquando sit ita fortis, quòd impediri nequeat. Indè etiam non negamus, aliquos effectus sublunares esse ex omnimoda necessitate: sic sunt anni fertilitas, & sterilitas, terremotus, & innumeri alij. Sed redeamus ad rem.

694 *Prædicta inconueniẽtia non sequuntur in vera sent. S. Tho.*

31 Ampliùs sequeretur, vel quòd influentia cœlestis corporis determinaret liberum arbitrium ad applicandas causas naturales, & sic periret liberum arbitrium; vel quòd causæ naturales nõ agerent, quãdo contingit eas applicari passo ab agente libero. Si enim ponamus corpus cœleste per illam qualitatem determinatum ad inferendum, e.g. in ignem, qui est in hac aula, talem determinatam influentiam, per quam efficiat hunc, vel illum, vel hos, vel illos numero determinatos calores. Et deindè ponamus, hominem vel homines per suum liberum arbitrium (quod non subditur influentiæ corporis cœlestis) accedere ad ignem: peto calefient, an non calefient ab igne? Si dicis calefient, pone non hos; sed illos accessisse, fuissentne etiã calefacti? Si dicis sic; sequitur ignem non fuisse determinatum à Cœlo ad calefaciẽdum illos; & si fuit determinatus ad calefaciendum illos, sequitur istos non calefieri. Ampliùs dic qualiter Cœlum potest esse determinatum ad influendum in ignem illas determinatas influentias, quibus ignis causat illos determinatos numero calores in homines accedentes ex libero arbitrio?

695 *Impugnatur dicta resp. ex inconueniẽtibus, quæ sequuntur circa actus liberos.*

oportet

oportet ergo, vel quòd Cœlum agat in liberum arbitrium, faciatque accedere ad ignem eos, ad quos determinatè calefaciendos sua influentia determinat ignem; vel quòd si hoc non est sub potestate Cœli, non poterit ipsum Cœlum sua influentia determinare ignem ad producendum illos calores numero, quos causat in eos, qui accedunt ex libero arbitrio.

696 *Prob. prædeterminationem Cœli non posse dari in quolibet instanti diuersâ.*

32 Amplius, si in quolibet instanti dari nouam, distinctamq; prædeterminationem ab ea, quę fuit in alio instanti imaginaris in Cœlo, oporteret te concedere, Deum produxisse infinitas prædeterminationes in quolibet paruo tempore. Et insuper esset inexplicabile, qualiter vna succesſerit alteri circa motum Cœli, cum ad instans motus Cœli non sequatur instans; sed tempus. Si verò imaginareris quamlibet prædeterminationem durare aliquo paruo, vel magno tempore, tunc sequeretur, quòd pro illo tempore, quo talis determinatio durat, nihil sub Cœlo fiat de nouo: quodlibet enim de nouo fieret esset extra ambitum actionum prædeterminatarum per illam prædeterminationem durantem. Et inde sequitur, quòd talis determinatio sit omnino impossibilis. Nam cum virtus determinanda sit motus successiuus, & continuus (agit enim Cœlum per motum suum, vt ex S. Thoma supponimus) non potest aliqua eius pars accipi simul, quæ aliqua vna permanente qualitate determinetur. Si denique imaginareris, motum istum impressum à solo Deo esse successiuum, & continuum; ita vt parti temporis correspondeat pars motus prædeterminantis, & eius indiuisibile correspondeat instanti: vel imaginareris omnino successiuum sicut tempus, cuius nihil est in actu, nisi instans, ita vt forma prædeterminantis nihil esset, nisi aliquid indiuisibile eius; vel successiuum quantùm ad acquisitionem partium aduenientium: permanentè verò quantùm ad partes acquisitas, sicut contingit in augmento caloris. Primum horum dici non potest, quia nulla datur in vniuerso talis forma: est enim proprietas solius temporis sic esse, vt eius non habeatur, nisi indiuisibile instans. Secundum verò inuolueret, quòd ista qualitas prædeterminans Cœlum ad influendũ per suum motum determinatos effectus inceperit cum ipso Cœli motu, & duret vna, & eadem, vsque ad finem mundi, recipiendo semper nouas partes, quæ omnes essẽt permanentes, ita vt illa pars qualitatis prædeterminantis Cœlum ad influendam generationem Abel, sit adhuc permanens. Ratio illationis est: quia si semel secundum partes acquisitas est permanẽs, nulla potest assignari ratio inceptionis, & desitionis talis qualitatis: cum res determinanda sit Cœlum agẽs per motum cõtinuum, qui nunquam interrumpitur. Ex alia verò parte id esset omnino impossibile attentis principijs Recentium, quos impugnamus. Siquidem prædeterminatio tantum durat, quantum durat actio, seu operatio, pro qua datur. Et in nostro casu, quia prædeterminatio corporis cœlestis respiceret omnes actiones corporum sublunarium, vt vnum integrum effectum sequeretur, quod dum desinit, vel additur quæuis ex actionibus corporum sublunarium, desinere debeat prædeterminatio, & debeat aduenire alia, quæ respiciat omnes illas actiones, quæ tunc sunt, vt integrum obiectum.

Nec posse durare eã dẽ vl quo tẽpore sine paruo, sine magno.

Impugnãtur alij modi imaginandi durationem prædictæ motionis.

§. VIII.

Impugnatur secundò idem discursus Recentium, inquantùm ex eo inferunt, quòd mouentia secunda moueri à superioribus mouentibus, & à primo, motu quodam, qui non est virtus: sed mera applicatio virtutis.

697 OStendimus §. præcedenti, & (ni fallor) dilucidè, non valere, & esse expressè cõtra S. Doctoris principium, illam consequentiam, qua Recentes, ex eo quòd mouentia secunda non mouent; nisi moueantur à primo, inferebant, quodlibet ex medijs mouentibus moueri motu procedenti ab ipso primo nulla causa mediante. Ostendemus in hoc §. quòd similiter malè, & contra expressã eiusdem S. Doctoris sententiam, qua ipsemet explicat hoc ipsum principium, *mouentia secunda non mouent*, &c. dixerunt (vt notauimus §. præcedenti nu. 3.) quòd motus ille, quo secunda mouentia mouentur à superioribus, & à primo, non est virtus ad agendum; sed mera applicatio virtutis.

698 *Aperitur existimatio Recentiũ, qua dicunt præmotionem nõ esse virtutem.*

2 Vt scias quid probare intendimus, aduerto, quod prædicti Recentes existimarunt, & benè, motum superioris mouentis receptum in causis secundis, seu inferioribus mouentibus esse necessarium ad hoc, vt eadem inferiora mouentia agant: simul etiam posuerunt causas secundas sine tali motu habere sufficientem virtutem ad agendum; & indè consequenter existimarunt, motum, quo mouentia secunda mouentur à primo, non addere causis secundis virtutem, & potentiam ad agendum aliquid plus, supra id, quod possunt sine tali

Digitized by Google

tali motu; sed solùm per talem motum causam secundam applicari ad agendum vnum, saltem secũdũ numerum, ex his quę põt. Applicatio aũt (inquiũt) nullam addit virtutem; sed solùm determinationem, sicut ignis per hoc, quod applicatur ligno, non acquirit per motum, aliquam virtutẽ, quam non habebat non applicatus. Hinc dixerũt voluntatem non motam à Deo illo motu, quo necesse est eam moueri a primo mouente immobili, ad hoc, vt ipsa, mota à Deo, moueat seipsam, habere sufficientem virtutem, per quam proximè posset liberè se mouere volendo, & nolendo. Per illum autem motum, quo mouetur à Deo, solùm habere applicationem ad volendum, vel nolendum, nulla superaddita virtute, per quam aliquid plus posset habens motum, quàm carens motu. Videri potest pro hac re Ioannes à S. Thoma, tom. 2. Naturalis philosophiæ qu. 25. §. *Dico tertiò*, prope principium, & §. *Quòd si inquiras*.

699 Conc. probanda in hoc §. proponitur.

3 Hoc posito, id, quod intendo probare, est, quòd per motum illum, quo in serie per se ordinatorum mouentium, media mouentia mouentur à suis superioribus, & à primo, communicatur inferioribus mouentibus virtus actiua, per quam possunt plus agere, quàm possent attenta natura formæ permanentis, per quam cõstituuntur actiua: ac per hoc, quod prædicti Recentes, qui posuerunt motum superioris mouentis non conferre inferioribus virtutem aliquam ad agendum, repugnẽt euidenter S. Thomæ in illo eodem principio, ex quo existimant suam conclusionem deducere. Volumus enim, quod inferiora mouentia, si supponantur carere motu, quo indigent moueri à superiobus, nõ habeant completam virtutem ad agẽdum, ac per hoc, quòd re vera non possent agere.

700 Doct. S.T. qua docet in motu, q est actus motoris, ex mobilis, relinqui virtutem motoris, & mobilis.

4 Probat, & simul declarat hoc, quòd probare intendimus, doctrina S. Doct. quã habet in 2. dist. 15. q. 1. art. 2. in corp. dicens: *Dicendum est corpora cœlestia causare generationem, & corruptionem in istis inferioribus, inquantùm motus eius est causa omnium inferiorum mutationum; sed cum omnis motus sit actus moteris & moti oportet, quòd in motu relinquatur virtus motoris, & virtus mobilis; vnde ex ipso mobili, quod corpus est, habet virtutem mouendi inferiora corpora ad dispositiones corporales: ex parte autem motoris, qui est substantia spiritualis, quacunque sit illa, habet virtutem mouendi ad formas substantiales, secundùm quas est esse specificum, quod diuinũ esse dicitur. Relinquitur autem virtus spiritualis substantię in motu corporis cœlestis, ad modum quo virtus motoris relinquitur in instrumento. Et per hunc modum omnes formæ naturales descendit à formis, quæ sunt sine materia (vt dicit Boetius 1. de Trinit cap. 3. & Commentator in 11. Meth.) sicut forma artificiatorum ab artifice.* Quam doctrinam repetit dist. 18. eiusdem lib. quæst. 2. art. 3. ad 3. his verbis *Supposito secundum fidem nostram quòd Cœlum sit corpus inanimatum, nihilominus tamen ponimus, quòd motus eius sit ab aliqua substantia spirituali sicut à motore: & cum motus sit actus motoris, & mobilis, oportet, quòd in motu nõ tantùm relinquatur virtus corporalis ex parte mobilis; sed etiam virtus quædam spiritualis ex parte motoris: & quia motor est viuens nobilissima vita idea non est inconueniens, si motus cœlestis (inquantùm est in eo intentio, & virtus motoris, per modum, quo virtus agentis principalis est in instrumento) est causa vitę spiritualis, qualis est per animam sensibilem, & vegetabilem.*

Alius loc⁹ quo docet ex eodem principio relinqui ī motu virtutẽ spiritualem.

701 Alius locus ad idem.

5 Breuiùs eandem doctrinam proposuit de spiritualibus creaturis art. 6. ad 12. his verbis. *Dicendum, quòd corpus cœleste, inquantùm mouetur à substantia spirituali, est instrumentum eius: & ita mouetur in virtute substantiæ spiritualis ad causandam vitam in istis inferioribus, sicut serra agit in virtute artis ad causãdam arcam.*

702 Eandẽ doctri. docet de motu recepto in inferioribus corporibus.

6 Eandem doctrinam habet S. Doctor de corporibus inferioribus in ordine ad cœlestia corpora. Nam sicut hæc dicit esse instrumenta substantiæ spiritualis, quę ea mouet: ita virtutes inferiorum corporum docet esse instrumentales in ordine ad virtutem cœlestis corporis; ac per hoc, quòd hæc inferiora per suas virtutes non mouent, nisi moueantur à corporibus cœlestibus: & quòd similiter per motum recipiunt virtutem eminentiorem à corporibus cœlestibus. Et quidem, quod virtutes inferiorum corporum sint instrumentales respectu corporum cœlestium docet quæst. 5. de verit. art 9. vbi cum tertio loco obiecisset, vt infra. *Ad complementum alicuius actionis sufficit agens, & patiens; sed in istis inferioribus inueniuntur virtutes actiua naturales, & etiam passiua: ergo ad eorum actiones non exigitur virtus corporis cœlestis.* Respondet.

703 Insignis locus S. D. quo docet virtutes actiuas in his inferi.

7 *Ad tertium dicendũ, quòd virtutes actiua in his inferioribus sunt instrumẽtales tantùm. Vnde sicut instrumentum non mouet, nisi motum à principali motore, & agente: ita nec virtutes inferiores actiua agere possunt, nisi mota à corporibus*

oribus esse instrumẽtales tm.

poribus cœlestibus. Quòd autem hæc inferiora agentia per motum, quo mouentur à superioribus corporibus recipiant, & participent virtutem aliquam eorundem corporum docet S. Doctor in 2. dist. 18. q. 2. art. 3. ad quintum dicens. *Est enim virtus cœlestis in omnibus corporibus inferioribus sicut virtus motoris in moto, vt inducat vnumquodque in specie secundũ materiæ dispositionem. Et hæ virtutes cœlestes in elementis receptæ vocantur à Philosopho in 17. de Animalibus virtutes animæ, quibus omnia elementa plena dicit: eo quòd huiusmodi virtutes sunt sufficientes ad animationem materiæ, si pertingant ad aliquam complexionis æqualitatem.* Ex quibus apparet, S. Doctorem, illud ipsum docere de corporibus inferioribus in ordine ad corpora cœlestia, quòd de eisdem corporibus cœlestibus in ordine ad Intelligẽtias motrices. Et nota illa verba: *virtutes actiuæ in his inferioribus sũt instrumentales tantùm; vnde sicut instrumentum*, & ea compone cum illis; *est enim virtus cœlestis corporis in omnibus corporibus inferioribus sicut virtus motoris in moto*, &c. Inde enim percipies, quod in sententia S. Doct. corpora hæc inferiora, per motum, quo mouentur à corporibus cœlestibus recipiant virtutem mouentis, illo simili modo, quo eadem cœlestia corpora per motum, & in motu, quo mouentur ab Intelligentia, recipiunt spiritualem virtutem viuificatiuam.

Virtus cœlestis corporis recipitur in elementis sicut virtus motoris in moto.

703 Concl. probanda in hoc §. proponitur.

8 Atque ex his exemplariter explicatum, & probatum habemus id, quod intendimus in hoc §. ostendere, nempè: qđ media mouentia in linea per se ordinatarum causarum se habent sicut instrumenta superiorum mouentium. Vnde sicut instrumenta per hoc, quod mouentur ab artifice, recipiunt per motum actiuam virtutem ad agendum opus artificiosum, quam virtutem non habent, dum non mouentur ab arte; ita inferiora mouẽtia per hoc, quòd mouentur à suis superioribus, sub quibus sunt per se ordinata, recipiunt per illum motum, quo mouentur, virtutem actiuam contẽtam in ipso moru, per quam possunt, & sine qua non possent producere effectum, quem producunt. Nec sanè ob aliam causam inferiora mouentia indigent motu superiorum mouentium ad agendum, nisi ob hanc, quia, scilicet, virtus inferiorum mouentium est insufficiens in ordine ad effectum, qui producendus est: estque sicut virtus instrumenti ad opus artis, puta serrę ad agendum scamnum, licet enim serra habeat duritiem, & acumẽ, quæ sunt virtus serrę ad scindendum, ista tamen virtus actiua eit ministerialis, seu vt loquitur S. Doctor, *instrumentalis tantùm*, importatque quandam idoneitatem ad vsum artis, ratione cuius per motum potest recipere virtutem artis ad opus artificiosum agendum; ac per hoc ipsa sola non est virtus sufficiens ad opus artis.

Virtus inferiorũ agentiũ est insufficiẽs ad effectũ q̃n producunt, sicut virtus serræ ad opus artis.

9 Et inde est, quòd hæc consequentia est per se, & necessaria, puta: mouentia media mouentur à superioribus; ergo recipiũt per motum virtutem ad agendum: & similiter hæc alia, inferiora mouentia nunc, e. g. non mouentur à superioribus: ergo non habent nunc sufficientem virtutem ad effectum producendum, & absolutè non possunt agere effectum, ad quem producendum superiora mouentia monẽt inferiora. Et hoc illo simili modo, quo valet: serra nunc non mouetur ab arte: ergo serra non habet nunc virtutem ad efficiendum scamnum: & Cœlum post diem iudicij non mouebitur ab Intelligentia: ergo Cœlum post diem iudicij non habebit virtutem ad producendũ viuentia, quam nunc habet in motu, quo mouetur ab ipsa Intelligentia.

704 Quæ cõsequẽtię valeãt ex vi præcedẽtis doctrinæ.

Probatur conclusio expresso testimonio S. Doctoris.

10 Conclusionem nostram, sic intellectam docuit expresse S. Doctor quæst. 3. de Potentia art. 7. in corp. his verbis. *Sed vlterius inuenimus secundum ordinem causarum esse ordinem effectuum: quod necesse est propter similitudinem effectus, & causæ. Nec causa secunda potest in effectum causæ primæ per virtutem propriam: quamuis sit instrumentum causæ primæ respectu illius effectus. Instrumentum enim est causa quodammodo effectus principalis causæ, non per formam, vel virtutem propriam; sed inquantùm participat aliquid de virtute principalis causæ per motum eius: sicut dolabra non est causa rei artificiatæ per formam, vel virtutem propriam; sed per virtutem artificis à quo mouetur, & eam quoquo modo participat. Vnde quarto modo vnum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti: & hoc modo etiam oportet dicere, quòd Deus est causa omnis actionis rei naturalis. Quantò enim causa est altior tantò est communior, & efficacior: & quantò est efficacior, tantò profundiùs ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali inuenimus, quòd est ens, & quòd est res naturalis, & quòd est talis, vel talis natura. Quorum primum est commune omnibus entibus: secundum omni-*

705 Clarum testimoniũ S. D. quo bẽtur, inferiora mouentia esse instrumentũ superiorũ, & recipere in motu virtutem actiuam.

Quãtò causa est altior tantò est cõmunior.

Digitized by Google

omnibus rebus naturalibus: tertium in vna specie: Et quartum, si addantur accidentia, est proprium huic in individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie; nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem, & vlterius totum esse naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus, nisi per virtutem corporis cœlestis: nec aliquid agit ad esse, nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus, primus, & intimior omnibus alijs effectibus. Et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus. Vnde dicitur in lib. de Causis: Intelligentia non dat esse; nisi prout est in ea virtus diuina. Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum diuinæ virtutis operantis. Hæc S. Doctor. In quibus nostram conclusionem expressè statuit, & probauit ex principijs per se notis, tàm à priori, quàm à posteriori.

Esse est cõmunissimꝰ effectus, q soli Deo competit secundum virtutem propriam.

706 *S. D. proposuit, & probauit conclusionẽ nostrã.*

11 Conclusionem enim proposuit illis verbis. *Nec causa secunda potest in effectum causæ primæ per virtutem propriam, quamuis sit instrumentum causæ primæ respectu illius effectus; sed inquantùm participat aliquid de virtute principalis causæ per motum eius.*

Probauit à priori ex illo principio, *secundum ordinem causarum est ordo effectuum*, quod resoluit in principium per se notum: *Omne agens agit sibi simile*, dum subiunxit: *Quod necesse est propter similitudinem effectus & causæ*. Et quoniam ex dictis principijs sequitur, causam inferiorem, seu secundam, esse instrumentum superioris, seu primæ causæ, dum procedit in effectum, vt mota à superiori: ideo probat idem à posteriori exemplo dolabræ. Explicat tandem, & applicat ad propositum suæ intentionis prædictam doctrinam ab illis verbis. *Quantò enim causa est altior*, vsq; ad finem.

Probatur, & declaratur illud principium secundum ordinem causarum est ordo effectuum.

707 *Potentia actiua correspondet possibile secundũ rationẽ illi⁹ actus, in quo fundatur potentia actiua.*

12 VT conclusionem nostram ex principijs prædictis S. Doct. demonstremus, oportet nos resoluere iuxta verum sensum S. Doct. principium, quod ipse supponit initio sui discursus modò supra relati. Illud autem sic ostendi potest ex alio principio, quod ipsemet S. Doctor tetigit illis verbis, *quod necesse est propter similitudinem effectus, & causæ*. Nam vt inquit ipse S. Doctor 1. p. quæst. 25. ar. 3. in corp. *Cum vnumquodq; agens agat sibi simile, vnicuiq; potentiæ actiuæ correspondet possibile, vt obiectum proprium, secundùm rationem illius actus, in quo fundatur potentia actiua.*

Potentia autem actiua superioris agentis fundatur in actu perfectiori, qui minus habet de potentia, sicut potentia actiua inferioris agentis fundatur in actu imperfectiori. *Cum enim vnumquodq; agat secundùm quod est in actu* (inquit S. Doct. quæst. 5. de Potentia art. 8. in corp.) *oportet secundum hoc accipere ordinem causarum agentium; secundùm quod est ordo earum in actualitate*, atq; adeo oportet, quòd quantò causa est superior, eõ sit actualior, ita vt suprema sit actus purus. Et ita oportet, quòd potentiæ actiuæ superioris agentis, quæ fundatur in perfectiori actualitate, correspondeat, vt obiectum proprium, seu effectus proprius talis potentiæ, aliquid, quòd secundùm propriam rationem sit perfectius actualius, & vniuersalius, quàm sit id, quod correspondet potentiæ inferioris agentis. Et ex hoc sequitur, quòd ordo in effectibus, seu obiectis potentiarum actiuarum agentium ordinatorum, sit similis ordini, quo ordinantur agentia. Sicut enim agentia ita sunt ordinata, quod quantò agens est superius, eò est perfectius, actualius, & efficacius: ita effectus correspondentes potentijs actiuis, seu obiecta potentiarum, sic sunt ordinata, quòd quantò aliqua ratio est perfectior actualior, & vniuersalior, tantò altiori potentiæ actiuæ altioris causæ correspondeat vt proprius effectus & obiectum, superetq; seruata proportione, obiectum potentiæ actiuæ, seu effectum causæ inferioris, cui correspondet vt proprius effectus aliqua ratio minus actualis, & minus vniuersalis. Et ita secundum ordinem causarum est ordo effectuum, ideſt ordo illarum rationum, quæ sunt proprium obiectum, seu effectus proprius potentiarum actiuarum ordinatorum agentium.

Ordo causarũ agẽtiũ accipitur secundum & ẽ ordo earum in actualitate.

708 *Intentum confirmatur ex verbis S. D.*

13 Hinc S. Doctor quasi explicans prædictum principium incepit probationem conclusionis intentæ ab illa propositione. *Quantò enim causa est altior, tantò est communior, & efficacior, & quantò est efficacior, tantò profundius ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipsum reducit in actum.* Ex qua propositione sequitur, quod quantò causa est altior, eò obiectum suæ potentiæ actiuæ, seu effectus proprius, est cõmunius, & in pluribus inuentum, quod tanquam principium, & egregium notabile posuit S. D. 6. Metha. lect. 3. circa medium his verbis,

Insignis l. S. Tho. ad idem.

Digitized by Google

Considerandum est, quòd quantò aliqua causa est altior, tantò eius causalitas ad plura se extendit. Habet enim causa altior proprium causatum altius, quod est communius, & in pluribus inuentum. Et ex hac propositione sequitur, quòd secundùm ordinem causarum est ordo effectuum, ita vt effectus altior, actualior, & communior sit effectus proprius causę vniuersalioris, sicut effectus proprius causæ inferioris sit aliquid minus commune.

709 *Effectus proprius causarum per se ordinatarũ nõ est realiter distinctus.*

14 Verùm hic aduertendum est, quòd effectus proprius causæ vniuersalioris in serie causarum per se ordinatarum non oportet, quòd sit realiter distinctus ab effectu proprio causæ inferioris (vt aliqui malè intelligunt) nam vnus idemq; effectus realis procedit à tota serie causarum ordinatarum. Idem enim leo, qui generatur ab hoc leone, procedit & à corporibus cœlestibus, & ab Intelligentijs motricibus, & à Deo, sed hic idem effectus sub altiori ratione inspicitur à potentia actiua cœlestis corporis, quàm inspiciatur à potentia actiua leonina, & similiter sub altiori ratione à virtute Intelligentiæ, quàm à corpore cœlesti. Et sub altissima, & vniuersalissima inspicitur à Deo, vt patet ex verbis S. Thomæ relatis.

710 *Intentum probatur testimonio S. D.*

15 Hinc ipse S. Doctor. Quæst. vnica de Spiritualibus creaturis art. 3. ad vigesimum docet, quòd ordo agentium est secundum ordinem rationum formalium, quæ intelliguntur in re naturali, & sic habet. *Secundum ordinem intelligibilem formarum est ordo agentium naturalium. Inter ipsa enim corpora cœlestia vnum est vniuersalius actiuum, quàm alterum. Nec vniuersalius agens agit seorsum ab inferioribus agentibus. Sed vltimum agens proximum agit in virtute omnium superiorum. Vnde non imprimuntur à diuersis agentibus diuersæ formæ in vno indiuiduo; sed vna est, quæ imprimitur à proximo agente continens in se virtute omnes formas praecedentes. Et materia secundùm quod consideratur perfecta sub ratione formæ vniuersalioris, & accidentium consequentium, fit propria ad subsequentem perfectionem.*

Secundũ ordinem intelligibilem formarum est ordo agẽtium.

711 *Inculcatur ad ꝓpositũ prædicta sententia S. D.*

16 Nota ly *secundum ordinem intelligibilem formarum est ordo agentium.* Et indè percipes, quòd agentia vniuersalia non debent habere aliquem effectum vniuersalem realiter distinctum à particularibus effectibus, sed quòd idem effectus particularis correspondet causę vniuersali sub ratione vniuersali, & causæ inferiori sub ratione minus vniuersali: ita quòd secundùm istas rationes intelligibiles inuentas in effectibus particularibus sit ordo causarum. Quæ procedunt in vnum eundẽq; effectum, inquantùm inferior mouetur à superiori, & agit in eius virtute. Et indè est, quòd causa proxima, quæ agit vt mota motu vno, qui ordinato descensu in ipsam peruenit ab omnibus superioribus causis: ac per hoc continet virtutem omnium superiorum, producit effectum secũdùm omnes rationes spectantes ad obiecta potentiarum omnium superiorum, in virtute quarum agit illum effectum.

711a

17 Ratio est, quam modo supra tetigimus: quia vnus idemq; effectus, puta leo, procedit & à leone generante, & à corporibus cœlestibus, Intelligentijs, & à Deo: ac per hoc oportet, quòd hæc vna entitas leonis geniti contineatur sub obiecto potentiæ, seu virtutis actiuæ, tam leonis generantis, quàm orbium & stellarum, Intelligentiarum, & Dei. Oportet tamen, quòd non sub eadem ratione formali inspiciatur talis entitas à virtutibus tam diuersorum agentium.

Virtutes actiuę per se ordinatæ respiciunt vnũ effectum sub diuersa ratione formali.

Hoc enim ipso, quòd tales virtutes, seu actiuæ potentiæ, sunt distinctæ non solùm specie, sed etiam genere; immo sunt diuersi ordinis, oportet, quòd obiecta formalia specificatiua earundem (saltem secundùm nostrum modum concipiendi quantùm ad diuinam potentiam) sint distincta. Nam potentiæ, etiam actiuæ, distinguuntur per ordinem ad obiecta, quæ sunt effectus earũ, vt habes ex D. Thoma quæst. 1. de Potentia art. 7. in corp. Sicut enim in potentijs cognoscitiuis eadem entitas E. g. coloris videtur ab oculo, sentitur sensibus internis, & intelligitur ab intellectu; & tamen sub diuersa ratione formali spectat ad obiecta prædictarum potentiarum. Spectat enim ad obiectum intellectus, inquantùm continetur sub ente, quod est proprium obiectum intellectus, vnde spectat ad obiectum intellectus, vt quid materiale contentum sub suo proprio obiecto formali specificatiuo, & indè est, quòd intellectus nõ solã entitatem coloris, sed omnia, quę participant rationem entis intelligit. Ad obiectum verò sensus interni spectat, inquantùm continetur sub ratione sensibilis, seu alterius rationis abstrahentis à rationibus specialibus, sub quibus sensibilia spectant ad sensus externos: & inde spectat ad sensum internum, vt quid materiale contentum sub suo proprio obiecto magis amplo, & vniuersali, ex quo est, quòd sensus internus non solùm colorem, sed & saporem, & sonum, & odorem percipit. Ad oculum verò spectat, vt proprium obiectum, à quo recipit speciem. Et inde est, quòd non se extendit vltra colorẽ, seu lucidum. Ita in poten-

Explicatur exemplo potentiarũ apprehensiuarum.

Digitized by Google

tentijs actiuis ordinatis, quarum vna est vniuersalior altera, res se habet. Vndè illa eadem entitas leonis non sub eadem ratione formali spectat ad obiecta illarum potentiarum ordinatarum. Nam spectat ad obiectum diuinæ potentiæ, inquantùm continetur sub ratione entis participati, seu possibilis absoluti, seu etiam contradictionem non implicantis, quod est obiectum diuinæ potentiæ: vndè spectat ad diuinam potentiam, vt quid materiale contentum sub suo proprio obiecto, quod nõ solùm leonem comprænendit; sed omne omnino, quod contradictionem non implicat, & sic vltra leonem facit omnia, quę fiunt per quascunq; causas, tanquam quid materiale contentum sub obiecto suæ potentiæ. Ad potentiam verò Intelligentiarum, & corporum cœlestium, quæ sunt plures causæ ordinatæ, quarum vna est vniuersalior altera (vt habes ex D. Thoma relato num. 15. huius §.) spectat sub ratione specialiori magis, vel minus vniuersali proportionata ad vniuersalitatem causæ: generaliter autem spectat ad totũ corpus cœleste, inquãtùm ab ipso est omnis dispositio corporalis. Ad Intelligentias verò, quatenus ab ipsis est introductio formæ dantis esse specificum, vt habes ex D. Thoma relato nu. 4. huius §. Denique ad leonem generantem, quatenus hìc, & nunc disponit hanc materiam, vt habes ex S. Thoma, verbis relatis nu. 10.

713 *Leo genitꝰ à leone inspicitur à virtute leonis sub ratione magis imperfecta, quã inspiciatur à virtute cælestis corporis, &c.*

18 Sic ergo apparet, quod leo spectat ad potentiam actiuam leoninam sub ratione satis imperfecta, & materiali, attento obiecto proprio suæ virtutis, quæ respicit hunc, vel illum determinatum leonem sub hac determinata ratione, qua disponit, dumtaxat, his singularibus dispositionibus. Spectat aũt ad potentiam actiuam cœlestis corporis sub ratione magis perfecta; sed quæ non excedit limites corporales, inquantùm, scilicet, virtus cœlestis corporis per motum simplicissimum causat omnes dispositiones corporales, quæ omnes sunt quid materiale, & imperfectũ in ordine ad formam substantialem. Spectat verò ad potentiam Intelligentiæ sub perfectiori ratione, inquantùm, scilicet, inducitur in formam substantialem, quam respicit potentia actiua formæ subsistentis: & tandem sub altiori ratione spectat ad obiectum virtutis Dei, inquantùm, scilicet, per formam recipit esse, quod est vltima actualitas, & perfectio omnis formæ. Sic igitur leo generans producit quidem leonem alterando, & educendo formam substantialem de potentia materiæ, per quam habet esse, & sua causalitate attingit, tam formam substantialem, tam esse, quod est terminus suæ actionis, seu attingit omnem perfectionem, quam leo habet per generationem; sed inquantùm mouetur motu continente virtutem omnium superiorum mouentium, in quorum virtute agit, vt instrumentum eorum. Sicut serra attingit sua causalitate formam artefacti, inquantùm per motum recipit virtutem artis, licet serra, attenta propria virtute, solam scissionem respiciat, vt proprium effectum.

Et hæc est doctrina S. Doctoris verbis relatis nu. 10. huius §. dum inquit. *Hoc igitur indiuiduum agendo non potest constituere aliquem in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem, & vlterius totum esse naturæ inferioris, &c.*

19 Nec dicas, quòd videtur in S. Thoma, quædam diuersitas; nam verbis relatis num. 10. inquit, *quod in his inferioribus nihil agit ad speciem, nisi per virtutem cœlestis corporis*, ac per hoc videtur attribuere corpori cœlesti, tãquam proprium effectum, constituere in specie; at verò verbis relatis nu. 4. videtur id tribuere virtuti Intelligentiæ illis verbis, *Ex parte motoris, quæ est substantia spiritualis, quæcumq; sit illa, habet virtutem mouendi ad formas substantiales, secundum quas est esse specificum.* Non dicas hoc, inquam, nulla enim est in S. Thoma diuersitas. Siquidem dum dicit: *hoc indiuiduum agendo non potest constituere aliquem in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem*, verum est de hac causa, quæ est corpus cœleste, est enim in corporibus cœlestibus aliquid, quod respicit totam aliquam speciem. Sed debet intelligi cum distributione accommoda, quod scilicet, per virtutem propriam respicit totam speciem, quantùm ad vniuersales dispositiones corporales totius speciei, & per virtutem participatam per motum Intelligentiæ, quantùm ad inducẽdas formas substantiales illius speciei. & similiter, dum dicit: *in his inferioribus nihil agit ad speciem, nisi per virtutem corporis cœlestis:* cum eadem accommoda distributione debet intelligi.

714 *Obijcitur dissonãtia verborũ S. D. & concordantur*

20 Tandem aduerte, quod ago in hac disputatione cum Thomistis, qui doctrinã S. Thomæ supponũt, ac per hoc non oportet modò S. Thomæ doctrinam defendere, & probare contra aduersarios S. Doctoris. Hoc enim sumus acturi in tractatu de Principio illo: Omne quod mouetur, mouetur ab alio. Vbi agemus de omnibus obiectis potentiarum actiuarum, & simul totam hanc doctrinam S. Thomæ, quam in toto hoc §. retulimus, per apices explicabimus,

715

Digitized by Google

& resoluemus in principia ex quibus S. Doctor eam deducit; demonstrabimus etiam qualiter aduersarij in intelligendo S. Thoma deficiant, & ei imponant, quę nec somniauit. Redeamus modò ad rem.

Probatur assertum esse à S. Doctor. verbis relatis nu. 10. causam secundam, seù inferiorem, per motum, quo mouetur à prima, seu superioribus causis recipere virtutem actiuam.

716 21 Diximus num. 9. intendere nos in hoc §. probare, quòd in linea per se ordinatorum agẽtium causa inferior se habet, vt instrumentum superioris, recipitque per motum, quo à superiori mouetur, virtutem, seu potentiam actiuam, per quam potest aliquid plùs, quã posset tali motu destituta: idq; num. 11. diximus fuisse, & expressè assertum, & etiã probatum à S. Doct. verbis relatis num. 10. Nunc ergo post probatum principium, quòd S. Doctor posuit sui discursus fundamentum, debemus vtrumque ostendere.

Inculcatur ad propositũ tex. S.D. Et quidem, quòd prædicta conclusio, sit expressè asserta à S. Doct. verbis relatis, est euidentissimum. Id enim expressit, dum docuit, *quòd causa secunda non potest in effectum causæ primæ per virtutem propriam, quãuis sit instrumentum causę primæ respectu illius effectus*: & probauit ex eo, quia *instrumentum est causa quodammodo effectus principalis causæ non per formam, vel virtutem propriam; sed inquantùm participat aliquid de virtute principalis per motum eius*. Vt hoc videas, pete: quid intelligit S. Doctor per illa verba: causa secunda non potest in effectum causæ primæ? Nota, quòd non dixit: causa secunda non potest in effectum sibi proprium; sed in effectum causæ primæ. Designat ergo, quòd causa prima habet aliquem effectum proprium, & proportionatum suæ causalitati, in quem non potest causa secũda per virtutem propriã, quauis sit instrumẽtum eiusdem causæ primæ in ordine ad eundem effectum: & per hoc designat S. Doctor, quòd non loquitur de omni effectu causæ primæ; sed de illo dumtaxat, ad quem producendum vtitur causa secunda sicut suo instrumento. Habet enim causa prima aliquos effectus, quos produxit non per causam secundam, tanquam per suum instrumentum, vt in principio creauit Cœlum, & terram: habet etiam aliquem alium effectum propriũ in ordine ad quem causa secunda est instrumentum primæ, & hunc effectum dixit S. Doctor, quòd causa secunda non potest per virtutem propriam, quamuis sit instrumentum eius.

Ad explicandã veritatem ponuntur duæ petitiones. Dic ergo, quis est iste effectus, quem causa secunda nõ potest per virtutem propriam, quamuis sit instrumentum primæ? Ampliùs dic, qualiter causa secunda non habens in talem effectum virtutem propriam, producit illum, vt instrumentum primæ?

717 *Resp. 1. petitioni.* 22 Sed quid primæ petitioni respondebis, nisi quod ipsemet S. Doctor expressit? Dixit sanè, quòd in qualibet re naturali inuenitur, *quòd est ens, & quòd est res naturalis, & quòd est talis, vel talis natura*: & quòd quantum ad primum, quod est communius, est proprius effectus Dei, quantum verò ad secundum, & tertium, est proprius effectus aliarum causarũ vniuersalium, qualia sunt corpora cœlestia. Expressit ergo S. Doctor, quod effectus proprius causæ primæ, in quem nulla causa media potest per propriam virtutem, est ipsa res naturalis, quantum ad hoc, qđ est ens, seu habens esse. Vndè concludit, *Nec aliquid agit ad esse, nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus primus, & intimior omnibus alijs effectibus. Et ideo soli Deo competit secũdùm virtutem propriam talis effectus, vnde dicitur in lib. de Causis: Intelligentia non dat esse, nisi prout est in ea virtus diuina*.

718 *Resp. 2. petitioni.* 23 Ad secundam etiam petitionem patet responsio ex S. Thoma dicente, quod instrumentũ habet aliquid de virtute principalis per motũ eius, exquo sequitur, quod causa secunda, quæ est instrumentum primæ in ordine ad effectũ proprium ipsius primæ, agit talem effectum, inquantũ participat aliquid de virtute primæ per motũ eius. Idq; euidentiùs patet in eo, quod docet de causis inferioribus in ordine ad superiores, puta, quòd in aggregato cœlestium corporum est quædam causa, cuius effectus proprius est res naturalis vniuersaliter sumpta: & quædam causa, cuius effectus proprius est aliqua tota species, ex quo concludit, *quod hoc individuum agẽdo, non potest constituere aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem, & vlterius totum esse naturæ inferioris*: peto enim quomodo hoc individuum, quod secundum propriam virtutem non potest constituere aliquid in simili specie, constituat effectum suum in simili specie, inquantùm est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem? Quid dices, nisi quod, *nihil agit ad speciem in his inferioribus, nisi per virtutem corporis cœlestis*? Sed quomodo per virtutem

Digitized by Google

Concluditur ex dictis, S. D. expressisse nostrā cōclusionem.

tem corporis cœlestis, nisi quia *instrumentum agit effectū principalis causæ inquātum participat aliquid de virtute principalis causæ per motum eius*? Clarum est ergo in textu §. Doctoris relato num. 10. quod in linea per se ordinatorum agentiū procedentium in aliquem vnum effectum, qui secundum diuersas rationes pertinet ad effectum proprium cuiuslibet superioris causæ, omnis causa inferior per motū, quo mouetur à superiori recipit virtutem ad causandum effectum secundum illam rationem, secūdùm quam est effectus proprius superioris agentis, & superat virtutē inferioris, ac per hoc in ipsum non potest secundum propriam virtutem; sed solùm per virtutem superioris, quam recipit per motum, quo à superiori mouetur. Motus ergo superioris præbet inferiori virtutem actiuam ad causandum effectum secūdùm illam rationem, secundùm quam non posset causare per virtutem propriam.

Confirmantur omnia prædicta alio excellentiori testimonio Sancti Doctoris.

719 24. NE quis autem existimet doctrinam S. Doct. quam hactenus expendimus fuisse à S. Doctore, vel alibi retractatam, vt malè suspicatur Suarius, vel in illo, dumtaxat loco vsurpatam, affero nunc locum excellentiorem, quo totam illam doctrinam expressam verbis relatis num. 10. explicatiùs proponit. Et hic est lib. 3. cont. gen. cap. 66. Vbi ratione secunda probat, quòd omnia agentia agunt esse in virtute Dei per hoc, quod participant motum eius, & ratione quinta id ipsum probat ex illo principio, *secundum ordinem causarum est ordo effectuū*. Itaque secundam rationem, sic proponit.

D. T. lib. 3. cont. gen. cap. 66.

720 Notando doctr. S. D. pro nostra concl.

25 *Quando aliqua agentia diuersa sub vno agente ordinantur, necesse est, quòd effectus, qui ab eis communiter fit, sit eorum, secundùm quod vniuntur in participando motum, & virtutem illius agentis. Non enim plura faciunt vnum, nisi inquantùm vnum sunt: sicut patet, quòd omnes, qui in exercitu sunt operantur ad victoriam causandam, quam causant, secundum quod sunt sub ordinatione Ducis, cuius proprius effectus victoria est. Ostensum est autem in Primo, quòd primum agens est Deus. Cum igitur esse sit communis effectus omnium agentium, nam omne agens facit esse in actu, oportet, quòd hunc effectum producant, inquantùm ordinantur sub primo agente, & agunt in virtute ipsius.* Hæc Sanctus Doc. valde notanda. Præsertim nota conclusionem, & maiorem ex qua eam deduxit. Conclusio est. *Oportet, quòd hunc effectum* puta esse, *omnia agentia producāt inquantùm ordinantur sub primo agēte, & agunt in virtute ipsius.* Maior est. *Diuersa agentia sub vno agente ordinantur secundùm quod vniuntur in participando motum, & virtutem illius agentis.* Et inde habebis euidenter, quòd hunc effectum, puta esse, omnia agentia producant inquantùm vniuntur in participando motum, & per motum virtutem primi agentis. Et tandem concludes, quòd per motum, quo secunda mouentia mouentur à primo, recipiunt virtutem ad agendum effectum proprium primi agentis, in quem secundum propriā virtutem non possunt.

721 *Alius locus S. D. quo confirmatur discursus, qm hēt q 3. de pot.*

26 Quintam verò rationem in dicto cap. 66. sic proponit. *Secundùm ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est esse. Nam omnia alia sunt determinationes ipsius esse. Igitur esse est proprius effectus primi agētis. Et omnia alia agunt ipsum, inquantū agunt in virtute primi agentis. Secunda autem agentia, quæ sunt quasi particulantes, & determinantes actionem primi agētis, agunt, sicut proprios effectus, alias perfectiones, quæ determinant esse.*

722 *Ex eodem principio in vtroq. loco proponit S. D. eādem doctr.*

27 In qua quidem ratione proponit S. Doctor ex eodem principio eandem doctrinam, quam expressit verbis relatis nu. 10. Nam sicut ibi dixit: *Ipsum enim esse est communissimus effectus primus & intimior*, &c. Ita hìc dixit. *Primum autem in omnibus effectibus est esse.* Et sicut ibi deduxit, *ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus; nec aliquid agit ad esse, nisi per virtutem Dei.* Ita hìc concludit: *Igitur esse est proprius effectus primi agentis, & omnia alia agūt ipsum in virtute primi agētis.* Et sicut ibi docuit, quòd causæ vniuersales intermediæ, qualia sunt corpora cœlestia, agūt vt proprium effectum aliquam rationem communem, puta, aliquam totam speciem, vel rationem rei naturalis, vnde concluſit. *Nihil agit ad speciem in his inferioribus, nisi per virtutem corporis cœlestis.* Ita hìc docet, quòd *secunda agentia, agunt sicut proprios effectus alias rationes, quæ determinant esse.* Et sicut ibi docuit, quòd inferiora agentia participant virtutem primi agentis per motum, quo mouentur ad agendum, vt instrumentum primi. Ita hìc in ratione, primo loco relata docuit, quòd diuersa agentia ordinantur sub vno, secundum quod vniuntur in participando motum, & virtutem illius agentis.

Propo-

Digitized by Google

Proponitur insignis instantia ex doctrina eiusdem S. Doctoris.

723 28 DIces, S. Doctorem docuisse eodem ar. 7. q. 3. de Poten. agentia inferiora moueri à superioribus motu, quo non confertur eis virtus; sed merè applicantur ad agendum. Non videtur ergo doctrina S. Doctoris sibi cohærere. Parum enim ante verba relata nu. 10. sic habet. *Sed quia nulla res per se ipsam mouet, vel agit, nisi sit mouens nō motum, tertio modo dicitur vna res esse causa actionis alterius, inquantùm mouet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio aut conseruatio virtutis actiuæ; sed applicatio virtutis ad actionem: sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quòd applicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit, nisi mota: eo quia huiusmodi corpora inferiora sunt alterātia alterata; Cœlum autem est alterans non alteratum & tamen non est mouens, nisi motum: & hoc non cessat, quousque perueniamus ad Deum sequitur de necessitate, quòd Deus sit causa actionis cuiuslibet rei naturalis, vt mouens, & applicās virtutem ad agendum.* Si igitur in hoc, quòd Deus mouēdo inferiores causas applicat earum virtutes ad agendum, non intelligitur collatio, aut conseruatio virtutis actiuæ, iam datur aliquis diuinus motus, qui sit simplex applicatio virtutis ad actionem. Hic autem erit ille motus, seu qualitas impressa agētibus à solo Deo, de qua Io. à S. Thoma, to. 2. naturalis philosophiæ quæst. 25. artic. 2. periodo, *Dico tertiò*, docet, quòd *est quædam motio nō dans actiuitatem; sed actiuitatis applicationem ad effectum.*

Verba S. D. ex quibus procedit difficultas.

724 29 Respondeo, & dico primò: qđ motus, quibus secundùm mentem S. Doct. in verbis modo relatis applicantur virtutes agentium creatorum ad agendum, important rem satis diuersam ab illa qualitate excogitata à Recentibus.

Primū dictum, quo respondetur difficultati.

725 30 Dicò secundò: qđ relata doctrina non repugnat; sed valdè cohæret locis alijs eiusdem Sancti Doctoris, & nostræ sententiæ.

Secundum dictū.

Motus, quibus applicantur virtutes agentium ad agendum importare, non illam qualitatem excogitatam à Recentibus; sed vel motus corporales, puta localem alterationis &c. vel motus spirituales, quales sunt actus apprehensiuæ potentiæ, vel appetitiuæ Probatur ex alio, & ex hoc ipso loco S. Doct.

Concl. pro banda.

31 VT hoc ostendam, considerādas propono rationes S. Doctoris, quibus hanc ipsam doctrinam, quā habet in hoc art. 7. quæst. 3. de potentia repetit lib. 3. contr. gen. cap. 67. vbi assumit probandum: *Quòd Deus est causa omnibus operantibus, vt operentur*, quod quidem in Disputatis artic. illo 7. inquirit sub his verbis: *Vtrum Deus operetur in operatione naturæ.* Considera igitur, qđ in Disput. resolutionem quęsiti, sic incepit. *Sciendum est, quòd actionis alicuius rei res alia potest dici causa multipliciter: vno modo quia tribuit ei virtutem operādi, sicut dicitur in 8. Physic. quòd generās mouet graue, & leue, inquantùm dat eis virtutem*, &c. *Et hoc modo agit Deus omnes actiones naturæ; quia dedit rebus naturalibus virtutes*, &c. Deindè considera secundam rationem, quam dicto cap. 67. lib. 3. con gen. proponit, & inuenies, quòd eādem doctrinam tradit: vnde eā sic incepit. *Omnis operatio, qua sequitur aliquā virtutem attribuitur illi causæ, quę dedit talem virtutem sicut motus grauium, & leuium*, &c. Ampliùs considera, quòd in disputatis consequenter probat, quod Deus est causa actionis agentium. *Sicut continuè tenēs virtutem in esse; quia est causa virtutis collatæ, non solùm quantùm ad fieri, sicut generās; sed etiam quantùm ad esse, vt sic possit dici Deus causa actionis, inquantùm causat, & conseruat virtutem in esse*, lege deindè tertiam rationē ex loco cont. gen. quam immediate subiūgit, & inuenies eandem doctrinam. Nam ex eo, quòd *Deus, quandiu res sunt, esse in eis causat, res in esse conseruans*, infert. *Omnis igitur operatio in ipsum reducitur, sicut in causam.* Denique considera in Disputatis verba relata num. 28. in obiectione. Subindè considera aliam rationem in loco cont. gentiles, qua eandem doctrinam repetit his verbis.

726 *S. D. repetit eādem doctr. Debet considerari, & cōponi cū doct. relata in obiectione.*

32 *Quicquid applicat virtutem actiuam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis. Artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem, dicitur esse causa illius actionis, sicut cocus decoctionis, qua est per ignem. Sed omnis applicatio virtutis ad actionem est principaliter, & primò à Deo. Applicantur enim*

727 *Rō S. Doc. qua proponit illā eādem doct. ex qua D. cedit difficultas.*

Digitized by Google

enim virtutes operatiuæ ad proprias operationes per aliquem motum, vel corporis, vel animæ. Primum autem principium vtriuſque motus eſt Deus. Eſt enim primum mouens omninò immobile, vt ſuprà oſtenſum eſt. Et ſimiliter omnis motus voluntatis, quo applicantur aliquæ virtutes ad operandum, reducitur in Deum, ſicut in primum appetibile, & primum volentem. Omnis igitur operatio debet attribui Deo, ſicut primo, & principali agenti.

Lege, inquam, & attentè conſidera prædictam rationem, qua (vt ex collatione doctrinæ vtriuſque loci, à nobis facta, apparet) probat S. Doctor, Deum eſſe cauſam actionis omnium agētium illo modo, quo cauſa actionis alterius agētis dicitur, quod applicat virtutem talis agentis ad agendū. Expreſsè enim Sanctus Doctor in ea explicuit motus, quibus applicantur virtutes agentium ad agendum, dum aſſumpſit: *Applicantur enim virtutes operatiuæ ad proprias operationes per aliquem motum, vel corporis, vel animæ.* Et quidem per motum corporis intelligit, quo mouetur aliquod corpus, vt cùm cocus manu mouet titionem ad ollam, ſicut per motum animæ intelligit actus virtutis apprehenſiuæ, & appetitiuæ, qui ſunt motus, quibus mouetur anima, vt cum animal per actus apprehenſiuæ, & appetitiuæ virtutis applicat potentiam motiuam ad mouendum pedes. Hinc Ferrarienſis prædictam propoſitionem retulit his verbis; *Applicantur virtutes operatiuæ ad proprias operationes per aliquem motum, vel corporis, vel animę, puta apprehenſionis, & appetitus.* Idque expreſſit ipſemet S. Doctor, dum ſubiunxit. *Et ſimiliter omnis motus voluntatis, quo applicantur aliquæ virtutes ad operandum reducitur in Deū, ſicut in primum appetibile, & primum volentem.* Motus ergò quibus applicantur virtutes operatiuæ ad operandum non importat in ſententia S. Thomę illā qualitatem, quam dicunt impreſsam agentibus à ſolo Deo; ſed motus, vel corporales quibus corpora mouent, & mouentur ab alijs ſiuè corporibus, ſiuè ſpiritualibus ſubſtantijs, vel etiam motus ſpirituales, quibus monētur virtutes animæ; puta voluntas appetendo, & volendo, intellectus, & aliæ virtutes apprehenſiuæ apprehendendo, imperando, &c.

Ferrarienſis explicatio ad propoſitum.

728 *Per motū voluntatis quo applicātur virtutes ad agendū in-*

31 Præme illa verba, *ſimiliter omnis motus voluntatis, quo applicantur aliquæ virtutes*, &c. Dic quo motu voluntatis applicantur aliquæ virtutes? num dices præmotione? ſed præmotio non applicat ſecundū hos Recentes, niſi illam virtutem, in qua recipitur: non autem alias. Intelligit ergò ipſum actum voluntatis, quo applicantur aliæ virtutes, puta, intellectus ad intelligendum, & etiam membra corporalia ad ſuos motus: actus etiam voluntatis eſt, qui reducitur in Deum, vt in primum appetibile, & primum volentem. *telligitur actus*

729 *Inculcatur ad propoſitum verbū reductionis.*

34 Amplius conſidera, quòd in ordine ad illam qualitatem nulla eſt neceſſitas reductionis. Quæ enim reductio intelligi poteſt circà effectum, qui non niſi à ſolo Deo nulla cauſa mediante fit? Num rectam locutionem exiſtimares, ſi diceres creationem Angeli reduci in Deum, vt in primum? Si enim Angelus non niſi à Deo per creationem fieri poteſt, nulla poteſt intelligi reductio in creatione Angeli: at verò motus voluntatis reducitur in Deum.

730 *Ex modo ipſo loquēdi S. Th. probatur intentum.*

35 Amplius preme, quòd S. Doctor in prædicta ratione non dixit: ſed Deus applicat omnes virtutes creatas ad ſuas operationes. Si enim ſic dixiſſet, poſſes fortè exiſtimare, Deum per ſe ipſum imprimere motum applicantem. Sed dixit: *Omnis applicatio virtutis ad actionem eſt principaliter, & primo à Deo*, per quod deſignat, quòd talis applicatio proximè, & minus principaliter eſt ab alijs cauſis.

731 *Expenditur illa vox, primū principiū.*

36 Amplius expende probationem, puta. *Primum autem principium vtriuſque motus eſt Deus. Eſt enim primum mouens omninò immobile.* Non dixit vnicum, & ſingulare principium, ſed primū, per quod deſignat, dari alia principia, quæ non ſunt primum in ordine ad motus applicantes. Similiter ex eo, quod Deus eſt principium alicuius motus, inquantùm eſt primum mouens omninò immobile, nullo modo poteſt inferri, quòd motus, cuius eſt principium, eſt ab ipſo ſolo: ſic enim ſequeretur, quod omnes motus corporales, quorum Deus eſt primum principium, vt mouens omninò immobile, eſſent à ſolo Deo.

732 *Oſtēditur ex verbis ipſis S. D. quod motus, quo applicantur agētia corporalia ad agendum eſt alteratio*

37 Amplius, quòd motus, quibus applicantur virtutes agentium corporalium, ſint motus corporales, puta locales, alterationis, &c. patet euidentiùs ex ipſo eodem loco S. Doctoris, quem contra nos obijciunt, cuius verba retulimus num. 18. Et hoc ſic oſtendo. Nam volens S. Doctor probare, quod virtutes omnium agentiū creatorum applicantur ad agendum per motum, aſsumpſit illam propoſitionem. *Natura inferior agens nō agit, niſi mota*: & eam probauit dicens: *Eo quod huiuſmodi corpora inferiora ſunt alterantia alterata: Cœlum autem eſt alterans non alteratum; & tamen non eſt mouens, niſi motum, & hoc non ceſſat quouſque per-*

ue-

Digitized by Google

ueniatur ad Deum, &c. Motus ergò, quo hæc inferiora corpora applicantur ad alterandum, est, inter alios, alteratio secũdum D. Thomam, sicut motus, quo applicatur Cœlum ad alterandum, non potest esse alteratio, sed motus, quo mouetur Cœlum, puta motus localis. Recole verba S. D. relata §. præcedenti num. 10. *Cœlum est alterans non alteratum, sed localiter motum.*

733 *Nomine alterationis non potest venire prædeterminatio Recentiũ.*

38 Nec suspiceris, nomine alterationis posse venire illam qualitatem à Recẽtibus excogitatam. Nã illa alteratione sunt hæc inferiora alterantia alterata, qua Cœlum est alterans non alteratum. Hoc autem nõ est alteratum, sed alterãs, alteratione corruptiua, quæ est motus physicus ad sensum manifestus, quæ secundùm D. Thomã in his inferioribus est principium omnium motuum, & mutationum corporaliũ, vt patet ex verbis relatis §. præcedenti nu. 26. Amplius si nomine alterationis, qua virtutes inferiorum corporum applicãtur ad agendum, seu alterandum, velles intelligere illam qualitatem, tunc oporteret, quòd Cœlum, quod est alterans non alteratum, applicaretur ad agendum, seu alterandum hæc inferiora, non per illam qualitatem: & sic falsum, esset omnia agẽtia applicari ad agendum per qualitatem. Patet ergò ex collatione prædictorum locorum S. D. quòd motus, quibus applicantur virtutes agentium ad agendum, important, non illam qualitatem excogitatam à Recentibus; sed vel motus corporales, qualis est motus localis, alterationis, &c. vel motus animæ, qui sunt actus perfecti, quales sunt operationes virtutis apprehensiuæ, siue sensitiuæ, siue intellectiuæ; & virtutis appetitiuæ, siue sensualitatis, siue voluntatis, quorum motuum Deus est principium primum, tãquam primũ mouens immobile.

Probatur secũdum dictum, puta, D. Thomam sibi ipsi, & nostræ sententiæ non repugnare.

734 39 HOc dictum (quo obiectionẽ positam num. 28. intendimus soluere) sine contentione quilibet approbabit, si verba S. Doctoris intelliget. Dixit enim S. Doctor *Tertio modo dicitur una res causa actionis alterius, inquantùm mouet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio, aut conseruatio virtutis, sed applicatio virtutis ad actionem.* Nota ly, *intelligitur*, Non enim dixit per talem motum non confertur aliqua virtus contenta in motu per modum motus, sed non intelligitur conferri, aut conseruari, vt designaret, quòd hoc, quod est applicare, non est formaliter loquendo conferre virtutem, immò supponit virtutem, quæ intelligitur applicari. Non negat tamen S. Doctor, quod motus ille, quo agens inferius mouetur à superiori mouente, habeat duo munera, nempè applicare virtutem inferioris mouentis ad attingendum effectum secũdùm illam rationem, quam respicit vt obiectum proprium virtus actiua ipsius inferioris agẽtis: & eam eleuare addendo intentionaliter virtutem ad attingendum effectum secundùm illam rationem, qua est proprius effectus superioris agentis. Sicut ille motus, quo mouetur serra ab artifice habet duo munera, nempè, applicare acumen serræ ad scindendum, vt ad proprium effectum serræ: & eam eleuare suprà propriam virtutem ad agendum opus artificiosum, quod est proprius effectus artis. Et tamen etiam verum est, quod hoc, quod est applicare acumen ad scindendum, non est formaliter conferre virtutem, immo supponit virtutem serræ ad scindendum, additur enim virtus serræ, inquantùm mouetur ab arte: nam si casu cadens scinderet, applicaretur vtique per motum, quo, vt graue naturaliter mouetur à generante, per talem tamen motum non reciperet virtutem, quam recipit, dum mouetur ab arte. Recole hìc doctrinam illam S. D. relatam num. 4. huius §. *In motu continetur virtus motoris, & mobilis*: & indè cognosce, quod motus, quo inferiora mouentia mouentur à superioribus, est applicatio virtutis inferioris, inquantùm cõtinet virtutem mobilis, & est collatio virtutis, inquantùm continet virtutem, motoris. Atque ex his patet nullam esse repugnantiam in dictis S. D. & in nostra sententia.

Manifesto exemplo probatur propositũ.

Alia doctrina S. Th. explicatur intentum.

735 40 Ad formam verò argumenti positi num. 28. concessa doctrina D. Thomæ debet aduerti circà illud consequens, nempè, ergò datur aliquis diuinus motus, qui sit simplex applicatio virtutis ad actionẽ. Nam si intelligitur (vt intelligitur ab arguente) de motu, quo Deus, vt primum mouens immobile in ordine per se ordinatorum mouentium mouet directè, ordine seruato, inferiora sibi subordinata; falsa, & omninò impertinens est consequentia. Motus enim omnium superiorũ mouentium, (quodcumque sit illud) eleuat agens subordinatum supra propriam virtutem ad attingendum effectum propriũ superioris agentis. Consequentia, quæ sequitur ex doctrina S. Thomæ, est. Ergò applicare per motum virtutem ad agendũ non est conferre, & conseruare virtutem, quam

Respondetur in forma ad argumentũ.

Ex verbis ipsius S. D. demõstratur consonantia doctrinæ.

Consequãtia sequẽs doctrinam S. Thomæ quæ sit.

Digitized by Google

quam applicat; & formaliter loquendo, non est conferre virtutem, quod verissimum est. Non autem sequitur, quòd motus ille, quo applicantur agentia, non habeat ex aliquo alio capite, puta, inquantũ procedit ab agente superiori, quòd conferat aliquam virtutem, non illam, quam supponit, sed aliam alterius rationis. Idque in exemplo motus, quo applicantur instrumenta patet. Nam licèt verum sit, quòd in hoc, quod est, applicare serram ad scindendum, non intelligatur collatio, aut conseruatio virtutis serræ; non tamen licet indè inferre, ergò motus, quo serra applicatur, & mouetur ab arte ad conficiendũ opus artis, non confert illi virtutẽ, vel quòd datur aliquis motus, quo ars monet serram, & eo non confert virtutẽ. Ita in proposito verissimum est, quòd in hoc, quod est applicare virtutem ignis ad alterandas carnes, non intelligitur collatio, aut conseruatio virtutis ignis: inde tamen nõ sequitur, quòd motus ille, quo ignis mouetur, & applicatur à corporibus cœlestibus ad alterandum, & etiam ab alijs superioribus agentibus, & à Deo, non conferat aliquam aliã virtutem superadditam virtuti ignis.

736 *In sensu, quo potest admitti, consequẽs non est ad propositũ.*

41 Si verò illud consequens intelligeretur de motu, quo vnum agens merè approximatur ad passum ab aliquo mouente, vt cum applicatur ignis à mea manu ad comburendum lignum, consequens potest esse materialiter loquendo verum. Nam motus meæ manus, quo mouetur ignis, est à Deo, atquè adeo suo modo est motus Dei, & eo applicatur virtus ignis ad lignum, & eo non confertur virtus igni; ac per hoc Deus inquantum per motum meæ manus applicat ignem ligno non confert illi virtutem, sicut eam non confert mea manus. Sed hoc non est ad propositum arguentis, nec nos de hoc motu applicante loquimur; sed de motu, quo aliquod agens mouetur, & applicatur ad agendum directè à sua superiori causa.

Motum, quo inferiora agentia mouentur à superioribus, conferre actiuam virtutem, probatur à priori ex illo S. Doctoris principio: secundùm ordinem causarum est ordo effectuum.

737 42 Conclusionem nostram esse expresè assertam à S. Doctore verbis relatis num. 10. probauimus; debemus nunc (vt promisimus num. 21.) rationem proponere, qua ex principio à S. D. ibidem supposito, eadem conclusio deducitur. Et licèt hæc ratio sæpiùs à nobis tacta sit in explicatione sententiæ S. D. non erit tamen inutile ad maiorem veritatis manifestationem, eam sub sequẽti forma considerare.

Ratio S.D à priori pro nostra sententia.

Secundùm ordinem causarum est ordo effectuum: ergò ratio, quæ est vniuersalior in effectu, in quem confluunt causæ per se ordinatæ, correspondet virtuti superioris causæ, vt proprius, & proportionatus effectus, & superat virtutem inferioris causæ: ergò causa inferior non potest in suo effectu attingere illam rationẽ, quæ est proportionatus effectus superioris causæ; nisi vt instrumentum assumptum ab eadem superiori causa ad proprium effectum. ergò vt recipiens motum, & inmotu virtutem actiuam superioris causæ. Motus ergò, quo inferiora agentia mouẽtur à superioribus, confert inferioribus virtutem actiuam.

738 *prima cõsequentia prædictæ rationis probatur.*

43 Prima consequentia patet ex his, quæ diximus à num. 12. & deinceps probantes principium assumptum. Nam quò causa est superior, eò est actualior; & quò actualior, eò efficacior, ac per hoc altior, vniuersalior, & communiùs extendens suã efficaciam virtutis, quò autem ita est altior, eò habet effectum communiorẽ, & in pluribus inuentum, vt ex verbis S. Doctoris loc. cit. patet. Illa ergò ratio, quæ pluribus effectibus est communior correspõdet virtuti superioris causæ vt proportionatus effectus, & superat virtutem inferioris, virtuti cuius correspondet aliquod minus commune, erit ordo effectuum est secundùm ordinem causarum.

739 *Probatur secũda cõsequentia eiusdẽ rationis.*

44 Secunda consequentia supponit, quòd causa proxima, & inferior attingat sua causalitate totam entitatem effectus, ac per hoc, quòd leo, qui producit hunc leonem, faciat hunc leonẽ esse, & hoc animal, & hoc viuẽs, & hanc substantiam esse, vt habes ex S. D. verbis relatis num. 10. & 25. Asserit autem, quòd non potest in suo effectu attingere illam rationem, quæ est proportionatus effectus superioris causæ, nisi vt instrumentum assumptum, Et hæc consequentia sic patet. Nam quod non est causa principalis, seu habens virtutem actiuam proportionatam effectui, non potest effectum superãtem propriam virtutem attingere, nisi vt instrumentum causæ principalis habentis proportionatã virtutem in effectum. Causa enim actiua est, vel principalis, vel instrumentalis. Causa principalis est (vt modo infrà ex Diuo Thoma manifestabimus) quod agit ex vi proprię virtutis consequentis formam permanentem, quod ergò debet agere non ex vi proprię virtutis, aget vt instrumentum assumptum ab habente talẽ virtutẽ.

45 Tertia consequentia patet ex ipsa 740

Probatur tertia cõsequentia.

ratione causæ agentis, vt instrumentum. Nam causam aliquam agere, vt instrumẽtum alterius, hoc importat in sententia S. Thomæ, nempè, agere per motum, vt per principium, quo constituitur causa actiua effectus principalis agentis, ac per hoc instrumentum per hoc differt à causa principali, quod principium, seu virtus actiua causæ principalis habetur per formã permanentem; at verò principium, seu virtus actiua, qua agit instrumentum, habetur per motum, quo mouetur à principali.

711 *Instrumẽtum agere per motũ tanquãper virtutẽ, actiuam probatur ex D. Thoma*

46 Pro hac re debent notari primò verba S. Doctoris 3. p. quæst. 62. art. 1. in corpore, vbi habet, *Duplex est causa agens, Principalis, & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutẽ suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicut ignis calore calefacit. Causa verò instrumentalis nõ agit per virtutem suæ formæ; sed solùm per motũ, quo mouetur à principali agente.* intelige tanquam per principium, & virtutem, qua agit. Et ad hoc nota verba eiusdem S. D. quibus hanc ipsam rem explicat quæst. 27. de veritate, art. 4. in corp. dicens.

742 *Alius locus S. Th. euidẽs ad propositũ.*

47 *Effectum operatur aliquid dupliciter. Vno modo sicut per se agẽs: & dicitur per se agere, quod agit per aliquam formã sibi inhærentem per modum naturæ completæ, siue habeat illam formam à se, siue ab alio, aut naturaliter, aut violenter, per quem modum dicuntur illuminare sol, & luna; calefacere ignis, & ferrum ignitum, & aqua calefacta. Alio modo aliquid operatur ad effectum aliquem instrumentaliter, quod quidem non operatur ad effectum per formam sibi inhærentem* (Intellige per modum naturæ, cõpletæ, vt proximè dixit) *sed solùm inquãtùm est motum à per se agente. Hæc enim est ratio instrumenti, inquantùm est instrumentum, vt moueat motum: vndè sicut se habet forma completa ad per se agẽtem: ita se habet motus, quo mouetur à principali agente, ad instrumentum, sicut serra operatur ad scamnum. Quamuis enim serra habeat aliquam actionem, quæ sibi competit secundum propriam formam, vt diuidere; tamen aliquem effectum habet, qui sibi non competit, nisi inquantùm est mota ab artifice, scilicet facere rectã incisionem, & conuenientem formæ artis: & sic instrumentum habet duas operationes, vnam, qua competit ei secundùm formam propriam; aliam, qua competit ei secundum quod est motum à per se agẽte, quæ trascendit virtutem propriæ formæ.*

743 *Sicut se habet forma cõpleta ad per se agentem. ita se habet motus, quo mouetur à principali, ad instrumentum.*

48 In quibus nota ly. *sicut se habet forma cõpleta ad per se agentem. ita se habet motus, quo mouetur à principali, ad instrumentum.* Indè enim habebis, quòd sicut forma completa se habet ad principale agens, vt principium, & virtus actiua, per quam agit; ita motus in ordine ad instrumentum se habet, vt principium, & virtus actiua, quo instrumentũ agit. Et indè est, quòd hæc virtus actiua, qua cõstituitur actiuum instrumentum, inquantùm est instrumentum, per hoc acquiritur instrumento, quod mouetur à principali. *Virtus instrumentalis* (inquit S. Doctor 3. p. qu. 62. ar. 4. ad 3. *acquiritur instrumento ex hoc ipso, quod mouetur ab agente principali.* Et hoc dixit S. Doctor in hoc ipso loco, cuius rationẽ examinamus, illis verbis: *Instrumentum est causa quodammodo effectus principalis agentis, inquantùm participat aliquid de virtute principalis agentis per motum eius.* Virtus ergò principalis agẽtis per ipsum motum habetur, quo instrumentum mouetur.

hæc forma completa ad per se agentẽ ita motus ad instrumentum.

al. 4 duo loca S. D. ad idem.

49 Recole hîc verba §. Doctoris relata num. 4. huius §. *Cum motus sit actus motoris, & moti, oportet, quòd in motu relinquatur virtus motoris, & mobilis: vndè ex ipso mobili, quod corpus est, habet virtutem mouendi inferiora corpora ad dispositiones corporales: ex parte autẽ motoris habet virtutem mouendi ad formas substantiales, &c.* In quibus, vt vides, in motu, quo Intelligentia mouet cœlũ, vt suum instrumentum (vt ipse S. Doctor dicit verbis relatis num. 5. huius §.) duplicẽ virtutem actiuam cognoscit S. Doctor: alteram conuenientem propriæ formæ corporali; alteram, quam habet ab ipso motore, per quam fertur in effectum ipsius motoris; habet ergò instrumentum per illum motum, quo mouetur à principali motore, virtutem actiuam, ità vt instrumentum agat per motum, tanquam per id, quo constituitur actiuum.

744 *ex eo, quòd in motu reliquitur virtus motoris, & mobilis, probatur virtus actiua in instrumento*

50 Quòd si de hac virtute actiua, quã habet instrumentum per motum, cupis scire in speciali naturam, & conditionẽ, lege S. D. in 4. dist. 1. quæst. 1. ar. 4. quæstiuncula 2. in corp. vbi sic habet. *Virtus agendi proportionatur agenti. vndè alio modo oportet ponere virtutem agendi in agente principali: alio modo in agente instrumentali. Agens enim principale agit secundùm exigentiam suæ formæ: & ideò virtus actiua in ipso est aliqua forma, vel qualitas habens completum esse in natura. Instrumentum autem agit, vt motum ab alio; & ideò competit ei virtus proportionata motui. Motus autem non est ens completum: sed est via in ens, quasi medium quid inter potentiam puram, & actum*

745 *Locus valdè euidẽs, in quo S. D. declarat virtutẽ actiuã instrumẽti.*

Digitized by Google

actum parum, vt dicitur in 3. Physico. Et ideò virtus instrumenti, inquantùm huiusmodi, secundùm quod agit ad effectum vltra id, quod competit sibi secundùm suam naturam, non est ens completum habens esse fixum in natura; sed quoddam ens incompletum, sicut est virtus immutandi visum in aere inquātùm est instrumentum motum ab exteriori visibili, & huiusmodi entia consueuerunt intentiones nominari.

746 *Virtus actiua in instrumento est per modum entis incōpleti.*

51 Et quæst. 27. de Veritate ar. 4. ad 4. sic habet. *Quæ quidem virtus non habet esse completum in natura, sed est quid incompletum in genere entis; quod patet ex hoc, quòd instrumentum mouet inquātùm mouetur: Motus autem est actus imperfectus secundùm Philosophum: Vndè sicut illa, quæ mouent inquantùm sunt iā quasi in termino motus assimilata agenti, mouent per formam perfectam; ita illa, quæ mouent, prout sunt in ipso moueri, mouent per virtutem incompletam, & huiusmodi virtus est in aere ad mouendum visum secundùm quod immutatur à colore parietis, vt in fieri, non vt in facto esse: vndè species coloris est in aere per modum intentionis, & non per modum entis completi, sicut est in pariete.*

Probatur à simili.

747 *Cur virtus actiua in instrumēto dicatur esse per modum intentionis, resoluitur ex doctrina S. Thomæ.*

52 Quòd si inquiras, cur hæc virtus dicitur esse per modum intentionis? Respondeo, quia semper est, vt in fieri, (vt in modo relatis verbis dicitur) & vt in trānsitu existens, nunquàm vt in facto esse, & vt permanens. Hinc S. Doctor quæst. 6. de potentia art. 4. in corpore sic habet. *Virtus, &c. potest intelligi ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur, quæ non permanent, nisi per præsentiam agentis principalis; sicut lumen in aere, & motus in instrumento.* In quibus, vt vides, vult, quòd istæ formæ imperfectæ appellantur intentiones, inquantùm non aliter sunt, quàm ad præsentiam agētis, de quibus sic loquitur quæst. 5. de Potentia ar. 1. ad 4. *Quædam verò producuntur in materia secūdùm imperfectam speciem, & secundùm imperfectum esse, sicut lumen in aere à corpore lucido. Non enim lumen est in aere sicut quædam forma naturalis perfecta, prout est in corpore lucido; sed magis per modum intentionis. Vnde sicut similitudo hominis non manet in speculo, nisi quandiù est oppositum homini: ita nec lumen in aere, nisi ad præsentiam corporis lucidi. Huiusmodi autē intentiones dependent à formis naturalibus corporum per se, & non solùm per accidens, & ideò esse earum non manet cessante actione agentium. Huiusmodi ergò propter imperfectionem sui esse dicuntur esse in fieri.*

53 Quòd autem virtus instrumēti sic vt in transitu existens docuit S. Doctor sæpissimè, sed valdè profundè 3. p. quæst. 62. art. 4. in fine corporis his verbis. *Virtus instrumentalis proportionatur instrumento, vndè comparatur ad virtutem absolutam, & perfectam alicuius rei, sicut comparatur instrumētum ad agens principale. Instrumentum enim non operatur nisi inquantùm est motum à principali agente, quod per se operatur: & ideò virtus principalis agentis habet permanens, & perfectum esse in natura; virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex vno in aliud, & incompletum; sicut & motus est actus imperfectus ab agente in patiens.*

748 *Virtus instrumentalis proportionatur instrumēto & ideo sēper est in transitu.*

54 Quòd si cupis scire, qualiter transeat, seu fluat ista virtus lege S. D. in 4. dist. 1. qu. 1. art. 4. ad 4. vbi inuenies, quòd in virtute instrumentali continetur effectus. *Non per modum intentionis quiescentis, sicut sunt intentiones rerum in anima, sed per modum intentionis fluentis duplici fluxu, quorum vnus est de potentia in actum, sicut etiam in mobili est forma, quæ est terminus motus, dum mouetur, vt fluens de potentia in actum; & inter hæc cadit medium motus, cuius virtute instrumentum agit, Alius de agente in patiens, inter quæ cadit medium instrumentum, prout vnum est mouens, & alterum motum.*

749 *Qualiter fluat virtus instrumentalis declaratur à S. Thoma*

750 *Ex dictis probatur tertia. & quarta cōsequentia principalis rationis.*

55 Atque ex omnibus his tandem patet tertia consequentia rationis S. Doctoris, quam incepimus probare num. 45. Si enim, ex vna parte, causa inferior non potest attingere in effectu vniuersaliores rationes, quę sunt proprius effectus superioris causæ, nisi vt instrumentum assumptum à superiori causa ad proprium effectum: & ex alia parte, instrumentū per hoc est instrumentum, quod virtutem actiuā, per quam attingit effectum eius, cuius est instrumentum, habet per motum, quo ab eo mouetur, indè clarè sequitur, quòd causa inferior, non attingit in suo effectu illas rationes vniuersaliores, nisi inquantùm à superiori recipit motum, per quem habet actiuam virtutem in effectum superioris. Et indè etiam est clara vltima consequentia, nempè, quod motus, quo inferiora mouentia, seu agentia, mouentur à superioribus, conferat inferioribus virtutem actiuam.

Vide quā, & qualem virtutē actiuam cōfert motus superioris agentis.

Virtutem (inquam) actiuam, non quā habet causa principalis per formam permanentem habentem completum esse in natura; sed quam exigit instrumentum, estque conformis motui, per quē agit, nempè per modum entis incompleti exi-

Digitized by Google

stentis semper vt infieri, & continua emanatione à suo principio, quæq; est in ipso instrumento, tanquàm in eo, per quod trãsit in effectum, estque in actu imperfecto, sicut & ipse motus.

Ex dictis concluditur, verus sensus responsionis S. D. ad septimum, & euidens impugnatio opinantium motum superiorum agentium non conferre virtutem.

751 56 DEnique ex dictis percipies, S. Doctorem expressisse nostram sententiam ita clarè in responsione ad septimum huius articuli, cuius rationem inculcauimus, vt mirum sit, potuisse Recentes aliter de doctrina S. Thomæ sentire.

Tenor septimi argumẽti in cõtrarium, quod affert S. D. art. 7. qu. 3. de potentia.

Porrò S. D. in hoc art. 7. quæst. 3. de potentia sic septimo loco obijcit. *Si Deus in natura operãte operatur, oportet quòd operando aliquid rei naturali tribuat: nam agens agendo aliquid actu facit. Aut ergò illud sufficit ad hoc, quod natura possit per se operari, aut non. Si sufficit: cum etiam virtutem naturalem Deus naturæ tribuerit, eadem ratione potest dici, quòd & virtus naturalis sufficiebat ad agendum: nec oportebit, quòd Deus, postquàm virtutẽ naturæ contulit, vlterius ad eius operationem aliquid operetur. Si autem non sufficit, oportet quòd ibi aliquid aliud iterum faciat: & si illud non sufficit, iterum aliud, & sic in infinitum, quod est impossibile. Nam vnus effectus non potest dependere ab actionibus infinitis; quia cum infinita non sit pertransire, nunquã compleretur. Ergò standum est in primo, dicendo, quòd virtus naturalis sufficit ad actionem naturalem: sine hoc, quòd Deus in ea vlterius operetur.*

752 *Forma responsionis, qua S. D. soluit dictum argumentum.*

57 Respondet autem vt infrà. *Ad septimum dicendum, quòd virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata inest eis, vt quædam forma habens esse ratum, & firmum in natura. Sed id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est vt intentio sola, habẽs esse quoddam incompletum, per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis. Sicut ergò securi per artẽ dari potuit aeumẽ, vt esset forma in ea permanens, nõ autem dari ei potuit, quòd vis artis esset in ea, quasi quædam forma permanens; nisi haberet intellectã: ità rei naturali potuit cõferri virtus propria, vt forma in ipsa permanens: non autem vis qua agit ad esse, vt instrumentum primæ causæ, nisi daretur ei, quod esset vniuersale essendi principium. Nec iterùm virtuti naturali conferri potuit vt moueret seipsam: nec vt conseruaret se in esse. Vndè sicut patet, quòd instrumento artificis conferri non potuit, quòd operaretur absque motu artis: ita rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur absque operatione diuina.*

753 *Concluditur, docuisse S. Tho. nostrã sententiam.*

58 Apparet, inquàm, ex dictis, docuisse S. Doctorẽ nostram sententiam. Expende vim rationis allatę nu. 42. expende verba S. Doctoris relata nu. 50. & 51. & clarè percipies, causas naturales per motũ, quo mouentur à prima, recipere vim actiuam, qua agunt ad esse, vt instrumentum primæ causæ; & de hac loqui S. Thomam in dicta responsione, dum dicit: *Id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est, vt intentio sola*, &c. ac etiam dũ dicit: *Rei naturali potuit conferri virtus propria, vt forma in ipsa permanens: nõ autem vis, qua agit ad esse, vt instrumentum primæ causæ.*

754 *Recentes contradicunt eidẽ loco S. Th. quẽ pro se afferunt.*

59 Nunc peto à Ioanne à S. Thoma: docuit ne S. Doctor in dicta responsione: causam secundam recipere à Deo motionem, qua virtus creata applicatur ad suã operationem? Respondet ipse affirmatiuè tom. 2. Naturalis Philosophiæ quæst. 25. art. 2. periodo, *Quare relinquitur tertia sententia*; siquidem tertiam sententiã proposuit periodo, *Dico tertiò*. in fine his verbis. *Tertij dicunt, istam motionem absolutè in omnibus causis esse aliquam motionem à Deo deriuatam, qua virtus creata applicatur ad suam operationem*, & deindè periodo citata sic prædictam sententiam confirmat. *Quarè relinquitur tertia sententia, quæ sine dubio est Diui Thomæ quæst. 3. de Potentia art 7 ad 7.* vbi inquit, *Quòd virtus naturalis, quæ est rebus in sua institutione collata*, & prosequitur verba S. Doctoris à nobis relata in responsione. Si ergò ità est; iterum peto, vt concordet cum illa doctrina S. Doctoris in responsione suam sententiam, qua dicto periodo, *Dico tertiò* dicit, quod hęc *motio Dei non dat actiuitatem, sed actiuitatis applicationem ad effectum*. S. Doctor docet, *quòd hoc, quod à Deo fit in re naturali, vt intentio sola, habens esse quoddam incompletum*, &c. non potuit naturæ communicari, vt esset in ea forma permanens, quia sicut non potuit communicari securi, vt vis artis esset in ea, vt forma permanens; ità nec rei naturali *vis, qua agit ad esse, vt instrumentum primæ causæ*. Si ergo est vis, qua res naturalis agit ad esse, vt instrumentum primæ causæ, ac per hoc res naturalis per eam agit vltrà propriam actiuitatem, qua ratione ve-

Digitized by Google

rè, & sine contradictione dicetur absolutè, motio Dei non dat actiuitatem?

757 *Expeditur argumẽtũ septimum art. 7. q. 3. de Poten.*

60 Denique vt verum sensum dictæ responsionis accipias (& ita reijcias glossas Suarij), & simul conuincas hos, cum quibus disputamus,) compone responsionem argumento. Et primò attende, argumentum assumere, vt fundamentum, vndè difficultatem ingerit, propositionem illam conditionalem: *Si Deus in natura operante operatur, oportet, quòd operando aliquid rei naturali tribuat*, & probat dicens: *Nam agens agendo aliquid actu facit.* Postea considera, quid in responsione huic propositioni correspondeat: ac inspice, si aliquid in ea est, quod indicet fuisse negatam, quod cum non inueneris, conclude fuisse concessam. Deindè attende qualiter, suppositò consequenti prædictæ propositionis conditionalis, difficultatem inculcat; nam prosequitur. *Aut ergo illud sufficit ad hoc quod possit per se operari, aut non. Si sufficit: cum etiam virtutem naturalem Deus naturæ tribuerit, eadem ratione potest dici, quòd virtus naturalis sufficiebat ad agẽdum, nec oportebit, quòd Deus, postquàm virtutem naturæ contulit, vlterius ad eius operationem aliquid operetur.* Et circà hoc primò inuestiga, quid intelligatur per ly, *illud*, dũ dicitur. *Aut ergò illud sufficit*, &c, & inuenies, quòd cum sit relatiuum, ad aliud referri non potest, quàm ad ly, *aliquid*, positum in consequenti conditionalis assumptæ, puta. *Oportet, quòd operando aliquid rei naturali tribuat.* De hoc enim *aliquid* dicitur, vel sufficit, vel non sufficit. Postea considera vim argumenti, & quid intendit probare. Intendit sanè probare, quod si hoc sufficit, potest dici, quòd virtus naturalis etiam sufficiebat, ex quo deducitur, non oportere, quòd Deus ad eius operationem aliquid amplius operetur. Vis verò rationis consistit in identitate rationis, quia sicut hoc est à Deo, ità virtus naturalis. Denique si diceretur, quòd non sufficit, infert processum in infinitũ, quod est impossibile.

Propositio conditionalis supposita cõceditur.

756 *Neutram partẽ dilẽmatis accepit S. Doctor.*

61 His consideratis circà argumentũ considera responsionem, ac inspice, si per eam acceptat aliquam partem illius dilẽmatis, videlicet. *Illud, quod Deus operando in natura rei naturali tribuit, vel sufficit ad hoc, quod res naturalis per se operetur, vel non*, Et inuenies, quod neutram acceptat. Nam si acceptaret secundam, puta, *non sufficit*. deberet soluere instantiam de processu in infinitum; de quo tamen nec verbum inuenitur in responsione. Si verò acceptaret primam, puta, *sufficit*, deberet assignare rationem discriminis, quarè virtus collata naturæ non sufficit ad hoc, vt per se operetur, & hoc aliud deindè sufficit, cum tamen vtrũque fit à Deo. Et tamen etiam S. Doctor huius discriminis rationẽ non affert. Ex eo verò, quod neutram dilemmatis partẽ acceptat, deduces, responsionem S. Doctoris aliquid continere, ex quo petitio illa sub disiunctione facta locum non habeat, & ita non oporteat aliquam disiunctiuè partem acceptare.

62 Et tandem inuenies, quòd S. Doctor in dicta responsione, primò declarat consequens conditionalis assumptæ, qua dicebatur; Si Deus in natura operante operatur, oportet, quòd operando aliquid rei naturali tribuat: atque dicit, concedo, sed hoc non est forma habens esse ratum, & firmum in natura, sicut est virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata; sed est vt intentio sola, habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis. Hoc autem posito, euanescit illud dilemma. Nam hoc intentionale, quod est sicut vis artis in instrumento, non ad hoc deseruit, vt per ipsum fiat aliquod per se agens: cum sit quo aliquid agit, vt instrumentum alterius, sicut virtus artis in instrumento non valet ad hoc, vt instrumentum fiat per se agens. Et sic illa propositio: Illud quod Deus tribuit naturæ operando in natura, *vel sufficit ad hoc, quod res naturalis per se operetur, vel non*, non habet locum; quia per ipsum fit formaliter: vt per se non operetur. Et ideò non oportuit, S. Doctorem acceptare aliquam partem disiunctiuæ. Quia verò argumentum prætendebat, dici posse, datum fuisse in institutione naturæ hoc, quod nos dicimus tribui à Deo operante in natura, ex quo inferebatur, quòd postquam Deus hoc naturæ tribuit, non oportebit vlterius aliquid ad operationem naturæ operari: ideò S. Doctor secundò probat, esse impossibile, quòd vis, qua aliquod agens creatum agit ad esse, fit in eo forma permanens, vt patet in textu: sed de hac re latiùs in alio Tractatu. Accedamus ad quartum punctum.

757

Adaptatur responsio argumẽto, & declaratur, non oportere, D. Tho. alterã partem dilemmatis acceptare.

(*†*)

PVN-

Digitized by Google

PVNCTVM QVARTVM;

in quo probatur.

Quòd secundùm mentem S. Doctoris motus primi, & omnium superiorum mouentium determinatur ad effectus secundum modum mobilium, in quibus recipitur.

758 PVncto præcedẽti redarguimus aduersarios, conuicimusque (vt existimo) deduxisse eos conclusiones repugnantes eisdem principijs, ex quibus procedebant. Ex quo euidenter habetur, quòd per illa principia, quæ hi, cum quibus disputamus, desumpserunt à S. Doctore, ad attribuendum munus determinandi motui primi mouẽtis, non infirmetur, sed potiùs confirmetur istud S. Thomæ principium: *Motus primi mouentis recipitur in vnoquoque secundùm proprium modum*: quod in hac disputatione defendere intendimus. Debemus in hoc puncto ostendere positiuè, sententiam S. D. circà motum primi mouentis esse conformem, & consonam eidem principio, opponique è diametro cogitationi Recentium. Simul etiam explicare debemus (vt sic integram proponamus sentẽtiam S. Thomæ) qualiter, & per quæ principia determinantur agentia ad agendum determinatam actionem, siuè in specie, siue in indiuiduo, in sententia S. Doctoris, & ex vi illius principij, quod inculcauimus in hac disputatione §. 4. à num. 2. & deinceps, nempè, *Determinatio agentis ad aliquam actionem oportet, quòd sit ab aliqua cognitione præstituente finem illi actioni*. Procedemus autem hoc ordine. Primò proponemus sententiam S. Doctoris, quam in hoc puncto principaliter probare intendimus, & simul insinuabimus loca præcipua, vbi eam docet, idque præstabimus §. 9. sequenti. Secundò afferemus rationes, quibus eam S. Doctor probat, idque à §. 10. ad 18. perficiemus: Tertiò ex principio S. Doctoris proximè relato eliciemus sententiam eiusdem S. Doctoris circà modum, & principia, quibus determinantur agentia (quæcũque sint illa) ad suas actiones, tàm in specie, quàm in indiuiduo. Et hoc à §. 19. ad 24.

Sententia S. Doctoris, qua explicat naturam, proprietates, & munera motus primi mouentis, proponitur duobus dictis: explicantur, & afferuntur testimonia S. Doctoris §. 9.

759 *Quædam considerãda circa motũ primi mouentis proponuntur.*

1 ADuerto, quòd motus est actus mobilis à motore, ac per hoc ille motus, quo superiora mouentia, seu agentia, mouent sibi subordinata agentia, procedit à virtute superioris, applicat virtutem inferioris ad effectum ipsius inferioris, & procedit ad producendum rationem effectus superioris agentis, quam attingit per exercitium virtutis ipsiusmet inferioris. Et ideo est id, quo, seu per quod, virtus seu influentia superioris agẽtis transit, & transmittitur in vltimum effectum. Sicut motus, quo artifex mouet serram, procedit ab arte, applicat serram, in qua recipitur, ad scissionem, quæ est proprius effectus serræ, & transmittit virtutem artis in effectum proprium ipsius artis, scilicet, in artificiosam scissionẽ, in quam peruenit applicando virtutẽ serræ ad scissionẽ. Iste igitur motus, quatenus est influentia ad producendum effectum, habet duplicem habitudinem; alteram ad virtutem superioris, à qua procedit; alteram ad virtutem inferioris, quam applicat ad effectum eiusdem inferioris, & per cuius actionis exercitium attingit effectũ, in quem tendit virtus superioris agentis. Hac posita aduertentia.

Declarantur exẽplo artificis.

PRIMA CONCLVSIO

760 *Influẽtia, actio, & virtus primi agentis determinatur ad effectũ causæ inferioris per virtutem ipsius inferioris.*

2 DIco primo: quòd in agentibus per se ordinatis, in quibus primum, mouendo sibi proximum, quod inter inferiora est vniuersalius, eo mediante mouet aliud minus vniuersale, & sic per diuersa media sibi subordinata transmittit in motu, & per motum influentiam, seu efficaciam suæ virtutis in effectum infimæ causæ, res ita se habet, quòd influentia, seu virtus, & actio superioris agentis determinatur ad effectum per virtutem, & secundum modum virtutis inferioris agẽtis, per quod transit influentia superioris agentis. Secundum modum, inquam, inferioris: vndè si virtus inferioris esset de se determinata, & respiceret, vt propriũ effectum, aliquod totum genus; determinaret ex consequenti virtutem, & influentiam superioris agentis ad totum illud genus. Si verò esset determinata ad aliquam totam speciem, determinaret virtutem, & influentiam superioris ad illam totam speciem. Si tandem esset determinata ad ali-

Digitized by Google

aliquod dumtaxat individuum (quod qualiter accidat, infrà dicemus) determinaret influentiam, & virtutem omnium superiorum agentium ad effectum in individuo. Motus itaque iste (vnus secundum ordinem, sed multiplex, saltem numero, secundùm quod sunt multa intermedia mouentia, in quibus recipitur,) per quem influentia primi mouentis immobilis trãsit per omnia intermedia agentia in vltimum effectum, talis est naturæ, vt in vnoquoque mobili, seu agente inferiori, in quo recipitur, adiungat sibi virtutem inferioris, per quam determinatur virtus, seu influentia superioris agentis ad effectus inferioris.

761 *Manifestatur conclusio in causis per se ordinatis circà effectus horũ corruptibilium.*

3. Itaque si causæ per se ordinatæ, à quibus pendent hi effectus sublunares generabiles, & corruptibiles, ponantur esse sequentes, puta, Deus motor immobilis, Intelligentiæ mouentes corpora cœlestia, ipsamet cœlestia corpora per ordinem dispositæ, & hæ causæ inferiores, vt hic leo, hic equus, &c. ex vna parte: & ex alia ponamus secundùm verba S. Doctoris relata nu. 10. præcedentis §. quòd inter istas causas inferiores Deo, aliqua est ita vniuersalis, vt eius virtutis obiectum propriũ sit totum genus generabiliũ, & corruptibilium; & aliqua est, cuius virtutis obiectum proprium est aliquod totum genus minus vniuersale, vt totum genus mineralium, totum genus animalium, &c. & aliqua est, cuius virtutis obiectum est aliqua tota species: & aliqua est, quæ respicit hoc individuum, vt hic ignis, hìc, & nunc, ad hanc determinatam materiam applicatus: tunc influentia, seu virtus supremæ causæ per hoc, quod per motum receptum in inferiori sibi proxima, & vniuersaliori adiungitur sibi virtus inferioris, determinatur per virtutem sibi adiunctam in motu ad agendum effectum proprium coniunctum effectui proprio inferioris, puta, ad constituendum in esse genus generabiliũ, & corruptibilium. Per hoc verò, quòd mediante tali causa procedit in aliam inferiorem, puta, in causam per se totius generis animalium, simili modo per virtutem sibi adiunctam in motu determinatur ad illud genus. Et idem accidit, dum vtraque mediante procedit in causam totius alicuius speciei. Determinatur enim per virtutem talis causæ non solùm influentia suprema, sed etiam aliarum intermediarum ad illam speciem effectus. Denique secũdùm quod omnibus prædictis mediãtibus causis procedit. E. g. in hunc leonem, determinatur secundum modum determinationis, qui conuenit virtuti huius leonis, quæ determinatur per subiectum, in quod agit ad alium leonem in individuo, & eodem modo determinantur ad eundem effectum omnes superiores causæ.

SECVNDA CONCLVSIO.

4. Dico secundò: quòd iste motus, prout procedit ab actione suprema agẽtis, habet duplex munus. Vnũ est, sustentare, & firmare actiones omniũ inferiorum agentium, & hoc inquantùm actio primi agentis per talem motum sustentat, & firmat actionem eorumdem agentium. Et secundùm hanc rationem influentia, seu actio primi agentis præcedit, vt quid determinabile, quod determinatur per influentiam, seu actionem omnium inferiorum agentium, & secundùm modum inferiorum. Alterum munus est eleuare actiones inferiorum agentium in nobiliorem effectum, seu finem, seu melius (dum loquimur de motu supremi agentis) in nobilissimum, & perfectissimũ effectũ. Et secundùm hãc rationem actio, seu influentia, & virtus inferioris agentis præcedit, vt quid determinabile: influentia verò, seu actio, & virtus superioris subsequitur, sicut actus perfectissimus supponit potentiam in eodem subiecto. Et ità actio, & influentia supremi agentis modificat actiones omnium inferiorum agentium, & eleuat illas ad attingendum id, quod est perfectissimum in effectu: quodque correspondet virtuti supremi agentis, vt obiectum proprium. Ex quo fit, quòd influentia, & virtus superioris agentis determinetur per virtutes inferiorum, sicut genus determinatur per differentias. At verò actiones inferiorum agentium modificantur per actionem, & influentiam superioris secundùm illum modum, quo actio instrumenti per virtutem artificis modificatur modo eleuante ipsius instrumenti actionem ad attingendum effectum artis.

762 *Motus primi mouentis habet duplex munus, sc. sustentare actiones inferiorũ agentium, & easdem ordinare in sublimiorem finẽ.*

763 *Influẽtia, actio, & virtus recepta in motu determinatur p causas inferiores, nõ autem agens superius ab agente inferiori propriè loquẽdo.*

5. His duobus dictis expressimus sententiam S. Thomæ circà naturam, & munera motus primi mouentis. Ex quibus apparet, quàm longè abfit sententia Sancti Thomæ à noua excogitatione Recentium. Et pro intelligentia prioris dicti aduerte, quòd notanter dixi: *Influentia, seu virtus, & actio superioris agentis determinatur ad effectum per virtutem inferioris*; non autem, quòd agens superius determinatur ad agẽdum ab inferiori. Nam hoc secundum propriè loquendo, esset falsum, & contradiceret illi principio S. Thomæ verbis relatis §. 4. huius disputationis nu. 1. nempè. *Determinatio agentis ad aliquam actionem oportet, quòd sit ab aliqua cognitione præstituente finem illi*

Digitized by Google

illi actioni. Determinatur enim agens ad actionem per formam, qua constituitur in actu ad agendum, quam formam superius agens non potest habere à suo inferiori agente; & ideò repugnat, quòd agens superius determinetur ab inferiori, tanquam à dante formam, qua determinatur. At verò influentia, seu virtus agentis participata per motum, & etiam actio agentis, prout procedit in effectū recepta per motum in subiecto potest determinari per conditiones subiecti in quo recipitur. Vnde aduerti debet, quòd principium determinans aliquod agens ad actionē, & ad effectū, potest esse triplex, scilicèt, Efficiens, formalis, & materialis. Tāquam per principium efficiens determinatur agens ab eo, quòd dat agenti formam, per quam agit: sicut graue determinatur ad motum deorsum à generante, quòd præbet grauitatem: & ad hoc principium determinatiuum spectat cognitio præstituens finē actioni, vt infrà explicabimus. Tanquā per principium formale determinatur per formam, qua constituitur in actu. Denique tanquam per principium materiale determinatur influentia, actio, & virtus agentis, tum per intermediam causam, tum etiam per subiectum, in quo recipitur. E.g. Sol illuminans hāc aulam habentem fenestram vitreā viridis coloris, determinatur ad illuminandum tanquam à causa efficiēte à Creatore, qui fecit eum lucidum; tāquam à causa formali ab ipsa luce, qua in seipso est actu lucidus ad efficiendum verò lumen viridis coloris, quo illuminat hanc aulam, determinatur per hoc, quod radius eius transit per fenestram vitream coloris viridis. Vnde per fenestrā vitream viridis coloris dicitur determinari Sol ad agendū lumen viride, non tanquam per causam efficientem dantem aliquem actum Soli, sed tanquam per medium, quo solaris radius determinatur ad influendum lumen talis coloris. Similiter solaris influentia liquefacit ceram, & indurat lutum. & ad hos diuersos effectus actio Solis determinatur per hoc, quod recipitur in subiectis habentibus contrarias dispositiones, vt docet S. Doctor infrà adducendus.

764 *Radius solaris receptus in fenestra vitrea alicuius coloris determinatur p colorem fenestræ ad similem co-*

6 Sicut ergo radio solari recepto in fenestra vitrea coloris viridis adiungitur viriditas, per quam determinatur ad illuminandum lumine viridi: & adiungeretur ei, (Sole penitus immutato) alius color, si fenestra vitrea, in qua recipitur, esset alterius coloris: ita nos dicimus, quòd influentiæ superioris causæ receptæ in inferiori per motum adiungitur virtus causæ inferioris, per quam determinatur ad influendum secundum modum virtutis ipsius causæ inferioris. Recole hic verba §. Doctoris relata §. præcedenti num. 4. nempè. *Sed cum omnis motus sit actus motoris, & moti, oportet, quòd in motu relinquatur virtus motoris, & virtus mobilis.* Cum ergò in vno eodemque motu sit vtraque virtus, sequitur indè, quòd sicut virtus inferioris ex coniunctione ad virtutem superioris eleuatur ad attingendum in effectu id, quod pertinet ad obiectum virtutis superioris, ita virtus eiusdem superioris in eodem motu relicta, ex coniunctione ad inferiorem restringitur, vt rationem obiecti suæ virtutis non attingat; nisi coniunctā obiecto virtutis inferioris agentis: & ita virtus superioris agentis determinatur ad illam speciem effectus, ad quam est determinata virtus inferioris p suam formā.

lorem diffundendū in lumen aulæ.

Testimonia S. Doctoris.

7 Dictum secundum, quod continet primum, docuit S. Doctor in 3. dist. 23. quæst. 3. art. 1. quæstiūcula 1. in corp. his verbis. *Dicendū, quòd in agentibus ordinatis, fines agentium secundorum ordinantur in finem agentis primi, sicut totum vniuersum ordinatur ad bonum, quod est Deus, vt dicit Philosophus in 11. Metaph. sicut exercitus ad bonum Ducis. Et ideò actio primi agentis est, & prior, & posterior. Prior in mouendo: quia actiones omnium secundorum agentium fundantur super actionem primi agentis, quæ cum sit vna, communiter omnes firmans, specificatur eius effectus in hoc, & in illo, secundùm exigentiam illius: sicut vno præcepto ducis præcipientis bellum, vnus accipit gladium, alius parat equum, & sic de aliis. Est autem posterior in vtrēdo aliorum actibus in finem proprium, & sic omnes actiones aliorum agentium modificantur per actionē primi agentis.* Hæc S. D. valde notāda.

765 *Insignis locus S. D. quo vtrūque dictū confirmatur.*

8 Nota itaque primò ly, *est prior in mouendo; quia actiones omnium secundorum agentium fundantur super actionem primi agentis*. Et indè percipies, quòd actiones secundorum agentium habent fundamentum, & firmitatem in motu primi agentis. Siquidem per hoc actio primi agentis fundat, & firmat actiones aliorum agentium, quod mouet. Et indè est, quòd primo agente cessante à motione, nullum aliud agens mouebit, neque mouebitur, vt habes ex S. Thoma relato in hac disp. §. 7. num. 6. Quia, scilicèt, ablato primo fundamento actionis, corruit omnis actio, sicut ablato primo subiecto, corruit omnis forma. Nota secundò ly, *quæ cum sit vna, communiter omnes firmans, specificatur eius*

766 *Notandū primò, q in motu primi mouentis fundātur actiones omniū inferiorū agentium.*

Digitized by Google

Quid sit secundò notandum.

eius effectus in hoc, & in illo secundùm exigentiam illius: sicut vno præcepto Ducis præcipientis bellum vnus accipit gladium, & alius parat equum, & sic de alijs. Et circà hoc primò expende exemplū, ac percipe, qualiter Duce ferente hoc vnicum præceptum, puta, aggrediamur hostes: audit tympanotriba, & accepto tympano, percussionibus designat peditibus præparationem ad pugnam, audit tubicen, & tuba canit, audit vexilifer, & apprehensū vexillum vertit in girum, audit eques, & accinctus armis equitat, audit sagittarius, & parat arcum. Vidè ergò, qualiter vnum idemque præceptum ex parte Ducis receptum in auribus tympanotribę hanc specificationem accipit, nempè: accipe tympanum, & pulsa ad aggressionem hostium, receptum verò in tubicine, recipit hanc aliam specificationem: tuba cane equitationem equitibus: Sic in vexilifero, indicit apprehensionem vexilli: equitibus, equitationem, &c. Secundò considera, qualiter imperium Ducis mouētis ad bellum per ministros maiores descendit ad minores, & mouet omnes milites ad illas actiones militares, quæ vniuscuiusque officio congruunt: considera, qualiter Dux est prior in mouendo per suum imperium, & qualiter in motu imperij sui firmantur, & fundantur omnes actiones militares. Ampliùs considera, qualiter impulsio, seu motio talis imperij determinatur ad inducēdum hanc, vel illam operationem militarem à forma ministerij, seu artis illius militis, in quo recipitur. Habet enim, quod inducat tympanizationem per hoc, quod recipitur in hoc ministro, cujus ars militaris est tympanizatio, & sic in alijs.

Expendēda circa exemplum S. Thomæ.

767 *Sicut circa exēplū, sic circa motū primi mouentis dicendum est.*

9 His consideratis circà exemplum, reuertere ad intelligendam rem exemplatam, ac percipe, S. Doctorem velle, quòd consimilia verificentur de actione primi agentis, quatenus mouendo causas vniuersaliores, & eis mediantibus minus vniuersales, transmittit virtutem motionis suæ in actiones, & effectus remotissimarum causarum. Docet enim, quòd motio primi agentis, quantùm est ex parte agentis, vnitatem, seu indeterminationem habeat, & recipiat speciem, & determinationem ad hūc, vel illum effectum secundum exigentiam formæ illius causæ, quam mouet. Sicut ergò imperium ducis, receptum in Magistro generali militum, operatur secūdum formam vniuersalis regiminis ad disponendum totum exercitum per ministros vniuersales, quales sunt Capitanei gerales equitum, Magistri generales peditū, & similes: ita agentis primi influentia, recepta per motum in vniuersali causa,

Et primo, quòd quatenus exit à mouente non habet determinationem ad hanc, vel illam speciem effectus.

recipit speciem ad operandum secundùm rationem illius formæ, quæ constituit causam vniuersalem, & magis, & minus, secūdùm quòd descendit in inferiores, & minus vniuersales causas; & sic semper determinatur ad rationem specialiorem effectus secundùm modum determinationis, quem habet forma, qua constituitur in actu causa inferior. Idque est, quod docet S. Doctor in axiomate, quod in hac disputatione defendimus, puta, *Motus primi mouentis recipitur in vnoquoque secundùm proprium modum*. Sicut imperium Ducis in vnoquoque recipitur secundùm proprium modum.

Secundò quòd recipit speciē secundum modū formæ inferiorum agentium.

10 Verùm & hoc ipsum, quod in ordine militari conspicimus, in alijs etiam artificijs cernimus. Considera qualiter ex follibus emisso flatu ad organum, quælibet ex fistulis emittit sonū proprium, & quidē flatus quatenus est ex folliibus vniformitatem habet: recipitur tamen in vnaquaque fistula secundum proprium modum, & ex forma fistulæ determinatur ad refractionē, ex qua oritur sonus ille determinatæ mensuræ. Sic est motio agentis vniuersalis: quatenus procedit ex forma agentis vniuersalis, vnitatem, & indeterminationē habet: & tamen, causa vniuersali mouente, quælibet ex particularibus habet motum, & actionem propriam, inquantùm motus vniuersalis causæ recipitur secundum exigentiam formæ inferioris causæ, per quam influentia vniuersalis causæ, quasi refrangitur, & restringitur secūdùm propriam exigentiam.

768 *Idem exēplo Organi declaratur*

11 Ampliùs inspice illam machinam, in qua serica fila pręparantur. Habet enim plura instrumenta, quorum quodlibet habet propriam, & ab alijs diuersam operationem: nam fusa fila torquent, rhombi glomerant, &c. Vertente autem operario rotam maiorem, quodlibet ex instrumentis recipit motum, & operationem propriam. Et quidem quantùm est ex parte vertentis rotam maiorem, vnum, & vniformem dat motum: recipitur tamen in vnoquoque instrumento secundùm proprium modum, & determinatur ad hunc, vel illum effectum artis per instrumenta, per quæ transit ad effectum. Ita in proposito: mouet agens primum mediantibus Intelligentijs Cœlorum machinam, & Cœlo influente per illum vnicum suum motum, quo mouetur, quodlibet ex inferioribus agētibus recipit influentiā Cœli, secūdùm modū propriū, vndè quodlibet operatur operationē propriā: & ad talē effectū influētia primi agētis, quæ per corpora cœlestia transmittitur, determinatur ad effectū secundùm exigentiā formæ inferioris

769 *Aliud exē plū ad propositum.*

Digitized by Google

agentis. Sed reuertamur ad alia loca S. D

770 *Duo loca S. D. quibus dictū primū cōfirmatur.*

12 Nam dictum primum, puta, quòd influentia, seu actio, & virtus primi agentis determinatur ad speciales effectus per virtutes inferiorum causarum, quæ sunt magis proximæ effectui, docuit S. Doctor qu. 1. de Poten. ar. 4. ad 3. his verbis. *Dicendū, quòd licet causa primaria maximè influat in effectum tamen eius influentia per causam proximā determinatur, & specificatur: & ideò eius similitudinem imitatur eius effectus.* Et idē docuit in corp. eiusdē ar. his verbis. *Patet, quòd effectus debēt iudicari possibiles, vel impossibiles secūdùm causas proximas; cū actio causarū remotarū secundùm causas proximas determinetur quas præcipuè effectus imitatur.*

771 *Alius locus S. D.*

13 Idem docuit quæst. 5. de veritate art. 9 ad 10. dicens: *Effectus causæ secūdæ magis assimilatur causæ secundæ; quia per eam determinatur quodammodo actus causæ primæ ad hunc effectum.*

772 *Dictum S. Th. secūda agētia determinant actionē primi agētis, explicat, & probat Ferrarien sis; eo quia motus primi moventis recipitur secundùm recipientiū.*

14 Idem docuit lib. 3. cōtra gen. cap. 66. verbis relatis § præcedenti nu. 26. puta. *Secunda autem agentia, quæ sunt quasi particulantia, & determinantia actionem primi agentis, agūt sicut proprios effectus illas perfectiones quę determinant esse.* Ad quæ verba Ferrariensis sic habet. *Circa istam propositionem: Secunda agentia determinant actionem primi agentis, aduertendum, quòd hoc non est sic intelligēdum, quasi secundaria agentia aliquid erga diuinam actionem, vt in se est, operētur: cum sua actio sit sua substantia; sed intelligitur (vt ex superioribus cōstat) secundùm quòd ipsa mediantibus causis secundis ad effectum aliquem determinatur. Sic enim virtus diuina, & actio, secundùm quod in secunda causa recipitur, accipit limitationem, & determinationem ex conditione causæ secundæ, tanquàm ex susceptiui conditione: quia vnūquodque recipitur secundùm conditionem recipientis.* Ecce nostram sententiam in S. Thoma à Ferrariensi cognitam? considera illa verba: *Sed intelligitur secundū, quod ipsa (diuina actio) mediantibus causis secundis ad effectum aliquem determinatur.* Amplius considera rationem, quare diuina actio mediantibus causis secundis determinatur ad aliquem effectum, nam subdit. *Sic enim virtus diuina, & actio, secundùm quòd in secunda causa recipitur, accipit limitationem, & determinationem (videlicet ad effectum aliquem) ex conditione causæ secundæ, tanquam ex susceptiui conditione.* Denique expende vltimam rationem, qua inquit: *Quia vnumquodque recipitur in alio secundùm conditionem recipientis.* Et simul recole ea,

Expendūtur verba Ferrariēsis.

quę diximus in hoc Trac. 1. p. §. 3. à num. 8. ad 15. Indè enim percipies, quàm benè nostra doctrina ex S. Thoma desumpta vbique consonet cum doctrina eiusdem S. Thomæ, antiquorumque Thomistarum.

773 *Egregius locus S. Th. pro nostra sentētia.*

15 Idem videtur docuisse S. Doctor Opusc. 2. cap. 69. illis verbis. *Quantò aliqua causa est magis vniuersalis, tantò effectus eius est vniuersalior. Nam causæ particulares effectus vniuersalium causarum ad aliquid determinatum appropriant.*

Prima ratio ex doctrina S. Thomæ in recensitis auctoritatibus desumpta, qua à priori probatur principalis punctus prioris dicti §. X.

774

1 REcensuimus breuiter loca, quę nobis casu occurrerunt (fortè plura studiosior inueniet) quibus nostram sententiam expresè docet S. Doctor; superest, vt rationes proponamus, quibus ex doctrina eiusdem S. Doctoris nostra sententia demonstratur. Possumus autē procedere à priori, & à posteriori. A priori quidem, ex ipsa ratione causæ, & ex ipsa ratione effectūs, inquantùm effectus est obiectum virtutis actiuæ, specificans, & mensurans ipsas virtutes actiuas.

Discursus S. Thomæ refertur.

Ex prioti capite procedere possumus, vt procedit S. Doctor 1. p. quæst. 19. art. 6. in corp. vbi ex eo, quòd *effectus conformatur agenti secundùm suam formam*, infert, quòd *eadem est ratio in causis agentibus, quæ est in causis formalibus.* Et deindè ex eo, quòd in causis formalibus res ità se habet, quòd res aliqua, quamuis possit deficere ab aliqua forma particulari non tñ à forma vniuersalissima, vndè potest res aliqua non esse homo, vel equus, vel etiam animal viuens, & ci non tamen res aliqua est, quæ nō est ens, infert, quòd eodem modo, licèt possit contingere, vt aliquis effectus sit extrà ordinem alicuius causæ particularis; non tñ potest contingere, aliquem effectum esse extra ordinem causæ vniuersalissimæ, quæ est diuina voluntas. Possumus, inquam, procedere simili ratione, subsumēdo aliam minorem, & reducendo maiorē ad principiū primum hoc modo.

775 *Formatur ratio à priori iuxta prædictū S. Th. discursum.*

2 Omne agens agit, inquantùm est in actu per formam, & indè est, quòd oportet, *quòd effectus conformetur agenti secundùm suam formam, & quòd eadem est ratio in causis agentibus, quæ est in causis formalibus.* Atverò in formis res sic se habet, quòd forma superior, & magis vniuersalis determinatur per formam inferiorem, quæ est minus vniuersalis, vel

par-

Digitized by Google

particularis, vndè forma animalis determinatur per formam hominis, & omne prædicatum superius, & vniuersalius determinatur per id, quod est inferiùs in prædicatis per se ordinatis. Ergò etiam in causis per se ordinatis, quæ sunt ordinatæ secundùm ordinem intelligibilem ordinatarum formarum (vt patet ex D. Thoma quæst. vnica de spiritualibus creaturis ar. 3. ad 20. verbis relatis §. 8, num. 15.) hoc oportet inueniri, quòd causa superior, & magis communis, seu vniuersalis, determinetur ad effectum per causam inferiorem, seu minus vniuersalem. Maior; quantùm ad consequentiam, in qua fundatur argumentum est D. Thomæ, & sanè patet ex illo principio assumpto. *Omne agens agit inquantùm est in actu per formam*, ex quo sequitur, quòd similis ratio sit in agẽtibus ordinatis, quę est in formis ordinatis. Minor autem est manifesta. Hæc ratio est à priori, quia procedit ex per se principio, vndè prouenit ordo per se in agentibus, id enim est forma, vndè secundùm illũ modũ quo sunt ordinatæ formæ, quibus constituuntur agẽtia, est ordo in ipsis agẽtibus.

776 *Ratio secunda ex eo, qa ita se habet virtus ad virtutem, sicut obiectũ ad obiectum.*

3 Ex secundo capite sic possumus procedere. In agentibus per se ordinatis, ità se habet virtus vnius ad virtutem alterius, sicut se habet obiectũ virtutis vnius ad obiectũ virtutis alterius. Ita.n. se habet virtus ad virtutem, sicut obiectum ad obiectũ vt colligitur ex S. Th. qu. 16. de malo ar. vnico ad 19. sed obiectũ virtutis superioris agentis determinatur, & contrahitur per obiectũ virtutis inferioris agentis. Ergò virtus superioris agentis determinatur, & contrahitur ad effectum per virtutem inferioris.

Probatur maior, qa obiectũ est mensura virtutis.

Maior patet. Nam obiectum est mensura virtutis, & ille ordo, qui est per se in virtutibus, oportet, quòd sit secundùm ordinem, qui est per se in obiectis, mensurantibus dictas virtutes. Et indè fit, quòd illam proportionem habeat virtus inferior, seu minus vniuersalis, ad virtutem superiorem, seu magis communem, & vniuersalem, quàm habet obiectum virtutis inferioris, quod est minus vniuersale, ad obiectum virtutis superioris, quod est magis vniuersale.

777

4 Minorem verò docuit expressè D. Th. verbis relatis num. 14. & 15. §. præcedentis, eamque nos probauimus §. 8. huius disp. à num. 12. ad 18. vbi occasione illius propositionis S. D. *Secundùm ordinem causarum est ordo effectuum*, ostendimus, quòd in vna, & eadem re naturali ratio communissima, quæ est ratio entis, correspondet virtuti primi agentis, vt proprium obiectum, aliæ verò rationes minus communes, correspondent virtutibus aliorum inferiorum agentium, vt propriũ obiectum, ita vt ratio vniuersalior correspondeat virtuti vniuersaliori, & specialior specialiori, & ità secundùm ordinem causarum est ordo effectuum. vt etiam expressè docuit S. Doctor lib. 2. cont. gen. cap. 15. ratione 3. dicens. *Secundùm ordinẽ effectuum oportet esse ordinem causarum, eo quod effectus causis suis proportionati sunt. Vndè oportet, quòd sicut effectus proprij reducuntur in causas proprias, ità id, quod est cõmune in effectibus proprijs reducatur in aliquã causam communẽ, sicut supra particulares causas generationis huius, vel illius, est sol vniuersalis causa generationis*, &c. Certũ est autem, & euidens, quòd in ordine ad prædicata superiora eiusdem rei ratio propria determinat communem. Obiectum ergò virtutis inferioris agentis determinat obiectũ virtutis superioris agentis.

Alius locus S. D. ad idem.

778 *Confirmatur assertio ex illa proportione, qua ita se habet causa vniuersalis ad particularem, sicut in demonstratione, principiũ vniuersale ad particulare.*

9 Confirmari potest hæc ratio ex illa proportione, qua S. Doctor sæpè vtitur ad explicandum ordinem causarum agentium. Nam sicut in demonstrationibus se habet principium vniuersale, & principiũ particulare ad inferendam conclusionem particularem; ità se habet agens vniuersale, & agens particulare ad effectum particularem. Sed principium vniuersale cõtrahitur, & determinatur per particulare, quando descendit ad inferendam conclusionem particularem, non autem è contrà. Ergò similiter agens vniuersale determinatur per particulare, quãdo procedit in effectum particularem. Minor huius discursus, est euidens: Maiorem verò docuit S. Doctor lib. 3. contra gent. cap. 70.

779 *Auctoritas expressa S. Tho. pro prędicto discursu.*

6. Immo verò expressius, quàm dici potest, & conclusionem nostram docuit, & eam hac eadem ratione probauit S. D. lib. 3. contra gent. cap. 99. ratione 2. his verbis. *Virtus diuina comparatur ad omnes virtutes actiuas sicut virtus vniuersalis ad virtutes particulares. Virtus autem actiua vniuersalis ad particularem effectum producendum determinari potest dupliciter; vno modo per causam mediã particularem: sicut virtus actiua cœlestis corporis determinatur ad effectum generationis humanæ, per virtutem particularem, quæ est in semine. Sicut in syllogismis virtus propositionis vniuersalis determinatur ad particularem conclusionem per assumptionem particularem.* Quid clarius?

Probatur minor ex pluribus locis S Th. supra relatis.

7 Dices, posse eos, quos impugnamus, respondere, remansisse eis secundum modum, quo secundùm S. Thomam determinari potest virtus diuina ad effectus particulares. Verùm contra est; nam alius

780 *Responsio, quæ posset afferri reiicitur.*

Digitized by Google

modus determinandi virtutem diuinam ad agendum est, secundùm quem Deus agit prætermisso ordine causarum mediarum, vt quando agit aliquid creando, vel miraculosè, seu nullis mediantibus causis, vt patet legenti. Cæterum nos loquimur de determinatione diuinæ influentiæ, prout agit mouendo causas secundas, cui conuenit determinari solùm secundùm primũ modum. Vndè licèt Deus possit agere præter ordinem causarum secundarum; influentiam tamen, qua agit per causas secũdas, subiecit determinationi recipiendæ per formas secundarum causarum. Sicut influentiam, qua Deus mediantibus sollibus dat flatum organo, fecit determinabilem per fistulas, per quas transit flatus.

Proponitur secunda ratio, qua manifestatur radix mala consequentiæ, ex qua oritur deceptio in Aduersarijs, & aperitur via ad rationem ostensiuam nostræ sententiæ. §. XI.

781 1 Dictum nostrum à posteriori probare possumus dupliciter: primò manifestando id, ex quo decipiuntur Aduersarij: Secundò ex his, quæ experientia sunt manifesta. Probationem prioris modi damus in hoc §. posterioris verò modi in sequenti.

Manifestatur radix mali discursus Recentium.

Radicem mali discursus, ex quo decipiuntur Aduersarij sic manifestamus. Nam non est necessarium; immò est impossibile, quòd totum id, quod est in aliqua re naturali de nouo producta. E. g. in leone genito, procedat à sua causa proxima, puta à leone generante. Nec est necessarium, sed impossibile, quòd totum id, quod est in leone generante, ratione cuius habet influentiam in effectum, habeat leo generãs à sua causa superiori proxima, puta, corporibus cœlestibus, per illam influentiam, qua mouetur ad generãdum. Nec iterùm est necessarium, sed impossibile, quòd totum id, per quod corpus cæleste habet influentiam in hæc inferiora agentia, habeat ipsum corpus cœleste à causa sua superiori proxima, puta, Intelligentia per motum, quo ipsum mouet. Et tandem ascẽdendo vsque ad primum agens, puta Deũ; non est necessarium, quòd agens inferius immediatum primo agenti habeat totum, per quod influit in effectum, per motum, quo ab ipso primo mouetur. Licèt enim (vt aduertit S. Doctor relatus à nobis 1. parte huius Trac. §. 16. num. 7.) totum, quod est in quolibet agente creato, per quod influit in effectum, sit à Deo; non tamen totum procedit per illum motum, quo, vt primus motor in ordine per se ordinatorum mouentium, mouet agentia sibi subordinata. Angelos enim, quos cũ omni perfectione eis naturaliter cõueniente creauit, mouet modò ad aliquid agẽdum: nec tamen hęc motio producit, sed supponit in Angelis actiuas virtutes, quas per creationem habuerunt. Corpora item cœlestia Deus nulla causa mediante creauit: mouet modò per Angelos: nec tamẽ oportet, immò nec est possibile, quòd per istum motum accipiant Cœli virtutes actiuas, quas per creationem habuerunt. Ergò non est necessarium, quòd totũ id, quod influit agens infimum in vltimum effectum, procedat, tanquàm ex proprio principio, ex motu, quo idem agens infimum mouetur à suo superiori proximo; & sic ascendendo vsque ad primum mouens, non est necessarium, quòd totum, quod influit agens inferius immediatum primo mouenti, procedat tanquàm ex proprio principio ex motu, quo ab eodem primo mouetur. Ergo non est necessarium, quòd quidquid est in effectu agentis infimi, totũ procedat tanquam ex proprio principio ab ipso infimo agente; nec oportet, quòd, quidquid habet ab infimo agente, totum habeat, vt ex proprio principio, ex motu, quo ipsum infimum agens mouetur à suo superiori proximo: nec quidquid habet à suo superiori proximo, oportet, quod totum habeat, vt ex proprio principio, ex motu, quo tale superius mouetur ab alio suo superiori; & ita ascendendo vsque ad primum mouens, non oportet, quòd, quidquid habet effectus ex causa superiori immediata sub primo, totum habeat, vt ex proprio principio, ex motu, quo mouetur à primo. Ergò si effectus infimi agentis est, & res individua, & leo, & animal, &c. non oportet, quòd secundùm omnia hæc procedat, vt ex proprio principio, ex motu, quo infimum agẽs per intermedia mouentia mouetur à primo mouente.

Nota hãc doctrinam S. Th. quæ licèt sit euidentissima multis tamen ex eius inad-uertentia decipiũtur

2 Antecedens huius discursus patet ad sensum. Sumamus leonem genitum ab alio leone, habente sibi impressam influẽtiam cœlestium corporum, motorum ab Intelligentijs motis à Deo: certum est, quòd non totum id, quod est in leone genito, est sibi à leone generante. Siquidem in leone genito est materia, quæ fuit præsuppositа actioni leonis generãtis, ex quo fit, quòd multa possunt esse in leone genito ratione huius principij, quæ ei nõ proueniunt ex actione generantis. Nam si materia, quæ est suppositа actioni generantis fuisset in aliqua dispositione à quocũquæ alio agente, siue contrario, siue disparato, introducta, tunc ratione talis dispositionis, vel ex abundantia, vel defectu ma-

482 *Antecedens manifestatur. primò, quia in effectu infimi agẽtis est materia, quæ præsupponitur eius actioni.*

Digitized by Google

materiæ posset leo genitus euenire cum hac, vel illa complexione, hac vel illa mẽsura quantitatis, cum, vel sine membris, necessarijs, vel superfluis, & generari monstrum, quę omnia essent in leone genito, non ex vi actionis, & influentiæ leonis generantis, sed ex alijs principijs.

783 *Idẽ antecedẽs manifestatur in causis superioribus corporalibus.*

3 Similiter causa per se naturæ leonis, puta, aliquod corpus cœleste, seu aliqua, vel omnia (hoc enim non refert ad propositum) non totum, per quod influit in leonem, habet ab Intelligentia per motũ, quo ab ea mouetur. Siquidem cœlestia corpora præsupponuntur creata à Deo cum suis virtutibus actiuis: quæ quidem virtutes actiuæ per motum, quo Cœli mouentur ab Intelligentijs, influnt etiam aliquid sibi proprium. Nam cũ talis motus sit actus motoris, & moti, continet virtutem motoris, & mobilis, & sic influit in ipsum mobile per propriam virtutem id, quod est proprium talis virtutis, quæ præsupponitur motui, quo mouetur ab Intelligentia. Recole verba S. Doctoris relata in hac disput. §. 8. num. 4.

784 *Manifestatur in Intelligẽtijs immediatè motis à Deo.*

4 Tandem Intelligentia mouens Cœlos non totum, per quod influit in motum Cœli, habet à Deo per motum, quo ab ipso mouetur, vt à primo mouente. Siquidẽ Intelligentia mouet Cœlum per intellectum, & voluntatem, seu per artem sibi inditam in creatione, quæ ars præsupponitur motui, quo à Deo mouetur, vt à primo mouente, & per eam Intelligentia influit, vt per virtutem propriã, non minus quàm influunt Cæli per virtutem propriam.

785 *Probatur prima consequentia euidentissimè.*

5 Prima consequentia constat. Nam si omne agens medium, siuè sit infimum, siue quodlibet aliud, habet aliquid præsuppositum ad motum superioris causæ, per quod influit id, quod est proprium talis principij, euidenter indè habetur, quòd nec totum, per quod influit infimum, nec totum, per quod influunt alia intermedia agentia, habent prædicta agentia à Deo per illum motum, quo mouentur à superioribus agentibus. Id enim, quod præsupponitur motui, non potest esse productum, vt à causa efficienti ab eodem motu. Vnde materia prima, quia est primum subiectum, quod præsupponitur actioni omniũ agentium creatorum, per nullam actionẽ talium agentium potest esse producta. Similiter ergo virtutes actiuæ inferiorum agentium, quæ præsupponuntur motui, quo à superioribus agentibus applicantur ad agendum, non sunt per eumdem motum productæ.

786 *Secunda consequẽtia manifestatur quantũ ad primã partem.*

6 Secunda consequentia, quantùm ad primam partem, puta, *Ergò non est necessarium, quòd quidquid est in effectu infimi agentis totum procedat, tanquam ex proprio principio, ab infimo agente*, est etiam manifesta. Nam in effectu infimi agentis est materia, seu subiectum primum, in quod agit ipsum infimum agens, quod quidem subiectũ præsupponitur influentiæ, & actioni ipsius infimi agentis. Ex quo sequitur, quod omne, quod in tali effectu prouenit à materia, & subiecto, vt ex proprio, & per se principio, non sit, seù non procedat, vt ex proprio principio ex influentia infimi, & aliorum superiorum agentium. Id enim cuius proprium principium est id, quod præsupponitur motui, & influentiæ agentium, non procedit, vt ex proprio principio, ex illo eodem motu, & influentia.

787 *Manifestatur eadem consequẽtia quantùm ad secundã partem.*

7 Quantum verò ad secundã partẽ, puta, *Nec oportet, quòd quidquid habet ab infimo agẽte, totum habeat, vt ex proprio principio, ex motu, quo infimum agens mouetur à superiori proximo, & ita ascẽdendo vsque ad primum mouens, non oportet, &c.* Eadem consequentia est etiam euidens, & constat ex priori consequentia iam probata. Nam si tam agens infimum, quàm quodlibet ex intermedijs influit in effectum, nõ solùm per id, quod habet per motum, quo mouetur à superioribus; sed etiam per illud principium, seu virtutem actiuam, quæ in agente præsupponitur ad prædictum motum; oportet, quòd in effectu inferioris agentis non solùm sit aliquid, quod prouenit, vt ex proprio principio ex motu superiorum mouẽtium, sed etiam sit aliquid, quod correspondet virtuti inferioris, quæ in quolibet agente præsupponitur ad motionem superiorum mouentium. Ergo non oportet, quòd effectus infimi agentis secundùm totum, quod in ipso est, procedat, vt à proprio principio à motu superiorum mouentium ascẽdendo vsque ad primum.

788 *Eadẽ consequentia quòad prædictam partem manifestatur exemplo.*

8 Hoc, quod in hac consequentia probamus, euidẽter apparet in effectu producto ab artifice per instrumentum. Cum .n. instrumentũ habeat operationẽ, tã per virtutẽ, quę in instrumẽto præsupponitur ad motũ artis, seu p virtutem propriam, quã p virtutem excedentẽ, quam habet per motum artis, fit indè, quod effectus procedens ab instrumento non secundum totũ, quod habet, procedat à motu artis, vt ex proprio principio. Siquidem in eodem effectu inuenitur etiam id, quod correspondet instrumento influenti per virtutem præsuppositam, seu secundum virtutem propriam. Vide D. Thom. verbis relatis §. 8. huius disp. num. 47. & lib. 2. contr. gent. cap. 21. ratione 8, & ibidem Ferrariensem.

Ter-

Digitized by Google

789 *Tertia cõsequentia probatur ex prædictis,*

9 Tertia tandem consequentia, puta, *Ergò si effectus infimi agentis est res naturalis, & talis, vel talis generis, vel speciei, & hæc in indiui duo, nõ oportet, quòd secundùm omnia hæc procedat, vt ex proprio principio, ex illo motu, quo ipsum infimum agens mouetur per superiora intermedia mouentia ab ipso primo mouente,* est euidentissima ex proximè præcedẽti. Nam si non oportet, quòd effectus infimi agentis secundùm omnia, quæ in ipso sunt, procedat, vt ex proprio principio, ex motu superiorum mouentium, sed aliquid est in eo, secundùm quod correspõdet virtutibus actiuis, quæ in omnibus agentibus inferioribus præsupponũtur ad motũ superiorũ, & aliquid, quod habet ex primo subiecto, seu materia quæ præsupponitur ad motum omnium mouentium, etiam primi mouentis, inquantùm agit per motum: indè fit consequens, quòd effectus infimi agentis secundùm aliquas ex prædictis rationibus possit correspondere, vel virtutibus præsuppositis in intermedijs agẽtibus, vel primo subiecto, vt proprio principio: & ita non oporteat, vt secundùm quòd est vel huius speciei, puta leo, vel hic in indiuiduo, procedat, vt ex proprio principio, ex motu primi mouentis, quo mouentur intermedia agentia, à quibus procedit.

790 *Ex prædicto discursu apparẽt ea, ex quibus Recẽtes decipiuntur.*

10 Ex prædicto discursu modò apparet id, ex quo, vt ex propria radice oritur deceptio horum Recentium. Putant enim, quòd proprium principium, vndè agens, infimum, quod producit saltem successiuè plura indiuidua eiusdem speciei numero distincta, habeat, quòd producat hoc, & non illud, ex illis, quæ potest, sit diuersus motus, quo mouetur à superioribus mouentibus. Cum tamen ista diuersitas in effectu infimi agentis non proueniat ex tali motu, vt ex proprio principio, sed ex vltimo subiecto, seu materia, quæ præsupponitur ad actionem infimi agentis: & etiã aliqualiter ex virtute indiuiduali eiusdem infimi agentis, quæ sub quibusdam conditionibus indiuidualibus præsupponitur ad motum superiorum mouentium. Similiter putant, quòd illud agens, quod producit naturaliter plures effectus specie diuersos, habeat, quòd producat hunc potius effectum specie diuersum, quàm aliũ, ex diuersitate motus, quo mouetur à superioribus mouentibus. Cum tamen talis diuersitas in effectu naturalis agentis possit prouenire tã ex medio, per quod agit, quàm ex dispositione subiecti, in quod agit, tanquàm ex proprio principio.

791 *Primum exemplũ quo explicatur modus discurrendi Recentium,*

11 Considera ergò qualiter deficeret, qui sic discurreret. Lumen viride, vt viride differt specie à lumine pallido, prout est pallidum, & sol potest vtrumque producere: siquidem in aulam habentem fenestram vitream viridi coloris diffundit lumen viride, in habentem verò fenestrã vitream pallidi coloris, lumen pallidum sicut in habentem fenestram, vitro non occlusam, profundit lumen clarum: nec sol est determinatus magis ad vnum, quam ad alium ex his effectibus. Ergò ad hoc vt producat potiùs lumen viride, quàm pallidum, aut clarum, oportet ponere aliquem motum intrinsecè in ipso sole, quo à suo mouente (siuè sit Intelligentia, siuè Deus) determinetur ad hunc potiùs effectum, quàm illum. Deficeret sanè ex eo, quòd existimaret, quòd propriũ principium, vndè prouenit talis diuersitas, sit motus, quo sol in seipso moueretur; cũ tamen proprium principium talis diuersitatis sit color inuentus in medio, per quod transit radius solaris, in quo recipitur secundùm dispositionem recipientis, & sic per illam virtutem, quæ est in vitro colorato determinatur, seu quasi inficitur radius solaris illa specie coloris, quæ est in vitro, & sic transmittit lumen viridis, seu pallidi coloris. Vide ergò; qualiter non totum, quod est in lumine viridi, prouenit, vt ex proprio principio ex motu, quo mouetur sol ab Intelligentia; seu etiam ex virtute illuminatiua, quæ est in sole. Viriditas enim prouenit ex colore, seu virtute, quæ præsupponitur in vitro, antequam recipiat radios solares.

792 *Secundũ exemplũ ad idem,*

12 Amplius considera; qualiter, qui sic discurreret, erraret: Asinus differt specie à mulo, potestque suo semine vtrumque generare: nam semen eius in matrice equæ receptum generat mulum; in matrice verò asinæ generat asinum, & sic non est determinatum eius semen ad generandum mulum, aut asinum. Ad hoc ergò vt generet mulum, oportet, eius semen determinari per diuersam influentiam, & motũ superiorum causarum, vel etiam primæ causæ, vt sic determinatum, generet potiùs mulum, quàm asinũ. Erraret sanè, quia existimaret, proprium principium huius diuersitatis in effectu seminis asini esse virtutem seminis, seu etiam motum receptũ in semine: cum tamen proprium principiũ huius diuersitatis in effectu seminis asini sit materia, & subiectum, in quod agit virtus seminis. Nã cum materia subministrãta per equam non sit proportionata virtuti formatiuæ, quæ est in semine asini, non potest per talem virtutem perduci ad dispositionem conuenientem formę asini; sed ad aliam imperfectiorem, & sic virtus seminis inducit illam formam, cuius per talẽ

dis-

Digitized by Google

dispositionem materia est capax, vt docet S. Doctor de verit. quæst. 3. art. 8. ad 4. & 7. metaph. lec. 7. propè finem.

793 *Tertiũ exẽplũ de calore indurante lutũ, & liquefaciente ceram.*

13 Ampliùs considera defectum huius discursus. Induratio est effectus specie distinctus à liquefactione, & Sol per suum calorem potest vtrumque; indurat enim lutum, & liquefacit ceram; nec magis est determinatus ad vnum, quàm ad alterum effectum, ergò ad hoc, vt liquefaciat potiùs, quàm induret, oportet, Solem per aliquem motum superiorum mouentium sibi impressum determinari ad talem effectum inducendum. Erraret sanè, qui sic discurreret, quia malè existimaret, proprium principium diuersitatis horum effectuum esse aliquid diuersum in Sole receptum: cum, Sol vna, eademque influentia sui radij vtrumque faciat. Proprium enim principium huius diuersitatis est diuersa dispositio materiæ, seu subiecti, in quo recipitur solaris radius. Vndè illa indifferentia, quã Sol habet ad vtrumque istum effectum, nõ oritur ex indeterminatione principij, per quod agit, sed ex eo, quod eius influentia potest recipi in subiectis habentibus diuersas dispositiones, per quas influentia Solis determinatur ad diuersos effectus.

794 *Quartum exemplum de sole.*

14 Denique considera hunc discursum, Sol, seu virtus cœlestis corporis, potest producere in hoc agro, tàm herbam tritici, quàm herbam ordei, nec est determinatus magis ad vnum, quàm ad alium effectum: ergò ad hoc, vt in hoc agro Sol producat herbam tritici potiùs, quàm ordei, oportet, poni motum in Sole, quo determinetur ad inducendam in hoc agro pullulationem tritici potiùs, quàm ordei. Malus est discursus: Quoniam diuersitas horum effectuum prouenit ex diuersa virtute seminis, quam supponit in agro influentia Solis ad hoc, vt inducat pullulationem huius, vel illius herbæ. Prudens discursus esset. Influentia, seu virtus solaris determinatur ad inducendam pullulationem in agro secundùm modum virtutum seminum, quæ in agro reperiuntur. Ad hoc ergò, vt Sol in hoc agro inducat bonã pullulationem tritici, oportet colere agrũ, & in ipso tẽporibus opportunis seminare bonum triticum, per hæc enim determinatur influentia solis ad effectum, & ad aliquam conditionem effectus.

795 *Insignis doctrina S. Doct. ad nostrũ intentum.*

15 Docuit hanc doctrinam S. Doctor sæpissimè; sed notandus est ad nostrum propositum discursus eius, quo lib. 2. contra gent. cap. 22. ratione prima probat, virtutem diuinam non esse determinatam ad vnum, ex eo, quod tàm substantiæ spirituales, quàm materia corporalis sunt effectus producti immediatè (idest, nõ per intermedias causas) à diuina virtute, & sic habet. *Hæc igitur diuersa existentia* (idest spirituales substantiæ, & materia corporalis) *prædictæ virtutis* (idest diuinæ) *effectus sunt. Nulla autem virtus, producẽs immediatè plures effectus nõ ex materia, est determinata ad vnum effectum. Dico autem immediatè; quia si per media produceret, posset prouenire diuersitas ex parte mediarum causarum. Dico etiam non ex materia: quia idem agens, & eadem actione causat diuersos effectus secũdùm materia diuersitatem; sicut calor ignis, qui indurat lutum, & liquefacit ceram. Deus igitur virtus non est determinata ad vnum effectum.* Hæc S. Doctor, In quibus breuiter expressit hoc, quod cõtra prædictos Recentes probare intendimus, nempè, quòd diuersitas effectuum causarum determinatarum ad vnum (vt sunt effectus in supra relatis exemplis) nõ reducitur semper in diuersitatem inuentã in principio actiuo, vt in proprium principium, sed quandoque reducitur in intermedias causas, quandoque verò in dispositionem materiæ.

786 *Expenditur illa verba S. D. quia si per media produceret, posset prouenire diuersitas ex parte mediarum causarum*

16 Nota ergò primò illa verba. *Dico autem immediatè; quia, si per media produceret, posset prouenire diuersitas ex parte mediarum causarum.* Indè enim habes, quòd secundùm Sanctum Doctorem a virtute determinata ad vnum possunt prouenire diuersi effectus, si agat per intermedias; quia esto principium sit determinatũ ad vnũ, potest tamen diuersitas in effectibus prouenire ex parte mediarũ causarũ. Nõ valet ergò, secundũ S. D. Th. ista consequentia, puta, hæc virtus, agens per sibi subordinatas causas, potest diuersos effectus producere; ergo ad hoc, vt producat determinatè vnum ex illis diuersis, debet poni in agente aliquid per quod determinetur ad vnum. Nam diuersitas se tenet ex parte mediarum causarum, non autem ex parte virtutis agentis per intermedias causas, quæ etiam supponitur determinata ad vnũ. Ad hoc ergò vt talis causa agat vnũ ex illis diuersis, requiritur, quòd agat per illam causam mediam, per quam à tali virtute prouenit ille effectus. Vndè quia virtus solaris per virtutem seminis tritici, tanquam per intermediam causam, producit triticum, & per virtutem seminis ordeacei producit ordeum, si semen fuerit in agro reconditum; ad hoc vt virtus solaris agat alterum ex his effectibus determinatè, hoc requiritur, scilicèt, quòd in agro recondatur alterum ex seminibus.

17 Ampliùs nota secundò illa verba. *Dico etiam non ex materia; quia idem agens, & eadem actione causat diuersos effectus*

Digitized by Google

Expendũtur illa verba. Idẽ agens, & eadem actione causat diuersos effectus secundum materiæ diuersitatem.

fectus secundùm materiæ diuersitatem: sicut calor ignis, qui indurat lutum, & liquefacit ceram. Et indè dignoscesquòd ex virtute determinata ad vnum procedũt diuersi effectus, principio diuersitatis existente sola diuersitate materiæ. Ex quo est, quòd præsens illatio nulla sit, puta. Ignis per calorem potest indurare, & liquefacere: & non est determinatus ad indurãdum magis, quàm ad liquefaciendum: ergo ad hoc vt vnum, & non alterum horũ efficiat, oportet, calorem eius determinari per aliquid in ipso intrinsecè receptum. Non valet inquàm illatio: quoniam quòd ignis per suum calorem induret potiùs, quàm liquefaciat, non oritur ex diuersitate inuenta in calore; sed ex diuersitate materiæ, in quam agit calor. Vndè illa indeterminatio, qua calor ignis dicitur non determinatus magis ad indncendam duritiem, quàm liquefactionem; non importat absentiam alicuius entitatis, quam posset, & deberet intrinsecè habere calor, ad hoc vt vnum, & non alterum induceret effectum; sed importat quandam possibilitatem calori aduenientem ex denominatione extrinseca: inquantùm, scilicet, in sphæra actiuitatis ipsius caloris non magis potest inueniri materia, quæ, calore in ipsa recepto, durescit, quàm quæ calore liquescit. Vndè ignis ideo dicitur non esse, quantùm est ex vi caloris, determinatus ad inducendam indurationem potiùs, quã liquefactionem; quia, quantùm est ex vi sui caloris, non habet, quòd actio eius recipiatur potiùs in materia, per cuius dispositionem determinatur ad inducendum effectum indurationis; quàm in materia, per cuius dispositionem determinatur ad effectum liquefactionis: sicut nec habet ex vi sui caloris, quòd in sphæra suæ actiuitatis inueniatur, vna potiùs, quàm alia materia.

789 Concluditur, non esse necessariũ, quòd effectus in fimę causę quantũ ad rationem specificã, & numericam refundatur, vt in propriũ principium, in motũ primi mouentis.

18 Atque ex his modò, quæ ratione, exemplis, & auctoritate S. Thomæ ostendimus, apparet, quòd non oportet, vt diuersitas specifica, & indiuidualis inuenta in effectu rei naturalis, refundatur, vt in principium, vndè oritur talis diuersitas, in diuersitatem motus, quo idem agens naturale mouetur à suo superiori agente. Vtpotè quia diuersitas specifica potest prouenire, tàm ex diuersitate. intermediorũ agentium secundùm id, quod in eis præsupponitur ad illum motum, per quẽ superiora agentia mouendo inferiora influũt in effectum inferiorum: quàm etiã ex diuersitate materię secundùm ea, quæ etiam supponũtur esse in eadem materia antequàm in eam agat agens per illum motum: vt patet in exemplo allato à S. Thoma: Diuersitas enim illa, quæ est in luto, & in cera, ex qua prouenit, quòd calor efficiat effectus illos specie diuersos, puta, indurationem, & liquefactionem, præsupponitur ad actionem illam, qua ignis, vt motus à suis superioribus causis, agit in lutum, & ceram. Motus enim ille, quo mouetur ignis à prima causa, non habet per ignem efficere ceram, & lutum; sed supponit ea iam producta per alias actiones, quæ etiam reducuntur in primã causam; sed per alios motus, non per illum, quo mouet ignem ad agendum in ceram, & lutum. Ille enim motus præsupponit tàm ignem, in quo recipitur (non enim ille motus facit ignem, aut ignis calorem) quàm ceram, & lutum in quæ agit.

799 Diuersitas causarũ mediarum, secũdum quã influũt in effectum præsupponitur motui superiorum causarum.

19 Similiter diuersitas causarum mediarum, secundùm quarum diuersitatem causa determinata ad vnum habet producere diuersos effectus (vt habes ex S. Th. verbis proximè relatis num. 15.) præsupponitur ad motum, quo prædictæ causæ mediæ mouentur à suis superioribus causis, quæcunque sint illæ, tametsi prima simpliciter. Causæ enim illæ mediæ vna cum suis proprijs virtutibus actiuis præsupponuntur productæ per alias actiones, siuè per creationem à solo Deo, siuè per generationem mediantibus causis creatis. Deus sanè per illum motum, quo mouet siuè Intelligentias, siue corpora cœlestia, siue hæc inferiora corpora, non facit illa, nec quo ad substantiam, nec quòad proprietates naturales, sed supponit ea facta à se per alias actiones, vt notauimus num. 1. huius §. Ex quo est, quòd diuersitas effectuũ procedentium à causa determinata ad vnum, resoluitur non in motum, quẽ recipit eadem causa determinata ad vnũ, sed in diuersitatem principiorum mediarũ causarum, quæ præsupponuntur non fiũt per illum motum, quo mouentur.

800 Diuersitas indiuidualis potest prouenire à materia, quæ præsupponitur motui.

20 Diuersitas etiam indiuidualis potest prouenire èx diuersitate materiæ; & secundùm ea, quæ in ipsa supponuntur ad motum, quo ipsamet mouetur ab agente siuè proximo, siue remoto, quod eam mouet, vt motum à primo agente. Non enim potest assignari ratio, quarè diuersitas specifica possit reduci, vt in principiũ, in diuersitatem materiæ: diuersitas verò merè indiuidualis in eam refundi non possit: Maximè, cum in sententia S. Thomæ proprium principium distinctionis merè indiuidualis sit materia.

801 Ex discursu S. D. potest colligi

21 Amplius, quòd diuersitas indiuidualis effectus rei naturalis nõ refundatur, vt in proprium principium in diuersitatẽ motus, quo agens infimum, puta hic leo

ge-

diuersitatē indiuiduationis non posse in motū, quo inferiora agētia mouētur à superioribus.

generans, mouetur à superioribus agentibus, conijci potest ex doctrina S. Thomæ verbis relatis §. 8. huius disp. num. 10. quibus exemplariter proponit, & graduationem causarum, & graduationem effectuum respondentium proprijs formis, seu virtutibus actiuis earundem causarum. Et quantùm quidem ad ordinem effectuū considerat, quòd res naturalis est, & ens, & res naturalis, & huius, vel illius speciei, & hoc indiuiduum, e. g. hic leo. Quantùm verò ad ordinem causarum, enumerat Deum, corpora cœlestia, inter quæ cum Aristotele comprehendit causas proprias huius, & illius totius speciei (vt habes ex eodem S. Doctore Opus. XV. cap. 10. columna 3. in princ.) & hoc indiuiduum, e.g. hic leo generans. Dicit deinde, quòd hic leo genitus ab hoc alio leone generante sic correspondet omnibus superioribus causis: quòd secundùm rationem vniuersalissimam, puta vt ens, correspondet vniuersalissimæ, seu primæ causæ, puta, Deo, & quòd leo generans attingit hunc effectum in leone genito, inquātùm agit in virtute primæ causæ, et vt est instrumentum motum ab ea: secundùm verò rationes minus vniuersales, puta inquantùm est res naturalis, & huius speciei scilicet leonis, correspondet vt proprius effectus corporibus cœlestibus, et illi causæ quæ respicit totam speciē. Et inde dicit, quòd leo generans non attingit in suo effectu has rationes; nisi vt est instrumentum motum à prædictis causis. Tandem secundùm rationem indiuidualem nulli causæ superiori eū ascribit, vt proprium effectum. Quarè remanet, quòd secundum prædictam rationem, vel sit proprius effectus infimæ causæ, non excedens eius virtutem, vel quòd talis effectus habeat propriam originem ex subiecto, & materia, in quam agit infima causa proximè, & immediatè; & sic ratione infimæ causæ refundatur in alias causas superiores, vt infrà demonstrabimus. Et hæc consequētia patet: Nā si quis diceret, indiuiduationem effectus excedere virtutem propriā infimi agentis, puta leonis generantis; & ex alia parte simul diceret, quòd effectus quantùm ad indiuiduationem spectaret ad aliquam superiorem causam, vt effectus proprius: ineuitabiliter indè sequeretur, quòd talem effectum leo generans attingeret, vt instrumentum motum ab illa causa, cuius esset proprius effectus. Hoc autem est euidenter contra S. Thomā. Nā causis vniuersalibus, & superioribus assignat effectus vniuersales; vt proprios effectus, non autem indiuiduationem, quæ nullam habet vniuersalitatem.

22 Et indè tādem sequitur, quòd diuersitas indiuiduorum genitorū ab eodē agente infimo hìc, & nunc, aliundè prouenire nō possit, quàm ex diuersitate materiæ. Siquidē à causa determinata ad vnū, quales sunt omnes virtutes irrationales (vt statim demonstrabimus) non procedunt diuersi effectus; nisi vel propter diuersitatem mediarum causarum, vel propter diuersitatem materiæ (vt habes ex S. Thoma relato in hoc §. num. 15.) At verò infima causa, vt est hic leo generans, vel strictiùs hoc semen leonis, non agit per intermedias causas. Remanet ergò, quòd talem effectuum diuersitatem aliūde habere non possit, quàm ex diuersitate materiæ, seu ex subiecto, in quod agit, & debet præsupponi actioni eius, quod in ipsum subiectum agit in virtute motus superiorum agentium. Vt probabimus §. 13. & 14. tam rationibus à priori, quàm expressis auctoritatibus S. Doctoris, cuius obiter considera verba, quibus lib. 2. cōtra gent. cap. 21. ratione octaua concludit suum discursum dicens. *Omne igitur agens finitum præsupponit ad suam actionem hoc, vndè causatum suum individualiter subsistit.* Sed hanc, & alias plures auctoritates vide locis citatis.

802 *Diuersitas indiuiduorum in eadem specie ex sola diuersitate materiæ prouenire potest.*

Locus S. Thomæ ad propositū.

23 Itaque ex dictis apparet primò, falsam esse illam Recentium existimationem, qua diuersitatem specificam, & numericam in effectu rei naturalis inuētam credunt refundendam esse, vt in proprium principium, in diuersitatem motus, quo agens naturale mouetur à suo superiori agente.

803 *Primū corollarium contra Recentes.*

24 Apparet secundò, discursum prædictorum Recentium deficere illo simili modo, quo exempla allata num. 11. 12. 13. & 17. Nam ipsi sic discurrunt. Hoc indiuiduum, e. g. hic leo generans, potest plura individua suæ speciei generare: & non est magis determinatus ad vnum, quā aliud generandum: ergò ad hoc, vt vnum potiùs, quàm aliud generet, oportet, vt virtus eius determinetur per aliquem motum in ipsa receptum à superioribus causis. Qui quidem discursus est omninò similis prædictis exemplis, vt patet.

804 *Discursus Recentium deficit eodem modo, quo exēpla allata.*

25 Apparet tertiò, quòd illa propositio assumpta in discursu Recentium, puta, virtus huius leonis generantis (si tamen consideretur non prout est hìc, & nunc applicata ad hanc materiam) non est magis determinata ad vnum, quàm ad aliud indiuiduum generandum, illo simili modo verificetur, quo num: 17. huius §. verificari diximus illam propositionem: *calor ignis non est determinatus magis ad effectum indurationis, quàm*

805 *Explicatur sensus illius propositionis: Agens est indeterminatum ad agēdū hoc, vel illud indiuiduū.*

Digitized by Google

liquefactionis. In vtraque enim propositione ille terminus, *indeterminatus*, non significat absentiam alicuius entitatis quam posset habere in se intrinsecè virtus calefactiua, seu generatiua; sed absentiã materiæ, quæ potest subijci actioni, seu actionem recipere à virtute calefactiua, & generatiua. Vnde inquantùm non est determinatum, quòd hæc, & non alia diuersa materia subijciatur actioni prædictorum agentium, dicuntur prædicta agentia, non esse determinata ad hunc, vel illum effectum: determinantur verò per hoc, quod hæc, & non illa materia eorum actioni subijcitur.

Thomã docentem ex causa determinata ad vnum procedere diuersos effectus.

Explicatur alia falsa existimatio Recentium.

806 *Recẽtes existimãt potentias actiuas irrationales esse indeterminatas illo modo, quo rationales:*

26 ET indè tandèm percipies aliã falsam existimationem, in quam inaduertenter inciderunt prædicti Recentes contra expressam sententiam S. Thomæ, Aristotelis, & aliorum Peripateticorum. Porrò existimarunt, quòd agentia merè naturalia, quæ, scilicet, non agunt per apprehensionem, & appetitũ, vt animalia, in quibus aliquæ potentiæ actiuæ sunt rationales, & dicuntur agere inquantùm ita apprehendunt, non autẽ inquantùm ità sunt: sed quæ agunt per formam merè naturalem, & in quantùm ita sunt: vt sunt cœlestia corpora, elemẽta, omnia insensibilia, & etiam sensibilia quantùm ad vitam nutritiuam, et generatiuam, in quibus nulla est potentia actiua rationalis, & à quibus procedunt diuersi effectus, et specie, et numero, non sint, inquantùm agunt prædictos effectus diuersos, agentia determinata ad vnum; sed indifferentia illo modo indifferentiæ, quo dicuntur indifferentes, et nõ determinatæ ad vnum potentiæ actiuæ rationales.

Et quidem, quòd habeant istam existimationem patet. Nam ex eo, quòd aliquod agens, vt hic leo, agit, vel successiuè, vel simul diuersa indiuidua, inferunt, tale agens posse illa diuersa, et nõ esse eius virtutem determinatam magis ad vnum, quam ad aliud, et ex hoc inferunt, quòd ad hoc, vt agat vnum, et non aliud, indiget, vt eius virtus determinetur ad vnum ab aliquo alio agente, ac per hoc argumentantur de potentijs actiuis irrationalibus, sicut de rationalibus.

807. *Præiacta existimatio est expressè cõtra S.*

27 Quòd autem talis existimatio sit expressè contra S. Thomam, patet verbis relatis in hoc §. num. 15. quibus docet, quòd à causa determinata ad vnum procedunt diuersi effectus, si agat per intermedias causas, vel præsuppositio subiecto, in quod agit. Non valet ergò ista consequentia: hæc causa agit diuersos effectus numero, præsuppositio subiecto, ergò talis causa non est determinata ad vnum. Contradictorium enim huius docet S. D. nẽpè, quòd à causa determinata ad vnũ, agente præsuppositio subiecto, procedunt diuersi effectus. Num dices leonem, & alia inferiora agẽtia, vel etiam aliquod agẽs finitum, quodcunque sit illud, agere aliquid non præsuppositio subiecto? Omnia ergò talia agentia creabunt suum effectũ. Hoc enim est creare, producere effectum, nullo præsuppositio subiecto. Si ergò omne agens finitum agit, præsuppositio subiecto, & omne agens determinatum ad vnum est finitum, sequitur, quòd omne agens determinatum ad vnum agat, præsuppositio subiecto: & sic agens potest esse determinatum ad vnum, & potest diuersa producere, diuersitate proueniente ex subiecto, quod præsupponitur actioni.

808 *Locus Aristotelis exclusus existimationem Recẽtium:*

28 Quòd autem sit contra Aristotelẽ, & omnes Peripateticos, patet ex doctrina, quam habet 9. metaph. tex. 10. apud D. Thomam lect. 4. vbi assignat discrimen inter potentias rationales, & irrationales, his verbis, *Tales quidem potentiæ* (ideſt irrationales) *necesse, quando vt possunt, passiuum, & actiuum appropinquant, hoc quidem facere; illud verò pati: illas verò* (ideſt rationales) *non necesse. Hæ quidem enim omnes vna vnius factiua, illæ autem contrariorum. Quare simul facient contraria, scilicet, si agerent approximata passiuo sine aliquo determinãte. Hoc autem impossibile.* Quæ verba sic exponit S. Doctor.

Explicatio S. Th.

Ponit (ideſt Philosophus,) *differenti ã prædictarum potentiarum dicens: quòd in potentijs irrationalibus necesse est, quando passiuum appropinquat actiuo in illa dispositione, qua passiuum potest pati, & actiuum potest agere, necesse est, quòd vnum patiatur, & alterum agat. Vt patet quãdo combustibile applicatur igni. In potentijs verò rationalibus non est necessarium. Non enim necesse est ædificatorem ædificare, quantumcumque sibi materia appropinquaret. Et assignat causam prædictæ differentiæ dicens: (Nota) quòd potentiæ irrationales ita se habent, quòd vna est factiua tantum vnius. & ideò præsente passiuo, necesse est, quòd faciat illud vnum, cuius est factiua. Sed vna, & eadem potentia rationalis, est factiua contrariorum, vt superius habitum est. Si igitur necessarium esset, quòd præsente passiuo faceret illud, cuius est factiua sequeretur, quòd simul:*

Digitized by Google

faceret contraria, quòd est impossibile. Sicut si medicus induceret sanitatem, & ægritudinem.

809 *Inculcatur prædicta doctrina contra Recentes.*

29 In quibus, vt vides, docet, quòd omnes potentiæ irrationales sunt determinatæ ad vnum, ita *quòd vna sit factiua tantùm vnius: & ideò præsente passiuo, necesse est, quòd faciat illud vnum, cuius est factiua:* idque sine alio determinante: cùm sit factiua tantùm vnius. Quę enim necessitas determinandi, immò quæ potest intelligi determinationis additio ei, quæ est factiua tantùm vnius? Num dices falsam sentētiam S. Thomæ? Sed si Thomista es, nimis à S. Thoma discessisses. Dices ergō, eum loqui de vno in specie, non autē de vno in indiuiduo, ita ut sensus sit: quòd potentiæ irrationales possunt vnàm tantùm speciem effectus; at verò rationales oppositas species. Sed habes contra te D. Thomā verbis relatis nu. 15. quibus docet, quòd calor ignis, qui est potentia irrationalis, vna actione mollit, & indurat; & sanè mollities, & durities sunt effectus contrarij. Potest ergò secundùm sententiā S. Thomæ potentia determinata ad vnū, & quæ est factiua tantùm vnius, efficere effectus contrarios. Quomodo ergò non erit sibi repugnans S. Doctor? Quid respondebis: nisi id, quod est in eisdem verbis S. Thomę expressum? Dices vtiq; quòd potentia irrationalis est factiua tātùm vnius in vnam eandemque materiā quæ sibi appropinquat, licèt in diuersas materias, diuersa possit, sed in vnamquamque illud vnum cuius in talē materiā est factiua. Non sic potentia actiua rationalis. Hæc enim in eandem materiam posset opposita, ac per hoc, si præsente materia in eam ageret absque aliquo determinante id, quod in eam poset, ageret opposita simul. Benè, nec aliud est, quod responderi potest.

Augetur difficultas

Soluitur difficultas ex mente S. Thomæ

810 *Ex prædicta solutione vrgentur Recentes,*

30 Verùm, dum ita est, peto; an virtus agentis naturalis, seu irrationalis in vnam eandemque materiam, quæ sibi approprinquat, possit inferre plures formas numero diuersas; An verò formas numero diuersas tolùm possit in diuersas materias; ita vt in quamlibet inducat illam vnā numero, quàm hìc, & nunc in illā potest. Si hoc secundū (quod verū est) diceres, iā inde haberetur, quòd talis virtus est determinata omninò ad vnum, quia esto diuersa indiuidua faciat in diuersas materias, attamen in vnamquamque materiam hìc, & nùnc sibi appropinquātem inducit illud vnum, cuius in ipsam, vt nunc, est factiua, sicut calor ignis est determinatus ad vnū in specie,

Nō potest in sentētia S. Th. ad-

esto in diuersas materias agat diuersa specie, quia in vnamquamque materiam inducit vnum effectum in specie, cuius in ipsam est factiuus. Si verò diceres primū; in primis destrueres vno ictu magnam partem philosophiæ. D. Thomæ, qui perpetuò docet principium indiuiduationis esse materiam, & quod agens ideo inducit hanc formam in indiuiduo, quia agit in hanc materiam; Et ideò Deum creare hanc animam rationalem in indiuiduo, quia talem exposcit hæc materia. Si autē agens naturale, attenta virtute naturali, posset in vnam eandemque materiam inducere diuersas formas in indiuiduo, posset Deus, etiam seruādo ordinem naturæ, infundere cuilibet materiæ quamlibet animam rationalem.

mitti potē tia educendi plures formas diuersas solo numero ex eadem materia.

811 *Materia signata non posset esse principiū indiuiduationis, secundū dictam respōsionem.*

31 Et quidem, quòd dicta prima responsio excluderet à materia signata principium indiuiduationis, sic apparet. Nam si tale determinatum agens in hāc materiam designatam, in quam hìc, & nunc inducit hanc formam, posset tunc in eandem, non obstante eius designatione, inducere aliam diuersam solo numero: ita ut, quòd agens hanc, et non aliam solo numero diuersam educat de potentia talis materiæ designatæ, non proueniat ex eo, quod agit in hanc materiam; sed ex eo quod virtus eiusdem agentis est determinata ad educendum hanc, & non aliam numero diuersam: tunc nullam rationem haberemus dicendi materiam designatam esse proprium principium, vndè forma sumit suam indiuiduationem. Et sequela hæc patet. Nā secundùm hunc modum dicendi, in ordine ad eandem materiam designatam darentur plures formæ solo numero differentes; illa, scilicet, quam in dictam materiam inducit agens, & alię diuersæ numero, quas in eandem posset idem agens absolute tunc inducere, et non inducit, seu aliæ, quas materia sub eadem designatione posset recipere, licet actu non reciperet. Tales enim formæ licèt actu non existant; secundùm quòd tamen sunt possibiles esse, essēt solo numero differentes in ordine ad eandem numero materiam designatam. Principium ergò distinctionis meræ numericæ inter dictas formas possibiles non esset materia designata.

812 *Ex necessariò dicendis in sententia S. Th. ineuitabiliter infertur,*

32 Quare si dicatur id, quod necessariò dicendum est in sententia Sancti Thomæ (vt videre potes apud Salmāticenses tom. 1. Trac. 1. disp. 1. dub. 1. nu. 27.) nēpè, quòd in ordine ad hanc materiā designatam non sunt (saltem naturaliter) possibiles plures formę solo numero di-

agens determinari ad individuum per materiam designatã.

diuersæ, sicut nec plura solo numero accidentia in ordine ad idem subiectum (vt ex *D.* Thoma docent ijdem *Salmãticenses* eodem Trac. disp. 2. num. 12. & à n. 15. ad 18.) indè inuitabiliter sequitur, quòd agens secundùm aliquam speciem formæ hoc ipso determinatur ad agendũ hanc sub illa specie, quòd agit in hanc materiam designatam, & in hoc determinatum subiectum formaliter sumptũ, prout, scilicet, connotat hoc tempus, vt dicti *Salmãticenses* explicant.

812 *Ex pluribus locis S. D. deducitur, non posse dari plures formas solo numero differentes in ordine ad eandẽ materiam designatam.*

33 Quòd autem hoc sit necessariò dicendum in sententia S. Thomæ, obiter colligere potes ex his, quę docet de anima rationali. *Sententia* quippè S. *Doctoris* est: quòd de ratione huius animæ, inquantùm est hæc numero distincta ab omnibus alijs eiusdem speciei, est habitudo, & vnibilitas ad hoc corpus. Hinc quæst. de *Spiritualibus creaturis* art. 9. ad 4. sic habet *Sicut de ratione animæ est, quòd sit forma corporis: ità de ratione huius animę, inquantùm est hæc anima, est, quòd habeat habitudinem ad hoc corpus.* Et idem repetit ad XV. eiusdem ar. dicens: *Anima individuatur secundum materiam corporalem, vt dictum est, inquantùm scilicet habet habitudinem, vt sit forma huius corporis*: Et quæst. vnica de Anima art. 3. circa finem corp. sic habet. *De ratione animę humanæ est, quòd corpori humano sit vnibilis*, &c. *Vnde quòd sit vnibilis huic, aut illi corpori multiplicat animam secundùm numerũ.* Et idem inuenies alibi. Si ergò de ratione huius animæ, inquantùm est hæc numero diuersa ab omnibus alijs, est, quòd sit vnibilis huic designatæ materiæ, seu corpori, nulla in sententia *S.* Thomæ est possibilis anima numero diuersa, quæ sit vnibilis eidem designatæ materiæ, seu quæ ad eandem materiam habeat habitudinẽ. *Sicut* nulla alia anima possibilis numero diuersa potest esse hæc, quæ ab ea est diuersa numero: Cùm ergo eadem sit ratio de anima rationali, & de alijs speciebus formarum habentium diuersitatẽ numericã à materia; sequitur indè, quòd in ordine ad eandem numero materiam non sunt possibiles, in sententia *S.* Thomæ, plures formæ solo numero diuersæ: *Sicut* nec sunt possibiles plures formæ accidentales solo numero diuersæ in ordine ad idem subiectum formaliter sumptum:

814 *Prædicta responsio repugnat Aristoteli*

34 Amplius hoc, quod prædicta responsio aserit, est id, quod cohærere non valet cum doctrina *Aristotelis*, *Diui* Thomæ, & aliorum *Peripateticorum*, relata num. 28. huius §: Quandoquidem secundùm datam responsionem, virtuti irrationali conceditur talis potentia in plura, quòd si agens secundum eam ageret absque aliquo determinante in passiuum sibi propinquum, conferret plures formas incompossibiles in idem subiectum, sicque oporteret, vt virtus irrationalis non ageret in passum sibi propinquum, illo simili modo, & propter eãdem rationem, ob quam non agit virtus rationalis: & ita corrueret tota prędicta doctrina *Aristotelis*, quam communiter sequuntur cum *D. Thoma*, alij Peripatetici,

815 *Ex responsione Recentium sequitur, quòd virtus irrationalis non ageret in passiuũ sibi propinquum, si sit sine determinante, & quòd si ageret; inferret duas formas solo numero differẽtes*

35 Et sequela hæc patet: Nam prædicta responsio concedit virtuti irrationali potentiam ad inducendum plures formas numero in eandem materiam, seu in idem subiectum; et quòd per hoc habet inducere vnam ex illis, quas potest, quòd ab aliquo alio determinatur ad illã vnã numero: Sequitur ergò, quòd si ageret id, quod potest in dictam materiam, seu subiectum; et non esset ab alio determinata ad vnum, induceret in eandem materiam, seu subiectum plures formas solo numero diuersas, quod non minus est incõueniens, quàm simultas oppositarum formarum in eodem subiecto. Oportet ergò, quòd virtus irrationalis existens absque determinante non agat in passiuum sibi propinquum: et quòd si sine determinante ageret in idem passiuum, in ipsum inferret plures formas solo numero differentes; quod est inconueniens. Hæc autem est ratio, ob quam non est necessarium, quòd virtus rationalis, existens sine determinante, agat in passiuum sibi propinquum. Ergò virtus irrationalis sine determinante non ageret in passiuum sibi propinquum illo simili modo, et ob eandem rationem, ob quam virtus rationalis sine determinante non agit in simile passiuum.

816 *Ostenditur euertido doctrinã Aristotelis ex positione responsionis Recentium.*

36 Hoc posito euidens est, quòd corrueret tota doctrina *Aristotelis* circa discrimen inter potentias actiuas irrationales, et rationales. Nam discrimen erat, quòd irrationales necesse habent agere in passiuum sibi propinquum; quia quælibet est factiua tantum vnius: rationales verò non, quia sunt *factiuę contrariorum, & simul facerent contraria, scilicet, si agerent applicata passiuo sine aliquo determinante*, vt inquit *Aristoteles*. Hæc autem doctrina tota corrueret, vtpotè quia virtutes actiuæ irrationales, existentes sine determinãte, non agerẽt, quantumcunque esset passiuum sibi propinquum; et hoc, quia essent factiuæ diuersorum solo numero distinctorum, et

simul

simul ea inducerēt in idem passiuū, si agerent absque aliquo determinante, quod est inconueniens. Quæ ergò restaret differentia? Non alia sanè, quàm quòd aliud est inconueniens consequens ad irrationales, si absque determinante ageret, & aliud, quod sequitur ad rationales, si simili modo agerent; quia, scilicet, ad has sequitur, quòd agerent simul contraria: ad illas verò, quòd agerent in idem subiectum plura solo numero diuersa. Cæterum in eo, quod non agerent sine determinante, & in eo, quòd vna non est actiua tantùm vnius; conuenirent: in quibus tamen consistit earum discrimen secundum Aristotelem.

Quod restaret discrimen inter irrationales, & rationales virtutes

817 *Testimonium S. D. ad confutā dos Recentes.*

37 Et aduerto hìc obiter, quòd ad euertendam istam cogitationem, qua virtutibus irrationalibus actiuis, (quæ solent communiter appellari determinatæ ad vnum) existimatur aliquid addendum, determinans illas ad vnum numero, ad hoc vt exeant in actum, extat egregius locus S. D. quem retulimus disp. 1. §. 3. nu. 12. considera hunc locum.

Colligitur ex dictis ratio ostensiua sententiæ Sancti Thomæ.

818 *Ex dictis sequitur, determinatiuū influentiæ superioris causæ ad speciem effectus esse virtutē inferioris agentis.*

38 TAndem ex his, quæ manifestantes radicem deceptionis horum Recentium diximus, videtur aperta via ad rationem ostensiuam sententiæ S. Thomæ, quam defendimus. Porrò ostendimus, quòd ab influentia causæ determinatæ ad vnum procedunt diuersi effectus, si contingat eam agere per diuersas causas medias; quia tunc diuersitas effectus potest prouenire ex diuersitate virtutum intermediarum causarum, per quas talis causa influentiam suam transmittit in effectus diuersos. Similiter ostēdimus, quòd diuersitas effectuum à virtute determinata ad vnum, potest prouenire ex diuersitate materiæ, in quam siue immediatè, siuè alijs mediantibus causis, talis virtus agit. Ex his autem sequitur euidenter, quòd proprium principium, vnde influētia causæ superioris sumit suā determinationem, quantùm ad diuersitatem effectus specificam, siue subalternam, siue infimam, sit diuersitas virtutum actiuarum inferiorum causarum, per quas, tanquam per sua instrumenta trāsmittit causa superior influentiam suam in vltimum effectum: quantùm verò ad diuersitatem individualem eiusdem effectus, sic virtus singularis infimi agentis (e.g. virtus huius seminis) inquantùm habet agere in hoc designatum passiuū: ita vt principium, vndè vltimatè sumit influentia omnium superiorum causarum determinationem quantùm ad rationem individuale effectus, sit, in substantijs quidem, materia designata, in accidentibus verò, subiectum formaliter sumptum.

819 *Ratio ostensiua nostræ sententiæ proponitur.*

39 Ratio hæc, quantùm ad determinationem ad rationem specificam, sic proponi potest. Id vndè primò influentia causæ vniuersalis determinatæ ad vnum habet, quòd procedat in diuersos effectus in specie, seu in hanc, & non in illam speciem effectus ex illis, quos potest, est proprium principium, vndè talis influentia sumit suam determinationem, quantùm ad rationē specificam effectus. Sed virtus causæ inferioris, quæ in ipsa inferiori præsupponitur ad influentiam superioris, est id, vndè primò influentia superioris causæ determinatæ ad vnum habet, quòd procedat in hunc, & non in illum effectum specie diuersum. Ergò virtus causæ inferioris, &c. est proprium principium, vndè influentia causæ superioris sumit suam determinationem, quātùm ad rationem specificam effectus. Maior est per se nota, seu immediata, quia eius subiectum continet propriam rationem prædicati, sicut ista propositio: omne rationale est risibile.

820 *Causæ determinatę ad vnum, quædā sūt ad vnum genus, quędā ad vnā speciem.*

40 Debet tamen aduerti circà illa verba: *Influentia causæ vniuersalis determinatæ ad vnum*, quòd, (vt colligi potest ex verbis S. D. relatis §. 8. num. 10. & ex his, quæ diximus eodem §. à num. 12. ad 20. & §. 9. num. 3.) causæ sunt determinatæ ad vnum secundum modum formæ, qua constituuntur in actu. Causa enim quantò est magis in actu, seu actualior tantò est superior, & quò est actualior, eò est efficacior, & vniuersalior, & effectus eius est quid communius, & in pluribus inuentum. Ex quo fit, quod quò causa determinata ad vnum est superior, eò est determinata ad vnum communius. Vndè datur causa determinata ad vnum genericè, cuius, scilicet, virtutis obiectū est aliquod totum genus. Ita est corpus cœleste, quod per suam formam est adeò in actu, quòd est immobile secundum alterationem, & omnes alios motus alterationem sequentes, vt habes ex S. Thoma relato in hac disp. §. 7. num. 26. ac p hoc est primum alterans, & tendit in alterabile, vt sic, seu in generabile, & corruptibile genericè sumptum. Datur etiā causa determinata ad vnū specificè, cuius, scilicet, obiectum virtutis est aliqua tota species, cuius causæ sunt instrumenta virtutes actiuæ agētium vniuocorum, & aliæ virtutes seminales, quæ in his inferioribus sunt immediatè actiuæ circa

ma-

Digitized by Google

Influẽtia cauſę determinatæ ad vnum genus non eſt determinata ad effectum in ſpecie, &c

materias ſingulares. Et indè eſt, quòd influentia cauſæ determinatæ ad vnum genericum ſolùm habet, quantùm eſt ex vi formæ, à qua procedit, quòd tendat in tale vnum ſumptum genericè, & ſic, quatùm eſt ex ſe, non habet, quòd tendat in hanc, & illam ſpeciem contentam ſub illo genere. Similiter influentia cauſæ determinatæ ex vi ſuæ formæ ad vnum in ſpecie, ſolùm habet ex principio, à quo exit, quòd tendat in vnam ſpeciem, non autem quòd tendat ad aliquod determinatũ indiuiduum. Atquè ex his fit, quòd debet aſſignari aliquid, ex quo influentia tendens in vnũ genus habet primò, quòd tendat in aliquam determinatam ſpeciẽ contentam ſub illo genere. Sicut etiam debet aſſignari, per quid influentia tendens in vnum ſpecie, habet primò, quòd tendat in indiuiduum contentum ſub tali ſpecie.

821 *Ordo p ſe cauſarum exigit, vt cauſa ſuperior nõ poſſit in effectũ remotum, niſi p proximas, & immediatas.*

41 Debet ſecundò aduerti circa cauſas determinatas ad vnam, quòd ordo per ſe in dictis cauſis non ſolùm conſiſtit in eo, quòd cauſa inferior non agit, niſi dependenter, & vt mota à ſuperiori, ſed etiam in eo, quòd cauſa ſuperior, non niſi p cauſas ſibi inferiores, quæ ſunt immediatiores effectibus, effectus ipſos producat; tali autem ordine prætermiſſo, tales cauſæ nec agunt, nec agere poſſunt. Hinc Intelligẽtię motrices Cœlorum nil agere poſſunt ex his, quæ circà hæc inferiora corpora agunt mediante motu corporũ cœleſtium, prætermiſſa tali motione. Similiter ea, quorum cauſæ proximæ ſunt virtutes actiuæ ſeminales horum inferiorum agentium, à corporibus cœleſtibus fieri minimè poſſunt, ſi tales virtutes deficiant, quia ſtatutum eſt eis, vt per illas in tales effectus perueniant. Primum horum docuit S. Doctor ſępiſſimè, & patet ex locis totiès ſupra inculcatis. Secundùm verò docuit lib. 3 cõtra gẽt. cap. 88. ratione prima, in qua prędicta doctrina vtitur, vt principio ad ſuum intentũ, & ſic habet. *Omnium creaturarum actiones ſub ordine diuinæ prouidentiæ cõtinentur: vndè præter leges ipſius agere non poſſunt. Eſt autem prouidentiæ lex, vt vnumquodquè immediatè à proxima ſibi cauſa moueatur: cauſa igitur ſuperior creata tali ordine prætermiſſo, nec mouere, nec agere poteſt. Proximum autem motiuũ voluntatis eſt bonum intellectum, &c. Nulla igitur ſubſtãtia creata poteſt mouere voluntatem; niſi mediante bono intellecto.* In quibus, vt vides, docet, quòd cauſæ ſuperiores creatę habent legem ſtatutam ſibi ab auctore naturæ, ſeu diuina prouidẽtia, ne in effectus vltimos procedant, niſi per cauſas, quæ ſunt prędictis effectibus immediatæ: & quòd tali ordine prætermiſſo, nec mouere, nec agere poſſunt.

Expreſſus locus S. D.

822 *Cauſa determinata ad genus debet agere per determinatã ad vnũ in ſpecie.*

42 Et inde fit, quòd cauſa ſuperior determinata ad vnum genus, peruenire minimè valeat ad aliquam ſpeciem effectus contentam ſub illo genere, niſi per illam cauſam, quæ per virtutem ſequentem formam, qua conſtituitur in actu, eſt determinata ad illam ſpeciem: eò quia talis cauſa eſt immediata in ordine ad effectum in ſpecie.

823 *Minor rationis propoſitæ cõcluditur ex dictis.*

43 Minor autem ex dictis ſic concludi poteſt. Influentia cauſæ determinatæ ad vnum poteſt diuerſos effectus producere, ſi agat, ſeu tranſmittatur per diuerſas cauſas medias, ſeu inferiores. Ergò influentia cauſæ determinatæ ad vnũ genus poteſt diuerſas ſpecies ſub illo genere, ſi agat, ſeu tranſmittatur per diuerſas intermedias, ſeu inferiores cauſas, quarum quælibet eſt diuerſa ab alia, inquantùm ex vi propriæ formæ, ſeu virtutis, eſt determinatè factiua vnius ſpeciei effectus ſeu eſt determinata ad vnum ſpecie diuerſum contentum ſub illo genere. Ergò dicta influentia determinata ad vnum genus, quæ quantùm eſt ex ſe, & ex vi principij, vndè exit, non habet determinationem ad producendum determinatã ſpeciem ſub genere, talem determinationẽ accipit per hoc, quòd agit per virtutẽ, ſeu vnitur virtuti inferioris, ſeu intermediæ cauſæ, quæ ex ſe, & ex vi principij, vndè fluit, eſt determinata ad ſpeciem effectus diuerſam ab alijs. Id ergò, vndè primò influentia cauſæ determinatæ ad vnũ genus accipit determinationem ad procedendum in effectum ſpecie diuerſum ab alio ſub illo genere, eſt determinatio, quam habet ex ſe principium, & virtus inferioris cauſæ, quæ præſupponitur ad influentiam ſuperioris cauſæ.

824 *Prima cõſequentia probatio-nis minoris oſtẽditur.*

44 Primum antecedens eſt doctrina S. Thomæ in hoc §. num. 15. inculcata. Prima verò conſequentia ſequitur euidẽter ex prædicto antecedenti. Nam ſi influentia cauſæ determinatæ ad vnum poteſt agere diuerſos effectus, diuerſitate proueniente ex diuerſitate inuenta in intermedijs cauſis, ex vna parte: & ex alia diuerſitas inuenta in qualibet ex intermedijs, eſt diuerſitas virtutis determinatæ ex ſe, & ex vi principij, vndè fluit, ad agẽdum effectum ſpecie diuerſum contentum ſub illo vno genere in quod tẽdit ex ſe ſuperius agẽs; indè clarè fit, quòd talis influentia aget diuerſa ſpecie ex cõtentis ſub genere, ſi aget per dictas diuerſas intermedias cauſas. Non enim cauſæ illæ inter-

Digitized by Google

termediæ per influentiam superioris extrahi possunt extra obiectum suæ proprię virtutis. Sed causæ superiores (si tamen sunt ex creatis) sunt astrictæ ad agēdū per intermedias causas effectus illos, ad quos sunt prædictæ causæ intermedię determinatæ: vndè influencia Cœli recepta in virtute generatiua leonis, astringitur ad generandum leonem.

825 *Manifestatur secunda consequentia.*

45 Secunda consequentia sequitur ex præcedenti iam probata. Nam ex vna parte influentia causæ determinatæ ad vnum genus non habet ex se, & ex vi principij, vndè procedit, quòd efficiat hanc, & non illam speciem effectus contentam sub tali genere: Ex alia verò parte habet, quòd procedat in hanc, & non in illam, &c. per hoc, quod virtus inferioris, per quam agit, & cui vnitur in ipso inferiori est determinata ad hanc, & nō illam speciem effectus. Siquidem diuersitas, qua influentia superioris causæ determinatæ ad genus procedit in diuersos effectus specie diuersos sub genere, procedit (vt supra inculimus) ex diuersitate virtutum inferiorum agentium determinatorum ad diuersum effectum in specie. Ergò influentia causæ superioris recipit determinationem, per quam procedit in hanc, & non illam speciem effectus à virtute inferioris, cui vnitur, & à qua habet, quòd procedat determinatè in hanc, & non in illam speciem.

826 *Probatur vltima cōsequentia.*

46 Vltima consequentia est euidens ex præcedentibus. Nam si influentia causæ determinatæ ad vnum genus non habet ex se determinationem ad procedendum in speciem sub tali genere, & hanc determinationem habet per hoc, quòd vnitur virtuti inferioris agentis, ex vna parte: & ex alia, virtus inferioris agentis hanc determinationem habet ex se, inquantùm ipsa est essentialiter principiū determinans ad speciem effectus sub illo genere; fit indè consequens, quòd talis virtus sit id, quo primò, seu vndè primò influentia causæ genericæ accipit determinationem ad effectum in specie. Hoc enim pertinet ad rationem principij, vndè primò aliquid est tale, nempè, quòd ipsum sit ex se, & per essentiam suam tale, & quòd aliud, cui vnitur, fiat tale per ipsum.

Quid pertinet ad rationē principij, vnde primo aliquod est tale.

Corollaria ex dictis notatu digna.

827 *Colliges primò, influentiam superiorū causarum determinari iuxta determinationis principiorū inferiorū causarum:*

47 EX dictis modò colliges primò: quòd modus determinationis, quo influentia superioris causæ determinatur, est secundùm modum determinationis, quem habet ex se virtus inferioris causæ, quæ est principium determinans. Ita ut, si virtus inferioris causæ sit determinata, non ad infimam, sed ad subalternam speciem, determinabit ex consequenti iuxtà modum suæ essentialis determinationis influentiam superioris. puta, ad subalternam, non ad infimam speciem effectus. Ad hoc autem, vt prædicta influentia determinetur ad infimā, oportet, ipsam vlterius descēdere in alias magis inferiores, quæ de se sint determinatæ ad infimam speciem.

828 *Colliges secūdò, rationem, ob quā causa superior, non nisi p talem inferiorē producit effectū in specie.*

48 Colliges secundò, rationem, seu radicem, ex qua prouenit, quòd causa superior, quæ ex vi formæ, qua constituitur actua, est determinata ad vnū genus, non possit per suam influentiā producere speciem aliquam sub tali genere, nisi mediāte causa proxima, quę per propriam formam est determinata ad talem speciem. Ratio est illa Commentatoris: quia, scilicet, ab indeterminato non procedit effectus determinatus; nisi per id, quod ipsum determinat in talem effectū. Influentia autem superioris causæ, prout procedit ab ipsa superiori, est determinata secundum modum virtutis ipsius superioris, puta, determinatata ad genus, & indeterminata in ordine ad speciē effectus; determinatur autem ad dictam speciem per virtutem inferioris de se determinatam ad speciem, & cui vnitur, dū in ipsa causa proxima recipitur. Et inde est, quòd non exit à tali influentia effectus in specie, nisi per intermediam, cuius virtute determinatur ad speciem.

Virtus inferioris agentis determinat influentiā superioris, sicut actus potentiā, seu differentia genus:

49 Colliges tertiò, quòd virtus inferioris agentis ad influentiam superioris agentis, consideratam secundùm hanc rationem, secundùm quam accipit determinationem, se habet sicut actus ad potentiam. Est enim virtus causæ inferioris actu determinata ad speciem effectus; at verò influentia superioris est in potentia ad recipiendam talem determinationē. Hinc S. Doctor in compendio Theologiæ, seu Opus. 2. cap. 69. post verba illa relata §. 9. huius disp. num. 15. nempè, *Quantò aliqua causa est magis vniuersalis, tantò effectus eius est vniuersalior. Nam causæ particulares effectus vniuersalium causarum ad aliquid determinatum appropriant*, subiungit, *quæ*

Locus D. ad propositum.

qui-

Digitized by Google

quidem determinatio ad effectum vniuersalem comparatur, sicut actus ad potentiam. Videlicet, sicut actus specificus ad potentiam genericam, seu sicut differentia ad genus. Determinatio enim ad speciem effectus in ordine ad indeterminatum ad speciem, talem comparationem habet. Vide D. Thomam 1. p. quæst: 65. art. 3. in corp. & Opusc. 15. cap. 10. & alia loca, quæ infra referemus probantes secundam conclusionem. Dixi *consideratam secundùm hanc rationem*, &c. vt innuerem id, quod stabiliuimus in dicta secunda conclusione, videlicèt, quòd secundùm quandam aliam rationem, influentia superioris causæ ad virtutem inferioris se habet, sicut actus ad potentiã, vt infra explicabimus.

830 S: D. docuit expressè nostram sententiam. Repugnat secundùm S: Thomã, causam superiorẽ determinari ad effectũ in specie per formã sibi impressam, quia eius influentia non posset determinari per causas inferiores

50 Quartò dignoscès, S. Doctorem docuisse expresè nostram sentẽtiam verbis relatis §. 9. huius disp. num. 12. videlicet, *licet causa prima maximè influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam determinatur, & specificatur.* Et indè postea percipies rationẽ, ob quã in sententia S. Thomæ repugnat, quòd causa vniuersalis determinata ad vnum genus, determinetur ad speciem effectus sub tali genere per aliquam formã siuè per modũ permanentis, siue per modum transeuntis, receptam in tali causa. Nam in primis esset superflua: Si enim semel influentia talis causæ determinatur ad speciem effectus, per causam proximã, illa determinatio excogitata in dicta causa ad nihil valeret; quippè quia iam habet prædicta influentia per quid determinatur ad speciem. Amplius, si causa, quæ ex vi sui naturalis principij est determinata ad vnum genus, determinaretur per aliquid sibi inhærens ad aliquam speciem sub tali genere, oporteret, quòd influentia, quæ exit à tali causa affecta prædicto superaddito determinante, esset ex se, & ex vi principij, vndè exit, determinata ad talem speciem effectus. Sic autẽ determinata non posset determinari ad alias species effectus sub eodem genere, per causas inferiores: cum per ipsas non posset trahi extrà id, in quod est determinata ex se.

831 *Et indè sequitur; quòd influẽtia talis causæ repugnaret causis inferioribus.*

51 Et indè sequitur, quòd esset repugnans. Nam licèt non repugnaret, sed dumtaxat superflueret illi causæ inferiori, quæ ex vi suæ propriæ virtutis est determinata ad illã eandem speciem effectus, ad quam est determinata causa superior: alijs tamen, quæ ex vi propriarum virtutum sunt determinatæ ad alias species, repugnaret. Nam oporteret, vel prædictas causas per influentiam sic determinatam suæ superioris causæ trahi ad agendum effectum specie diuersum ab eo, ad quẽ sũt ex propria natura determinatæ, quod (saltem naturaliter) repugnat: vel prædictam influentiam superioris causæ torqueri per causas inferiores ad agendum effectum specie diuersum ab eo, ad quem est determinata per illud superadditum determinatiuum inhærens principio, à quo exit; quod etiam secundùm ipsos aduersarios repugnat. Sequela autem prædictorum inconuenientium ex eo appareat, quòd causa superior determinata ad vnum genus, vno eodemque tempore, & instanti influit per omnes causas inferiores determinatas per naturam ad species diuersas sub tali genere. Si ergò influentia prædictæ superioris causæ esset ex se, & vt exit à suo principio, determinata ad vnam solam speciem effectus, omnes causæ inferiores sic diuersæ reciperent influentiam determinatam ad vnam solam speciem. Et tunc vel omnes agerent illũ specie effectum, ad quem ipsa influentia superioris est determinata ex se; vel quælibet (determinatione influentiæ superioris causæ non obstante) ageret propriũ effectum, ad quẽ est determinata ex sua natura; vel quælibet ageret vtrumque effectum, tam, scilicet, eum, ad quem est determinata influẽtia superioris, quã eum, ad quem est determinata ex propria natura: vel quælibet nullũ effectum ageret. Quæ omnia sunt absurda. Et hæc satis sint de hoc §. Rationẽ enim ostendẽtem proprium determinatiuum influẽtiæ superiorum causarum, quantùm ad rationem individualem effectus, esse singularem virtutem infimi agentis, inquantũ habet agere in hanc designatam materiam, ita vt vltimatum determinatiuum sit materia designata quantùm ad subltãtias, &c. proponemus §. 13.

Probatur sequi prædicta inconuenientia.

§. XII.

Secunda ratio, quæ iuxta S. Thomæ doctrinam relatam §. 9. probatur à posteriori, influentiam causæ primariæ determinari ad effectum per causam proximam, proponitur.

832 *Secunda ratio proponitur:*

1 SEcunda ratio, qua ex his, quæ patent ad sensum, prima nostra conclusio probatur, sic proponi potest. Experimur, quòd effectus magis assimilantur causæ proximæ, quàm remotæ, & primariæ. Sed hęc maior assimilatio aliundè prouenire non potest, quam ex eo, quòd influẽtia causæ superioris determinatur, specificatur, & modificatur,

per

per virtutem inferioris, ergò.

Maior manifesta apparet in effectibus causarũ vniuocarũ, & omniũ sublunariũ contingentium.

Maior patet, non solùm in effectibus causarum vniuocarum, exg. in leone genito, qui magis assimilatur leoni generanti, quàm alijs causis superioribus; sed etiam in omnibus effectibus horum sublunarium generabilium, & corruptibilium. Omnes enim hi effectus corruptiles, & contingentes assimilantur magis causis, & virtutibus proximis, quæ etiam sunt corruptibiles, & contingentes, quàm corporibus cœlestibus, eorumque virtutibus, quæ sunt incorruptibilia, & necessaria, prædictorũq; effectuum causæ primariæ. Incorruptibile enim, & necessarium differt suo modo genere subalterno à corruptibili, & contingenti; atque hæc duo genera constituuntur per oppositas differẽtias. Ex quo fit, quòd omnes hi effectus sublunares sint similiores suis causis proximis, quàm remotis, inquantùm cum proximis conueniunt saltem in hoc genere, seu specie subalterna, in qua à remotis causis differunt:

833 Minor habetur expressè in S. Thoma.

2 Minor verò in primis habetur expressè in S. Thoma verbis relatis §. 9. huius disp. num. 12. nempè *Licèt causa prima maximè influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam determinatur & specificatur: & ideò eius similitudinem imitatur eius effectus.* Nota ly, *& ideò*, designat enim, quod ratio, ex qua infertur, quòd effectus imitatur similitudinem causæ proximæ, est, quia influentia causæ primæ determinatur, et specificatur per proximam.

834 Eadem minor probatur quantùm ad similitudinẽ contingentiæ ex cõmuni conceptione Thomistarũ desumpta ex S. Thoma.

3 Secundo, apparet specialiter in similitudine contingentiæ, qua, existentibus necessarijs causis prioribus, effectus eueniunt contingentes similes causis proximis. Non enim D. Thomas, vel alius Thomista aliam vnquam assignauit rationem, ob quam causa necessaria non inducit necessitatem in effectus mediatos, seu remotos, nisi hanc, vt vnicã, & singularem, quia scilicet influẽtia causæ primæ determinatur ad speciem, & ad modum effectus per causam secũdam. Hinc S. D. qu. 5. de veritate ar 9 argumẽto X. postquam proposuit difficultatẽ, vt infra. *Causa prima plus influit in causatum causæ secundæ, quàm ipsa causa secunda, vt dicitur in principio de causis: sed si inferiora corpora per superiora disponũtur, tunc virtutes superiorum corporum erunt sicut causa prima respectu inferiorum virtutum, quæ erunt sicut causæ secundæ. Ergò effectus in his inferioribus contingentes magis dispositionem corporum cœlestium sequentur, quàm virtutem corporum inferiorum. sed in illis inuenitur necessitas; quia semper eodem modo se habent. Ergò & effectus inferiores necessarij erunt. Hoc autem est falsum; ergò & primũ scilicet, quòd inferiora corpora per superiora disponãtur*, respondet verbis relatis §. 9. nu. 13. dicẽs.

4 *Ad decimum dicendum quòd causa primaria plus dicitur influere, quàm secunda, inquantùm eius effectus est intimior, & permanẽtior in causato, quàm effectus causæ secundæ: tamen magis assimilatur causa secunda, quia per eam determinatur quodãmodo actus primæ causæ ad hunc effectum.* In quibus vt vides non aliundè saluat S. Doctor contingentiam effectuum inferiorum causarum, existentibus necessarijs causis primarijs, quã ex eo, quod, quia actus, seu influentia causæ primæ determinatur per secundã ad hunc effectum, effectus similatur causæ secundæ.

835 Doctrina S. Th. ad propositũ.

Dices primò, addidisse S. Doctorẽ ly, *quodammodò*, quæ est particula diminuens. Respondeo, quod non ad diminuendum (vt constare potest ex verbis relatis proximo num. 2.) sed ad designandum modum specialem, quo per causam secundam determinatur actus causæ primæ ad hunc effectum, addidit S. Doctor ly, *quodammodo*. Nã cùm (vt supra §. 9. huius disp. num. 5. diximus) determinatio agentis ad effectum, & ad actionem multis modis cõtingat, videlicet, vno modo, sicut determinatus agens per cognitionem præstituentem finem actioni: alio modo, sicut determinatur per formam, qua constituitur in actu, & alio modo sicut determinatur influentia agentis per causam inferiorem, vel per materiam, & hoc vel secundùm eum modum, quo determinatur genus ad speciem, vel secundùm eum, quo determinatur species ad individuum: voluit S. Doctor per prædictam particulam designare, quòd actus causæ primæ determinatur ad hunc effectum per causam secundam secundùm aliquem ex prædictis modis proportionatum virtuti determinanti.

Responsio explicans qualiter ly quodammodo non est cõditio diminuens

836 Responsio

5 Dices secundò, D. Thomam loqui de influentia duntaxat corporum cœlestium non autem de influẽtia primæ causæ, scilicet, Dei. Contra tamen est: tum quia S. Doctor in sua responsione exponit illam propositionem lib. de Causis. *Causa prima plus influit in causatum causæ secũdæ, quàm ipsa causa secunda.* quæ propriè intelligitur de causa prima simpliciter, & per participationem de alijs causis superioribus. Tum quia verbis relatis §. 9. num. 14. loquitur expressè de actione, seu influentia Dei, vt patet ex

Impugnatur responsio ex qua druplici capite.

Digitized by Google

Ferrariensi ibidem adducto. Tum tertiò, quia si per causam proximam determinatur ad speciē effectus influentia cœlestis corporis, oportet etiam quòd eodē modo determinetur influētia Dei, quatenus influit per corpus cœleste. Tum quartò, quia eandem doctrinam sub terminis expressis affert S. Doctor ad componendā causalitatem diuinæ scientiæ cum contingentia effectuum in p. dist. 38. quæst. vnica art. 5. in corp. vbi proponit difficultatem, & eam soluit vt infra.

837 *Doctrina S. Th. statuens, ex eo effectū esse similē causæ proximę, quia virtus primæ causę recipitur in proxima secundum modū ipsius proximæ.*

6 *Contingentia enim videtur duplici ratione effugere diuinam cognitionem, primò propter ordinem causæ ad causatum: quia causa necessaria & immutabilis videtur esse effectus necessarius. Vnde cum scientia Dei sit causa rerum, & sit immutabilis; videtur, quòd non possit esse contingentium. Secundò propter ordinem scientiæ ad scitum: quia cum scientia sit certa cognitio, ex ipsa ratione certitudinis etiam exclusa causalitate requirit certitudinem, &c. Sed neutrum horum removet scientiam cōtingentium à Deo. Et de primò quidem satis manifestè potest accipi. Quandocunque enim sunt causa multa ordinata, effectus vltimus nō sequitur causam primam in necessitate, & contingentia; sed causam proximam; quia virtus causæ primæ recipitur in causa secunda secundùm modum causæ secundæ. Effectus enim ille non procedit à causa prima; nisi secundùm quòd virtus causæ primæ recipitur in secunda causa; vt patet in floritione arboris, cuius causa remota est motus solis; proxima autem virtus generatiua plantæ: floritio autem potest impediri per impedimentum virtutis generatiuæ, quāuis motus solis inuariabilis sit. Similiter etiam scientia Dei est inuariabilis causa omnium; sed effectus producuntur ab ipsa per operationes secundarum causarū: & ideò mediantibus causis secundis necessarijs producit effectus necessarios, vt motum solis & huiusmodi: sed mediantibus causis secundis contingentibus producit effectus contingentes.* Hæc S. Doctor valdè notanda ad nostrum propositum.

838 *Inculcatur doctrina S. Thomæ ad propositum.*

7 Nota ergò rationem, cur existente inuariabili, & immutabili causa prima simpliciter, puta diuina scientia, aliqui tamen eius effectus sunt contingentes, defectibiles, & variabiles, similes suis causis proximis in variabilitate, & contingentia. Quia, inquit S. Doctor, *Quandocunque sunt causa plures ordinatæ, effectus vltimus non sequitur causam primā in necessitate, & contingentia, sed causam proximam.* Sed cur? Nota: *Quia virtus causæ primæ recipitur in causa secunda secundùm modū causæ secundæ. Effectus enim ille non procedit à causa prima nisi secundùm quòd virtus causæ primæ recipitur in secunda causa.* Ratio ergò, ex qua procedit, quòd effectus contingentes, et variabiles, sint similes in hoc suis causis proximis, non verò causæ primæ, quæ est immutabilis, & inuariabilis, est, *quia virtus causæ primæ recipitur in causa secunda secundum modum causæ secundæ.* Sed quæ diuina virtus recipitur in causa secunda? Non alia sanè, quàm virtus participata per motum, quo causa prima mouet ordinato descensu inferiores, et per eum influit in vltimum effectum. Id ergò vnde habet influentia causæ primæ, quòd producat effectum contingentem similem causæ proximæ, est virtus causæ proximæ, in qua recipitur secūdùm modum eius, ideſt determinatur, & specificatur per ipsam. Ergò illud ipsum, quod docet S. Doctor de influentia aliarum causarum superiorum creatarum, docet etiam de prima causa simpliciter, quātùm ad hunc pūctum recipiendi determinationem per virtutes inferiorum causarum in quibus recipitur.

839 *Eandē cogitationē sequitur Caietanus soluens argumentū Scoti.*

8 Hinc Caietanus 1. p. qu. 14. art. 13. §. *Nec sustinendus est Scotus*, non alio modo meliori euadit secūdùm sententiā D. Thomæ, et veritatem, difficultatem hanc componendi contingentiam effectuum cum motu, quo Deus mouet, vt prima causa omnes causas inferiores, quā illo, quo ponitur motus primi mouentis determinari ad speciem, et modum effectus per virtutem proximarum causarum, in quibus recipitur. Porrò Scotus proponebat argumentum ex eo, quod causa, quæ mouet, inquātùm mouetur, si necessariò mouetur, necessariò mouet: & hoc principio intendebat excludere doctrinam S. D. num. 6. relatam, quam breuiter repetit loco proximè cit. 1. p. ad primum his verbis.

840 *S. Thomæ doctrina; in qua offendit Scotus.*

9 *Dicendum quòd licet causa suprema sit necessaria; tamē effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem: sicut germinatio plantæ est contingens propter causam proximā contingentem; licèt motus Solis, qui est causa prima sit necessarius. Et similiter scita à Deo sunt contingentia propter causas proximas, licèt scientia Dei, quæ est causa prima sit necessaria.*

841

10 Respondet autem Caietanus dicens: *Negatur assumptum; quoniā fiat, quòd necessario moueatur, & non necessario mouet aliud; quia motio causæ pri-*

Digitized by Google

mæ modificatur in causa secunda secundùm modum ipsius causæ secundæ. Et sic licèt à prima causa moueatur necessariò secunda: recepta tamen motio in secũda, si secunda causa imaginetur contingens, modificatur contingentia recipiẽtis. Et quoniam priùs natura modificatur, quàm impellat ad mouendum, motio illa iam modificata ad causam contingẽtem, mouebit secundam ad mouendum non necessariò; sed contingẽter. Et si causa secunda ponatur causa naturalis, possibilis tamen deficere: motio illa modificata ad naturam causæ secundæ, mouebit illam secundam ad mouendum, non necessariò, sed vt in pluribus, iuxtà modum proprium ipsius causæ secundæ, non primæ. Et hanc eandem responsionem repetit eadem prima par. quæst. 19. art. 8. circa finem commentarij, videlicèt, §. *Et si quidem*, & quæst. 115. art. 6. §. *Ad euidentiam.* Ex qua responsione habetur quòd influentia, seu motio supremæ causæ, licèt necessariæ; recipit determinationem ad agendum effectum contingentẽ per hoc, quod recipitur in causa contingenti, & quòd ex hac determinatione, seu modificatione oritur, quòd effectus causæ supremæ, licèt necessariæ, eueniat similis in contingentia causæ proximæ cõtingenti.

Ex dictis infertur probatio minoris.

§. XIII.

Vltima pars primæ cõclusionis, quòd, scilicet, influentia superiorum agentium determinatur ad agẽdum hunc effectũ in individuo per virtutem singularem infimi agentis, & vltimatè per materiam designatam, in quam mediante dicto infimo agente tota series per se ordinatorum agentium agit, probatur auctoritate, & ratione.

842 1 SVfficienter (ni fallor) ostendimus primam nostram conclusionem, quantùm spectat ad illam partẽ, qua definiuimus influẽtiam superiorum, & magis vniuersalium causarũ vsque ad primam, determinari (per se loquendo) ad speciem effectus, siue subalternam, siue infimam, per causas inferiores, & minus vniuersales, secundùm modum determinationis, quem ex propria forma, & virtute habent ipsæmet causæ inferiores. Et dico, *per se loquendo*, quia locuti sumus de determinatione influentiæ causarum per se ordinatarum, in quibus sicut in ascensu, ita, & in descensu ad effectum infimæ causæ, ordo est per se. Ex quo est, quòd influentia talium causarum, attento naturali ordine, expostulat determinari ad speciem effectus per virtutem inferioris, vt per proprium, & per se determinatiuum. Huic autem intentioni non obstat id, quod notauimus §. 11. huius disp. nu. 12. & 20. circa generationem muli: videlicet, quòd principium, vndè prouenit, quòd semen asini generat mulum, est in dispositio materiæ; ex quo videtur posse inferri, quòd principium determinatiuũ influentiæ superiorum causarum ad generandum mulum, non sit virtus inferioris causæ determinatæ ad speciem muli, sed materia. Non obstat, inquam, hoc nostræ intentioni: nam indispositio materiæ concurrit ad inducẽdam illam diuersitatem (vt dicto num. 12. cit. diximus) vt præstans impedimentum virtuti seminis, ne perueniat ad speciem asini, quam per se intendit, ac per hoc concurrit, vt principium per accidens: Virtus autem seminis asini hanc determinationem habet ex se, quòd, scilicet, dum impeditur, ne perueniat ad producendum effectum similem in specie, producat aliam speciem sibi similem in genere proximo, vt colligitur ex S. Thoma 7. *Metaph.* lect. 7. propè finem. Et indè fit, quòd influentia superiorum causarum per se quidem determinatur secundùm modum virtutis, quæ est in semine, occasionaliter autem ab indispositione materiæ. Denique ipsa indispositio materiæ dicitur propriũ principium vndè prouenit, quod ex semine asini procedat mulus, (vt dicto num. 12. locuti fumus) quia mulus est quoddam monstrum, & idcircò non datur aliquod principium actiuum per se ordinatum ad speciem muli producendam, sed talis species producitur propriè ex occasione, & impedimẽto aliquo materiali, vt contingit in quamplurimis effectibus monstruosis. Hæc autem hìc aduertimus, ne quis circa rationem, qua §. 11. precedenti à num. 39. probauimus priorem partem nostræ conclusionis, scandalum ex nostris dictis patiatur.

Not abilis instantia contra dicta à nobis §. 11.

Soluitur dicta instãtia, & declaratur quid determinatur in fluentia superiorum causarũ ad generandũ mulum.

2 Supereſt igitur, vt probemus vltimam nostræ primę conclusionis partem, quam in titulo expressimus. Eam autem possumus probare dupliciter. *Primò* directè ostendendo ratione, & auctoritatem ita se habere, vt definiuimus; idque præstabimus præsenti §. Secundò refellendo positionem oppositam: & hoc prosequemur §. sequenti. 843

In causis p se ordinatis ordo est per se, tãin ascẽsu, quã in descẽsu.

Aduertẽdum sequitur ex dictis, quòd influentia super. ordi

Vt igitur hoc, quod intendimus, ostẽdamus, in primis aduerto, ex dictis euidẽter sequi, influentiam superiorum causarum ordinatè à prima per omnes intermedias descendentem, in infimam causã

Digitized by Google

causarum recepta in particulari virtute determinatur secundùm modũ eiusdem particularis.

determinari secundùm modum virtutis ipsius infimę. Et indè sequitur, quòd si dicta influentia recepta sit in tali singulari virtute, e. g. in virtute huius seminis excisi ab hoc leone, & recepti in matrice huius leænæ hoc determinato tempore, &c. determinetur secundùm modum virtutis talis seminis. Quoniam autem talis virtus ex suis conditionibus singularibus loci, & temporis, seu inquantùm est determinata ad hìc, & nunc, inuenitur, vel proxima, vel absens ab vno vel pluribus passiuis ab eadem virtute, et ex consequẽti ex suis conditionibus singularibus inuenitur determinata ad agendum in illa passiua, quæ sunt sibi proxima, et ad non agendum in illa, quæ sunt sibi remota: indè fit, quòd hanc ipsam determinationẽ recipiat influentia superiorum causarum recepta in dicta singulari virtute. Est enim influentia superiorum causarum motus, et accidens, et indiuiduatur in sententia S. Thomæ per subiectum, in quo recipitur; proximum autem subiectum influentiæ in isto casu est dicta virtus singularis, et indè fit quòd per dictam virtutem singularizatur, seu restringitur ad agendum secundùm modum, quem habet ex suis conditionibus singularibus talis virtus: videlicèt ad influendum determinatè in ea passiua, quæ hìc, et nunc subijciuntur tali virtuti, et ad determinatè non influendum in ea, quæ hìc, et nunc tali virtuti non subduntur.

844 *Influentia superiorũ causarum determinatur ad influendum in hãc, vel illam materiam designatã p conditiones singulares particularis agentis.*

3 Et hinc apparet 1 quòd influentia superiorum agentium, quæ determinatur ad speciem effectus per hoc, quod recipitur in inferiori, habente determinationem ad talem speciem ex vi formæ, qua constituitur agens; determinetur deindè ad agendum in hoc, vel illud determinatum passiuum, seu materiam receptiuam talis speciei formę, per virtutem particularem infimi agentis, in qua recipitur, inquantùm ex conditionibus singularibus talis virtutis habet, quòd determinatè in hanc materiam sibi præsentem, et proximam, et non in aliam agat. Vnde influẽtia superiorum causarum recepta in virtute seminis per leonẽ immissi in matricem huius leænæ per hoc habet, quòd agat ad generationem leonis in materiam subministratam per hãc leænam, quòd est recepta in virtute talis seminis habentis ex suis conditionibus singularibus, quod in dictam materiam, et non in aliam agat.

Duo sunt probanda in vltima parte primæ conclusionis,

Hoc posito, aduerto, quòd prædictæ vltimæ partis nostræ primæ conclusionis debemus duo probare. Vnum est; quòd influentia causarum vniuersalium determinata ad speciẽ effectus per dictas causas vniuersales, determinatur aliquo modo ad agendum indiuiduum sub tali specie per virtutem singularem infimi agentis. Alterum est, quòd vltimatè, seu tãquam per proprium, et per se principium determinatur ad indiuiduum per materiam designatam,

845 *Probatur, quòd influentia causarũ vniuersaliũ determinatur ad effectum in indiuiduo p conditiones singulares particularis agentis.*

4 Et horum quidem primum patet ex proximè præcedenti discursu, quo cõclusimus, influentiam vniuersalium causarum determinatam ad speciem effectus determinari ad inducendam talem speciem in hoc, vel illud determinatum passiuum, seu materiam, per conditiones singulares virtutis infimi agentis. Nam hoc ipso influentia tendens in speciem effectus determinatur ad indiuiduũ, quòd determinatur ad inducendam speciem effectus in determinatam materiam; sed p conditiones singulares virtutis infimi agentis determinatur influentia causæ vniuersalis ad inducendum speciem effectus in determinatam materiam. Ergò, &c. Minor est consequentia illata.

846 *Maior probatur expresso testimonio S. Doctoris,*

5 *Maior* est expressa doctrina S. Thomæ lib. 3. con. gen. cap. 65. ratione 3, vbi ex eo probat, quòd hæc particularia agẽtia vniuoca per se causant indiuiduum sub speciẽ, non autem ipsam speciẽ, quia agũt formam specificam in hac materia, quæ est principium indiuiduationis, & sic habet. *Nullum particulare agens vniuocum potest simpliciter esse causa speciei. Sicut hic homo non potest esse causa speciei humanæ. Esset enim causa hominis, & per consequens sui ipsius, quod est impossibile.* (Nota) *Est enim causa hìc homo huius hominis per se loquendo. Hic autem homo est per hoc, quod natura humana est in hac materia, quæ est indiuiduationis principium. Hic igitur homo non est causa hominis, nisi in quantùm est causa, quòd forma humana fiat in hac materia: hoc autem est esse principium generationis huius hominis.* Docet ergò Sanctus Doctor, quòd idcircò hic homo, per se loquendo, est causa huius hominis sumpti in indiuiduo, quia est causa quòd forma humana fiat in hac materia, quæ est indiuiduationis principium. Illud ergò quod est determinatũ ad hoc, videlicèt, quod faciat formam specificã in hac materia, est determinatum ad agẽdum determinatũ indiuiduũ in tali specie. Eãdem doctrinam sæpè repetit S. D. vt lib. 2. contra gent. cap. 21. ratione 7.

6 Et hinc modò patet secũdum, nẽpè, quòd influentia superiorum agentium vltimatè, & vt per proprium, & per se principium, determinatur ad indiuiduum

847 *Influentia superiorũ causarum*

sub

determinari ad indiduum vltimum per materiam designatã probatur.

sub specie per materiam designatã, quæ est indiuiduationis principium. Ratio autem ex principijs S. Doctoris proponi potest iuxtà ea, quæ diximus §. 11. num. 38. & 39. in hunc modum. Id vnde primò influentia causæ determinata ad speciem effectus habet, quòd efficiat hoc, & non aliud indiuiduum sub tali specie, est proprium, & per se principium, vndè talis influẽtia habet determinationẽ ad indiuiduũ. Sed materia designata, quæ præsupponitur ad influentiam agẽtis creati, est id, vndè primò habet influentia causæ, quod efficiat hoc, & non aliud indiuiduum sub specie. Ergò, &c. Maior (vt loco proximè citato notauimus) est propositio immediata, cuius subiectum explicat propriam rationem prædicati.

488 Probatur minor ex doctrina S. D.

7 Minor verò patet ex locis S. Doctoris proximè citatis. Nam materia determinata (loquendo in sententia Sancti Thomæ) habet ex se hoc, quod est, esse principium determinati indiuidui: Influentia verò particularis, & aliorum superiorum agentium habet, quòd efficiat determinatum indiuiduum per ipsam materiam, inquantùm in ea recipitur, & in eam introducit formam, vt patet ex verbis S. Thomæ. Materia ergò determinata est id, vndè primò influentia agẽtis habet determinationem ad efficiendum indiuiduum. Et consequentia hæc constat. Nã per principium, vndè primò sumitur determinatio aliqua, intelligimus, quod ex se habet inducere talem determinationẽ, & à quo, seu per ordinem ad quod, alia habent eandem determinationem.

849 Principiũ, vndè vltimatè desumitur determinatio influentiæ ad indiuiduum, præsupponi ad actionem agentium creatorũ, probat ar.

8 Quòd autem principium istud, vnde effectus omnium agentium creatorum habẽt suam indiuiduationem, per quod, scilicet, quilibet est hic in indiuiduo, præsupponatur actioni, & influentiæ cuiuslibet agentis creati docet S. Doctor 1. p. quæst. 45. art. 5. ad 1. his verbis. *Participans aliquam formam facit sibi simile, non quidem producendo absolutè illam naturam: sed applicando eam ad aliquid. Non enim hic homo potest esse causa naturæ humanæ absolutè: quia sic esset causa sui ipsius; sed est causa, quòd natura humana sit in hoc homine generato. Et sic præsupponit in sua actione determinatam materiam, per quam est hic homo. Sed sicut hic homo participat naturam humanam, ita quodcunque ens creatum participat, vt ita dixerim naturam essẽdi: quia solus Deus est suum esse, vt supra dictum est. Nullum igitur ens creatum potest producere aliquod ens absolutè, nisi inquantùm esse causat in hoc. Et sic oportet, quòd præintelligatur id, per quod aliquod est hoc, actioni, qua facit sibi simile.* Hæc S. Doctor quibus adde, quæ notauimus §. 11. num. 22. & quæ referemus §. sequenti, quæ eandem doctrinam explicant.

9 Denique aduerto, quòd confirmãt doctrinam huius §. ea, quæ diximus §. 11. num. 32. & 33. & quòd istæ eædem rationes, quibus ex doctrina S. Thomæ probauimus, influentiam agentium per se ordinatorum in genere substãtiæ determinari ad effectũ in indiuiduo vltimatè per materiam designatam, probant etiam, facta proportionali applicatione, quòd agẽtia determinantur ad influendum in suum passum hanc in indiuiduo formam accidentalem per subiectum determinatum in quod agunt; videlicèt, quòd hic ignis ex conditionibus singularibus, ex quibus est hìc, & nunc, est determinatus ad calefaciendum illa dumtaxat calefactibilia, quæ hìc, & nunc sunt sibi propinqua, quorum quodlibet ex suis conditionibus singularibus, quibus est hìc, & nunc, præbet determinationem indiuidualem calori, quem recipit. Scio doctrinam S. Thomæ relatam præcedenti num. 8. & 9. calumniari multis instantijs à Scoto, & ab alijs, qui scholæ S. Thomæ aduersantur. Prædictæ tamen instantiæ nobis, quantũ ad rem, quam agimus, non officiunt, vtpotè quia disputamus cum quibusdã Thomistis, qui doctrinam S. Thomæ supponunt, & venerantur. Vide tamen, si placet Caietanum loco primæ partis ad primum. Et Ferrariensem lib. 3. contra gen. cap. 65. ratione 3. à §: *circa istam propositionem* vsque ad §. *Quartò supponitur*, & 2. lib. cap. 21. ratione 7. cui satis amplum commentarium exhibet.

850 Recensentur loca, q confirmãt intentum huius §:

Rationes adductæ probãt, influentiã agentiũ determinari ad agendũ accidẽs in indiuiduo per subiectum, &c.

§. XIV.

Veritas nostræ conclusionis ostenditur, refellendo positionem Recentium, vt impossibilem:

851

1 INtẽdimus in hoc §. speciali ratione probare, positionem istã Recẽtium, qua credunt, agentia hæc particularia vniuoca determinari ad producendum hunc, vel illum effectum in indiuiduo, per motum, quo mouentur à superioribus causis, esse impossibilem.

Hæc ratio sic proponj potest. Nullus effectus cuiuscumque agentis vniuoci, immò cuiuscunque agẽtis creati assimilatur agenti secundùm illam rationem, qua est indiuiduum, & hoc aliquid ab alijs distinctum. Ergò nullum indiuiduum, vt tale, est effectus procedens ab agente creato ra-

Proponitur ratio. Indiuiduũ vt indiuiduum non est simile principio

Digitized by Google

actiuo, ergò nõ procedit ab eo:

ratione principij actiui. Ergò nullum indiuiduum, vt tale, procedit ab agente creato ratione illius motus, quo à superiori agente mouetur. Ergò nullum agens creatum determinatur ad agendum determinatum indiuiduum, vt tale, per motum, quo mouetur à superiori agente.

852 Probatur antecedẽs

2 Antecedens est euidens. Nam vnũquodque secundũ quod est indiuiduum, & hoc aliquid, est ab alijs distinctũ, & primò diuersum, vndè effectus cõuenire potest, seu assimilari suo agenti in ratione specifica, vel generica, non autem in ratione indiuiduali.

853 Probatur prima cõsequentia

3 Prima consequentia probatur. Nã omne agens creatum ratione principij actiui, per quod agit, est determinatum ad genus, & speciem. Ergò tale agens ratione principij actiui est determinatũ ad agendum effectum similem sibi in genere, aut specie, cum omne agens agat sibi simile; ergò indiuiduum, vt est indiuiduum, & hoc aliquid ab alijs distinctum, non procedit ab agente creato ratione principij actiui. Antecedens huius probationis est euidens, prima cõsequentia sufficienter probatur per illud principium: omne agens agit sibi simile, & potest addi, quòd cùm omne agens agat, inquantũ est in actu; oportet, quòd secundùm modum determinationis, quẽ habet ex actu, sit modus determinationis, quẽ habet ad agendum sibi simile. Si ergò omne agens creatum per actum, per quem agit, est determinatum ad genus, & ad speciem: oportet, quòd modum eundem determinationis habeat in agendo effectum, nẽpè, similem in genere, aut specie. Etsi enim agens sit etiam indiuiduum; tamẽ ad indiuiduum nõ determinatur propriè per formam, & actum, quo constituitur actiuum: per eum enim solùm determinatur ad genus, & speciem; ad indiuiduũ verò per materiam, in sententia S. Thomæ. Secunda autem consequentia sequitur ex proximè antecedenti. Nam si agẽs creatum ratione principij actiui est determinatum ad agendum effectum similem agenti, id, per quod aliquid est ab agẽte primo diuersum, seu per quod nullo modo conuenit cum agente, non procedit a tali agẽte ratione sui principij actiui; sequeretur enim, quòd id, quod est determinatum ad agendum effectum similem, ageret effectum dissimilem, & nullo modo conuenientem cum agente.

854 Probatur secũda cõsequentia, quia per influentiã

4 Secunda verò consequentia principalis rationis in primis constat ex his, quæ ex doctrina S. Thomæ probauimus satis diffusè toto §. 8. Ostendimus sanè, motum superiorum mouentium pertinere ad virtutem actiuam, secundum quam superior causa per inferiorem, cui talem virtutem communicat agit effectum similem in ratione magis vniuersali s. generica, aut specifica, quæ est obiectum virtutis eiusdem superioris causæ. Sicut enim instrumentum per virtutem, sibi cõmunicatam ab arte, agit effectum simile formæ præconceptæ per artem, ita causa inferior per virtutem, sibi communicatam à superiori causa, agit effectum similem actui, quo constituitur actiua superior causa, vt patet ex locis S. Doctoris relatis §. 8. & expressè nu. 10. Constat secundò ex doctrina eorundem Recentium, quos impugnamus. Ipsi enim volunt, motum superioris mouentis esse meram applicationem virtutis ad agendum id, quod tali virtuti congruit. Si ergò virtuti agentis creati non competit agere id, per quod effectus est dissimilis, & diuersus ab agente, & ex consequenti ei nõ cõpetit agere id, per quod indiuiduum est indiuiduũ, & hoc aliquid ab alijs diuersum, iam sequitur euidenter, quòd indiuiduum, vt indiuiduum, nõ procedit à virtute agentis creati ratione motus, quo mouetur à superioribus agẽtibus, qui merè habet applicare virtutem in effectum, qui sibi competit.

causæ vniuersalis eleuatur causa particularis ad attingendũ effectum virtutis causæ vniuersalis, qui est genus, aut species.

855 Vltima cõsequentia est euidẽs

5 Vltima denique consequentia, nẽpè, *ergò nullum agens vniuocum determinatur ad agendum determinatum indiuiduum per motum, &c.* est euidens ex superiori probata.

Testimoniũ S. D. afferentis præcitatã nostrã rationem

Meritò autem hìc interrogabis, ex quo doctore hanc rationem ceperimus. Respondeo, ex S. Thomæ cont. gent. cap. 21. ratione 8. quam sic prosequitur. *Cum omne agẽs agat secundùm quod est in actu, oportet modũ actionis esse secundùm modum actus illius rei. Vndè calidũ quod est magis in actu caloris, magis calefacit. Cuiuscunque igitur actus determinatur ad genus, & ad speciem, & accidens, eius virtutem oportet, esse determinatam ad effectus similes agenti, inquãtùm huiusmodi: ex eo, quod omne agens agit sibi simile. Nihil autem, quod habet esse determinatum, potest esse simile effectui generis, vel speciei eiusdem, nisi secundùm rationem generis, vel speciei. Nam secundùm quòd est hoc aliquid, vnumquodque est ab alijs distinctum. Nihil igitur, cuius esse finitũ est, potest per suam actionem esse causa alterius, nisi quantùm ad hoc, quod habet genus, aut speciem, non autem quantùm ad hoc, quòd subsistit ab alijs distinctum. Omne igitur agens finitum præsupponit ad suam actionẽ hoc: vndè causatũ suum indiuiduali ter subsistit*

Digitized by Google

ſibit. Ita S. Doctor. In quo diſcurſu, vt vides, & noſtram rationem, & integrum noſtrum ſenſum dilucidè expreſſit, quo horum Recentium excogitatio euertitur.

856 6 Vt autem hi Recentes, nimis à D. Thomæ, antiquorumque Thomiſtarũ doctrina in hac ſua excogitatione ſe abſentaſſe cognoſcãt, referam dubium illiuſque reſponſionem, quibus Ferrarienſis prædictam rationem in ſuo commentario illuſtrat, & ſic habet.

Verba Ferrarienſis dubitãtis contra rationem S. Thomæ.

Ad hanc rationem poſſet aliquis dicere, quòd antecedens eſt falſum, & ad probationem negaret vltimam conſequentiam. Quamuis enim agens non aſſimiletur effectui, quantùm ad id, per quod eſt hoc aliquid; quia per illud indiuiduum non cõuenit eum alijs, immò ab omnibus alijs diſtinguitur; non tamen agens præſupponit aliquid ſuæ actioni, per quod ſuus effectus indiuiduetur. Tum quia ſecundum Scotum indiuiduatur vnumquodq; per ſuam hæceitatem, quæ non præſupponitur rei, ſed eſt modus intrinſecus cõcomitans rem. Tũ quia res immaterialis ſeipſa eſt indiuidua, ſecundùm doctrinã S. Th. & ſic ſuæ productioni non oportet aliquid præſupponere per quod indiuiduetur. Sic dubitat Ferrarienſis; reſpondet autem, vt infrà.

857 *Reſponſio Ferrarienſis.*

7 *Ad huius euidentiam conſiderandum eſt quòd ſicut in indiuiduis eiuſdem generis, & ſpeciei, inter quæ eſt cauſalitas ſecundùm naturam, quia in ratione generis, & ſpeciei non diſtinguuntur; ſed ſunt ſimilia, vnum poteſt eſſe cauſa alterius ſecundùm naturam generis & ſpeciei: ea quæ oportet agens, & effectum ſimilia eſſe: ita cùm inquantùm ſunt indiuidua ſubſiſtentia non ſint vnum, & ſimilia, ſed ſint diſtincta, id, per quod vnum ab alio diſtinguitur indiuidualiter, & in ſe ſubſiſtit, ab altero cauſatum eſſe non poteſt: aliàquin per idem conueniret formaliter cũ altero, & ab ipſo formaliter diſtingueretur. Oportet enim effectũ cũ cauſa conuenire quantùm ad id, ſecundùm quod cauſatur: ideò ſi etiã ſecundũ illud diſtingueretur ab ipſo, per idem cõueniret cum ipſo, & ab ipſo diſtingueretur. Propterea prima reſponſio ſecundùm mentem Scoti non tollit rationis efficaciam. Si enim hæceitas conſequitur rem, cauſat omnem modum intrinſecum rei per rem ab aliquo cauſatam, vt ſic, non poteſt effectus ab illo diſtingui: ergo per ipſam hæceitatem nõ poteſt effectus diſtingui à cauſa. ſed magis eum cauſa conuenit propter ſimilitudinem, quam oportet eſſe inter cauſam, & effectum. Ergò ſi debet effectus conuenire cũ cauſa in ratione generis, vel ſpeciei, à cauſa indiuidualiter diſtingui, oportet eſſe aliquid non cauſatum à tali cauſa præſuppoſitum actioni, in quo natura generis, & ſpeciei indiuiduetur, & effectus indiuidualiter ſubſiſtat, quo ab omnibus diſtinguatur. Secunda quoque inſtantia ex doctrina S. Thomæ non impedit. Verum eſt enim, quòd nihil determinatum ad genus, & ſpeciem poteſt producere effectum, niſi aliquo præſuppoſito, per quod natura generis, & ſpeciei indiuiduetur: alioquin non eſſet, vndè effectus à cauſa diſtingui poſſet ſub eodem genere, aut ſub eadem ſpecie, vt dictum eſt contra Scotum. Sed vbi natura ex ſe eſt indiuidua, & hæc, non poſſunt eſſe plura indiuidua, quorum vnum alterũ producat. Natura enim indiuidua pluribus non communicatur: ideò illa inſtãtia non eſt contra propoſitum, Quod ſi poneretur vnum indiuiduũ immateriale producere aliud indiuiduũ ſpeciei, oporteret dicere, quòd ipſa natura non eſſet ex ſe indiuidua ſed eſſet aliquid, per quod indiuiduaretur, quòd ſanè neceſſe eſſet præſupponi actioni alterius indiuidui productiuæ. Ex quibus ſequitur, quòd dicta poſitio S. Thomæ magis confirmat propoſitum quam deſtruat. Si enim talis natura eſt ex ſe indiuidua, & propter hoc nõ poſſit eſſe in ipſa plura indiuidua, ſignum eſt quòd vbi vnum indiuiduum aliud indiuiduum eiuſdem ſpeciei producit, oportet, ibi naturam non eſſe ex ſe indiuiduam: ſed eſſe aliquid aliud, in quo indiuiduetur præſuppoſitum actioni producentis ſibi ſimile ſecundùm ſpeciem.*

Soluitur inſtantia deſumpta ex doctrina S. Thomæ.

Excluditur reſponſio ſecundùm mentem Scoti.

8 His omnibus Ferrarienſis noſtram & S. Thomæ rationem defendit. Et verè ad mentem S. D. qui 1. p. quæſt. 45. art. 5. ad 1 ex hoc principio probat, vnam ſubſtantiam immaterialem non poſſe producere aliam ſibi ſimilem in ſpecie; quia, ſcilicet, non poteſt præſupponi eius actioni aliquid, per quod indiuiduetur effectus. Vndè poſt diſcurſum præcedenti §. nu. 8. relatum, quo concluſit. *Et ſic oportet, quòd præintelligatur id, per quod aliquid eſt hoc, actioni, quæ facit ſibi ſimile,* ſic ſubiungit. *In ſubſtantia autem immateriali non poteſt præintelligi aliquid, per quod ſit hæc: quia eſt hæc per ſuam formam, per quam habet eſſe, cum ſint forma ſubſiſtentes. Igitur ſubſtantia immaterialis non poteſt producere aliam ſubſtantiam immaterialem ſibi ſimilem.* etc. Ex his ergò omnibus dignoſcet Thomiſta, noſtram rationem allatam fuiſſe à S. Thoma, & ab antiquioribus eius

858 *Reſponſio Ferrarienſis eſt conformis doctrinæ S. Thomæ.*

Verba S. Doctoris.

do-

Digitized by Google

doctrinæ sectatoribus approbata m.

859 *Conclusiones notandæ in relatis verbis Ferrariensis*

9 Itaque considera primò ex discursu Ferrariensis duas conclusiones, quas ex discursu S. Thomæ elicit; illam, videlicèt, *Id, per quod vnum ab alio distinguitur indiuidualiter, & in se subsistit, ab altero* (scilicet eiusdem generis, & speciei) *causatum esse non potest*; Et illam, quam cõtra Scotum deduxit: videlicet, *Ergò si debet effectus conueniens cum causa ratione generis, vel speciei à causa indiuidualiter distingui, oportet esse aliquid non causatum à tali causa præsuppositum actioni, in quo natura generis, & speciei indiuiduetur, & effectus indiuidualiter subsistat, quo ab omnibus distinguatur.*

860 *Nota q S. D. probauit euidenter illã propositionẽ: cuiuscumque agentis actus determinatur ad genus, &c.*

10 Denique expende discursum S. Thomæ; ac considera, quòd primò constabiliuit illam propositionẽ, scilicet, *Cuiuscunque agentis actus* (seu forma, qua constituitur actiuum) *determinatur ad genus, & ad speciem, & accidens, eius virtutem oportet esse determinatam ad effectus similes agenti, in quantum huiusmodi*; id est, similes agenti quantum ad actũ, quo determinatur ad genus, et speciem. Eamque demonstrauit ex duplici principio per se noto: puta ex eo, quod *omne agens agit secundùm quod est in actu*, ex quo infert, *quòd oportet, modum actionis esse secundùm modũ actus*: et ex eo, quòd *omne agens agit sibi simile*. Ex his enim duabus propositionibus, nempè, modus actionis est secundùm modum actus, seu formæ, qua constituitur in actu, seu actiuum; Et omne agens agit sibi simile; ineuitabiliter sequitur, quòd cuius agẽtis actus est istius modi, puta, determinatus ad genus, et speciem, et accidens; eiusdẽ virtus, seu actio, est etiam huius modi, scilicet, determinata ad agẽdum effectus similes agenti, etc. Expende hanc partem discursus S. Doctoris, et videbis, eam verè esse demonstratiuam.

861 *Format S. D. enthymema,*

Syllogismus designatus prædicto enthymemate formatur in modo, Celarent.

11 Secundò considera, quòd post stabilitam prædictam propositionem formauit S. Doctor enthymema illis verbis. *Nihil autem, quod habet esse determinatum potest esse simile effectui eiusdem generis, vel speciei, nisi secundùm rationem generis, vel speciei (nam vnum quodque secundùm quod est hoc aliquid, est ab alijs distinctum.) Nihil igitur, cuius esse finitum est, potest per suam actionem esse causa alterius, nisi quantùm ad hoc quod habet genus, aut speciem: nõ autem quantùm ad hoc, quod subsistit ab alijs distinctum.* Quod quidem enthymema continet sequentem syllogismum in modo, Celarẽt. Omne agens, quod nõ potest esse simile suo effectui; nisi secundùm rationem generis, vel speciei, non potest per suam actionem esse causa alteris eiusdem generis, vel speciei, nisi quantùm ad hoc, quòd habet genus, aut speciẽ; non autem quantùm ad hoc, quòd est hoc aliquod ab alijs indiuidualiter distinctum. Sed omne agens, quòd habet esse determinatum, seu finitum, est agẽs, quod non potest esse simile suo effectui, nisi secundùm rationem generis, vel speciei. Ergò omne agens habens esse finitum non potest per suam actionem esse causa alterius eiusdem generis, vel speciei, nisi quantùm ad hoc, quòd habet genus, aut speciem; non autẽ quantùm ad hoc, quòd est hoc aliquid ab alijs indiuidualiter distinctum.

862 *Maior dicti syllogismi probatur ex principio per se noto: omne agens agit sibi simile.*

12 Tertiò cõsidera; quod maior prædicti syllogismi euidenter deducitur ex illo principio per se noto: *omne agens agit sibi simile*; et ex eo, *quod vnumquodque* (siue agens sit siue effectus) *secundùm quòd est hoc aliquid, seu indiuiduum, est ab alijs distinctum*, non autem aliquo modo vnum, sicut est ratione generis, vel speciei, ratione cuius plures homines dicuntur vnum in humanitate; at verò ratione indiuidui, quodlibet est ipsummet, et ab alijs distinctum. Minor deindè est omninò euidens ex modò adnotatis. Nã in agente finito, quod scilicet ratione actus, et formæ, qua constituitur in actu, est determinatum ad genus, et speciem, tria possunt considerari, nempe genus species, et indiuiduum. In directa enim serie cuiuslibet prædicamenti solùm hæc tria sunt. Ex quo fit, quòd cum agens finitum, et collocatum in genere substantiæ, non possit conuenire cum alijs eiusdem generis in eo, quod est hoc indiuiduum, solùm restat, quòd cum eis conuenire possit, seu esse eis substantialiter simile, in genere, vel specie.

In rectalinea prædicamentali sunt genera species, & indiuidua.

863 *S. D. prædicto discursu intulit ipsissimam nostram conclusionem.*

13 Quartò circa conclusionem, et totum præcedentem discursum considera; quòd S. Doctor non solùm euidenter intulit conclusionem, quàm duobus modis probatam notauimus in Ferrariensi; sed etiam, quòd ex eisdem principijs intulit ipsissimam nostram conclusionem, quam contra Recentes probare intendimus, nempe; quòd agens creatum ratione illius principij, quo constituitur in actu, seu est actiuum, secundum cuius modum est modus actionis, et per quem determinatur agens ad genus, et ad speciem, non est causa indiuidui, secundùm quod est hoc, et ab alijs distinctum. Vnde quòd agens creatum sua actione producat indiuiduum, non habet ex principio actionis, sed ex subiecto, et materia, quæ præsup-

ponitur

ponitur actioni, & per quam actio in ipsa recepta determinatur ad effectum indiuiduum.

14 Et hinc est (quod est quintò cōsiderandum) quòd S. Doctor post conclusionem præcedentis discursus intulit hāc aliam, puta. *Omne igitur agens finitum præsupponit ad suam actionem hoc, vndè causatum suum indiuidualiter subsistit.* Et consequentia ita valet ex eo, quod dum principium, vndè indiuiduum est indiuiduum, & hoc aliquid, non potest esse forma, & actus, ex quo procedit actio, agentis creati; necessariò sequitur, quòd sit aliquod, quod præsupponitur eidem actioni. Non enim potest assignari aliud, vndè tāquàm ex fonte procedat talis ratio in effectu agentis creati, si ex principio agendi, quod in agente est, non procedit. Tandem ex omnibus ex S. Thoma recensitis, simul sumptis, habes integram nostram sententiam.

864 *Quā ratione S. D. post prædictum discursum intulit: omne igitur agens finitū præsupponit ad suā actionem, &c. declaratur.*

§. XV.

Instantia, ex quarum solutione veritas nostræ sententiæ, Diuique Thomæ magis elucescit, proponuntur.

1 Dices, doctrinam D. Thomæ à nobis allatam esse sibi repugnantem. Siquidem retulimus §. tertiodecimo nu. 5. verba S. D. ex cap. 65. ratione 3. lib. 3. contra gent. quibus docet, indiuiduum per se loquendo esse causam alterius indiuidui eiusdem speciei videlicet. *Hic homo non potest esse causa speciei humanæ, esset. n. causa hominis & per consequens sui ipsius. Est enim causa hic homo huius hominis per se loquendo.* In hoc verò §. retulimus verba, quibus videtur docere oppositum, nempè: *Nihil igitur, cuius esse finitum est, potest per suam actionem esse causa alterius, generis, vel speciei eiusdē; nisi quantū ad hoc, quod habet genus & speciem: non autē quantùm ad hoc, quod subsistit ab alijs distinctum.* Ex priori enim loco sequitur oppositum secundi. Nam si hic homo, per se est causa huius hominis; & hic homo est hic, inquantùm est indiuiduum ab alijs distinctum: sequitur, quòd sit causa huius hominis, quantùm ad hoc, quod est ab alijs distinctum.

865 *Loca S. D. quæ sibi videtur repugnare, proponuntur.*

2 Respondeo, quòd non repugnantia, sed mira conuenientia est inter prædicta loca S. D. Itaque verum est, quòd hic homo, per se loquendo, est causa huius hominis; sed non propter hoc, quod actus, et forma, per quā agit hic homo; sit ratio, & principium, ex quo per se prouenit indiuiduatio effectus, vt existimant Complutenses modo infrà citandi.

866 *Respondetur, & explicatur, qualiter dicta loca conueniāt*

Nàm secundùm hanc rationem indiuiduatio effectus à nullo agente creato procedere potest. Sed propter hoc, quod agenti particulari, quatenus est hìc, & nūc affectum conditionibus singularibus, propriè conuenit applicare formam specificam ad hanc designatam materiam, quæ est per se principiū, ex quo in effectu prouenit indiuiduatio. Hinc S. Doctor post verba in obiectione relata per hoc declarat, quod hìc homo, per se loquendo, est causa huius hominis, quod est causa, quòd forma hominis sit in hac materia. & sic inquit; *Est. n. causa hic homo huius hominis, per se loquendo. Hic autē homo est per hoc, quòd natura humana est in hac materia, quæ est indiuiduationis principiū. Hic igitur homo non est causa hominis, nisi inquantùm est causa, quòd forma hominis fiat in hac materia.* Verbis etiā relatis §. tertiodecimo nu. 8. habet. *Hic homo est causa, quòd natura humana sit in hoc homine generato & sic supponit in sua actione determinatā materiā, per quā est hic homo.* Vide alia n. 22. huius §.

Verba S. D. seipsum explicātis

867 *Secunda obiectio ex alio loco S. D. desūpta*

3 Dices secundò. Sanctus Doctor 1. p. quæst. 119. art. 1. in corp. agnoscit in viuentibus virtutem ad generandum sibi simile secundùm indiuiduum, quam virtutem denegat agentibus inanimatis, quibus solùm competit virtus ad generandum sibi simile in specie, & sic habet, in corporibus inanimatis, *& si sit virtus ad generandum simile in specie, non tñ est virtus in eis ad generandum aliquid sibi simile secundū indiuiduū, quæ quidē virtus in corporibus viuētibus est virtus nutritiua.* Sed hoc nihil est; quia nō repugnat doctrinæ S. D. in superiori ratione allata, qua dicitur, quòd agens creatum non potest esse causa alterius eiusdem generis, vel speciei, nec illi simile, nisi quantùm ad rationem generis, vel speciei. Siquidem per virtutem nutritiuam facit viuens aliquid sibi simile secundùm indiuiduum, inquantum vertit aliquod in seipsum, ac per hoc facit secundùm aliquid se ipsum, quod sibi ipsi est idem, nō autem facit aliud eiusdem speciei, vel generis, cui in eo, quòd est hoc aliquid, & indiuiduum à se distinctum, est substātialiter simile. In hoc enim implicatur euidens contradictio.

Responsio, qua demōstratur, locum obiectum non esse contrariū alteri doctrinæ S. Thomæ.

868 *Tertia obiectio ex alio loco S. D. in quem offendunt Cōplutenses, & alij*

4 Dices tertiò. S. Doctor, Quodlibet. V. art. 8. in princ. corp. sic habet, *Dicendum, quòd cùm in generatione hominis, sicut & aliorum animalium, semē patris sit agens. materia verò à matre ministrata sit sicut patiens, ex quo corpus humanum forma formatur, impossibile est, eundem filium nasci, siue sit alius pa-*

Digitized by Google

ter, siue sit alia mater: sicut etiam non est idem numero sigillum, siue sit alia cera, siue sit aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur. Hæc autem doctrina ex eo videtur rationem habere, quia virtus actiua seminis talis hominis est de se productiua alicuius determinati individui. Hoc autem admisso, corrueret ratio S. Doctoris à nobis in hoc §. proposita, qua concluditur, quòd nullum agens finitum est causa alterius, nisi quãtum ad hoc, quòd habet genus, & speciem.

Opinio Complutensium refertur, ac probatur, rationi, & S. Thomæ repugnare.

869 *Cõplutenses, disp. 15 in octo lib. Physic. qu. 4. §. 2. & 3. scilicet à nu. 50. ad 59.*

5 QVidam (inter quos Complutenses) moti verbis S. Doctoris proximè relatis, existimant, quòd sicut virtus generatiua humana specificè, et abstractè, sũpta, est determinata ad speciem hominis, ita virtus generatiua huius hominis ad aliquos homines in particulari. Et indè inferunt, quòd idcircò hic homo, puta, Petrus filius Francisci, non potuit, nisi à Frãcisco generari, quia in nullius alterius hominis obiecto adæquato virtutis generatiuæ continetur, nisi solius Francisci.

870 *Conclusio probanda.*

6 Verùm si hunc sensum haberet doctrina hæc S. Doctoris, quem dicti Complutenses loco cit. latè explicant, verè nobis, & sibi ipsi repugnaret S. D. Quare dico. quòd dicta excogitatio Cõplutensium, tam D. Thomæ in ratione supra à nobis inculcata (quam demonstratiuam censemus,) quàm alijs principijs naturalibus per se notis repugnat. Ratio verò, ob quam si esset alius pater, non nasceretur idem filius numero, est alia satis diuersa.

871 *Manifestatur, quòd Complutenses docent contradictoria cõclusionis S. Thomæ.*

7 Et quidem, quòd repugnat S. Doctori in doctrina rationis à nobis allatæ, manifestè apparet. Nã prædicta ratio cõcludit contradictorium eius, quod asseritur à prędictis Doctoribus. Quandoquidẽ conclusio dictæ rationis est. *Nihil igitur, cuius esse finitum est, potest per suam actionem esse causa alterius, nisi quantũ ad hoc quod habet genus, aut speciem, non autem quantùm ad hoc, quod subsistit ab alijs distinctum.* At verò præfati Doctores aiserunt: quòd aliquid, cuius esse finitum est, (E. g. virtus generatiua huius, & illius singularis hominis) per suã actionem est causa alterius hominis, contenti in congerie illa individuorum producibilium solùm à singulari virtute talis hominis, non solum quantùm ad rationem genericam, aut specificam, secũdùm quam rationem quælibet virtus singularis alterius hominis potest producere alium; sed etiam secundùm individualem, secundùm quam rationem nulla alia virtus singularis alterius hominis potest producere hunc, aut alium, spectantem ad congeriem individuorum talis singularis virtutis generatiuæ; Quod planè est contradictorium conclusionis S. Thomę.

872 *Ex principio per se noto, quo vtitur S. D. in sua ratione multa sequuntur inconuenientia contra Cõplutenses.*

8 Amplius; Ex principio, quo vtitur S. Doctor in sua ratione, puta, *Omne agens agit sibi simile in actu & forma, per quam agit.* deducitur euidenter, quòd individua spectantia ad congeriem individuorum producibilium solũ ab hac singulari virtute generatiua, quam habet. E. g. Petrus, (vt volunt Complutenses) conueniant, et sint similia in aliqua ratione substantiali inferiori ad rationem specificam, quæ sit diuersa ab alia ratione substantiali inferiori ad specificam, in qua conueniunt individua spectantia ad congeriem producibilium à virtute singulari, quæ est in Platone. Et sic in alijs. Ex quo sequitur, quòd debent dari infinitæ rationes inferiores specifica, in quarum singulis conueniant singulæ congeries individuorum spectantium ad singulas singulares virtutes. Quod planè plura inuoluit inconuenientia.

873 *Primum inconueniens manifestatur*

9 Hoc autem sic manifestatur. Nã si, ex vna parte, omne agens agit sibi simile in actu, per quem agit; & ex alia, hic singularis homo, puta, Petrus per actum, quo est hic singularis homo, ad quẽ sequitur sua singularis virtus generatiua, quæ solùm est factiua individuorum spectantium ad suam congeriem, agit quod uis ex illis individuis spectãtibus ad eandem congeriem, oportet, quòd omnia individua prædictæ congeriei conueniãt cum Petro, seu sint Petro similia in illo actu singulari, per quem est hic singularis homo: Cùm ergò prædicta similitudo, seu conuenientia non sit, generica, nec specifica, sequitur ex necessitate, quòd sit inferior specifica.

874 *Manifestãtur alia duo inconuenientia.*

10 Præterea; quoniam, quod dicimus de Petro, dicendum est de singulis individuis: fit indè consequens, quòd omnia individua cuiuslibet congeriei cõueniant inter se in illo actu singulari, quo constituuntur in actu singula individua, ad quæ spectant singulæ individuorum congeries. Quia autem tales actus sunt diuersi, iam sequitur, quòd singulæ individuorum congeries conueniant in aliquo diuerso. Et tandèm, quia dictæ congeries sunt infinitæ saltem in potentia, sequitur, quod istæ rationes inferiores vna, & eadẽ ra-

Digitized by Google

ratione ſpecifica, & ſuo modo ſuperiores in ordine ad illas, quibus quodlibet indiuiduum differt à quolibet contento in eadem congerie, ſint infinitæ.

875 *Primū inconueniēs ſequi expoſitione Cōplutenſiū, probatur ratione.*

11 Ampliùs quælibet virtus generatiua cuiuslibet ſingularis eſt vna: oportet ergo, quòd obiectum talis virtutis ſit ſecundùm aliquam rationem vnum. Non enim plura, vt plura, poſſunt eſſe obiectum vnius virtutis. Neceſſe eſt ergò, quòd omnia indiuidua ſpectantia ad congeriē vnius ſingularis virtutis conueniant in aliqua ratione ſubſtantiali, pertinente ad virtutem generatiuam. Hæc autem ratio non eſt generica, aut ſpecifica. Oportet ergò quòd ſit inferior.

876 *Salmāticēſes Trac. 1 diſp: 2. nu: 73: & 74.*

12 Ampliùs ſequitur, quòd virtus generatiua vnius ſingularis differat ſpecie à virtute generatiua alterius ſingularis eiuſdem ſpeciei. Nam vna differret ab alia, non ſolùm ratione ſubiecti, cui ineſt, vndè (ſecundùm *S.* Tnomam) ſumitur differentia indiuidualis; ſed etiam ratione obiecti, in quod fertur, & cui commenſuratur, ex quo deſumitur differentia ſpecifica. Hinc Patres Salmāticenſes optimè ex Caietano docent, quòd ſpecies viſibiles repræſentantes duo alba differunt, non ſolùm numero; ſed ſpecie: & hoc, quia non ſolùm differunt ex parte ſubiecti, ſi in diuerſis ſubiectis recipiantur; ſed etiā ex parte obiecti, quod repræſentāt. Lege ipſos, & applica eandem rationem ad propoſitum.

877 *Refelluntur Complutenſes: quia innitūtur fūdamento euidenter falſo:*

13 Ampliùs, prædicta exiſtimatio innititur fundamento euidenter falſo, quod ſi ad veros terminos reducatur, eiuſdem exiſtimationis conuincit oppoſitum, probatque noſtram, & D. Thomę ſententiam euidenter. Idque manifeſtè videbimus, ſi dictæ opinionis rationē fundamentalem, ſecundo loco ab ipſiſmet Complutenſibus explicatam, conſiderabimus. Itaque diſp. 15. cit. quæſt. 4. nu. 52. ſic explicatiùs dictam rationem proponunt. *Confirmatur & explicatur ſecundò. Formaliſſima ratio potētiæ operatiuę radicalis, & humanæ abſtracta à cunctis ſimilibus potētijs aliquid amplius includit quàm quæuis ſingularis potentia. Quandoquidem in ea continetur omnis vt actiua talis ſpeciei, cum tamen in hoc vel illo inferiori non inueniatur, niſi partita & diuiſa. Ergò ſicut in illa ratione ſolùm continetur vis, & facultas ad faciendum omnia, & ſingula indiuidua ſpeciei humanæ ità in peculiaribus, & ſingularibus potentijs indiuidualiter contractis, & partitis, iam ſolùm continebitur peculiaris virtus ad peculiaria, & æqualia cauſanda.*

Verba Cōplutenſiū, quibus proponunt fūdamētum, ſuæ opinionis,

Patet conſequentia: tum ex paritate rationis: tum etiam quia ex quo capite deſcendit partita, nō poteſt eſſe in eis virtus ita generalis, & extenſa, ſicut eſt in illa ratione formaliſſima, & abſtracta in qua omnes particulares potentiæ operatiuæ continentur: ex qua parte ratio talis potentiæ deſcendit æqualiter partita, oportet, vt quodlibet indiuiduum poſſit producere æqualia indiuidua, tā in quātitate, quàm in qualitate, quantùm cum natura diuerſorum indiuiduorum compatibile eſt. Ita prælati Doctores.

878 *Probatur, prædictę rationis fundamentū eſſe falſum euidēter, quia indè ſequitur, rationem cōmunē non prædicari de inferioribus.*

14 Sed quem latebit, prædictæ rationis fundamentum eſſe falſum? Quis vnquam audiuit, rationem ab inferioribus abſtractam aliquid amplius includere, quàm quodlibet ex inferioribus, à quibus abſtrahitur? Scimus rationem abſtractam ab inferioribus (ſiue generica ſit ſiuè ſpecifica) prædicari de ſingulis inferioribus: ſic dicimus Petrum eſſe hominē, ſeu animal rationale, & hominē eſſe animal, &c. ſi autem aliquid amplius includeret ratio abſtracta, quàm quodlibet ex inferioribus à quibus abſtrahitur, de nullo inferiori prędicari poſſet. Idque (ſi vera eſſent, quæ dicti Complutenſes aſſerunt) pateret in hac ipſa ratione virtutis generatiuæ humanę, quæ (vt ipſi dicunt) *eſt abſtracta à cunctis ſimilibus potentijs*, & eſt, *vis & facultas ad faciendum omnia, & ſingula indiuidua ſpeciei humanæ.* Hæc enim ratio, quia (vt dicti Autores volunt) aliquid ampliùs includit, quàm ſingula inferiora, de nullo inferiori prædicari poteſt. Non enim virtus generatiua Petri, aut cuiuslibet alterius ſingularis, dici poteſt *vis, & facultas ad faciendum omnia, & ſingula indiuidua ſpeciei humanæ.* ſic namque ipſe Petrus per ſuam virtutem poſſet facere tū ſeipſum tum omnes anteceſſores ſuos vſque ad Adam. Vide modò manifeſtam falſitatem: Quis audiuit, rationem abſtractam ab inferioribus de nullo poſſe inferiori prædicari.

879 *Proponitur exemplum, quo manifeſtatur inutilitas diſcurſus Cōplutenſium.*

15 Conſidera, qualiter erraret, qui ſic diſcurreret. Virtus intellectiua rationalis, abſtracta ab omnibus ſingularibus virtutibus intellectiuis rationalibus, quę ſunt in ſingularibus hominibus, eſt vis, & facultas ad intelligendum omnes, & ſingulas ſpecies quidditatis ſenſibilis. Ergò virtus intellectiua rationalis huius hominis, puta, Petri, in quem talis virtus deſcendit partita, non poteſt eſſe ita generalis, et extenſa, ſicut in ratione illa abſtracta continetur; ſed debet eſſe peculiaris, et extenſa ad peculiares quaſdam ſpecies quidditatis ſenſibilis, et æquales in quan-

Digitized by Google

tate, & qualitate alijs speciebus, ad quas peculiariter se extendit virtus rationalis alterius singularis hominis. Et deinde probaret consequentiam ex eo, quòd virtus intellectiua rationalis abstracta ab omnibus singularibus debet aliquid amplius continere, quàm singulæ virtutes inferiores. Quandoquidem in ea continetur omnis vis intellectiua rationalis; cum tamen in hoc, & in illo inueniatur partita, & diuisa. Ergò sicut in illa ratione abstracta continetur vis, & facultas ad cognoscendum omnes, & singulas species quidditatis sensibilis; ita in peculiaribus, & singularibus potentijs intellectiuis indiuidualiter contractis, & partitis solùm continebitur peculiaris virtus ad peculiares species cognoscendas.

880 *Manifestatur defectus propositi exempli.*

16 Erraret sanè, qui sic discurreret; quia prior consequentia esset mala; antecedens verò probationis, quo assumitur, aliquid amplius cõtineri in virtute intellectuali abstracta ab inferioribus, quàm contineatur in virtute intellectuali huius singularis hominis, est falsũ. Et vlteriùs falsa est illa existimatio, puta, quod virtus specifica, dum quasi partitur in singularibus, accipiat etiam solam aliquam partem sui obiecti. Verum est quidem, quòd virtus, seu potentia, quæ est genus, E. g. potentia sensitiua, quæ prædicatur, vt de pluribus speciebus, de potentia visiua, auditiua, olfactiua, &c. quæque habet obiectum, quod etiam suo modo est genus, puta, sensibile: dum descendit partita in suas species, scilicet, visum, auditum, &c. quælibet ex speciebus accipit partem obiecti generici, vt proprium obiectum. Sic potentia visiua habet pro obiecto coloratum, seu lucidum, quod est quoddam peculiare sensibile; sic auditus sonũ, qui est aliud speciale sensibile, & sic de alijs. At verò virtus, & potentia, quæ est species infima, e. g. potentia visiua, dum descendit singularizata, & numero distincta in diuersis subiectis, non autem vna numero, sicut natura diuina in tribus personis, non accipit diuisionem penes obiectum, itaut aliquos speciales colores videre possit potentia visiua, quæ est in Paulo, & aliquos alios distinctos illa, quæ est in Petro. Et ratio discriminis est; quia diuisio, quæ habetur per descensum generis in species, fit per differentias formales, quæ in potentijs, siue actiuis, siue passiuis, desumitur per ordinem ad obiecta formalia: at verò diuisio, quæ habetur per descensum speciei in indiuidua est meræ materialis, & in formis accidentalibus, quales sunt virtutes generatiuæ proximæ, & formales, fit per subiecta, & in formis substantialibus, quales sunt virtutes actiuæ radicales, fit per materiam, in sententia S. Thomæ; non autem per ordinem ad obiecta diuersa.

Potẽtia, q̃ est genus, dũpartitur in diuersas species, recipit diuisionẽ ex parte obiecti: non autem illa, quę est species infima.

Ratio prædicti discriminis.

881 *Defectum discursus Complutẽsium esse cõformem exẽplo proposito, manifestatur.*

17 Atque ex hoc exemplo percipies, quòd simili modo decipiuntur in suo discursu Complutenses, dum ex eo, quod virtus generatiua humana est (vt ipsi adnotant loc. cit. num. 51.) in pluribus indiuiduis non vna, & eadem numero, vt natura diuina in tribus personis, sed diuisa & plurificata numero; deducunt, quòd potentiæ generatiuæ indiuiduatæ, & distinctę in singulis hominibus sunt inter se diuisæ, & distinctæ per ordinem ad obiecta, inquantùm quælibet habet pro obiecto adæquato suæ singularis virtutis specialem portionem obiecti virtutis generatiuæ humanæ specificè sumptæ, vt clarè hoc ipsum explicãt, & sequuntur Salmãticenses Trac. primo disp. 2. num. 62. vbi sic inquiunt.

Salmãticẽses sequuntur Cõplutenses.

882 *Verba Salmãticẽsiũ, quibus se conformãt Complutẽsibus.*

18 *Non quælibet causa efficiẽs. v.g. non quilibet ignis potest producere quemlibet alium ignem, sed singulis ignibus designandis fit collectio quædam infinita syncategorematicè indiuiduorum, quæ ab illis possint produci: & ideò repugnat etiam per diuinam potentiam, quòd vnus ignis per suam natiuam virtutem producat alium ignem; nisi sit ex contentis in collectione illa ei correspondente.* et rationem assignãt. *Nam* (inquiunt parũ infrà) *causa efficiens ex vi suæ virtutis, siuè entitatis, non potest extendi extra summum obiectum adæquatum.* Et inde cõcludũt, *quòd in vnoquoque genere causa debet esse omnimoda cõmensuratio inter causam, & eius obiectum.* In quibus, vt vides, volunt, quòd virtutibus actiuis distinctis indiuidualiter ex hoc, quod sunt in diuersis indiuiduis eiusdem speciei, correspondẽt diuersæ collectiones indiuiduorum eiusdem speciei, tanquàm distincta obiecta adæquata, & sic singulis virtutibus solo numero distinctis tribuunt pro obiecto adæquato portionem obiecti spectãtis ad virtutem sumptam in specie.

883 *Concluditur fundamẽtũ positionis dictorum Recentiũ esse falsum. eos q; decipi in assignando obiecto virtutis generatiuæ, tũ*

19 Ex dictis modò apparet, fundamẽtum positionis horum Recentium esse falsum, & quòd decepti sunt in assignãdo obiecto virtutis generatiuæ agentis vniuoci, siue talis virtus sit accepta secundũ rationem abstractam, & specificam, siue secundum rationem indiuidualem. Nam nec peculiaris collectio indiuiduorum eiusdem speciei potest esse obiectum adæquatum virtutis singularis indiuidui talis speciei; nec omnia, & singula indiuidua vnius speciei possunt esse obiectum adæquatum virtutis sumptæ secundùm rationem

Digitized by Google

secundùm rationem specificā tum indiuidualem.

nem abstractam, & specificam. Primum horum patet ex dictis, quia plura illa indiuidua spectantia ad vnam collectionē non possunt esse obiectum vnius virtutis, nisi inquantùm conueniunt in vna ratione formali; Et quidem si conceditur diuersa in singulis collectionibus indiuiduorum, quæ existimantur obiecta adæquata aliarum singularium virtutum, efficiet, vt omnes illæ singulares virtutes habentes obiecta adæquata formaliter distincta distinguantur specie, & non solo numero, vt supponuatur esse. Si verò non conceditur, sequitur, illa plura indiuidua, qualitercunque intelligantur collecta, non esse obiectum vnius virtutis.

884 *Probatur, quòd malè assignant obiectum virtutis secūdùm rationem specificam:*

20 Secundum verò ex eodem principio deducitur. Nam omnia, & singula indiuidua vnius speciei non possunt spectare ad obiectum adæquatum vnius virtutis specificè sumptę, nisi inquantùm cōueniunt in vna ratione specifica, in ordine ad quā talis virtus habet suam vnitatem specificam. Hæc autem ratio à prædictis Doctoribus verè assignari non potest. Nam nulla ratio potest assignari, in qua conueniant omnia, & singula indiuidua, nisi ipsa ratio speciei absolutè, & fine vlla limitatione sumpta; si enim sub aliqua limitatione acciperetur (vt reuerà accipienda est, vt mox dicemus) iam nō conueniret omnibus, & singulis. Ratio autem specifica absolutè, & sine limitatione accepta, non potest esse obiectum virtutis agentis vniuoci, vt probat S. Doctor locis relatis, & citatis §. 13. huius disp. num. 5. & 8. & Ferrariensis ex eodem S. D. locis à nobis citatis eodem §. num. 9. in fine, ad cuius optima adnotata te remitto.

885 *Idem confirmatur.*

21 Ampliùs omnes, & singuli homines, qualitercunque intelligantur connenire, non possunt esse obiectum virtutis productiuæ creatæ. Siquidem inter omnes, & singulos homines sunt, qui non nisi per creationem fieri potuerunt, vt Adam, & Heua, quos nulla potētia creata producere potuit, non ergò omnes, & singuli homines sunt obiectum producibile per virtutem generatiuam humanam.

886 *Explicatur obiectum virtutis cuiuslibet agētis vniuoci ex sententia S. Th.*

22 Tandem si verum obiectum virtutis actiuæ cuiuslibet agentis vniuoci petis, vt designemus: dico, illud esse naturā specificam, vel genericam non illimitatè acceptam, & vt producendam absolutè, & simpliciter, sed limitatè, & prout ab habente eandem naturam fit in alio à se distincto, per quod ipsa natura specificatur, vel indiuiduatur. sic S. Doctor verbis relatis §. 13. n. 5. & 8. & lib. 2. contra gent. cap. 21. ratione 7. his verbis. *Quod est secundum aliquam naturam tantùm, non potest esse simpliciter illius naturæ causa; esset enim suiipsius causa: potest autem esse causa illius naturæ, in hoc: sicut Plato est causa humanæ naturæ in Sorte: non autem simpliciter, eo quòd ipse est creatus in humana natura. Quod autem est causa alicuius in hoc, est attribuens naturam communē alicui, per quod specificatur, vel indiuiduatur.* In quibus, vt vides, obiectum virtutis actiuæ causæ habentis eandem naturam, seu vniuocæ, dicit esse ipsam naturam communem, non absolutè, & simpliciter: sed inquātum attribuitur alicui, per quod specificatur, vel indiuiduatur. Ità quidem vt obiectū attactum per causalitatem agētis vniuoci sit ipsa ratio naturæ, quā agēs attribuit alij à se distincto, conditio verò obiecti, seu modus, quo tale obiectum attingitur, est iste, scilicet, prout in alio, &c.

887 *Qualiter sit explicanda diffinitio virtutis agentis vniuoci.*

23 Hoc autem posito, quod in verbis S. Thomæ, est expressum, patet, quòd virtus actiua agentis vniuoci sic explicari debet, nempè: vis & facultas agentis ad faciēdum sibi simile in genere, vel specie, quæ ratio, vt patet, assumitur à S. Thoma, vt principiū discursus, quem contra Recentes in hoc §. inculcauimus. Et dico: *sibi simile in genere.* Nam corpora hæc inferiora, considerata secundùm rationē corporis procedunt à corpore cœlesti, vt à causa vniuoca, inquantum habens naturam corporis facit corpus, eo modo, quo habens naturam humanam, facit hominē. Ratio aut corporis communis corporibus cœlestibus, & his inferioribus, est ratio generica. Et hinc S. Doctor dixit: *per quod specificatur, vel indiuiduatur:* quia, scilicet, natura corporis per hoc, quod applicatur materię subiectę contrarietati, specificatur, seu determinatur ad speciem corporis mixti, & ad alias species inferiores.

Virtutes actiuæ singulariū agētium nō differunt quantū ad obiectum:

Atque ex his modò clarè percipies, quòd potentiæ, seu virtutes actiuæ singularium eiusdem speciei, non differunt inter se penes obiectum; quia omnium est vnum, idemque obiectum formale, puta natura specifica, vt in alio: sed solùm penes subiectum, inquantùm vna est in hoc singulari, & alia in alio singulari, & illo simili modo. res se habet, quo diximus, virtutem visiuam, quæ est in Petro, ab ea, quæ est in Paulo, non differre quantùm ad obiectum, quod vtriusque est vnum, & idem, puta coloratum, sed solùm quantū ad subiectum.

Sol-

Digitized by Google

§. XVI.

Soluitur tertia obiectio, & explicatur dictum illud Sancti Doctoris: Impossibile est eundem filium nasci, siue sit alius pater, siue alia mater.

888 1 His explicatis circa falsitatē positionis horum Recentium, respondemus ad obiectionem tertiam propositā §. 14. nu. 44. iuxtà principia S. Doctoris; dicimusque, verum esse quòd siuè sit alius pater, siue alia mater, impossibile est eundem filium nasci: sed hoc non ideò est; quia actio, & influentia patris per id, quod ex se habet, & pro vt procedit à virtute actiua eiusdem patris, causat per se filium, quantùm ad esse indiuiduum, & vt est hoc aliquid ab alijs distinctum, itaut obiectum talis actionis, in quod tendit per ea, quæ habet ex se, & ex suo principio actiuo, sit ratio indiuidualis, seu illud, per quod distinguitur ab alijs indiuiduis, vt existimant Recentes, quos hactenus refutauimus. Sed ideò est, quia si esset alius pater, esset alius numero diuersus, quantùm est ex parte agētis, actus completus generandi filium: & si esset talis actus numero diuersus, determinaretur per materiam ad alium numero filium, quamuis talis actus generandi conueniret cum actu generandi alterius patris, quantum ad obiectum, quod habent dicti actus ex se, puta, quantùm ad causandam rationem specificam.

Ratio dicti S. Thomæ proponitur:

Discursus eiusdem S. Doctoris:

Itaque vult S. Doctor, quòd si esset alius pater, esset aliud numero semen fœcūdans matrem, & si esset aliud semen (etiā si esset eiusdem patris) esset alius distinctus numero actus completus generantis filium; & si esset alius distinctus numero talis actus, per quem immutatur materia ministrata per matrem, reciperet per eādem materiam, diuersificatam per connotationem talis actus, determinationem ad aliud indiuiduum. Et similiter si esset alia mater, esset diuersa materia, quæ per eam submministraretur: & sic per diuersam materiam determinaretur ad diuersum indiuiduum. Hoc secundum est extra quæstionem; sed primum est manifestiùs declarandum.

889 *Notabile primū pro explicāda sententia S. Doctoris*

2 Vndè notari debet: quod secundùm S. Thomam influentia causæ importat motum receptum in mobili habente virtutem mouentis, & mobilis, vt patet ex locis relatis §. 8. huius disp. à num. 4. & deinceps. Ex quo fit, quòd in infimo agente immediatè mouente materiam ad formam substantialem, inueniatur influentia omnium superiorum mouentium determinata secundum modum infimi agētis, per quod transmittitur in materiā. Talis ergò influentia, prout est in infimo agente, est vna numero, estque effectiua effectus secundùm omnes rationes, quæ sunt obiecta virtutum superiorum causarum: & ideò est effectiua effectus, & inquantùm est ens, & inquantùm est res naturalis, & illius speciei, cuius est infimum agens: Effectus denique talis influentiæ est indiuiduū speciei per hoc, quod ratio speciei per eam fit in hac materia.

890 *Secundum considerabile: quòd influentiæ singularium agentium conueniūt in obiecto, & differūt in entitate.*

3 Considerari debet secundò, quòd in prædicta influentia duo cōsiderari possunt: vnum est obiectum producibile per ipsam: aliud est entitas ipsa, seu motus agentis, qui effluit in materiam. Quātùm ad primum, influentiæ omnium singularium eiusdem speciei conueniunt, inquantùm omnes habent pro obiecto rationem genericam, & specificam effectus: quantum verò ad secundum differunt numero ratione suppositi agentis numero distincti.

891 *Materia secundum quod connotat diuersas dispositiones, diuersificatur secundum vnitatem numericam positiuam.*

4 Tertiò considerari debet, quòd secundùm S. Thomam materia, quæ affecta secundum aliquas dispositiones, per quas non ordinatur proximè ad aliquod agens, non est sufficiens ad diuersificandū effectum talis agentis, potest per alias dispositiones superadditas fieri sufficiens. Hinc S. Doctor hoc ipso loco, vbi docet, quòd siue sit alius pater, seu aliud semen, siue sit alia mater, seu diuersus sanguis præparatus per matrem, non est possibile eundem filium nasci, docet etiā, quòd non sufficit ad diuersificandum numero filium diuersitas materiæ remotæ, atque vult, quòd diuersitas materiæ, quæ est in alimentis, ex quibus in patre generatur semen, & in matre generatur sanguis, nō sufficit, nec ad diuersificandum semen patris, nec ad diuersificandum sanguinem præparatum per matrem, & ex consequēti nec sufficit ad diuersificandos filios. Vndè post verba relata §. 14. n. 43. sic subiungit. ***Diuersitas tamen alimentorum non sufficeret ad diuersificandum filios, qui ex semine nascuntur, quia ex illis cibis non sumitur semen, nisi quatenus aliqualiter in substantiam parentum conuertuntur.*** In quibus, vt vides docet, quòd licèt diuersitas materiæ secundùm quòd est sub dispositione formę ciborum non sufficiat ad diuersificandos filios, diuersitas tamen materiæ sub dispositione sanguinis sufficit, & necessariò diuersificat.

5 Et hinc modò fit, quòd secundùm eundem modum existimat S. Doctor, quòd, materia præparata per mat[illegible] 892

quo.

Digitized by Google

quodammodo diuersificaretur per hoc, quod in illa hypothesi subijceretur diuersis actibus completis generandi, consistētibus in diuersis numero influētijs receptis in seminibus numero diuersis, per quos actus materia diuersimodè se haberet in ordine ad suum actiuum. Vlteriùs S. Doctor existimat, quòd dicta diuersitas necessariò inducit diuersitatem indiuiduorum. Sed hoc non ex eo est, quod obiectum causalitatis vnius seminis, cōsiderati secundùm id, quod habet ex virtute generatiua, sit aliud ab obiecto causalitatis alterius eodem modo considerati. Sed est ex hoc, quòd, dum influētia, seu motus, procedens ex semine in sanguinem præparatum per matrem est secundùm entitatem, quam habet, numero distinctus ab illo, qui in eundem sanguinem proueniret ab alio semine, & hoc inquantùm per talem motum ordinatur materia sub agente, in quo influentia omnium causarum (cui motus ille, ratione ordinis inuenti in ipsis influentijs, quasi continuatur) est numero diuersa ab ea, quæ est in alio agente: fit indè, quòd materia sub sanguine menstruo existens, prout prædicta connotat, fiat secundùm rationem proximam, secundùm quam tribuit indiuiduationem formę recipiendæ, numero diuersa. Et ex hoc deindè sequitur, quòd ratio specifica, seu forma, quæ effluit ab influentia vnius seminis, recipiat per materiam in qua recipitur dicta forma, indiuiduationem diuersam ab ea, quam reciperet, si in eam ageret aliud semen.

893 *Explicatur, & cōfirmatur prædicta responsio ex doctrina eorum dem Salmāticenſium.*

6 Idque potest magis explicari ex doctrina, quam docent ijdem Complutenses, & Salmāticenses, quos impugnamus. Hi enim Trac. primo, disp. 1. nu. 135. vbi citant Complutenses, docent, quòd licet materia subiunarium quātum est ex se, & præcisè sumpta ab omni cōnotato extrinseco, sit vna numero negatiuè, attamen, *hoc est propriè (vt sic loquamur) eius ingenium, quod in actu signato habeat quidquid ex parte rei requiritur ad vnitatem positiuam numeri eam secundùm quam est radix huius indiuidui substantialis potiùs, quàm alterius,* (resecamus aliqua, quæ addunt ad maiorē explicationē) *licèt hoc non sit ibidē in actu exercito, nisi ponatur in obliquo, quod pro connotato desideratur, seu aliquod ex prædictis connotatis, qua nu. 133. recensuimus.* Hoc autem numero sic loquuntur. *Præcontinet hanc numero quantitatem, potiùs, quàm illam, nuda & pura potentialitas materia, connotando tamen, si compositum illud fiat per generationem, quod in tempore immediatè antecedenti præcesserint hæ numero dispositiones, & non aliæ: ac proindè quòd fuerint introducta ab hoc potiùs agente, quàm ab illo, & in hoc tempore, in illoque composito corrumpendo, & nō in illo. Nam bis positis connotatis habet materia tale (vt sic dicamus) ingenium, vt seipsa absque alio intrinseco in esse entis ei superaddito, præhabeat hanc potiùs quantitatem, quàm illam.*

894 *Materia fit diuersa numero positiuè ex seipsa vel positis solùm quibusdā cōnotatis secundùm opinionē Salmāticenſium.*

7 Itaque volunt, quòd materia, quæ secundùm ipsos est principium indiuiduationis, inquantùm præhabet hanc potiùs quantitatem, quam illam, fiat vna numero positiuè, seu præhabens hanc potius quantitatem, quàm illam, per hoc, quòd connotat prædicta enumerata: ita vt si illa essent diuersa, fieret ipsa materia ex se, seu suo proprio ingenio, diuersa numero positiuè, esset que principium huius potiùs indiuidui, quàm alterius. Hæc autem doctrina iam explicat modū, quo materia, quæ est sub vna forma, e. g. sub forma sanguinis in matre, posset fieri diuersa numero positiuè, & principium diuersi indiuidui per hoc solùm, quòd cōnotaret diuersum agens, diuersas dispositiones, &c. At verò hoc ipsum est, ex quo nos intulimus, quòd si ex semine numero diuerso, agente in eandem materiam præparatam per matrem, eueniret diuersum numero indiuiduum, non oporteret, id esse ex eo, quod virtus, & actio generantis tenderet ex se, & vt procedit à forma generantis in determinatum indiuiduum, vt in obiectum producibile. Et hoc, quoniam posset esse, & reuera esset ex eo, quod in tali hypothesi materia illa, quæ esset sub forma sanguinis, per hoc, quod connotaret semen numero diuersum, quodque in ipsam ageret per actū generandi diuersum numero, esset diuersa numero positiuè. Et indè postea esset, quòd actione seminis non tendēte, quantū est de se, in determinatū indiuiduum, eueniret nihilominus diuersum indiuiduum ex materiæ diuersitate.

Prædicta doctrina explicat radicē nostræ respōsionis.

895 *Responsio videtur reducere diuersitatē indiuiduorum in solam diuersitatē materię: quod est contra S. Thomā.*

8 Dices. Prædicta responsio videtur reducere diuersitatem indiuiduorum in solam diuersitatem materiæ: at verò S. Doctor verbis in obijciendo relatis reducit eam æqualiter in diuersitatem agētis. Inquit enim: *Cum in generatione hominis semen patris sit agens, materia verò à matre ministrata sit sicut patiens, ex que corpus humanum forma formatur, impossibile est, eundem filium nasci, siue sit alius pater, siue alia mater.*

Respondeo: quòd prædicta responsio reducit diuersitatem indiuiduorum, tanquam

Explicatur quali-

ter diuersitas indiuiduorum reducitur in diuersitatem agẽtis.

quam in principium vltimatum propriũ, & per se, vndè prouenit indiuiduatio effectus, in solam diuersitatem materiæ: tanquam verò in principium per se, vndè prouenit ratio specifica, & generica in tali determinato indiuiduo, in singulare. actum generandi determinati singularis agentis. Ex quo est, quòd tale singulare agens sub tali singulari actu sit id, in ordine ad quod, seu ex cuius connotatione, primum subiectum, seu materia recipit ex conditione propriæ naturæ, seu (vt loquuntur Salmãticenses) ex proprio ingenio, quandam rationem proximam indiuidualem. Et indè fit, quod diuersificato agẽte, non potest prouenire idem indiuiduum, inquantùm in tali hypotesi non haberetur illa singularis influentia, seu actus generandi, à qua per se pendet indiuiduum, vt à sibi dante rationem genericam, & specificam. Et insuper non haberetur idem connotatum, puta illud singulare agens sub illa singulari actione, quo posito, materia ex se fit diuersum principium indiuiduandi. Ad saluandam autem doctrinam ex S. Doctore allatam, nihil aliud requiritur, vt per se patet.

896 *Discrimẽ inter nos, & Salmãticẽses explicatur.*

9 Nota modò differentiã inter nos, & Salmãticenses circa punctum hunc. Nam ipsi ponunt pro connotato diuersas numero dispositiones antecedentes, vt introductas ab hoc agente, hoc tempore, &c. At verò nos ponimus agens singulare sub influentia, seu actu completo generandi numero diuerso. Et quidem ista influentia, seu actus generandi, completè sumptus, est vnus secundùm ordinem, & includit plures motus numero distinctos: insuper, inquantum est vnus secundùm ordinem, diuersificatur numero per solã diuersificationem infimi agentis in linea per se ordinatorum agentium, ex quibus pendet actus generandi completè acceptus. E. g. *Si* ego manu traho funem, & fune nauim, tractus iste existimatur vnus numero secundum ordinem, licet, in eo sint inclusi tres motus numero distincti: quorum vnus est subiectiuè in manu, alius in fune, & alius in naui. Verumtamen talis tractus, inquantùm est vnus secundùm ordinem, diuersificatur numero, quolibet ex prædictis diuersificato secundùm numerum. Vndè, siuè esset alia manus, siuè alius funis, siue alia nauis, tractus esset alius numero. Ita in proposito, actus completus generandi includit plures motus numero distinctos per se ordinatos. Habetur enim talis actus per hoc, quòd corpora cœlestia mota à superioribus causis mouent per suum motum hæc inferiora agentia vniuoca, tanquam sua instrumenta, ad agendum sibi simile secundùm speciem, cuius speciei propria, & per se causa est corpus cœleste, vt docet ex Aristotele S. Doctor locis à nobis relatis in hac disp. §. 8. num. 10. & §. 11. nu. 21. & expresè probat lib. 2. cont. gẽt. cap. 21. ratione 4. qua concludit. *Oportet, quòd generans vniuocum sit quasi agens instrumentale respectu eius, quod est causa primaria totius speciei.* & 1. p. quæst. 115. art. 3. ad 2. vbi etiam concludit. *Et ideo quidquid in ipsis inferioribus generat, & mouet ad speciem, est sicut instrumentum cœlestis corporis, &c.* Et sic actus completus generandi includit motus ordinatos prædictorum mouentium, videlicèt motum, quo mouentur corpora cœlestia, ex quo procedunt motus in his inferioribus agentibus vniuocis, ex quibus procedit motus, quo immutatur subiectum reducendum in similitudinem formæ agentis vniuoci. Talis ergò actus generandi, vnus numero secũdùm ordinem, non potest diuersificari numero per hoc, quòd corpus cœleste secundùm substantiam numericè diuersificaretur; cum sit incorruptibile. Diuersificaretur tamen, quantùm ad corpus cœleste per hoc, quod esset diuersis temporibus, & inquantùm diuersa pars motus corporis cœlestis corresponderet actui generandi. Certissimè autem est diuersus numero, si sit diuersum numero agens proximum. Influentia enim superiorum causarum, quæ recipitur in agente proximo, vt accidens in subiecto, non potest esse eadem numero, si subiecta sint numero diuersa. Si ergò poneretur esse aliud numero semen, deberet ex consequenti poni diuersus numero actus generandi: etiamsi essent eadem numero corpora cœlestia, & idem tempus, & idem numero sanguis præparatus per fœminã, in quem ageret semen. Sicut si esset eadem numero manus, & eadem numero nauis, esset alius numero tractus, si quo tempore trahit nauim vno fune, traheret alio fune numero distincto. Et hoc, inquãtùm in fune numero distincto oportet esse motus impressus à manu numero distinctus. Nã cum talis motus esset quo trahitur nauis, fit indè, quòd tractus actiuus nauis esset numero distinctus.

Agens vniuocũ est instrumẽtum corporis cœlestis.

loca S. Doctoris.

actus generãdi diuersificatur numero diuersificato solo agente proximo.

Diuersus actus generantis; qui cõnotatur à materia quid importet.

Exemplũ ad propositum.

10 Et hinc apparet quid intendimus asserere, dum cum S. Thoma, dicimus, quòd materia, quæ est sub forma sanguinis præparati per fœminã, per hoc, quòd connotat diuersum numero actum generandi, est principium diuersi indiuidui, euaditque ex se, nullo intrinseco superaddito, secundùm rationem proximam diuer-

897 *per actum generandi numero diuersum nõ solum veniunt diuersæ dispositiones,*

Digitized by Google

ſed inſtitia omniũ cauſarum.

diuerſa numero poſitiuè, ſeu radix diuerſæ quantitatis, &c. Per actum enim generatis diuerſum numero, non ſolùm veniunt diſpoſitiones preuiæ, quibus abijcitur à materia vna forma ſubſtantialis, & inducitur alia, de quibus quæſtio eſt apud Doctores; an poſſint eſſe eædem numero à diuerſis agentibus; ſed etiam, influentia ſuperiorum cauſarum, quæ ſunt principaliores cauſæ generationis. Quæ quidem influentia continens in ſe virtutem motoris, & mobilis, citra dubium eſt numero diuerſa, dum in agentibus inferioribus numero diuerſis recipitur.

898 *Punctũ præcipuũ, in quo diſcrimínatur à Salmaticẽſibus aperitur.*

11 Ampliùs nos exiſtimamus (& hic eſt ſubſtantialis punctus, in quo differimus à prædictis Doctoribus) quòd actus iſti ſingulares generantis numero diuerſi, quos connotans materia, euadit ſecundùm rationem proximam numero diuerſa poſitiuè, habent idem obiectum; ſuntque quãtùm eſt de ſe, & ex vi principiorum vndè fluunt, cauſæ effectus quantùm ad rationẽ genericam, & ſpecificam, non autem quantùm ad indiuidualem, niſi per hoc, quòd effectum inducunt in materiam, per quam indiuiduatur idẽ effectus. At verò prædicti Doctores exiſtimant, quòd virtutes actiuę diuerſorum ſingularium agẽtium vniuocorum, per quorum connotationem materia euadit diuerſa numero, ſint diuerſæ ex parte obiectorum, & inquantùm ex ſe ſunt factiuæ diuerſorum indiuiduorum, quantùm ad diuerſitatem indiuidualem. Quod hactenus probauimus, eſſe falſum, & S. Thomę repugnans.

Retorquetur doctrina S. Thomæ contra Recentes.

899 *Naſceretur idem numero filius ex diuerſa matre, ſi virtus ſeminis ex ſe efficeret tale determinatum ſingulare.*

12 IMmò poteſt ex hac ipſa doctrina S. Thomę, qua docet, quòd ſiuè ſit alius pater, ſiuè ſit alia mater, non poteſt naſci idem numero filius, prædicta excogitatio euideretur confutari. Nam ſi virtus ſingularis agentis vniuoci, quantùm eſt de ſe, & vt fluit à forma ſingulari talis agentis, haberet pro obiecto factibili aliquod ſingulare indiuiduum, oporteret, quòd in quamcunque materiam ageret, efficeret illud idem indiuiduum, quod eſt obiectum talis virtutis. Ergò, eſto eſſet alia mater, idem homo generaret eundem numero filium. Antecedens eſt euidens. Nam nulla virtus poteſt trahi extra proprium obiectum, ſi ergò talis ſingularis virtus haberet pro obiecto factibili tale ſingulare indiuiduum, non poſſet à tali effectu extrahi. Et conſequentia eſt pluſquam euidens.

900

13 Dices, virtutem ſingularem agentis vniuoci non habere pro obiecto vnum ſingulare indiuiduum, ſed infinita. *Reſponſio.*

Sed hoc nil iuuat. Nam, non ſic infinita indiuidua dicuntur ab his Doctoribus obiectum talis virtutis, quòd talis virtus quolibet actu producit infinita. Id enim eſſet experientia ipſa manifeſtè falſum. Sed ſic dicuntur, inquantùm quælibet virtus ſingularis agentis vniuoci poteſt habere ſucceſſiuè infinitos actus generandi, quorum quilibet, prout procedit à dicta virtute, habet, quòd producat determinatè vnum, vel plura indiuidua. Hoc autem poſito, idem ſequitur inconueniens. Nam virtus generatiua, quæ communicatur à patre huic determinatæ parti ſeminis, eſt ad vnũ ſolum actum generandi. Non enim vnum ſemen poteſt plura ſucceſſiuè generare, ſed ſtatim euaneſcit virtus ſeminis, facta prima generatione, vt docet ex Ariſtotele S. Thomas 1. p. quæſt. 118. art. 1. ad 4. his verbis. *Poſtquam per virtutem principij actiui, quod erat in ſemine producta eſt anima ſenſitiua in generato, quantùm ad aliquã partem principalem, tunc iam illa anima ſenſitiua prolis incipit operari ad complementum proprij corporis per modum nutritionis, & augumenti. Virtus autem actiua, quæ erat in ſemine, eſſe deſinit, diſſoluto ſemine, & euaneſcente ſpiritu, qui inerat. Nec hoc eſt inconueniens: quia vis iſta nõ eſt principalis agens, Sed inſtrumentale.* Si ergò virtus talis determinati ſeminis eſt ad vnum determinatum actum, oportet, quòd talis virtus in ſententia horum Recẽtium tendat ex ſe, & prout procedit à generante, in aliquod determinatum indiuiduum, vt in proprium obiectum, ſeu effectum. In quacunque ergo muliere ponetur tale ſemen, generabit eundem numero filiũ ergo ſi illud ſemen, quod transmittitur in hanc mulierem, tranſmitteretur in aliam, produceret eundem numero filium. vtpote, quia in vtraque haberet ex ſe, & vt venit à generante idem numero obiectum, ſeu eundem numero effectum.

Nil facit ad propoſitũ, quia ſequitur idem incõueniens.

Docet S. Tho. quòd ſemen diſſoluitur, & euaneſcit eius virtus facta generatione vltimo actu, &c.

14 Nec dicas, virtutem generatiuam communicari ſemini in actu ipſo tranſmiſſionis in mulierem, ac per hoc, ſi tale ſemen tranſmitteretur in aliam mulierem, tranſmitteretur per alium actum, & communicaretur ſemini alia virtus numero diuerſa. Non dicas hoc, inquam: quia falſum eſt euidenter, falſitatemque oſtendit caſus ille, quo mulier quædam in balneo attraxit ſemen in aquas calidas effuſum à viro priùs ſe lauante in eodem balneo; & indè concepit, quod quidem poterat accidere, ſi fuiſſet alia mulier. Idem confirmat caſus, quem refert S. Doctor Quodlib. 6. art. 18. in corp. Idem probat com-

901 *Impugnatur hæc reſponſio, tũ quia eſt contra experientiã, & communem Theologorũ doctrinã, tũ quia ſemẽ virtutem recipit dũ generatur*

Digitized by Google

munis doctrina, qua dæmones dicũtur semine exciso ab homine fœcũdare multoties mulieres, quas sibi placet, fingendo se homines, moreque humano se miscendo mulieribus. Amplius semen virtutem generandi hunc, vel illum, non posset habere ex arbitrio generantis, nec ex actu, quo transmittitur in matricem; sed haberet, si eam haberet, per virtutem generatiuã, hoc ipso, quòd generatur in vasis seminalibus à tali singulari virtute generatiua, hoc tempore, & ex actu, quo exciditur, seu separatur ab alia parte seminis, quæ remanet in generante, vt docet S. Doctor in 2. dist. 18. quæst. 2. art. 3. in corp. Tale autem semen, postquam genitum est, & separatum ab alijs partibus sui generis, potest transmitti, siue in hanc, siue in aliam mulierem, secundum placitum, & libertatẽ generantis. & tunc, vel in qualibet muliere generaret eundem numero filium, vel in diuersis, diuersum numero. Primum esset contra doctrinam S. Thomæ. Secundum repugnaret semini, si semel prout processit à virtute generantis, tendit, vt in obiectum producibile, in aliquod determinatũ individuum.

Alia responsio tertia instantia proponitur ex doctrina eiusdem S. Thomæ.

15 TAndem in calce huius §. aduerto, quòd in soluenda prædicta obiectione, disputãtes cum Thomistis, supposuimus cum eisdem doctrinam S. Th. qua ex Aristotele probabiliùs iudicat, semen maris in generatione animalium cõtinere quidem virtutem actiuam, sed non ingredi secundum suam substantiam constitutionem generati. vt expressè S. Doctor docet in 3. dist. 3. quæst. 5. art. 1. in corp. dicens. *Dicendum quòd circa materiam, de qua corpus humanum formatum est, varia sunt opiniones. Quidam enim dicunt, quod corpus humanum formatur ex commistione seminum, scilicet, matris, & patris, simul cum sanguine menstruo: ita quod totum hoc sit materia corporis. Hoc autem Philosophus in 15. de Animalibus multipliciter destruit, ostendẽs, quòd id, quod ex viro descendit, non est materia humani corporis, sed solùm principium actiuum.* Quam sententiam ipse S. Doctor approbat vndè in responsione ad primum concludit dicens: *Vndè relinquitur, quòd ex solo sanguine mulieris materialiter corpus humanum formetur, tam in Christo, quàm in alijs hominibus.* Et idem docet 3. p. quæst. 28. ar. 1 ad 5. & quæst. 31. art. 5. in corp. & alibi sæpe. Amplius ad conuincendos aduersarios acceptam habuimus eorundem doctrinam circà principium individuationis.

902 *S. Doctor sequitur, vt magis probabilẽ sententiã Arist. docẽtis, semen non ingredi constitutionem generati.*

Testimonia S. D.

16 Verùm S. Doctor non ita sententiam Aristotelis quantùm ad istum punctũ sequitur, vt existimet falsam opinionem existimantem, materiam feminis masculi ingredi constitutionem eius, qui ex semine generatur; immò illam existimat valdè probabilem, & multoties illam supponit, quandoque etiam ex vtitur, vt principio ad probandas veritates fidei, ipsamque explicat, & sequitur vt veram. Quare sequẽdo hanc opinionem, facillimè saluatur dictum illud S. Doctoris, siue sit alius pater, siue sit alia mater, non potest nasci idem numero filius; etiam si virtus generatiua patris non tendat ex se in aliquod determinatum individuum.

903 *Opinionẽ Aristoteli oppositam non existimat S. D. falsam, sed probabilẽ, & quãdoq; eam supponit, quãdoq; sequitur.*

17 Et quidem quòd S. Doctor supponat multoties, materiam feminis maris ingredi constitutionem individui, patet. Nam agens de vltima hominum resurrectione facienda in die iudicij, in qua, quantùm possibile erit, resumet quodlibet individuũ suam materiam, perpetuò docet, materiam feminis producti ex superfluo alimenti vescentis carnes humanas, ex quo semine est aliquis homo generatus, non resurgere in eo, cuius sunt carnes, ex quibus productum est semen, sed in eo, qui est ex tali semine generatus; inquantùm talis materia principaliùs spectat ad constitutionem generati ex tali semine, quàm ad eũ, cuius sunt carnes, ex quibus productum est semen.

904 *Supponit, dũ docet, materiam feminis resurgere in homine generato ex eodem semine.*

18 Docet hoc in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 4. ad 4. dicens. *Illud quod de carnibus comestis in semen conuertitur, magis pertinet ad veritatem humanæ naturæ in eo, qui ex semine nascitur, quàm in illo, ex cuius carnibus semẽ est generatum. & ideo hoc, quod ex carnibus comestis in semen conuersum est, resurget in eo, qui ex semine nascitur.* Et eodem ar. ad 5. inquit *Si aliquis embryis vescatur, & ex superfluis illius cibi generetur aliquis, illud, quod erit in substantia seminis, resurget quidẽ in eo, qui ex semine generatur.* Idẽ docet 4. con. gen. c. 81. circa finem, dicens: *Quod si parentes ex solis carnibus humanis pasti fuerint, vt sic, & eorum semen, quod est superfluum alimenti, ex carnibus alienis generatum sit, resurget quidem semen in eo, qui est natus ex semine, loco cuius ei, cuius carnes comestæ sunt supplebitur aliundè.*

905 *Testimonia S. D. confirmantis intentũ*

19 Idem docet in compendio Theologiæ, scilicet, Opus. 2. siue (vt antiquitus enumerabatur) 3. vbi cap. 161. difficultatem cõtra resurrectionem corporum proposuit, vt infra. *Obijciunt enim, possibile esse,*

906 *Aliud Testimoniũ, quo S. D. expressè docet fœ-*

Digitized by Google

patris re surgere in filio.

eſſe, quòd aliquis homo carnibus humanis veſcatur; & vlteriùs ſic nutritus filium generet, qui ſimili cibo vtatur. Si igitur nutrimentum conuertitur in ſubſtantiam carnis, videtur; quòd ſit impoſſibile, integraliter vtrumque reſurgere, cum carnes vnius ſint conuerſæ in carnes alterius; Et quod difficilius videtur, ſi ſemen eſt de alimenti ſuperfluo, vt Philoſophi tradunt, ſequitur, quòd ſemen, vnde natus eſt filius, ſit ſumptum ex carnibus alterius: & ita impoſſibile videtur, puerum ex tali ſemine genitum reſurgere, ſi homines, quorum carnes pater ipſius, & ipſe comederunt integraliter reſurgunt. In quibus, vt vides, maiorem difficultatem inculcat circa ſemen Patris, ex quo natus eſt filius: cum tamen in ſententia Ariſtotelis, dicentis, tale ſemen non ingredi vt materiam conſtitutionem filij, nulla eſſet difficultas. Et tamen S. Doctor reſponſionem concludit eodem capite dicens. *Et ſic patet, quòd carnes hominis comeſtæ ab aliquo non reſurgent in comedente, ſed in eo, cuius prius fuerunt: reſurgerent tamen in eo, qui ex tali ſemine generatus eſt, quantum ad id, quod in eis fuit de humido nutrimentali; aliud verò reſurget in primo.*

907 *Aliud egregium teſtimonium, quo ex eo; quod ſemen immutatum eſt proles, quæ naſcitur, probat Chriſtum Dominum nō natum ex ſemine*

20 Amplius prędictam opinionem ſequitur, eaque (quod mirabilius eſt) vtitur ad probandum, quòd generatio Chriſti Domini non fuit ex ſemine maris lib. 4. cont. gentiles cap. 45. ratione ſecunda his verbis. *Semen maris in generatione animalis cuiuſque trahit adſe materiam, quā mater miniſtrat: quaſi virtus, quæ eſt in ſemine maris, intendat ſui ipſius complementum, vt finem totius generationis, vndè & completa generatione, ipſum ſemen immutatum, & completum eſt proles, quæ naſcitur: Sed in generatione humana Chriſti fuit vltimus generationis terminus vnio ad perſonam diuinam; non autem aliqua perſona, ſeu hypoſtaſis humana conſtituēda, vt ex dictis patet. Non igitur in hac generatione potuit eſſe actiuum principium ſemē viri, ſed ſola virtus diuina; vt ſicut ſemen viri in generatione communi hominum in ſuam ſubſtātiam trahit materiam à matre miniſtratam, ita eandem in generatione Chriſti Verbū Dei ad ſuā vnionem aſſumpſit.* Ad quæ verba Ferrarienſis

Expoſitio Ferrarienſis.

aduertit, quod licèt S. D. ſequatur multoties opinionem Ariſtotelis, in prædicta tamen ratione ſequitur eam opinionē, quæ aſſerit. *Quod ſemen maris eſt materia corporis humani ſaltem quantùm ad aliquam ſui partem*; & quod *propterea hic dicit, quòd ſemen viri in ſui ſubſtantiam trahit materiam à matre miniſtratam, & quòd cōpleta generatione ipſum ſemen immutatū, & completum eſt proles, quæ naſcitur.*

21 Poſito ergo, quòd in ſententia S. Th. ſit etiam probabilis, & aliquādo præſuppoſita hæc opinio, quæ aſſerit, ſemē maris ingredi ſecundū materiā conſtitutionē rei genitæ per idem ſemen; & habere virtutem, qua attrahit, & immutat, & ſibi applicat materiam miniſtratam à matre; & quòd totum hoc conſtans ex ſua materia, & ex materia ſibi applicata, & ſumpta ex matre, per virtutem formatiuā, (*cuius ſubiectum, et organum*, vt docet S. Doctor in in 2. diſt. 18. art. 3. in corp. *eſt ſpiritus vitalis incluſus in ſemine*) formet in corpus organicū, in quod per virtutem viuificatiuam, quę etiam eidem ſpiritui adiungitur, inducit formam viuentis. Iam inde clarè verificari poteſt dictum illud S. D. quòd ſiue ſit alius pater, ſiue alia mater, nō poteſt naſci idem numero filius, eſto virtus actiua generantis, quantùm eſt de ſe, non tendat ad cauſandum aliquod determinatum indiuiduum, niſi ſolùm per hoc, quod agit in hāc materiam. Nam in tali hypotheſi, vel non eſſet idem numero ſemen, vel non eſſet idem numero ſanguis præparatus, immutandus, & coniungendus ſemini per virtutem attractiuam, & immutatiuam eiuſdem ſeminis. Altero autem horum exiſtente numero diuerſo, nō poteſt eſſe idem numero id, quod ex vtroque coaleſcit, & in quod per virtutem actiuam introducenda eſt forma viuentis. Amplius virtus actiua, ſeu viuificatiua, quæ eſt in hoc ſemine, licèt, quantùm eſt ex ſe, non habeat quòd producat aliquod determinatum indiuiduum, ſecundùm quod, quātùm eſt ex ſe, non habet, quòd coniungatur cum hoc, vel illo ſanguine prępreparato ab hac, vel illa fœmina, vnde poteſt contingere, quòd hunc vel alium generet, ſi cum hoc, vel illo ſanguine coniungatur; attamen in quantùm hic, & nunc non poteſt agere, niſi in hanc materiam, quæ in tali hypotheſi eſſet diuerſa, ſequitur indè, quòd agat diuerſum indiuiduum.

908 *Ex ſuppoſitione prędictæ opinionis facile ſoluitur tertia obiectio.*

+ q. 2.

22 Et inde apparet, quòd nec virtus actiua ſeu generatiua huius ſeminis, nec virtus paſſiua ſanguinis menſtrui ſunt, quantùm eſt ex ſe, determinatæ ad aliquod determinatum indiuiduum, & quòd vtraq; ad illud determinatur p coniunctionē materię vnius ad materiā alterius, cū qua conſtituit vnam integram materiam, ſeu vnum integrum principium vnius determinati indiuidui. Et inde apparet ratio, quare ex eodem ouo generatur ſemper idem numero pullus; & tamen, ſi eſſet vel alius gallus, vel alia gallina, pullus eueniret ſemper numero diuerſus. Et hæc ſatis ſint ad confirmandum noſtrum primū dictum.

909 *Virtus generatiua, tā patris, quam matris determinatur p materiam*

Digitized by Google

§. XVII.

Proponuntur quædam Testimonia S. Doctoris, quæ sibi videntur repugnantia, & concordantur in secundo nostro dicto.

910 1 DVobus dictis expressimus sententiam S. Thomæ circa naturam, & munera motus primi mouentis §. 9. huius disp. num. 2. & 4. Et quidem dictum primum, disputãtes cum aduersarijs, probauimus quoad omnes partes rationibus à priori, & à posteriori, & manifestando falsum fundamentum, ex quo discurrũt & impossibilem sententiam, cui prædicti inhærent. Dictum verò secundum disputationem non habet specialem cum aduersarijs, quippè quia, vel explicat, quæ ad primum dictum spectant, vel componit ea, quæ in dictis S. Doctoris circa materiam, de qua agimus, videntur sibi inuicem aduersari. Quare, vt huic secundo dicto satisfaciamus, proponemus in hoc §. dicta S. Doctoris, quæ sibi videntur repugnare: in sequenti deindè mirabilem doctrinæ S. Thomæ cohærentiam in nostro secundo dicto propositam, aliaque ad rem spectãtia elucidabimus.

911 *Complementũ virtutis agentis secũdi est ex virtute agentis primi, quã agens secundum participat per motũ primi mouentis.*

2 Sciendum est itaque, quòd inter alia munera, quæ S. D. attribuit motui primi mouentis, per quem (vt ipse ait verbis relatis §. 8. nu. 10.) inferiora agentia participant aliquid de virtute primi agentis, est quòd fit complementum virtutis agentis secundi. Ex quo infert, quòd id, quod est, perfectissimum, actualissimum, & magis formale in effectu agentis secundi, correspondet virtuti agentis primi, vt proprius effectus: Docet hoc lib. 3. cont. gent. cap. 66. ratione 4. his verbis. *Vltimum in bonitate, & perfectione eorum, quæ potest agens secundum, est illud, in quòd potest ex virtute agentis primi. Nam eõplementum virtutis agentis secundi, est ex virtute agentis primi. Quod autem est in omnibus agentibus perfectissimum, est esse. Qualibet enim natura, vel forma perficitur per hoc, quòd est actu: & comparatur ad esse in actu, sicut potentia ad actũ. Ipsum igitur esse est, quod agentia secunda agunt in virtute primi agentis.*

Verba S. Doctoris.

912 *Alia testimonia S. D. quibus idem confirmatur.*

3 Hinc quæst. 14. de Veritate art. 5. in corp. vniuersalem regulam profert pro agentibus ordinatis, & sic habet. *Quandocũque n. duo sunt principia mouentia, vel agentia ad inuicem ordinata, id quod in effectu est ab agente superiori, est sicut formale: quod verò est ab inferiori agente, est sicut materiale. Et hoc patet, tam in naturalibus, quàm in moralibus. In actu enim nutritiuæ potentiæ est vis anima sicut agens primũ, calor verò ignis sicut agens instrumentale, vt dicitur in 2. de Anima. Quod autem in carne, quæ generatur per nutritionem est ex parte caloris ignei, vtpotè aggregatio partiũ vel siccitas, vel aliquid huiusmodi, est materiale respectu speciei carnis, quæ est ex vi anima. Similiter cum ratio inferioribus potentijs imperet, vtpotè, concupiscibili: & irascibili: in habitu concupiscibilis hoc, quòd est ex parte concupiscibilis, vtpotè, promptitas quædam ad vtendum aliqualiter concupiscibilibus, est quasi materiale in temperantia: ordo verò, qui est rationis, & rectitudo, est quasi forma eius, &c.* Et idẽ docet 1. 2. quæst. 17. art. 4. in corp. vbi concludit, quòd *in actibus humanis, actus inferioris potentiæ materialiter se habet ad actum superioris, inquantùm inferior potentia agit in virtute superioris mouentis ipsam. Sic enim, & actus mouentis primi formaliter se habet ad actum instrumenti.* Et idem docet 1. p. quæst. 118. art. 2. ad 3. & in 3. dist. 27. quæst. 2. art. 4. quæstiuncula 3. ad 2.

913 *Secundum prædictam S. Th. doctrinã obiectũ virtutis agentis primi determinat obiectum virtutis inferiorum agentium.*

4 In quibus, vt vides, docet, quòd id, quod in effectu agentis secundi correspondet virtuti primi agentis, se habet ad id, quod correspondet virtuti inferioris agẽtis, vt actus ad potentiam, & vt formale ad materiale. Idque probat ex eo, *quod complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi*, quam (vt sæpè ex S. Doctore diximus) agens secundũ participat per motum, quo mouetur à primo. Ex hoc autem sequitur, quòd obiectũ virtutis superioris agentis determinet obiectum virtutis inferioris agentis, sicut actus determinat potentiam, et forma materiam. Et vlterius per illud principium, quo vsi sumus in hac disp. §. 10. num. 3. puta: sicut se habet obiectum ad obiectum; ita virtus ad virtutem, sequitur, quòd virtus inferioris agentis determinatur ad effectũ per virtutem superioris, cuius obiectum, seu effectus virtutis, determinat obiectum, seu effectum virtutis inferioris.

914 *Prædicta videntur repugnare nostris dictis.*

5 Videtur igitur prædicta doctrina aduersari quàmpluribus ex his, quæ hactenus ex S. Doctore inculcauimus, probantes primum dictum. Maximè autem contradicere videtur, his, quæ ex nostris dictis collegimus §. 11: num. 49. puta, quòd obiectum virtutis causæ inferioris ad obiectum virtutis causę superioris se habet sicut actus ad potentiam, & sicut differentia ad genus; secundum illa verba Sancti Doctoris; *causæ particulares effectus vniuersalium causarum ad aliquid determinatum ap-*

pro-

Digitized by Google

propriam ; quæ quidem determinatio ad effectum vniuersalem comparatur sicut actus ad potentiam. Et inde est, quòd S. D. non aliunde probat, materiam primam esse proprium effectum primæ virtutis, quã ex eo, quod est maximè communis, vtpotè potentialis, in ordine ad quam quilibet effectus cuiuscumque agentis creati se habet sicut actus ad potentiam. Et notanda sunt ad hoc propositum verba S. Doctoris Opusc. XV. cap. 10. post medium, puta. *Quantò aliqua causa est superior, tantò est vniuersalior, & virtus eius ad plura se extendit : sed id, quod primùm inuenitur in vnoquoque ente, maximè est commune omnibus. Quæcunque enim supra addunt contrahunt id, quod priùs inueniunt. Nam quod posterius intelligitur, comparatur ad prius, vt actus ad potentiã: per actum autem potentia determinatur. Sic igitur oportet, vt id, quod primum subsistit in vnoquoque, sit effectus supremæ virtutis ; quantò autem aliquod est posterius, tantò reducatur ad inferioris causæ virtutem. Oportet igitur, quòd id, quod primum subsistit in vnoquoque, sicut in corporalibus materia & in immaterialibus substantijs, quod potentiale est, sit proprius effectus primæ virtutis, & effectus vniuersalis agentis.* Eandem rationem ad idem propositum affert lib. de Causis lect. 1. lit. D. & 1. p. quæst. 65. art. 3. in corp. In qua ex illo principio : quantò aliqua causa est superior, tantò est vniuersalior, & virtus eius ad plura se extendit, & ex eo, quòd id, quod in quolibet ente est primũ, est commune omnibus, infert, quòd materia prima in corporibus, & quod est potentiale in substantijs immaterialibus est effectus supremæ virtutis. Videtur hoc mirum. Nam in testimonijs primo loco adductis infert, quod effectus proprius supremæ virtutis, & vniuersalis agentis est id, quod in effectu agentis creati, est actualissimum, & perfectissimum, & comparatur ad omnem naturam, & ad effectum agentis creati, sicut actus ad potentiam : in his verò testimonijs secundo loco adductis videtur docere oppositum, nempè quòd quantò aliquid est prius, seu potentiale, tantò ad superiorem virtutem spectat, & quòd *quantò aliquid est posterius*, quod *comparatur ad id, quod est prius, vt actus ad potentiam : tantò reducitur ad inferioris causæ virtutem.*

Testimonia S. D. quibus videtur docere oppositum.

Notantur quæ in præditis testimonijs videntur repugnantia

915 *Quæ supra dicta sunt ad propositum difficultatis referuntur.*

6 Amplius principium istud à S. Thoma assumptum in relata ratione, videlicet, *Quãtò aliqua causa est superior, tantò est vniuersalior*, &c. nos ex doctrina eiusdem S. Doctoris resoluimus in altiora principia in hac disp. §. 8. num. 12, & 13. vbi ex eo, quòd omne agens agit inquantùm est in actu deduximus, quòd ordo agentium est, secundùm quod est ordo eorum in actualitate, & quòd tantò causa est altior, quantò est actualior, & quantò est actualior, tantò obiectum virtutis eius est actualius, communius, & in pluribus inuentum. Insuper in hac deductione fundauimus illud principium: *Ordo effectuum est secundùm ordinem causarum.* Et indè §. 10. num. 3. & 4. probauimus nostrum primum dictum (vt existimamus) à priori

Verùm in illa deductione : *quantò causa est actualior*, tantò obiectum virtutis eius est actualius, communius, & in pluribus inuentum, videmur composuisse hæc ipsa, quæ in auctoritatibus S. Thomæ in hoc §. relatis videntur dissonantia. Siquidem, si obiectum virtutis superioris agentis est, quòd in effectu inferioris est actualius, id non erit, quod est communiùs. Id enim, quod est commune, est indeterminatum, & determinatur per rationes minus communes, sicut per actualiores. Genus enim determinatur per differẽtias, sicut potentia per actum. Species etiam constituitur ex genere, & differentia, sicut ex potentia, & actu.

Inculcatur præcedens difficultas ex supra relatis.

§. XVIII.

Probatur secundum dictum, ac mira consonãtia doctrinæ S. Thomæ dilucidatur.

1 QVoniam eò tendimus nostro secũdo dicto, vt explicemus munera motus primi mouentis, & simul vt doctrinæ S. Thomæ maximam cohærentiam dilucidemus, ideò, vt quod intendimus præstemus, considerari debent, tam dictum nostrum positum, §. 9. num. 4. quàm verba S. Doctoris relata eodem §. num. 7. in quibus fundatur. Itaque primò dicimus : *Motus primi mouẽtis habet duplex munus. Vnum est fundare, seu sustentare actiones omnium inferiorum agentium, inquantùm actio primi agentis per talem motum subsistentat, & firmat actiones eorundem agentium.* 916

2 Et circa hoc cõsiderari debet, quòd actiones inferiorum agentium fundantur in actione primi agentis triplici ratione. Primò inquantùm talia agentia in sua actione supponunt subiectum, in quod agũt productum per actionem primi agentis, seu Dei creantis. Sic enim se habet actio creantis, & cõseruãtis materiam, seu primũ subiectum, ad actiones agentium creatorum transmutantium dictam materiam in actum formę substantialis, sicut actio naturalis, qua fiunt, & conseruantur res na-

917 *Actiones inferiorum agentium fundantur in actione primi agentis primo inquãtum supponunt materiam. Secũdo in*

Digitized by Google

quantum ipsa agentia supponuntur producta.

naturales, ad actionem artis, qua res naturales reducuntur ad formam artis. Vndè (Verba sunt S. Thomæ in 2. dist. 1. p. quæ. 1. art. 3. ad 5. in fine) *sicut operatio artis fundatur supra operationem naturæ, inquantùm natura præparat arti materiã; ita operatio naturæ fundatur supra creationem, inquantùm ministrat naturæ materiam.* Secundò, inquantùm ipsa agentia creata cum suis virtutibus actiuis supponũtur, siue immediatè siuè alijs mediantibus causis producta in esse per actionem Dei, siuè creantis, siuè conseruantis ea in esse. Sicut enim actio creaturæ habet radicem, & fundamentum in ipsis agentibus creatis, ita habet fundamentum in ipsa actione creantis, & constituentis, seu conseruantis in esse prædicta agentia. Vide illa verba D. Thomæ in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. in corp: *Omnis actio secunda causæ firmatur super actionem causæ primæ.*

918 Actiones inferiorum agentium fundantur in actione primi mouẽtis, sicut actio instrumenti in motu principalis agentis.

3 Verùm non de his modis, quibus actiones creatorum agentium fundantur in actione creantis, loquimur in nostro dicto, dum cum S. Thoma dicimus, eas fundari in actione primi agentis. Loquimur enim de primo agente, prout est primum in serie per se ordinatorum mouentium, quæ agunt, inquantùm vnum mouetur ab alio ordinato ascensu, quousque perueniatur ad primum: itaut in vno, eodemque congressu ad effectum, a primo fiat descensus ad vltimum per omnia intermedia ordinatè mota. Atque dicimus, quòd actio omnium inferiorum agentium, quę agunt inquantùm mota, habent radicem, fundamentum, & sustentationem in motu primi mouẽtis. Hinc S. Doctor verbis relatis §. 9. num. 7. inquit, *Actio primi agẽtis est prior in mouendo; quia actiones omnium secundorum agentium fundantur super actionem agentis primi.* Nota ly, *est prior in mouendo*, Et indè habebis, S. Doctorem loqui de primo agente, in quantũ sua actione est primum mouens: ac per hoc eum velle, actiones omnium inferiorum agentium fundari in motione primi mouentis; ex quo sequitur, munus esse motus primi mouentis fundare actiones inferiorum mouentium. Et indè est, quòd tertio modo (de quo nos loquimur) actio inferiorũ agentium dicitur fundari in actione primi agẽtis, sicut actio instrumẽti in actione principalis agẽtis. Sicut enim actio instrumenti. E. g. scissio serræ, præsupponit motum, quo per actionem artificis ipsa serra mouetur, fundaturq; in motu, & actione mouentis, inquantùm habetur p motũ, & in motu procedente ab actione eiusdẽ mouentis: ità actio inferiorum agentiũ, quæ mota agunt, & mouent, præsupponit motum, quo dicta agentia mouentur per actionem mouentis primi: fundaturque in dicto motu, inquantum actionem habent per motum, & in motu. & sic dicitur fundari in actione agentis primi, inquantùm est prior in mouendo.

919 Actio Cæli empyreinõ fundatur in actione primi mouentis, sed in actione causantis eius stabilitatem:

4 Dixi autem, *actio inferiorum agentium qua agunt inquantùm mota, habet fundamentum in motu primi mouentis.* Vt designarem, quòd in sententia S. Thomæ non omnis actio agentis creati fundatur in dicto motu primi mouentis, sed tantum illius, quod agit per motum. Et indè est, quòd influentia, seu actio cœli empyrei, quòd (secundùm opinionem, quam probabiliorem existimat S. Doctor 1. p. quæst. 66. art. 3. ad 2. & quodlib. 6. art. 19.) agit per suam stabilitatem, seu (vt loquitur S. Doctor) *singulariter per suam quietem influit*, non fundatur in actione Dei mouentis dictum cœlum; cum sit immotum, stabile, & quiescens: sed in actione Dei prædictum cœlum stabilientis, & in sua quiente firmantis, & conseruantis, vt probabimus in Tract. de illo principio philosophico: *Omne, quod mouetur, mouetur ab alio.*

920 Obiectio ex Salmaticẽsibus existimantibus actionem empyrei causari ab Angelis residentibus in eodem empyreo

5 Dices obiter ex Salmaticẽsibus Trac. 7. disp. 2. dub. 3. num. 94. 95. & 96. Influentia cœli empyrei dependet, vt à causa superiori, cui subordinatur, ab operationibus omnium angelorum beatorum habentium residentiam in dicto cœlo, quorũ quilibet habet in aliqua eiusdem cœli parte operationem quandam propriam, per quam locat se in eadem parte, vt in propria sede. Istæ autem operationes, quæ sũt formaliter immanentes, & virtualiter trãseuntes, vt volunt ipsimet Salmaticenses, sunt motus, quibus angeli mouentur, & procedunt à Deo, vt à primo mouente. Influentia ergò cœli empyrei fundatur in actione Dei mouentis angelos in dictas operationes.

921 Operationes virtualiter trãseũtes per quas Angeli tanguntloca quid importent in sententia S. Th.

6 Respondemus, quòd si prædicta opinio Salmaticentium posset admitti, ineuitabilis esset consequentia iuxtà principia S. Thomæ. Siquidem operationes angelorum virtualiter transeuntes, quibus angeli agũt in corpora, & se in ipsis constituunt, vt in loco, important in sententia S. Thomæ actum imperij, seu conceptionem intellectus angelici efficacem ad immutandũ corpora, vt docet ipse S. Doctor, Opusc. 11. art. 3. his verbis. *Non enim Angeli possunt mouere aliquod corpus per contactum quantitatis, cum sint incorporei, sed per contactum virtutis. Nihil autem in Angelis altius, quàm eorum intellectus cum & ipsi à Dionysio intellectus, & mentes nominentur: vnde eorum motiones à virtute intellectus procedunt ipsa autẽ conceptio intellectus secundùm quod*

Digitized by Google

habet efficaciam aliquid transmutãdi, imperium nominatur. Vndè si mouent, nullo modo, nisi per imperium mouere possunt. Ex quibus patet, quòd si angeli per contactum virtutis aliquid influunt in cœlum empyreum, non nisi per istam conceptionem efficacem ad immutandum idem cœlum, cœlum ipsum contingunt. Conceptio autem intellectus, sicut & omnes alij actus, seu operationes, tam intellectus, quàm voluntatis, in sententia S. Thomæ, sunt motus, quibus mouentur prædictæ potentiæ motibus sibi proportionatis, qui sunt actus perfecti, & reducuntur in Deum vt in primum motorem immobilem, vt constare potest ex verbis S. Doctoris relatis §. 8. huius disput. num. 32.

922 *Probatur quòd influentia cœli empyrei non potest procedere ab operationibus Angelorũ*

7 Quare breuiter dicendum est, quòd in sententia S. Thomæ influentia cœli empyrei non potest prouenire ab illis operationibus angelicis, quibus virtuali contactu dictum cœlum contingunt, vt in eo sedem habeant. Ratio est. Quia secundum S. Th. quodlibeto citato, influentia empyrei sequitur quietem, seu stabilitatem eiusdem, sicut influentia aliorum cœlorum sequitur motum eorundem: vndè sicut influentia istorum est à dante motum, ita ut si solus Deus eos moueret immediatè, seu nulla mediante Intelligentia, influentia eorum cõsequens motum esset à Deo nulla Intelligentia mediante: ita influentia empyrei est à dante eidem empyreo quietem, seu stabilitatem, itaut si talis quies, seu stabilitas sit à Deo nulla causa creata mediante, nisi sola substantia eiusdem empyrei, cuius videtur esse naturalis proprietas, influentia etiam empyrei consequens eius stabilitatem, & quietem sit à Deo nulla alia causa creata mediante. Atqui stabilitas, seu quies empyrei non causatur ab angelis, ita ut angeli suis operationibus efficiãt stabilitatem, & quietem empyrei, sed à Deo immediatè causante, & cõseruante dictum cœlum sub stabilitate, & quiete eidem cœlo propria. Influentia ergò empyrei, quam habet ex vi suæ stabilitatis, & quietis, non est ab angelis operantibus in cœlo, sed à Deo causante, & conseruante substantiam empyrei cum sua stabilitate, & quiete propria soli tali corpori. Huius discursus duæ propositiones essent probandæ, puta, illa: *influentia empyrei sequitur quietem eius, sicut influentia aliorum cœlorum sequitur eorum motum*: & illa alia; *Angeli suis operationibus non efficiunt stabilitatem, & quietem empyrei*. Sed harum prima est euidenter in S. Thoma prædicto quodlibeto, sic enim habet. *Primum cœlum, scilicet, empyreum singulariter per suam quietem influit: Secundum autem cœlum, quod dicitur aqueum, per suum motum vniformem: tertium autem cœlum, scilicet, sydereum per suum motum difformem*. Secunda verò est euidens, etiam secundum ipsos Salmãticenses, existimantes, angelos operantes in cœlo empyreo super addere ei quoddam lumen: lumen autem non est stabilitas, & quies empyrei. Amplius, Sicut se habet motus naturalis ad formam, vndè emanat, ita se habet quies naturalis ad suum principium naturale: sed motus naturalis emanantis à forma naturali non potest esse aliud causa, nisi quod causat ipsam formam, ad quam sequitur motus, ergò quietis naturalis, qualis est ista empyrei, nullum aliud potest esse causa, nisi quod est causa naturę empyrei, quæ solus Deus est.

8 Nec contra prædicta vrget vulgatũ dictum, acceptum a Gregorio, Augustino, Dionysio, & alijs relatis a S. Thoma lib. 3. cont. gent. cap. 83. quòd, scilicet, corporalia reguntur per spiritualia, & inferiora corpora per superiora. Nam, quantùm ad res incorruptibiles, est verum de illis actionibus, & perfectionibus, quæ possunt naturæ creatæ superaddi, nõ autem de illis, quæ sunt proprietates naturæ productæ à creãte. Vndè licèt in spiritualibus substantijs sit perfectissimus ordo superioris, & inferioris; inferiores tamen non possunt à superioribus dependere, quantùm ad perfectiones, & operationes consequentes naturã, quam habent à solo Deo per creationem, vt in intellectione sui, in cognitione naturali rerum, &c. Sed solùm quantùm ad cognitiones aliquas naturæ superadditas circa ea, de quibus illuminantur à superioribus. Similiter terra quantum ad suam stabilitatem non pendet ab angelis, & ex cõsequenti, nec quantùm ad effectus (si forte dãtur) qui sequuntur prædictam stabilitatem. Sic ergò in proposito, quia influentia cœli empyrei sequitur eius quietem, seu stabilitatem, quæ solùm est à Deo creãte, & conseruante, non subordinatur empyreum, quantùm ad hoc, angelis: posset tamen eis subordinari quantùm ad aliquas impressiones superadditas, quas forte posset habere ab illis, qui in eo residentj; sicut angeli medij in quantùm illuminantur à superioribus possunt alios magis inferiores illuminare. Verùm hoc nec habet fundamentum in D. Thoma; nec effectus talium impressionum posset esse perpetuitas, & permansio, quæ est proprius effectus quietis, seu mansionis stabilis; sed aliquid aliud proportionatum impressioni superaddicæ, quam haberet, residentibus in eo angelis, careret verò ijsdem recedentibus. Nec sanè videtur probabile, quòd dicti

923 *Dictum illud; corporalia regũtur per spiritualia, non obstat prædictæ probationi, quia intelligitur non de consequentibus naturã, sed de accidentibus superadditis.*

P. P.

Angeli residentes in empyreo non possũt implere locum recedentium.

P. P. cogitarunt, videlicèt, quòd recedentibus aliquibus angelis ab empyreò, locum eorum impleant ij, qui residẽt, quasi se extendentes extra locum proprium ad occupandum loca aliorum, proprio non relicto. Est enim cuilibet angelo definitus locus proprius adæquatus statui suæ beatitudinis æternaliter conueniens: vndè vno recedente, non potest alius ingredi fines illius, nisi proprio relicto: alias sequeretur, quòd maiores angeli non haberent in empireo locum statui suæ beatitudinis definitum ad æternaliter residendum, extra cuius limites non possent se extendere. Sed hęc sint hìc per transitum dicta. Redeamus ad rem.

Probatur secundum dictum quoad reliquas partes.

POrrò ad nostrum secundum dictum redeũtes, considerare debemus, quòd præter punctum hactenus consideratum, quattuor dicimus.

924 9 Primò, quòd motus primi mouentis secundùm istam rationem, qua exercet munus fundandi, & firmandi actiones, & influentias omnium inferiorum agentium, præcedit actiones inferiorum, & determinatur per eas ad effectus eorundem inferiorum agentium, secundùm modum determinationis ipsorum.

925 10 Secundò, quòd aliud munus dicti motus primi mouentis est eleuare actiones inferiorum agentium ad attingendum id, quod in eorum effectibus est perfectissimũ, & nobilissimum, quodque correspondet virtuti eiusdem primi agentis, vt proprius effectus.

926 11 Tertiò, quòd secundum hanc rationem actio inferioris agentis præcedit: actio verò superioris agentis addit illi modum eleuãtem ipsam ad attingendũ quod est in effectu eius perfectissimum, & actualissimum.

927 12 Quartò, quòd prior determinatio est similis illi, qua genus determinatur per differentias: Secunda verò illi, qua actio instrumenti determinatur per modũ sibi additum per artem;

928 *Probantur omnia prædicta vnica ratione* 13 Et hæc quidem, dicto §. 9. à nu. 8. ad 12. explicuimus, quantùm ad principalia puncta, exemplo desumpto ex verbis S. Doctoris allatis ibidem num. 7. Nunc autem omnia hæc possumus breuiter hac vnica ratione, ex eodẽ S. Doctore desumpta, probare, simul & declarare. Nam sic se habet motus primi mouentis ad actiones omnium inferiorum agentium per se ordinatorum sub primo, sicut se habet motus principalis agentis, seu artificis ad actiones instrumentorum, quibus vtitur ad effectum artis. Sed motus artificis in ordine ad actiones instrumentorum habet omnia prædicta. Ergò eadem habet motus primi mouentis in ordine ad actiones inferiorum agentium sub se per se ordinatorũ, proportione seruata. Maior est à S. Th. sæpius inculcata, sed præsertim eam probandam assumpsit verbis relatis §. 8. huius disp. nu. 10. Minor verò est ferè manifesta ad sensum.

14 Nam motus, quo artifex mouet sua instrumenta. e. g. serram ad conficiendam arcam; in primis (vt notauimus nu. 3. huius §.) est fundamentum, in quo firmatur actio serræ: & actio mouentis serram per istum motum præcedit actionem serræ, inquantùm tribuit ei fundamentum, quod supponit actio eiusdem serræ: & ita motus artificis præcedit actionem instrumenti, non tempore: sed natura, & secundùm illum modum præcedentiæ, quo fundamentum præcedit id, quod in eo fundatur, & subiectum præcedit formam, quam sustentat. Amplius prædictus motus, secũdùm quod sustentat actionem instrumenti, accipit specificationem ad effectum per ipsam actionem instrumenti. Vndè motus, quo mouetur serra, appellatur sectio, quo dolabra, dolatio, quo martellus, percussio, & sic de alijs, & ita talis motus recipit determinationem, & specificationem ad effectum, secundum illam speciem, ad quam est determinatum instrumentum per suam formam. Serra enim per suam formam est determinata ad secandum, dolabra ad dolandum, martellus ad percutiendum, &c.

929 *Probatur minor.*

Motus principalis agentis est fundamentum actionis instrumẽti.

Accipit specificationẽ ad effectũ speciei formæ ipsius instrumenti.

15 Præterea prædictus motus continet virtutem artis, per quam eleuat actionem instrumenti, eique dat modum, vt effectum suum producat congruum fini artis. Vndè serra per motũ artificis habet, quòd faciat sectionem rectilineam, aut alterius figuræ, quam intendit ars: Licèt enim serra ex determinatione suæ formæ habeat, quòd secet; non tamen ab ea habet, quòd rectè, & sic, vel aliter secet; sed hunc modum habet ab arte.

930 *Actio instrumenti eleuatur, & modificatur per virtutem artis.*

16 Insuper actio instrumenti, secundùm quod per motum artificis recipit istũ modum, præcedit talem modum, sicut subiectum, seu res, præcedit id, quod ei superadditur, & ipsam modificat, & informat. Eleuatur etiam actio instrumenti per virtutẽ artis receptam in motu ad attingendum id, quod in effectu est perfectius, & formalius. Vndè serra e. g. eleuatur per virtutem artis ad faciendum in sua sectione rectitudinem, quæ est perfectio sectionis, ad quam se habet formale ad materiale; estque proprius effectus artis, quem nõ

931 *Actio instrumenti præcedit modũ quo eleuatur ad agendũ quod in effectu est formalius.*

at-

attingit instrumentū, nisi ex vi virtutis eiusdem artis participatæ per motum.

932 17 Adhæc. Illa determinatio, quam habet motio, seu influentia principalis agētis, per hoc, quod dū exercetur per motum serræ, dicitur sectio, dum verò per motum martelli, dicitur percussio, per motum dolabræ, dolatio, &c. est similis determinationi, qua genus determinatur per differētias, quibus constituuntur plures species. Nam dolatio, percussio, sectio, &c. sunt diuersæ species actionū. Sumit enim speciem actio, vt talis, à forma agētis, quæ est principium actionum vt docet S. D. in p. dist. 13. q. 1. ar. 2. in corp. his verbis. ***Actiones differunt specie secundùm formas agentium.*** Et idem docet 1. 2. quæst. 1. ar. 3. in corp. dicens. ***Cum motus distinguatur quodammodo per actionem & passionem, vtrumq; horum ab actu speciem sortitur. Actio quidem ab actu, qui est principium agendi: passio verò ab actu, qui est terminus motus. Vnde calefactio actio, nihil aliud est, quam motio quædam à calore procedens: calefactio verò passio, nihil aliud est, quā motus ad calorē. Diffinitio autem manifestat rationem speciei.*** Sunt ergo sectio, dolatio, percussio &c. actiones diuersæ specie, inquantùm procedunt à formis instrumētorū specie diuersis. Et ita fit, quòd motio seu influentia principalis agentis, secundùm quod recepta in instrumēto, determinatur ad effectū secundum speciem illius formæ, qua instrumētum constituitur actiuum, secundū cuius diuersitatem cōstituuntur diuersæ species actionū, recipiat determinationem secundum illum modum, quo genus determinatur per differentias, quibus cōstituuntur diuersę species.

Determinatio, quā motio principalis mouentis habet per formas instrumētorum, est sicut illa, qua genus determinatur p differētias

933 18 Deniq; actio instrumenti, cui per motum est communicata virtus principalis agentis, non solùm est actio, seu influentia instrumenti; sed etiam actio, & influentia principalis agentis, non quidem immediatè manans à virtute, quæ est in principali agente, sed ab ea, quę est in instrumento, in quantùm, scilicet, talis actio, & influentia intelligitur procedere, non à virtute, quam instrumentum habet ex se, & antecedenter ad motum, quo mouetur à principali; sed à virtute sibi communicata per motum, vt videre potes apud D. Tho. 3. par. q. 19. ar. 1. in corp. & ad 2.

Actio instrumenti, prout fluit à virtute principalis agētis, est suo modo actio ipsius principalis modificās actionem instrumenti.

Et inde est, quòd talis actio, quæ simul est instrumenti, & principalis agentis, est eleuata supra virtutem propriā instrumenti, & proportionata effectui eiusdem principalis. Hæc autem eleuationis seu proportionis mensura, quæ aduenit actioni instrumenti, inquantùm iungitur ei actio principalis agētis, est modus actionis, per quem fit congrua effectui dicti principalis. Im-

926

portat enim modus determinationem secundum aliquam mensuram, vt ex D. Tho. notauimus in prima parte huius Tract. §. 3. num. 14.

Et inde fit, quòd actio instrumenti dicitur modificari per actionem principalis agentis, inquantùm per eam fit commensurata, seu acquirit perfectionis mensuram proportionatam effectui ipsius principalis. Hinc S. Doct. verbis relatis § 9. num. 7. loquens de actione primi agentis, quæ se habet ad actionem secundi agentis sicut actio principalis ad actionem instrumenti, sic habet. ***Est autem actio primi agentis posterior in vtendo aliorum actibus in finem proprium; & sic omnes actiones aliorum agentium modificantur per actionem agentis primi.*** S. Thomas

19 Verùm hæc determinatio, quam per istam eleuationis mensuram, seu modum, habet tam actio instrumenti, quàm secundi agentis in ordine ad effectum, tam primi, quàm principalis agentis, non est sicut illa, qua genus determinatur per differentias, quibus contrahitur in id, quod est infra idem genus: quippè quia per hanc actio instrumenti eleuatur ad aliquid sublimius, quod est supra se: aliquando quidem intra lineam generis sui proprij obiecti; aliquando verò in aliquid sublimius extra lineam talis generis. Ita contingit in exemplo à S. Thoma relato verbis citatis §. præcedenti num. 3. Calor enim igneus, quo virtus nutritiua animalis vtitur, vt instrumento, habet ex propria virtute exiccare, & congregare partes, &c. ita tamen eleuatur per virtutem nutritiuam procedentem à substantia animalis, quòd agit carnes spectantes ad genus sublimius, quàm quælibet accidentia.

934 *Determinatio per q̄ actio instrumenti eleuatur ab actione principalis in effectum eius, non est sicut illa qua genus determinatur in id quod est infra se.*

20 Atq; ex his modò apparet primò tàm veritas eorum, quæ secundo dicto diximus, quàm sensus verborum S. Tho. in quibus continentur. Motus enim primi mouentis exercet in inferioribus agentibus illa munera, quæ motus principalis agentis in instrumentis, proportione tamen seruata. Ac per hoc, sicut actio principalis agentis modificās actiones instrumentorum, eleuat eas ad agendum aliquid perfectius suo proprio effectu, in quod tendit perfectio principij eiusdem principalis agentis: ita actio agentis primi, modificās actiones omnium inferiorum agentium, eleuat eas ad agendum id, quod in effectu est perfectissimum, puta, *esse*, in quod tendit perfectio principij, per quod agit primum agens. Omnia quippè agentia creata agunt per suam formam, seu naturam, tamquam per principium agendi; & idcirco tendunt ad agendum sibi simile in forma, & natura, siue ge-

935 *Motus primi mouētis exercet munera motus principalis agētis; & sicut iste eleuat ad id quod in effectu est perfectius; ita illa ad id q̄ est perfectissimum, puta ad esse.*

Digitized by Google

neris siue speciei, vt in effectum sibi proprium, & proportionatum, vt probat S. D. lib. secundo contra gen cap. 21. ratione 8. verbis relatis in hac disp. §. 14. num. 5. Solùm primum agens, quod est in apice perfectionis, agit formaliter per suum esse, non autem formaliter per suam naturam, tanquã per principium agẽdi, vt probat ipsemet S. Doct. Opusc 57. quod est de Quattuor oppositis, cap. 4. aliquantò post principium. Et idcirco primum agens ex suo principio, per quod agit, tendit, vt in proprium effectum in ipsum, *esse*, quod est in effectu cuiuscumq; agentis creati perfectissimum, vt potè actualitas vltima cuiuslibet formæ, & naturæ.

Solus Deus agit per suũ esse, tanquam per principiũ agendi.

936 21 Verba S. Thomæ loco proximè cit. ex Opusc. sunt. *Esse, namq; diuinum propriè est ratio creandi: quia per creationem omnes res communiter accedunt ad participandum esse, quantùm est eis possibile, non autem naturam diuinam. Ipse enim non participatur à creatura, licèt ibi idem sit esse, & natura, & sapientia &c.* (omitto quædã quæ S. Doct addit claritatis gratia.) *In generatione verò non ducitur generatũ ipsum ad participandum esse generãtis, sed ad participandam naturam eius; aliter, cum esse sit suppositi in tali natura, foret participatio in supposito, & sic Sortes generaret Sortem: ideo in generatione Sortes nõ generat Sortem cum suppositum non habeat, nisi vnam esse incommunicabile; sed homo generat hominem, &c. Deus verò non creat Deum; Deus enim nomen est naturæ sicut homo; ens autem creat ens.*

Verba S. Doct. vt de notãda ad propositum.

937 22 Ex quibus cõstat, quòd nullum agẽs creatum agit per suum esse, tanquam per principium agendi; & ideo non tendit, quantùm est ex vi sui principij, ad communicandum *esse*, per se, & formaliter loquẽdo; sed ad communicandam naturam. Et licèt verum sit, quòd omne agens per hoc, quòd agit, facit effectum suum esse in actu, vt docet S. Doct. lib. 3. cont. gent. cap. 66. ratione 2. à nobis relata §. 8. huius disp. num. 25. ex quo sequitur, quòd illud, quod communicat suam naturam, facit, vt habẽs similitudinem sui in natura, habeat esse: attamen (vt hoc eodem loco aduertit, ipse S. Doct.) in secundis agentibus id non est, nisi per hoc, quod per motum, quo mouentur à primo agente, participant virtutem eiusdem primi, cuius principium, per quod agit, est suum esse. Hinc ipse S. D. Opus. 15. cap. 9. columna 3. post principium soluens hanc ipsam difficultatem sic habet. *Oportet intelligere, quòd per formam res generata esse participat ab vniuersali essendi principio. Non enim causa agentes ad determinatas formas sunt causa essendi, nisi inquantùm agunt in virtute primi, & vniuersalis principij essendi.* Et ex hoc procedit, (vt dicebamus num. 18. huius §.) quòd actio agentis secundi procedens modificata, & eleuata per actionem primi agentis tendat ad constituendum effectum in esse, faciatq; vt id cui communicat suam naturam participet esse, non quidem sui ipsius, cuius esse est imparticipabile, & incommunicabile; sed primi agentis, quod agit per suum esse. Est enim *esse* cuiuscumq; effectus agentis creati participatio diuini *esse*, non autem participatio *esse* agentis creati, vt probat S. D. verbis præcedenti num. relatis.

Inde deducitur, quòd nullũ agẽs creatum agit esse ex vi sui principij, per quod agit.

23 Apparet secundo ex dictis, quod S. Doct. verbis relatis §. præcedenti num. 2. expressit conclusionem nostram, qua diximus, alterum munus motus primi mouentis esse, eleuare actiones inferiorum agentium ad attingendum, quod est perfectissimum in effectu, & pertinet ad obiectũ virtutis agentis primi. Siquidem propositio illa: *complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi*, ex qua intulit S. D. *quòd vltimum in bonitate, & perfectione inter ea, quæ potest agens secundum est illud, in quod potest ex virtute agẽtis primi*, proportionaliter verificatur sicut ista: Cõplementum virtutis instrumenti est ex virtute principalis agentis, ex qua potest inferri, quod vltimum in bonitate, & perfectione inter ea, quæ potest instrumentum, est illud, quòd potest ex virtute principalis agentis. Virtus autem instrumenti (vt notauimus nu. 18. huius §.) dicitur compleri per virtutem principalis, inquantum instrumẽtum per motum, quo mouetur ab eodem principali, acquirit eius virtutem, ratione cuius habet actionem modificatam, & eleuatam ad agendum effectum dicti principalis, quem non poterat ex propria virtute. Ita ergò dicitur, quòd complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi, inquantùm per motum, quo agens secundum mouetur à primo, acquirit virtutem, ratione cuius habet actionem eleuatam, & modificatã per actionem eiusdẽ primi, per quam attingit id, quod est perfectissimum in effectu. Ecce munus, quod nos diximus, conuenire motui primi mouentis.

938 *S. Doct. illa propositione: cõplementũ virtutis agẽtis secũdi est ex virtute agentis primi, expressit nostram sententiam.*

939 24 Apparet tertiò, quòd difficultas proposita §. præcedenti num. 4. & sequentibus manet soluta ex his, quæ expressimus in nostro secundo dicto. Porrò difficultas procedebat ex eo, quod ex locis S. Doct. ibidem num. 2. & 3. relatis constabat, quod obiectum virtutis primi, & aliorum omnium superiorum agentium, se habet ad obiectum virtutis inferiorum, sicut formale ad materiale, & sicut actus ad potentiam, ex quo sequitur, quòd eodẽ modo virtus superioris agen-

Ex dictis soluuntur difficultates propositæ §. præcedenti.

Digitized by Google

agentis se habeat ad virtutem inferioris: Quoniam autem actus determinat potentiam, & formale materiale: indè quasi cōtra nostram sententiam inferebatur, quòd virtus superioris determinat ad effectum virtutem inferioris.

940 *Referūtur breuiter dicta nostræ resolutionis.*

25 Est, inquam, iam soluta prædicta difficultas ex assertis in nostro secundo dicto. Diximus sanè ex doctrina S.Tho. quòd actio, seu influentia primi mouentis exercet per motum, quo mouet inferiora, duplex munus. Vnum est, mouere; inquantùm, scilicet, talis actio est inferens motum, seu est quædam motio. Aliud est, tribuere virtutē, & eleuare actiones inferiorum agentium. Inter hæc duo munera motionis primi mouentis est media actio inferioris agentis, quę fundatur in motu, & eleuatur per virtutem, & actionem dicti primi mouentis; vnde ipsa superadditur motui, & eleuatio superadditur ipsi. Et hinc diximus, quòd inquantùm actio & virtus inferioris agentis additur, seu iungitur in motu actioni mouentis, determinat ipsum motum, influentiam, & actionem mouentis ad effectum, ad quem tendit forma, qua constituitur agens ipsum inferius, ipsamq; trahit ad speciem, sicut differentia rationem genericam. Inquantùm verò eidem actioni inferioris additur virtus superioris, perficitur, & suo modo actuatur per modum eleuantem, & commēsurantem ipsam ad effectum sublimiorem, in quem tendit superius agens.

941 *Applicatur doctrina nostræ resolutiones ad soluendā præcipuā difficultatē.*

26 Ex his ergo patet solutio difficultatis. Nam secundùm hanc doctrinam verum quidem est, quòd obiectum virtutis, & actionis superioris agentis, prout hæc exercet munus eleuandi virtutem, & actionem inferioris in effectum proprium ipsius superioris, est quid sublimius, & formalius, quàm obiectum actionis, & virtutis inferioris, & quòd illud ad istud se habet vt formale ad materiale. Et ex consequenti etiam verum est, quòd actio superioris agentis, prout exercet munus eleuandi, se habet ad actionem inferioris, vt formale ad materiale. Attamen sicut obiectum virtutis superioris agentis in ordine ad obiectum virtutis inferioris agentis, nō ideo se habet vt formale ad materiale, quia ipsum cōtrahit, & restringit, seu determinat ad rationem specialiorē, sicut differentia, & species per eam constituta contrahunt, & determinant genus; sed quia (vt statim ex D.Th. explicabimus) est minus contractum, absolutius, abstractius, & communius: ita actio superioris agentis in ordine ad actionem inferioris, non ideo se habet, vt formale ad materiale, quia illam determinat, & restringit ad effectū magis determinatū; sed quia modificat, eam eleuando ad effectū, seu obiectū sublimius.

Obiectum virtutis superioris agētis est quid formalius: quā quid cōmunius.

27 Nec tamen hæc veritas contradicit, sed simul stat cum altero, quod nu. 25. præcedenti retulimus, vt in nostris dictis contentum, probauimusq, diffusè in hac disp. à §.10. ad 15. videlicet, quòd virtus, actio, & & influentia superioris agentis determinatur, & cōtrahitur ad speciem effectus (quod est specificari) per virtutem inferioris. Et quòd obiectum virtutis superioris determinatur, & contrahitur per obiectum virtutis inferioris, quod ad primum comparatur sicut actus ad potentiam, & formale ad materiale. 942 *Prædicta doctrina non repugnat nostræ resolutioni.*

Stant, inquam, prædicta duo simul in sententia S. Tho. quod sic manifestatur. Obiectum enim virtutis cuiuscumq; agentis superioris debet esse aliquid commune, & tantò cōmunius, quantò agens est superius, vt probauimus ex doctrina S.D. in hac disp. §.8. à num. 12. Vnde obiectum virtutis superioris agentis est, vel aliquod genus, vel aliqua species sumpta, vniuersaliter, vt notauimus §. XI. eiusdem disp. num. 40. Sumimus ly *genus* largè: prout sub tali nomine venit ens, quod est obiectū diuinæ virtutis. Ratio autem generica (de qua sola potest esse difficultas in re, de qua agimus) dupliciter considerari potest: vno modo absolutè, inquantùm scilicet, est ratio minus contracta, absolutior, abstractior, & cōmunior, quàm species: alio modo inquantùm contrahitur per differentias ad species, in quibus gerit vicem partis potentialis, & se habet ad differentiā vt potentia ad actum. Genus modò secundùm primam considerationem acceptum se habet ad speciem, vt formale ad materiale, & sic correspondet virtuti superioris causæ, eiusq; actioni, inquantùm ea habet eleuare actiones inferiorum agentium ad attingendum proprium obiectum, quod est formalius, & absolutius quàm obiectum inferioris virtutis. Secundùm verò posteriorem considerationem, secundùm quam contrahitur ad species per differentias, & se habet ad eas, vt potentia ad actum, correspondet virtuti, motioni, & influentiæ eiusdē superioris, inquantùm eius influentia &c. determinatur, seu contrahitur ad speciem effectus, sicut genus per differentiam, per virtutem, & influentiam emanantem a forma inferioris agentis, per quam, vt in proprium obiectum, tendit in speciem contentam sub obiecto virtutis superioris agentis. *Manifestatur qualiter prædicta inter se cohærent.*

28 Desideras ne etiam ad prædictam doctrinam testimonium S. Doctoris? Illud accipe ex 1. 2. quæst. 18. ar. 7. vbi obijcienti sibi tertio loco similem difficultatem circa id, vnde sumitur differentia generica & specifica actuum humanorum; sic respondet. *Ad tertium dicendum, quòd differentia com-* 943 *Euidenti testimonio S.D. prædicta confirmantur.*

comparatur ad genus, vt forma ad materiam, inquantùm facit esse genus in actu: Sed etiam genus consideratur vt formalius specie secundum quod est absolutius & minus contractum. Vnde & partes diffinitionis reducuntur ad genus causæ formalis, vt dicitur in libris Physic. & secundum hoc genus est causa formalis speciei, & tantò formalius quantò communius. Atq; ex his patet, non coniunxisse nos repugnantia (vt obijciebatur §. præcedenti num. 6.) dum sæpè cum S. Doct. diximus, obiectum virtutis superioris agentis esse quid formalius, actualius, & communius &c. sed sibi maximè cohærentia, vt patet.

944 *Dilucidatur diuersitas sensus propositionum S.D.*

29 Deniq; aduertendum est, (vt sic soluta maneat omnis difficultas tacta §. præcedenti) quòd in alio sensu loquitur S. Doctor dum locis relatis §. præcedenti num. 5. loquens de materia prima, inquit: *Oportet quòd sit proprius effectus primæ virtutis*; Et in alio satis diuerso, dum lib. 3. cont. gen. cap. 66. ratione 6. 5. & 4. a nobis relatis in hac disputatione §. 8. num. 26 & 25. & §. præcedenti num. 2. docet, *quòd esse est proprius effectus primi agentis, quod omnia agentia agunt in virtute ipsius.* Dicitur enim materia *proprius effectus primæ virtutis & effectus vniuersalis agentis*, inquantùm non fit, nisi per creationem, quæ est propria solius primæ virtutis, quam habet solum agens vniuersalissimum, cuius est facere ens de non ente simpliciter, seù de nihilo: ac per hoc est effectus, quem nullum aliud agens producit. Et ita ly, *proprius effectus*, excludit à materia causalitatem virtutis omnis alterius agentis. Non sic autem, nisi inuolnendo euidentem contradictionem, diceretur, quòd *esse* est proprius effectus primi agentis, quod omnia agentia agunt in virtute eiusdem primi. Quare, *esse* dicitur *proprius effectus primi agentis*, inquantùm inter rationes effectus producti à tota serie agentium per se ordinatorum, est illa, quam omnia agentia sub primo attingunt, non ex vi propriæ formæ, & eo modo, quo agunt effectum causæ principales; sed ex vi motus, & virtutis primi agentis, & eo modo, quo causant effectum causæ instrumentales. Vnde ly *proprius effectus* excludit ab ipso *esse* alia agentia, non negando ab eis causalitatem absolutè; sed solam causalitatem causæ principalis, quæ in ordine ad esse cuiuscunq; effectus agentis secundi est solum primū agens, quod agit per suum esse, tanquam per principium agendi. Vide hanc doct. in S. Th. q. 5. de verit. ar. 8. ad prim.

Esse proprium effectū primæ virtutis, in diuerso sēsu dicitur de materia, et de quolibet esse effectus a gentis secundi.

945 *Sic dicitur esse effectuū secundorum agentium proprius effectus primæ virtutis; sicut res generabilis effectus proprius corporis cælestis.*

30 Dicitur ergo *esse* agentium secundorum proprius effectus primi agentis in illo sensu, quo S. Doct. consequenter docet, quòd rationes spectantes ad naturam rerum corruptibilium, & generabilium, vt quòd sint res naturales, & huius vel illius speciei, sunt proprius effectus secundorum agentium, quæ, tanquam per principium agendi, agunt per suas formas, quibus constituuntur in natura, vt sunt Intelligentiæ corpora cœlestia &c. Vndè sicut de causis inferioribus seu vniuocis, docet ipse S. D. quòd non attingunt prædictas rationes in suis effectibus; nisi in virtute participata in motu, quo mouentur à prædictis causis superioribus, scilicet Intelligentia corporibus cælestibus &c. Ita dicit, quod *esse* eorundem effectuum est proprius effectus primi agentis. In hoc igitur sensu verum est semper, id quod in nostro secundo dicto ex §. Doctore diximus, nempe, quòd id, quod in effectu secundorum agentium est perfectissimum, est proprius effectus primi agentis, & quòd ad munus motus primi mouentis spectat eleuare actiones secundorum agentium ad agendum id, quod in effectu ipsorum est perfectissimum, sicut etiam spectat ad munus motus, quo mouentur hæ causæ infimæ scilicet vniuocæ, à corporibus cœlestibus, & Intelligentijs motricibus, eleuare dictas infimas causas ad attingendum in suis effectibus prædictas rationes altiores spectantes ad earum naturam genericam, & specificam.

946 *Sicut effectus proprij primæ virtutis agentis p creationē sunt infimū seu materia prima, & supremū seu substantiæ incorruptibiles Ita motus primi mouentis, & substentat actiones agentium & eas eleuat ad supremum.*

31 Atq; ex his modò habes, qualiter ex definitis, in nostro secundo dicto appareat maxima cohærentia doctrinæ S. Tho. Immò etiam potes modò videre miram correspondentiam, quæ est inter effectus primæ virtutis, inquantùm agit per causas secundas, mouendo eas, & inquantùm agit se sola, creando. Porrò effectus virtutis primi agentis, prout agit per creationem, (per se loquendo) sunt ea, quæ sunt perfectissima in entibus, puta substantiæ spirituales, & corpora cœlestia, & id quod est infimum, puta materia prima sub formis elementorum. Hęc enim non nisi per creationem fieri possunt, quæ res agit ex nihilo. Vnde de eis dicitur Geneſis 1. *in principio creauit Deus Cœlum & Terram.* Effectus vero proprij secundorum agentium sunt ea, quæ possunt superaddi infimo subiecto, quibus determinatur ad diuersas species, quæ sunt quid medium inter infimum & supremum, vt habes ex D. Thoma relato §. præcedenti num. 5. Nunc ergo vide, qualiter motus primi mouentis similia munera exercet circa actiones inferiorum agentium.

Nam primò, inquantùm est motus, seu quædam motio procedens à primo, est veluti primum subiectum fundans actiones omnium inferiorum agentium, à quibus tra-

Digitized by Google

trahitur ad ſpeciem effectus, iuxta rationem formarum inferiorum agentium, à quibus procedit actio eorundem illo ſimili modo, quo primum ſubiectum, ſeu materia prima, trahitur in diuerſas ſpecies per formas in eam introductas ab agentibus ſecundis ex vi ſuæ propriæ formæ. Secundò eleuat eaſdem actiones, & ſic per eas attingit id, quod in earum effectibus eſt perfectiſſimum. Proprij verò effectus actionum ſecundorum agentium ſunt quædam rationes intermediæ, ſpectantes ad naturam generum, & ſpecierum, ſecundùm rationem formarum, per quas agunt prædicta agentia, vt patet ex verbis S. D. ſupra in hoc §. num. 20 & 21. relatis, & §. 8. nu. 26. & §. 9. num. 14. Conſidera modò, quàm compoſitè, & fundatè loquitur §. Doct. & ex aduerſo, quàm inconſequenter, & contra eius intentionem loquuntur Recentiores. Et hęc ſatis ſint ad explicandum ſententiam S. Thomæ, inquantùm ea munera tribuit motui primi mouentis, quæ maximè quadrant illi principio eiuſdem S.D. *motus primi mouentis recipitur in vnoquoq; ſecundùm proprium modum*, de quo in hac diſput. agimus. Reſtat nunc (vt ſic tradamus integram ſententiam S. Thomæ) vt explicemus, qualiter, & per quid omnia agentia determinantur ad ſuas actiones à cognitione præſtituente finem actionibus, vt promiſimus num. 758. huius Tractatus, in fine, ſcilicet, §. 8. huius diſputationis.

DE PROPRIO DETERMINATIVO *agentium omnium ad proprias actiones iuxta S. Doctoris maximam:*

Determinatio agẽtis ad aliquam actionem oportet, quòd ſit ab aliqua cognitione præſtituente finem actioni:

qua, & quo ordine ſunt dicenda.

947 32 DOctrinam D. Thomæ, qua in 2. diſt. 25. quæſt. vnica art. 1. prædicta propoſitione, veluti quadã maxima, ponit, proprium principium, à quo procedit determinatio agentium ad ſuas actiones, eſſe cognitionem præſtitutiuam finis eiſdem actionibus; ex quo principio deduxit, quòd diſcrimen agentium, quæ à ſeipſis determinantur ad proprias actiones, ab ijs, quæ non à ſeipſis, ſed ab alio determinantur ad eas, in eo conſiſtit, quòd hæc à cognitione alterius, ſeu quæ eſt in alio agente; illa verò à cognitione propria, quæ in ipſiſmet agentibus eſt, determinantur ad actiones, bis tranſcripſimus in hoc Tractatu, ſemel diſp. 1. §. xj. num. 7. agentes contra Suarium iiſdem armis, quibus alios impetebat, & iterum Diſp. præſenti §. 4. num. 2. agentes contra doctores partis oppoſitæ. Meritò autem, nam licèt eadem doctrina ſit millies à S. Doctore in ſuis operibus repetita; attamen ſecundùm formam, quam habet in dicto articulo, ſatis aptè lucem affert Recentibus, qua videre poſſunt, D. Thomæ ſententiam, veritatemq; ſatis diuerſam eſſe ab ea, quam ex eiuſdẽ S. Doct. affectu proſequuntur. Quare, vt dicta à nobis in vtroq; loco validiùs perficiant, quod intendimus, neceſſarium duximus, ad quædam ſpecialia deueniendo, explicare ex doctrina eiuſdem S. D. modum, & per quid cognitio præſtituens finem actionibus, determinat ad eaſdem actiones agentia, ſiue à ſe ſeparata, ſiue ſibi coniuncta, vt promiſimus in hac diſp. §. 4. num. 8. & loco præcedenti num. citato. Circa hæc autem quattuor, aut quinq, videntur nobis eſſe præcipuè explicãda per ordinẽ in ſequentibus quinque §. §.

Primò. Quæ ſit iſta cognitio præſtituens actionibus finẽ, & vnde illa neceſſitas oriatur, qua oportet, quòd determinatio agentium ad actiones ſit à tali cognitione in ſententia S. Thomæ.

Secundò. Quomodo, & per quid à prædicta cognitione determinantur ad ſuas actiones ea, quæ omni cognitione carent.

Tertiò. Per quid, & quomodo ab eadem cognitione procedit determinatio agentium ad actiones, ſi talia agentia habent ſolam cognitionem ſenſitiuã, qua cognoſcũt finem, ſed non præſtituunt ſibi, & ſuis actionibus finem.

Quartò. Quomodo ab eadem cognitione procedit determinatio ad actiones in ijs agentibus, quæ eandem ipſam cognitionem habent, qua præſtituunt ſuis propriis operationibus finem, ſeq; ad illas determinant: ſiue talia agentia ſint creata, quæ, in ſe determinando, dependent ab alio priori agente, ſiue ſit ipſe Deus creator, qui, in ſe determinando ad actiones, à nullo ſuperiori dependet.

§. XIX.

Explicatur quæ ſit ſecundùm S. Doctoris mentem cognitio præſtituẽs finem actionibus: ratioq, ob quam oportet determinationem agentium à tali cognitione prouenire proponitur.

948 *Cognitio præſtituens finis eſt qua cognoſcitur vniuerſalis ratio finis, & boni;*

1 QVantùm itaq; ad horum primum, certum eſt, & expreſſum à S. D. in eodem articulo, cuius doctrinam examinamus, talem cognitionem eſſe propriam illius cognoſcentis, quod tam perfectam habet cognitionem finis, vt non ſolùm cognoſcat finem, ſeu rem

quæ

quæ est finis, sed etiam ipsam rationem vniuersalem finis, seu boni, & ordinem, seu proportionem, quam habent media ad finem. Vnde sic habet in corp. dicti articuli. *Nec aliquod agens sibi præstituere finem potest, nisi rationem finis cognoscat, & ordinem eius, quod est ad finem ipsum.* Cognitio ergo per quam agens habet, quòd possit, & sine qua non possit præstituere finē actionibus proprijs, ista est, qua cognoscit rationem finis, & ordinē eius, quod est ad finem ipsum. Quam quidē cognitionem ipsemet S. Doct. 1. 2. q. 6. art. 2, in corp. appellat perfectam cognitionem finis, per quam peruenitur ad deliberandum de fine, & de his, quę sunt ad finem; inquiens. *Perfecta quidem finis cognitio est, quando nō solùm apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio eius, quod ordinatur ad finem ipsum*, & parum infra. *Perfectam igitur cognitionē finis, sequitur voluntarium secundum rationem perfectā, prout, scilicet, apprehenso fine, aliquis potest deliberans de fine, & de his, quæ sunt ad finem, moueri in finem & non moueri*, & idē repetit quæst. xi. sequenti ar. 2. in corp. dicens. *Perfecta quidem*, ideſt, *cognitio finis est, qua non solùm cognoscitur id, quod est finis, & bonum; sed ratio vniuersalis finis, & boni: & talis cognitio est solius rationalis naturę*; & nomine rationalis naturæ comprehendit etiam ipsum Deum, vt in eadem 1. 2. quæst. 1. ar. 2. ad 3. illis verbis. *Quæ carent ratione, mouentur in fines particulares ab aliqua voluntate rationali, quæ se extendit in bonum vniuersale, scilicet, à voluntate diuina.* Demum hæc cognitio illa est, per quam homo, & omnia intellectualia, non solum habent iudicādo mouere se, & determinare se, ad agendum; sed etiam determinare se, seu se mouere, ad iudicandum de agendis, in quo consistit formaliter libertas arbitrij, vt habet S. D. Quæst. 24. de veritate art. 1. in fine corporis, inquiens: *Bruta non iudicant de suo iudicio; sed sequuntur iudicium sibi à Deo inditum, & sic non sunt causa sui arbitrij, nec libertatē arbitrij habent: homo vero per virtutem rationis iudicans de agendis, potest de suo iudicio iudicare*, (nota rationem) *inquantùm cognoscit rationem finis, & eius, quod est ad finem, & habitudinem, & ordinem vnius ad alterum: & ideo non est solùm causa sui ipsius in mouēdo; sed in iudicando. Et ideo est liberi arbitrij: ac si diceretur liberi iudicij de agendo, vel non agendo.*

Loca S. D.

S. D. nomine voluntatis rationalis intelligit omnem voluntatē diuinā.

949

2 Sic ergo apparet, quòd secundùm S. Thomam ista cognitio, à qua procedit determinatio agentium ad actiones, est quædam notitia, quæ non potest haberi, nisi ab eo agente, quod habet intellectum, cuius est proprium cognoscere vniuersaliē rationem finis, & boni, per quam potest iudicare de omnibus singularibus bonis habētibus proportionem ad finem, & non solùm de agēdis, sed etiam de ipsomet iudicio agendorum ad finem, ex quibus omnibus habet, quòd possit ordinare in finem à se intētum omnes actiones, siue proprias, siue alienas, quæ sub sua causalitate continentur: quod est posse præstituere finem actionibus eorum agentium, quæ suæ actioni subduntur. Ac per hoc ista cognitio, qua agens habens intellectum præstituit finem actionibus siue proprijs, quibus est in eodem agente coniuncta, siue aliorum agentium, à quibus est separata, alia esse non potest in sententia S. Thomæ, quàm ea, qua dictum agens intellectuale, considerato fine, & agendorum proportione ad finē, per ipsam rationem finis, quæ est prima regula omnium agendorum, profert sententiam, qua ordinat, seu addicit & destinat, siue se, siue alia agētia, quæ suæ causalitati subduntur, ad agendas eas actiones, quibus tendant in finem intentum ab ipso agente intellectuali. Et sic actiones prædictorum agentium habent finem statutum, præfinitum, determinatum, & præfixum à cognitione, inquantùm per cognitionis definitiuam sententiam sunt ordinatæ in finem ab ipsa cognitione præconceptum, vt clariùs infra descendentes ad modum, quo in particulari determinantur agentia, demonstrabimus.

Predicta cognitio non habetur, nisi ab agente intellectuali per quam potest iudicare de ōnibus singularibus bonis, & de suo proprio iudicio.

950

3 Quòd autem habens intellectū, ideo possit iudicare de omnibus singularibus bonis agendis, & etiam de suo proprio iudicio, quia apprehendit vniuersalem rationē boni seu finis; & quod inde consequēter habeat, quod possit se mouere nō solùm ad agendum in finem, seu suas operationes in finem ordinate, quod est determinare sibi proprias actiones, sed etiam mouere se, seu ordinare se ad iudicandum, quod est sibi determinare iudicium, & sic ex determinato iudicio à se, determinare se ad actiones; expressit S. D. lib. 2. cont. gent. cap. 48. ratione 3. sic discurrens.

Confirmātur prædicta auctoritate S. Th.

Forma apprehensa est principium mouens secundum quod apprehenditur sub ratione boni vel conuenientis. Actio enim exterior in mouentibus seipsa procedit ex iudicio, quo iudicatur aliquid esse bonum, vel conueniens per formam prædictam. Si igitur iudicans ad iudicandum seipsum moueat, oportet, quòd per aliquam altiorem formam apprehensam se moueat ad iudicandum: quæ quidem esse non potest, nisi ipsa ratio boni, vel conuenientis, per quam de quolibet determinato bono, vel conuenienti iudicatur. Illa igitur sola se ad iudicandum mouent, quæ communem boni, vel con-

Doctrina S. D. considerāda.

Digitized by Google

conuenientis rationem apprehendunt. Hæc autem sunt sola intellectualia. Sola igitur intellectualia sic, nō solùm ad agendum, sed etiam ad iudicandum mouent. Sola igitur ipsa sunt libera in iudicando: quòd est liberum arbitrium habere.

951 4 Considera singula, & ea iunge alijs infra adducendis, quando modum explicabimus, quo determinatio ad actiones in agente libero est ab ipsomet agente causata, non per hoc, quòd ipsum agens prorumpit in determinatam actionem nulla forma determinatum ad eamdem actionē, vt existimauit Suarius, quod implicare contradictionem probauimus disp. 1. sed per hoc, quod ipsummet agens est causa formæ determinantis ad eas, vt in hac disputatione breuiter expressimus §. 6. num. 4. Hìc autem prædicta transcripsimus, vt scias quæ sit illa cognitio præstituens finem actionibus, & à qua procedit determinatio agentium ad easdem actiones, quando talis cognitio non potest haberi, nisi ab illo cognoscente, quod cognoscit vniuersalē rationem finis, seu boni & conuenientis: & proportionem, ordinemq; eorum, quæ sunt ad finem. Nam cognitio, quæ per se exigit in cognoscente notitiam vniuersalium principiorum agibilium, (quæ desumuntur ex ipsa vniuersali ratione finis, seu boni & conuenientis, prout per eamde omnibus singularibus agendis iudicatur) alia esse non potest, quàm iudicium aliquod, per se dependens ex prædictis principijs, quibus indicās seipsum mouet ad iudicandum, seu à seipso mouetur. Quod quidem iudicium non potest esse, nisi in agente liberum arbitrium habente. Quoniam per hoc ipsum tale iudicans est liberum in arbitrando, quod ipsummet, vt iudex & arbitrer sui proprij iudicij, seu arbitrij, & vt habens illud in sua potestate, ducit se ad hoc, vel illud arbitrandum de agendis ex consideratione vniuersalium legum, seu principiorum de agibilibus, vt infra explicabimus.

952 *Discursus manifestās maximam S.D. ponitur.*

5 Ratio verò (vt sic veniamus ad secūdū principaliter intētū in hoc §.) qua probatur ex principijs S.T. prędicta propositio, seu maxima, sic proponi potest. Per hoc agens aliquod habet actionem habentem sibi prędstitutum finem ab aliquo intellectu per suam cognitionem, seu ab intellectu ordinatam ad finem determinatum, quod ab eodem intellectu recipit principia commensurata, apta & proportionata illi determinatæ actioni, à quibus ipsa actio effluit commensurata illi determinato fini ab ipso intellectu præconcepto. Intellectus enim tribuens alicui agenti actionem, vt ea agat ad finem ab intellectu præconceptum, non potest intentum istud aliter disponere, quā post expensam, & consideratam rationem finis, prestando agenti principia illa, quę sūt apta, proportionata, & commensurata illi actioni, quam ipsemet intellectus iudicat commensuratam fini. Idq; & nihil aliud importat intellectum cognitione sua præstituere finem actioni: sed determinatio agētis ad aliquam determinatam actionem, est illa commensuratio, quam habet agens per principia illa commensurata eidem actioni. Habet ergo agens determinationem ad actionem ab intellectu, cognitione sua præstituente finem actioni.

953 *Quia oē agēs agit propter fīnem, oportet, omnē actionē esse ordinatā in finē ab aliquo ītellectu.*

6 Supponit hic discursus id, quod in sua propositione, quam intendimus probare, supponit S. D. nempe: quod omnis actio habet sibi præstitutum finē ab aliquo intellectu. Ratio huius suppositi est. Quia omne agens agit propter finem, quod contingit dupliciter, vel, scilicet, vt se mouens dirigēs, & ordinans in finē, vt propter finem agunt, quæ habent intellectum, seu agentia libera, in quibus cognitio est coniuncta agentibus; vel vt directa, mota, & ordinata in finem ab alio habente intellectum, vti sunt omnia naturalia intellectu carentia, quę sūt directa in finē ab intellectu naturam instituente, vt habes in articulo, cuius doctrinā examinamus, & inter alia innumera loca, 1. 2. quæst. 1. ar. 2. in corp. Oportet ergo, quòd omnis actio sit ordinata in determinatum finem ab aliquo intellectu siue existente in eodem agente, quod, scilicet, sua cognitone determinat sibi finē, & actionē in finē, siue in agēte separato, à quo determinatur ei finis, & actio in finem. Vide rationē D. Th. n. seq.

954 *Facto prędicto supposito, manifestatur iterū maxima S. Doctoris.*

Hoc supposito: propositio S. Thomæ pronunciat; quod determinatio cuiuslibet agentis ad determinatā actionem oportet, quod fit ab illa cognitione intellectus, qui ordinat actionē illius in finē ab ipso intellectu determinatum. Et ratio est, quā modo expressimus. Quia scilicet, intellectus ordinans ad agendum propter finem, siue illud agens, cui est coniunctus, siue illud, à quo est separatus, habet illud reddere proportionatum, commensuratum, & aptum ad perueniendum in illū finem. Proportionem autē & commensurationem ad finē determinatū habet agēs formaliter per quædā principia, quæ ipsum reddunt proportionatum, & cōmensuratum, seu determinatum illi actioni, quę ex dictis principijs effluit, & per quā tēdit in finē ipsiusmet actionis. Oportet ergo quod determinatio agentis ad actionem sit à cognitione præstituente finem actioni.

955 *Doctrina S. D. ex qua prędicta discursus amplia explicatur*

7 Vt hanc rationem radicitùs capias, nota discursū S. D. quo quæst. prima de potentia ar. 5. in corp. probat, Deum non agere ex necessitate naturæ. Nam sic habet. *Quod enim Deus non agat ex necessitate naturæ.*

quæ est finis, sed etiam ipsam rationem vniuersalem finis, seu boni, & ordinem, seu proportionem, quam habent media ad finem. Vnde sic habet in corp. dicti articuli. *Nec aliquod agens sibi præstituere finem potest, nisi rationem finis cognoscat, & ordinem eius, quod est ad finem ipsum.* Cognitio ergo per quam agens habet, quòd possit, & sine qua non possit præstituere finē actionibus proprijs, ista est, qua cognoscit rationem finis, & ordinē eius, quod est ad finem ipsum. Quam quidē cognitionem ipsemet S. Doct. 1.2.q.6.art. 2, in corp. appellat perfectam cognitionem finis, per quam peruenitur ad deliberandum de fine, & de his, quę sunt ad finem; inquiens. *Perfecta quidem finis cognitio est, quando nō solùm apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio eius, quod ordinatur ad finem ipsum*, & parum infra. *Perfectam igitur cognitionē finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectā, prout, scilicet, apprehenso fine, aliquis potest deliberans de fine, & de his, quæ sunt ad finem, moueri in finem & non moueri*, & idē repetit quæst. xi. sequenti ar. 2. in corp. dicens. *Perfecta quidem*, ideſt, *cognitio finis est, qua non solùm cognoscitur id, quod est finis & bonum; sed ratio vniuersalis finis, & boni: & talis cognitio est solius rationalis naturę*; & nomine rationalis naturæ comprehendit etiam ipsum Deum, vt in eadem 1.2. quæst. 1. ar. 2. ad 3. illis verbis. *Quæ carent ratione, mouentur in fines particulares ab aliqua volūtate rationali, quæ se extendit in bonum vniuersale, scilicet, à voluntate diuina.* Demum hæc cognitio illa est, per quam homo, & omnia intellectualia, non solum habent iudicādo mouere se, & determinare se, ad agendum; sed etiam determinare se, seu se mouere, ad iudicandum de agendis, in quo consistit formaliter libertas arbitrij, vt habet S. D. Quæst. 24. de veritate art. 1. in fine corporis, inquiens: *Bruta non iudicant de suo iudicio; sed sequuntur iudicium sibi à Deo inditum, & sic non sunt causa sui arbitrij, nec libertatē arbitrij habent: homo vero per virtutem rationis iudicans de agendis, potest de suo iudicio iudicare*, (nota rationem) *inquantùm cognoscit rationem finis, & eius, quod est ad finem, & habitudinem, & ordinem vnius ad alterum: & ideo non est solùm causa sui ipsius in mouēdo; sed in iudicando. Et ideo est liberi arbitrij: ac si diceretur liberi iudicij de agendo, vel non agendo.*

Loca S. D.

S. D. nomine voluntatis rationalis intelligit omnem voluntatē diuinā.

949 2 Sic ergo apparet, quòd secundùm S. Thomam ista cognitio, à qua procedit determinatio agentium ad actiones, est quædam notitia, quæ non potest haberi, nisi ab eo agente, quod habet intellectum, cuius est proprium cognoscere vniuersaliē rationem finis, & boni, per quam potest iudicare de omnibus singularibus bonis habētibus proportionem ad finem, & non solùm de agēdis, sed etiam de ipsomet iudicio agendorum ad finem, ex quibus omnibus habet, quòd possit ordinare in finem à se intētum omnes actiones, siue proprias, siue alienas, quæ sub sua causalitate continentur: quod est posse præstituere finem actionibus eorum agentium, quæ suæ actioni subduntur. Ac per hoc ista cognitio, qua agens habens intellectum præstituit finem actionibus siue proprijs, quibus est in eodem agente coniuncta, siue aliorum agentium, à quibus est separata, alia esse non potest in sententia S. Thomæ, quàm ea, qua dictum agens intellectuale, considerato fine, & agendorum proportione ad finē, per ipsam rationem finis, quæ est prima regula omnium agendorum, profert sententiam, qua ordinat, seu addicit & destinat, siue se, siue alia agētia, quæ suæ causalitati subduntur, ad agendas eas actiones, quibus tendant in finem intentum ab ipso agente intellectuali. Et sic actiones prædictorum agentium habent finem statutum, præfinitum, determinatum, & præfixum à cognitione, inquantùm per cognitionis definitiuam sententiam sunt ordinatæ in finem ab ipsa cognitione præconceptum, vt clariùs infra descendentes ad modum, quo in particulari determinantur agentia, demonstrabimus.

Prædicta cognitio non habetur, nisi ab agente intellectuali per quam potest iudicare de ōnibus singularibus bonis, & de suo proprio iudicio.

950 3 Quòd autem habens intellectū, ideo possit iudicare de omnibus singularibus bonis agendis, & etiam de suo proprio iudicio, quia apprehendit vniuersalem rationē boni seu finis; & quod inde consequēter habeat, quod possit se mouere nō solùm ad agendum in finem, seu suas operationes in finem ordinare, quod est determinare sibi proprias actiones, sed etiam mouere se, seu ordinare se ad iudicandum, quod est sibi determinare iudicium, & sic ex determinato iudicio à se, determinare se ad actiones, expressit S. D. lib. 2. cont. gent. cap. 48. ratione 3. sic discurrens.

Confirmātur prædicta auctoritate S. Th.

Forma apprehensa est principium mouens secundum quod apprehenditur sub ratione boni vel conuenientis. Actio enim exterior in mouentibus seipsa procedit ex iudicio, quo iudicatur aliquid esse bonum, vel conueniens per formam prædictam. Si igitur iudicans ad iudicandum seipsum moueat, oportet, quòd per aliquam altiorem formam apprehensam se moueat ad iudicandum: quæ quidem esse non potest, nisi ipsa ratio boni, vel conuenientis, per quam de quolibet determinato bono, vel conuenienti iudicatur. Illa igitur sola se ad iudicandum mouent, quæ communem boni, vel con-

Doctrina S. D. conſideranda.

conuenientis rationem apprehendunt. Hæc autem sunt sola intellectualia. Sola igitur intellectualia sū, nō solùm ad agendum, sed etiam ad iudicandum mouens. Sola igitur ipsa sunt libera in iudicando: quòd est liberum arbitrium habere.

951 4 Considera singula, & ea iunge alijs infra adducendis, quando modum explicabimus, quo determinatio ad actiones in agente libero est ab ipsomet agente causata, non per hoc, quòd ipsum agens prorumpit in determinatam actionem nulla forma determinatum ad eamdem actionē, vt existimauit Suarius, quod implicare contradictionem probauimus disp. 1. sed per hoc, quod ipsummet agens est causa formæ determinantis ad eas, vt in hac disputatione breuiter expressimus §. 6. num. 4. Hic autem prædicta transcripsimus, vt scias quæ sit illa cognitio præstituens finem actionibus, & à qua procedit determinatio agentium ad easdem actiones, quando talis cognitio non potest haberi, nisi ab illo cognoscente, quod cognoscit vniuersalē rationem finis, seu boni & conuenientis: & proportionem, ordinemq; eorum, quæ sunt ad finem. Nam cognitio, quæ per se exigit in cognoscente noticiam vniuersalium principiorum agibilium, (quæ desumuntur ex ipsa vniuersali ratione finis, seu boni & conuenientis, prout per eamde omnibus singularibus agendis iudicatur) alia esse non potest, quàm iudicium aliquod, per se dependens ex prædictis principijs, quibus iudicās seipsum mouet ad iudicandum, seu à seipso mouetur. Quod quidem iudicium non potest esse, nisi in agente liberum arbitrium habente. Quoniam per hoc ipsum tale iudicans est liberum in arbitrando, quod ipsummet, vt iudex & arbitrer sui proprij iudicij, seu arbitrij, & vt habens illud in sua potestate, ducit se ad hoc, vel illud arbitrandum de agendis ex consideratione vniuersalium legum, seu principiorum de agibilibus, vt infra explicabimus.

952 5 Ratio verò (vt sic veniamus ad secūdū principaliter intētū in hoc §.) qua probatur ex principijs S.T. prędicta propositio, seu maxima, sic proponi potest. Per hoc agens aliquod habet actionem habentem sibi præstitutum finem ab aliquo intellectu per suam cognitionem, seu ab intellectu ordinatam ad finem determinatum, quod ab eodem intellectu recipit principia commensurata, apta & proportionata illi determinatæ actioni, à quibus ipsa actio effluit commensurata illi determinato fini ab ipso intellectu præconcepto. Intellectus enim tribuens alicui agenti actionem, vt ea agat ad finem ab intellectu præconceptum, non potest intentum istud aliter disponere, quā post expensam, & consideratam rationem finis, præstando agenti principia illa, quę sūt apta, proportionata, & commensurata illi actioni, quam ipsemet intellectus iudicat commensuratam fini. Idq; & nihil aliud importat intellectum cognitione sua præstituere finem actioni: sed determinatio agētis ad aliquam determinatam actionem, est illa commensuratio, quam habet agens per principia illa commensurata eidem actioni. Habet ergo agens determinationem ad actionem ab intellectu, cognitione sua præstituente finem actioni.

Discursus manifestās maximam S.D. ponitur.

6 Supponit hic discursus id, quod in sua propositione, quam intendimus probare, supponit S. D. nempe: quod omnis actio habet sibi præstitutum finē ab aliquo intellectu. Ratio huius suppositi est. Quia omne agens agit propter finem, quod contingit dupliciter, vel, scilicet, vt se mouens dirigēs, & ordinans in finē, vt propter finem agunt, quæ habent intellectum, seu agentia libera, in quibus cognitio est coniuncta agentibus; vel vt directa, mota, & ordinata in finem ab alio habente intellectum, vti sunt omnia naturalia intellectu carentia, quę sūt directa in finē ab intellectu naturam instituente, vt habes in articulo, cuius doctrinā examinamus, & inter alia innumera loca, 1. 2. quæst. 1. ar. 2. in corp. Oportet ergo, quòd omnis actio fit ordinata in determinatum finem ab aliquo intellectu siue existente in eodem agente, quod, scilicet, sua cognitone determinat sibi finē, & actionē in finē, siue in agēte separato, à quo determinatur ei finis, & actio in finem. Vide rationē D. Th. n. seq.

953 *Quia oē agēs agit propter finem, oportet, omnē actionē esse ordinatā in finē ab aliquo intellectu.*

Hoc supposito: propositio S. Thomæ pronunciat; quod determinatio cuiuslibet agentis ad determinatā actionem oportet, quod fit ab illa cognitione intellectus, qui ordinat actionē illius in finē ab ipso intellectu determinatum. Et ratio est, quā modo expressimus. Quia scilicet, intellectus ordinans ad agendum propter finem, siue illud agens, cui est coniunctus, siue illud, à quo est separatus, habet illud reddere proportionatum, commensuratum, & aptum ad perueniendum in illū finem. Proportionem autē & commensurationem ad finē determinatū habet agēs formaliter per quædā principia, quæ ipsum reddunt proportionatum, & cōmensuratum, seu determinatum illi actioni, quę ex dictis principijs effluit, & per quā tēdit in finē ipsiusmet actionis. Oportet ergo quod determinatio agentis ad actionem sit à cognitione præstituente finem actioni.

954 *Facto prędicto supposito, manifestatur iterū maxima S. Doctoris.*

955 *Doctrina S. D., ex qua prędicti discursus amplius explicatur*

7 Vt hanc rationem radicitùs capias, nota discursū S. D. quo quæst. prima de potentia ar. 5. in corp. probat, Deum non agere ex necessitate naturæ. Nam sic habet. *Quod enim Deus non agat ex necessitate*

naturæ.

natura planũ est videre. Omne enim agẽs, agit propter finem; quia omnis optant bonum. Actio autem agentis ad hoc, quod sit conueniẽs fini, oportet, quòd ei adaptetur, siue proportionetur: quod non potest fieri, nisi ab aliquo intellectu, qui finẽ, & rationem finis cognoscat, & proportionem finis ad id, quod est ad finem: aliter conuenientia actionis ad finem casualis esset. Sed intellectus præordinans in finem, quandoq; quidem est coniunctus agenti, vel mouenti, vt homo in sua actione: quandoq; separatus, vt patet in sagitta, quæ ad determinatum finem tendit, nõ per intellectum sibi coniunctum, sed per intellectum hominis ipsam dirigentem. Impossibile est autem id, quod agit ex naturę necessitate, sibi ipsi determinare finem; quia quod est tale, est ex se agens, & quod est agens, vel motum ex se ipso, in ipso est agere, & non agere, moueri, vel non moueri: vt dicitur 8. Physi. & hoc nõ potest cõpetere ei, quod ex necessitate mouetur, cũ sit determinatum ad vnum. Vnde oportet, quod omni ei, quod agit ex necessitate naturæ, determinetur finis ab aliquo, quod sit intelligens &c. Ex his ergo colligitur, quòd id, quod ex necessitate naturæ agit, impossibile est esse primum agens, cum determinatur ei finis ab alio.

8 Nota, inquam, prædictum discursum, 956
Nam in eo habes primò repetijsse S. Doct. magnam partem doctrinæ istius articuli, cuius propositionem examinamus, & probare intendimus. Secundò rationem, cur oporteat omnem actionem habere præstitutum finem ab aliquo intellectu: quia scilicet debet esse apta, & proportionata fini: quam proportionem non nisi casualiter haberet actio, si ab intellectu cognoscẽte rationem finis, & proportionem finis ad ea, quæ sunt ad finem, non haberet. Ex hoc autem sequitur, quòd cum actio totum id proportionis, & aptationis ad finem habeat ex suis principijs, quibus est commensurata, sequitur, inquàm, quod non aliter possit intellectus præstare actionem commensuratam fini, quam præstando principia commensurata actioni, per quæ agens fit formaliter commensuratum seu determinatum ad actionem. Sic ergo apparet; quòd oportet, quòd commensuratio, seu determinatio agẽtis ad actiones sit à cognitione commensurante actionem ad finem statutum, & determinatum sibi à cognitione. Et indè est (vt §. sequenti dicemus) quod causa agentium naturalium per hoc exhibet eisdem agentibus intellectu carentibus actiones idoneas, & commensuratas fini earundem actionum, puta, ad generandum sibi simile, quod tribuit isdem agẽtibus formas naturales, quibus constituuntur in genere, & specie, & determinantur ad actiones emanantes ab eisdem principijs cũ efficacia ad generandum sibi simile. Similiter per hoc præstat hirundini. e. g. conuenientes actiones ad construendum nidum tanto artificio, his tẽporibus, hoc, vel illo loco exempto à frigore, &c. vbi posset commodè suos pullos nutrire, quod eidem tribuit naturales apprehensiones, ex quibus in actiones prædicto fini proportionatas prorũpit: vt in sequẽtibus §§. demonstrabimus. Age ergo videamus, qualiter, & per quid cognitio præstituens finem actionibus, determinet agentia ad easdem actiones.

§. XX.

Qualiter, & per quid, in ijs, quæ omni cognitione carent, determinatio agentis ad aliquam actionem est à cognitione præstituente finem: eidem actioni, deciditur, & declaratur.

1 POrrò genera agentium, de quorum determinatione ad actiones inquiri potest, tria sunt, secundùm quod triplex datur genus formæ, qua agentia cõstituuntur actiua, scilicet forma merè naturalis, per quam agentia habent suum esse naturale, sicut ignis sua forma substantiali est ignis, suo calore est calidus, sua leuitate leuis, &c. Forma apprehensa per sensum, secundùm quod sensus dicitur apprehendere formas aliorum; vnde alia sunt in sensu secundum esse apprehensum, per quas formas non fit agens habens esse naturale sicut albedine fit album, sed fit apprehendens alia: Et forma apprehensa per intellectum. Quædam enim agunt per formam, qua habent suum esse naturale, & talia sunt omnia, quæ omni cognitione carent: quædam per formam apprehensam per sensum, & hæc sunt omnia animalia, quæ intellectu carent: quædam tandem per formam apprehẽsam per intellectum, & hæc sunt homo, Angeli, & Deus. De his omnibus per ordinem dicendum est; in hoc quidem §. de determinatione ad actiones agentium primi generis, de alijs in sequentibus. 957

Datur triplex genus agentium secũdum quod datur triplex genus formæ, scilicet naturalis, apprehensa per sensum, & apprehẽsa per intellectum.

Resolutio quæsiti.

2 QVantùm igitur ad primum genus agentium (loquendo de sublunaribus) dicendum est: quòd determinatio prædictorum agentium ad actionem physicã, qua quodlibet, vt determinatum à natura ad vnum, agit propter finem suæ actioni præstitutum, procedit proximè à cognitione intellectus Intelligentiæ mouentis cœlos. Et hoc inquantùm 458

tùm dicta Intelligẽtia præconcipiens finem actionis cuiuslibet talis agentis, & simul cognoscens proportionem, quam finis habet ad ea, quæ in ipsum sunt, mouendo cœlos, tribuit cuilibet tali agenti formã, virtutem, & motum secundùm suum iudicium commensurata actioni, & inclinationi fluentibus ex eadem forma, quibus per motum, quo mouetur à cœlo, tendit in finem præconceptũ, & statutum in mente ipsiusmet Intelligentiæ mouentis. Et illo simili modo res se habet, quo determinatio sagittæ ad motum in aliquod determinatum signum procedit ab intellectu sagittantis per hoc, quod considerato signo, præstat sagittæ impetum cõmensuratum motui, per quem pergat ad signũ. Dico autem, *procedit proximè*, vt designem, non dari intellectum inferiorem intellectu Intelligentiæ, à quo per cognitionem procedat determinatio agentium naturalium: dari autem intellectum superiorem, puta diuinum, à quo, vt à primo principio, pendet determinatio omnium agentium.

959 3 Resolutio hęc, sic explicata, est S. Doct. nõ in articulo solùm, cuius doctrinã examinamus; sed alijs innumeris ferè locis, & expressiùs lib. 3. cõt. gent. cap. 24. vbi sic habet. *Si autem corpus cœleste à substantia intellectuali mouetur, (vt probatum est) motus autem corporis cœlestis ordinatur ad generationẽ in inferioribus: necesse est, quòd generationes, et motus istorum inferiorum, procedant ex intentione substantiæ intelligentis. In eandem enim fertur finem intentio principalis agentis, & instrumenti. Cœlum autem est causa inferiorum motuum, secũdùm suum motum, quo mouetur à substantia intellectuali. Sequitur ergò quòd sit sicut instrumentum intellectualis substantiæ. Sunt igitur formæ, & motus inferiorum corporum à substantia intellectuali causatæ, & intentæ sicut à principali agente, à corpore verò cœlesti, sicut ab instrumento. Oportet autem, quòd species eorum, quæ causantur, & intenduntur ab intellectuali agente, præexistant in intellectu ipsius, sicut formæ artificiatorum præexistunt in intellectu artificis, & ex eis derivantur in effectus. Omnes igitur formæ, quæ sunt in istis inferioribus, & omnes motus determinãtur à formis intellectualibus, quæ sunt in intellectu alicuius substantiæ, vel aliquorum* (intermitto hic quædam addita claritatis gratia.) *Quia verò omne quod mouetur ab aliquo per se, & non per accidens, dirigitur ab eo in finem sui motus: corpus autem cœleste mouetur à substantia intellectuali, & causat per sui motum omnes motus in istis inferioribus, necessarium est, quòd corpus cœleste dirigatur in finem sui motus, per substantiam intellectualem, & per consequens inferiora corpora in proprios fines. Sic igitur non est difficile videre, qualiter naturalia corpora, cognitione carentia, moueantur, & agant propter finem. Tendunt enim in finem, sicut directa in finem à substantia intelligente per modum, quo sagitta tendit in signum directa à sagittante. Sicut enim sagitta consequitur inclinationem ad signũ, siue ad finem determinatum ex impulsione sagittantis: ita corpora naturalia consequuntur inclinationem in fines ex mouentibus naturalibus, ex quibus sortiuntur suas formas, & virtutes, & motus.*

Probatur resolutio ex signi testimonio S. Doct.

960 4 Ex quibus euidẽter habes; quòd Intelligentia mouens cœlos, ordinat per motum eiusdem cœli actiones omnium agentium cognitione carentium in suos fines ab ipsa Intelligentia intentos. Ex hoc autem sequitur, quòd à cognitione ipsiusmet Intelligentiæ procedit determinatio horum omnium agentium ad actiones. Siquidem oportet (vt inquit S. Doct. & nos proximè probauimus) quòd determinatio agẽtis ad actionem procedat à cognitione ordinante in finem eandem actionem, seu (& idem significat) præstituente finem actioni. Intelligentia autem, mouendo cœlos, hoc præstat inferioribus agentibus, videlicet, formas, virtutes, inclinationes, & motus, vt habet in proxima relata auctoritate S. D. Per hæc ergo ab intellectu Intelligentiæ determinantur agentia prædicta ad actiones. Et hoc illo simili modo; quo sagitta ab intellectu sagittantis per impulsionem determinatur ad motum, quo pergit in signũ intentũ ab eodem sagittãte.

Applicatur doctrina S. Doc: ad propositum.

961 5 Differentia inter sagittam directam in finem determinatum à sagittante, & inter agentia naturalia directa in finem determinatum ab Intelligentia sua cognitione mouente cœlum, est, quòd sagitta non recipit à sagittante, eam dirigente in signum, aliquam formam, propter quam ei naturaliter competat motus, quo dirigitur in finem; ac per hoc talis directio sibi facta per motum est violenta: at verò agens naturale consequitur ab Intelligentia per motum cœli formã naturalem, propter quam directio & determinatio, quam habet per motum in finem, est ei naturalis. Vnde quasi propria sponte, non secùs ac haberet iudicium, vadit ad præstitutum sibi finem à cognitione dirigentis: at verò sagitta contra propriam inclinationem, & renitẽs, seu repugnans, dirigitur in signum. Ita S. D. de veritate quæst. 22. ar. 1. in corp. vbi sic inquit.

Discrimẽ inter exẽplum, & rẽ de qua agitur.

962 6 *Ab alio possunt dirigi in finem determinatum, qua finem non cognoscunt. Sed hoc dupliciter contingit: quandoq; enim id, quod dirigitur in finem, solummodo impellitur, & mouetur à dirigente, sine hoc*

Testimon. S. T. explicãs prædictũ discrimen.

quod aliquam formam à dirigente consequatur, propter quam ei competat talis directio, vel inclinatio. Et talis inclinatio est violenta, sicut sagitta inclinatur in signum determinatum. Aliquando autem id, quod dirigitur, vel inclinatur in finem, consequitur à dirigente, vel mouente aliquam formam, per quam sibi talis inclinatio competit. Vnde & talis inclinatio erit naturalis, quasi habens principium naturale, sicut ille, qui dedit lapidi grauitatem, inclinauit ipsum ad hoc, quod deorsum naturaliter fertur, per quem modum generans est motor in grauibus, & leuibus secundùm Philosophum in 8. Phys. & per hunc modum omnia naturalia in ea, quæ eis conueniunt, sunt inclinata, habentes in seipsis aliquod inclinationis principium, ratione cuius eorum inclinatio naturalis est: ita vt quodammodo ipsa vadant, & non solum ducantur in fines debitos. Violenta enim tantummodo ducuntur, quia nil cõferunt mouẽti, sed naturalia vadũt in finẽ, inquãtùm cooperantur inclinãti, & dirigenti per principium eis inditum.

Nota hũc modum loquendi.

963 7 Ex quibus habetur, quòd sagitta determinationem ad motum habet à suo dirigente solùm per hoc, quod ipsam impellit. Impulsus autem non est forma sagittæ naturalis, sed naturæ eius repugnans, eliq; quædam forma imperfecta, in motu semper existẽs. Ac per hoc determinationem ad motũ, quo pergit ad signum, habet solùm ab extrinseco; ex se autem nullam habet determinationem ad talem motum. Non sic verò agentia naturalia, quorum determinatio ad finem intentum à dirigente non est solũ per motum; sed etiam per formas naturales sibi præstitas, ab ipsomet dirigente, ratione quarum cooperantur motioni, & directioni in finem. Vnde sunt per formas proprias determinata in finem, licet hæ non sufficiant ad eundum in finem, si motus directoris deficiat. Et ex his apparet, quod determinatio agẽtium naturalium ad actiones, quibus vadunt propria inclinatione in finẽ sibi præstitutum ab intellectu Intelligentiæ habetur ab ipsis agentibus per formas naturales sibi impressas, & per motum, quo mediante cœlo mouentur ab Intelligentia; licèt alia, & alia ratione, vt mox explicabo.

Deducuntur ex dictis principia, quibus determinantur ad actiones agẽtia naturalia.

964 8 Et quidem quòd prædicta agentia, quæ proprijssimè dicuntur determinata ad agendum vnum à natura, hanc suam determinationem habeant à forma, & actu, quo constituuntur in suo esse naturali; ita vt id, quo, vt principio intrinseco determinantur ad agendum vnum ab intellectu dirigente, ea in finem, sit propria forma naturalis, per quam agunt, probat S. Doct. frequẽter, dum recenset propriùm discrimen, quo in caussando differunt agentia per naturã ab agentibus per võluntatem. Porrò 1. p. quæst. 41. art. 2 in corp. sic habet. *Voluntas & natura secundùm hoc differunt in caussando: quòd natura est determinata ad vnum; sed voluntas non est determinata ad vnum. Cuius ratio est: quia effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit. Manifestum est autem, quòd vnius rei non est nisi vnica forma naturalis, per quam res habet esse; vndè quale ipsum est, tale facit. Sed forma, per quam voluntas agit, non est vna tantùm; sed sunt plures, secundùm quod sunt plures rationes intellectæ.* Idem repetit eadem 1. p. q. 47 art. 1. ad primum dicens. *Dicendum, quòd agens per naturam agit per formam, per quam est, quæ vnius tantùm est vna. & ideo non agit nisi vnum. Agens verò per intellectum, quale est Deus agit per formam intellectum.*

Formam naturalẽ esse principiũ determinantem agentia p naturã ad vnũ probat S. D. pluribus locis.

9 Eodem modo discurrit in compendio Theologiæ, opusc. scilicet, 2. seu 3. cap. 96. in principio, dicens. *Ab vno naturali agente non est immediatè, nisi vnum: agens verò voluntarijũ diuersa producere potest. Quod ideo est; quia omne agens agit per suam formam: forma autem naturalis, per quam naturaliter aliquid agit, vniuscuiusque vna est: forma autem intellectæ, per quas aliquid voluntariè agit, sunt plures.* Et in 2. dist. 18. quæst. 2. ar. 2. in corp. sic habet. *Actio de Deo, & rebus naturalibus est quasi aequiuocè dicta. Quia in naturalibus agentibus actio sequitur ex necessitate formæ; vnde secundùm vnitatẽ formæ, oportet esse vnitatẽ in effectu. Sed in diuinis actio sequitur intellectum; & ideo secundùm quod diuersa ab vno intelligi possunt, ita diuersi effectus ab vno immediatè procedere possunt.* Hæc S. D. Ex quibus patet, quòd principium intrinsecum, quo prædicta agentia sunt naturaliter determinata ad agendum vnum effectum, est forma in eis permanens, per quam habẽt suum esse naturale.

Non sufficit agentibus naturalibus ad exercẽdas actiones physicas determinatio, quã habent ex forma naturali permanenti, sed requiritur etiã motus, quo ab aliquo intellectu mouentur in finem.

966 10 Quòd autem determinatio, quam ex prædicta forma habent agentia, non sufficiat eis ad hoc, vt habeant hanc ipsam suam actionem, ad quam sunt determinata; sed vlterius indigeant motu, quo ab intellectu aliquo, siuè immediatè, siue alijs mediantibus caussis moueãtur, & dirigantur in illum eundem vnum finem, in quem sunt per formam suam permanentem determinata; præter quam quod euidenter colligitur ex locis S. Doctoris relatis in hoc §. num. 3. & 6. habetur etiã expressè ab eodem S. D. 1. p. q. 103. ar. 1. vbi primo loco argumentum in contrariũ proponit, vt infra. *Ideo indigemus gubernari: nè aliter operemur, quàm oportet: sed res corporales habent determinatas actiones ex naturis sibi diuinitùs datis. Non ergo indigent gubernatione angelorũ.*

Et

Et reſpõdet, dicens. *Ad primum dicendum, quod res corporales habent determinatas actiones: ſed has actiones non exercent, niſi ſecundùm quod mouentur: quia proprium corporis eſt, quòd non agant, niſi per motũ. Et ideo oportet, quod creatura corporalis à ſpirituali moueatur.* In quibus, vt vides, docet, quòd licèt agentia naturalia ex formis, & virtutibus actiuis naturalibus habeant determinationem ad ſuas actiones naturales, ſeu phyſicas, non tamen ex eis habent ipſaſmet actiones in exercitio, niſi per motũ.

966 11 Exiſtimat enim S. D. quòd formæ, & virtutes actiuæ permanentes agentium naturalium ſimiliter ſe habent ad actiones phyſicas, quæ eiſdem formis, & virtutibus competunt, ſicut formæ, & virtutes actiuæ inſtrumentorum ſe habet ad actiones, quæ formis eorundem inſtrumentorum competunt, puta forma ſerræ ad actionem ſecandi. Vnde ſicut ſerra, licèt per formam ſuam, puta illam diſpoſitionem acutorum dẽtium ſit determinata ad actionem ſecandi: non tamen habet ex prędicta formâ actionem ipſam, ſeu exercitium ſecandi, niſi per motũ, quo mouetur ab intellectu, qui ea vtitur ad ſecandum. Ita agentia naturalia, licèt per formas proprias, & virtutes in eis permanẽtes ſint determinata ad actiones cõuenientes eiſdem formis: non tamen per ipſas habent actiones ipſas, ſeu exercitium agendi niſi per motum, & in motu, quo mouentur à ſuperioribus cauſis, vt loquendo de his inferioribus agentibus ponit S. Doct. quæſt. 5. de veritate art. 9. ad 3. quod tale erat. *Ad completionem actionis ſufficit agens, & patiẽs; ſed in iſtis inferioribus inueniuntur virtutes actiuæ naturales, & etiam paſſiuæ. Ergo ad eorum actiones non exigitur virtus cœleſtis corporis.* Cui reſpondet. *Aduertium dicendum, quòd virtutes actiuæ in iſtis inferioribus ſunt inſtrumentales tantùm*, (nota ly tantùm) *vndè ſicut inſtrumentum non mouet, niſi motum à principali motore: ita nec virtutes inferiores actiuæ agere poſſunt, niſi motæ à corporibus cœleſtibus.*

Formas naturales ad actiones phyſicas ſe habere, ſicut formas inſtrumentorũ probat S. Doct.

967 12 Hinc eadem quæſt. de potentia ar. 8. quo quærit: an ceſſante motu cœli, maneat actio in elementis, primo argumento in cõtrarium, quod procedebat ex ratione determinationis ad vnum, quam habent agentia naturalia ex proprijs formis, reſpondet: *Ad primum dicendum, quòd virtus ignis ſemper eſt determinata ad calefaciendum, præſuppoſitis tamen cauſis prioribus, quæ ad actionem ignis requiruntur* (ideſt, vt explicat in reſponſione ad ſecundum) *præſuppoſito cæli motu, in cuius virtute agunt omnes inferiores actiuæ potentiæ.* Sunt ergo agentia naturalia determinata ad ſuas actiones phyſicas per formas, & virtutes proprias: non quia, habitis huiusmodi formis & virtutibus, quæ in eis ſunt permanentes, habeant prædictas actiones; ſed quia tales actiones prædictis formis competunt, poſito quòd habeant actiones, quas tamen non habent; niſi per motum, quo à ſuperioribus cauſis mouentur, vt eodem art. ad ſecundũ explicat S. D. inquiens. *Dicẽdum quòd ignis eſt proprium calefacere, ſuppoſito q̃ habeat aliquã actionem; ſed eius actio dependet ab alio, vt ſupradictum eſt.* Scilicet in corp. art. et in reſponſionibus relatis. Vbi docet, actiones inferiorũ corporum per ſe pendere ex motu, quo à ſuperioribus mouentur.

Alia loca S. D. ad idẽ

968 13 Rationem huius ex prima radice poſuit S. D. in 3. diſt. 23. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 1. verbis illis à nobis relatis in hoc diſp. §. 9. num. 7. *Dicendum, quòd in agentibus ordinatis fines agentium ſecundorum ordinantur in finem agentis primi: ſicut totum vniuerſum ordinatur in bonum, quod eſt Deus. Et ideo actio primi agentis eſt, et prior, et poſterior; prior in mouendo; quia actiones omnium ſecundorũ agentium fundantur ſuper actionẽ primi agentis, &c. Eſt autẽ poſterior in vtendo aliorũ actibus in ſint propriũ, &c.* In quibus, vt vides, ex eo, quod fines agentiũ ſecundorũ, ideſt inferiorum, ordinantur in finem agentis primi, ideſt ſuperioris, infert, vt ex propria cauſa, (quam deſignauit per ly, *& ideo*,) quòd actio primi agentis eſt, & prior, & poſterior actionibus inferiorũ agentium. Prior quidem in mouendo ipſa inferiora agentia; quia ſcilicet oportet, vt actiones eorundem inferiorum habeãt fundamentum in actione primi agentis, illud autem non haberent, niſi actio ſuperioris præcederet mouendo ipſa, inferiora. Ratio autem huius illationis ex illa prima radice ordinatorum agentiũ, puta, ex ordine finium, eſt. Q. ii ſi ſemel finis actionis agentis inferioris eſt per ſe ordinatus in finem agentis ſuperioris, oportet, quòd actio agentis inferioris non ſolùm ſit ordinata in finem ſibi proprium, ſeu commenſuratum propriæ formæ; ſed etiã in finem excedentem, ſuperantemq; menſuram ſuæ propriæ formæ, puta, in finem ſuperioris agentis. Et ita oportet, quod actio inferioris procedat, non ſolùm à virtute ſua propria; ſed etiam ex virtute ſibi communicata à ſuperiori. Virtus autem ſuperioris non communicatur inferiori agenti, quod agit mouendo, niſi per motum, quo ab ipſo ſuperiori mouetur. Non poteſt ergo actio inferioris agentis procedere à virtute eiuſdẽ inferioris, niſi ſit ei coniunctus motus ſuperioris, quo ei communicatur virtus, vt ita actio fluat non ſolùm ordinata in finem inferioris, ſed etiam ſuperioris agentis.

Ratio prædictæ doctrinæ ex S. D. proponitur.

969 14 Itaque (vt ex locis, ex S. Doctore adductis, ſimul collatis, apparet) agẽtia hęc

Agentia

Digitized by Google

naturalia per formas permanentes sunt determinata ad vnum quantũ ad speciẽ actus, nõ autem quantũ ad exercitiũ. ad quæ determinantur per motũ.

naturalia inferiora cœlo, omnique iudicio carentia, sunt quidẽ ex proprijs formis permanentibus determinata ad suas actiones physicas, & reales, quantũ ad speciem actus, non autem quantùm ad actum ipsum, seu exercitium, & vsum actionis, nisi præsupposito motu, quo Intelligentia, mouendo corpus cæleste, mouet omnia talia inferiora agentia, illaque dirigit in fines proprios; ac etiam vtitur acti onibus eorundem in finem suum. Ex quo fit, quòd determinatio, prædictorum agentium ad actiones prædictas procedat à cognitione Intelligentiæ præstituentis finem actionibus, non per hoc solùm, quod infert dictis agentibus formas naturales, quæ in ipsis sunt permanentes; sed etiã per hoc, quòd ea mouet: & quòd id præstat quantùm ad speciem actus, per primum: quantùm verò ad exercitium actionis, per secundum.

970

Supposito motu cælestium corporum veniente ex primo mouente, sufficiẽter determinantur dicta agẽtia per formas naturales.

15 Et tandem sequitur id, quod principaliter concludere intendimus in hoc §. Quòd, scilicet, supposito motu cęlestiũ corpòrũ, veniente ex superioribus causis, omnia dicta agẽtia sũt sufficiẽter determinata ad suas actiones physicas per suas formas naturales: ita vt nihil, quod seteneat ex parte agentis, oporteat eis addere ad hoc, vt actualiter agant. Vt docet S. D. in 1. dist. 45. q. 1. ar. 3. in corp. verbis à nobis relatis disp. p. §. 2. num. 12. videlicet *Dicendum, quòd opus determinatum non progreditur, nisi à determinato agente. Et inde est, quòd illud, quod est tantum in potentia, non agit: quia se habet indifferenter ad multa. Sed forma, quæ est terminans potentiam materiæ, principiũ actionis dicitur. Et ideo omnibus, quorum potentia actiua determinata est ad vnum effectum, nihil requiritur ex parte agentis ad agendum, præter potentiam completam, (dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis) ad hoc, vt sequatur effectus: sicut patet in omnibus agentibus ex necessitate naturæ.*

971

Corpora cęlestia determinantur ad actiones ab Intelligentia mouẽte solùm per motum,

16 Deniq; aduerto, primò, quòd ex industria in resolutione huius §. nu. 2. posui illa verba, *loquendo de sublunaribus*, volui enim significare, quòd paulò aliter dicendum est de determinatione cælestium corporum ad suas actiones. Hæc enim, licèt inter agentia omni cognitione carentia computentur, determinantur tamen ad actiones proximè à cognitione Intelligentiæ, præstituente finem actionibus eorum, non per hoc, quod causat in eis formas, & virtutes actiuas, quas supponit eisdẽ impressas à cognitione creãtis; sed solùm per hoc, quòd ea mouet iuxta exigentiam naturę eorundem. Non tamen indè sequitur, talem directionẽ esse eis violentam, aut non naturalem, vt dicebat S. D. de directione sagittæ, verbis relatis nu. 16. huius §. Nam corpora cælestia per ea, quæ habent à cognitione primi, seu supremi, & remoti dirigentis omnia creata agẽtia in finem, habent principia naturalia, per quæ subordinãtur Intelligentijs motricibus. Ex quo fit, quòd licèt à cognitione Intelligentiæ, vt à proxima directrice actionum eorundem in finem, solùm habeant motum, non verò formas, & virtutes permanentes: directio tamen in finẽ est naturalis; vt pote conformis principijs naturalibus. Possuntq; propterea de prædictis corporibus verificari verba illa S. Doctoris videlicet, quòd *aliquam formam à dirigente (saltèm remoto, & primo) consequãtur, propter quam eis eõpetat talis directio, & inclinatio.* At verò corpora naturalia in ordine ad directionem in finem, quam possunt habere ab intellectu nostro, nullam habent formam naturalem, nec à nostro intellectu, nec ab intellectu superioris dirigentis naturalia in finẽ, ratione cuius directio prædicta competat eis naturaliter; vnde inquantùm est contra inclinationem naturalis formæ, est eis violẽta, vt docet S. Doctor verbis relatis de sagitta. Vide S. Doctorem lib. 2. cõtra gent. cap. 30. post medium ab illis verbis: *Si verò non fuerit contrarius naturali dispositioni.* Et lib. 3. cap. 23. post medium ab illis verbis. *Non tamen est negandum, motum cæleſtem esse naturalem.*

Inde nõ sequitur nõ mouerí, & non determinari naturaliter.

17 Aduerto secundò, quòd non sine mysterio in eadem resolutione huius §. ad illam vocem, *actiones*, addidi, *physicas*, volui enim designare, quòd non de omnibus actionibus, quæ inueniri possunt in agẽtibus per naturam, loquor in resolutione: sed tantùm de physicis, quibus scilicet corpora naturalia agunt, (vt loquitur S. Doctor) secundum proprietatem corporis. Habent enim prædicta corpora (vt aduertit ipse S. D. q. 5. de Potentia art. 8. in corp.) quasdam actiones, quibus transmutant alia corpora physicè alterando, mouendo localiter, &c. Habent etiam quasdam alias, quibus transmittunt in alia corpora similitudinem suæ formæ per modum intentionis, vt lucida multiplicant speciem sui intentionalem tàm in medio, quàm in potentia visiua, & luminosa vt sol, & omnes stellæ, producunt lumen. Priores conueniunt corporibus secundum proprietatem corporis, posteriores verò, inquantum participãt aliquid de spiritualibus substantijs. Verba S. Thomæ sunt. *Secundum quòd corpus habet duplicem actionẽ, vnam quidem secundùm proprietatem corporis, vt scilicet agat per motum: hoc enim proprium est corporis, vt motũ moueat, & agat. Aliam autem actionem habet secundùm quod attingit ad ordinem substantiarum separatarum, vt participet aliquid de modo ipsarũ.*

972

Agẽtia naturalia ad actiones intẽtionales nõ determinantur p se & proximè ab Intelligentia, sed à Deo.

Hæc

Hæc autem est actio corporis, quæ non est ad transmutationem materiæ; sed ad quandam diffusionem similitudinis formæ in medio secundùm similitudinem spiritualis intentionis, quæ recipitur de re in sensu, vel intellectu: & hoc modo sol illuminat aerem, & color speciem suam multiplicat in medio, &c. Per illas ergò dictiones, *actiones physicas*, in nostra resolutione positas, designamus, loqui nos de actionibus, quibus corpora naturalia transmutant materiam, dum dicimus, quòd determinatio prædictorum agentium ad actiones procedit à cognitione Intelligentiæ mouentis cælos; non autem de actionibus, quibus eadem corpora habent diffundere similitudinem formæ secundùm similitudinem spiritualis intentionis. Hæ siquidem actiones, sicuti non pendent per se ex motu cæli, vnde et manent motu cæli cessante, vt loco proximè cit. Docet S. D. ita determinatio agentium ad dictas actiones non potest per se procedere à cognitione Intelligentiæ mouentis cœlos. Et dico *per se*, quia per accidens, & inquantùm actio illuminandi transfertur de vna in aliam partem, pendet ex motu cœli, & ex cognitione Intelligentiæ mouentis. Si autem interroges, à quo, & per quid Sol, aliaque corpora planetarum, & stellarum determinantur per se ad actionem illuminandi?

973 *Ad dictas actiones determinãtur ab intellectu diuino; inquantùm dat eis formam lucis*

18 Dicendum est, ea determinari proximè à cognitione diuini intellectus per hoc quod dedit, & continuè dat eis formam lucis. Dico, *proximè*: quia nullus datur intellectus inferior diuino, à cuius cognitione per se pendet actio illuminandi. Dico, *per ipsam formam lucis*; quia nil omninò, præter prædictam formam, requiritur in agente ad talem actionem. Sicut enim quæuis rerũ essentiæ per se ipsas sunt determinatæ ad illas actiones, quibus ab eis emanant proprietates: ita corpora lucida per formam lucis ad actionem, qua, secundùm modum similitudinis formæ intentionalis, è corpore luminoso diffunditur lumen in corpus diaphanum. Vnde sicut nihil debet superaddi essentijs rerum ad hoc, vt ab eis fluant passiones: ita nihil debet superaddi corporibus lucidis, ad hoc vt ab eis effluat lumen, quod ab eis emanat, secundùm modum similitudinis formæ intentionalis. Ampliùs, sicut actiones, quibus proprietates emanant ab essentijs, per hoc procedũt à causis superioribus, quòd actio superiorum causarum terminatur primariò ad essentias, & ipsis mediantibus terminatur secundariò ad passiones, inquantùm scilicet resultant ab essentijs ex vi illiusmet actionis, qua fiunt, & conseruantur ipsamet essentiæ. Ita actio, qua lumen procedit à Sole, procedit à superiori causa per hoc, quòd ex vi actionis, qua superior causa, puta diuinus intellectus, producit, & conseruat lucem in Sole, effluit ab eodem Sole lumen in corpus illuminabile. Similiter actiones, quibus hæc inferiora corpora illuminata à Sole effundunt species visibiles in potentias visuas, in speculum, aquam, aerem, &c. procedunt à Sole, & à Deo mediante eodem Sole per hoc, quod hæc inferiora corpora tales actiones habẽt ex vi illius actionis, qua illuminantur à Sole: itaut ad illammet actionem, qua illuminãtur à Sole, sequatur in ipsis actio, qua ab ipsis resultant species visibiles.

974 *Ad actiones physicas mouẽt inquãtum mouentur, sed agunt intentionaliter inquantùm illuminantur.*

19 Atque ex his apparet (idque est hic obiter notandum) quòd sicut in actionibus physicis, quibus corpora agunt ad transmutandam materiam, agentia subordinantur per hoc, quod inferiora mouentur à superioribus, itaut non agant, nisi inquantùm mouentur: ita in actionibus istis, quibus corpora agunt similitudinem suæ formæ, secundùm modum similitudinis formæ intentionalis, subordinatur per hoc, quod inferiora illuminantur à superiotibus; itaut non agant, nisi inquantùm illuminantur. Vnde, in sententia S. Thomæ, sicut cessante motu cœli, cessat omnis actio transmutatiua materiæ in his inferioribus: ita si cessaret illuminatio cœlestiũ luminarium, cessaret omnis actio ad diffundendas species intentionales in istis inferioribus. Ita S. Doctor loco citato de Potentia vbi post verba relata num. 17. sic immediatè subiungit. *Vterque autem modus actionis in istis inferioribus causatur à corporibus cœlestibus; Nam & ignis suo calore transmutat materiam ex virtute corporis cœlestis: & corpora visibilia multiplicant suas species in medio virtute luminis, cuius fons est in cœlesti corpore. Vnde si actio vtraque corporis cœlestis cessaret, nulla actio in istis inferioribus remaneret. Sed cessante motu cœli, cessabit prima actio, sed non secunda. Et ideo cessante motu cœli, erit quidem actio in istis inferioribus, illuminationis, & immutationis medij à sensibilibus; non autem erit actio per quam transmutatur materia, quam sequitur generatio, & corruptio.*

975 *Determinantur ad exercitiũ agendi per hoc, quod illuminantur.*

20 Ex hoc autem fit, quod sicut agentia actione transmutante materiam, determinantur ad dictam actionem, quantùm ad exercitium, per hoc, quòd ab Intelligentia mouente superiora corpora, mouentur omnia inferiora in finem, quem actionibus eorum suo intellectu, & cognitione præstituit: ita agentia actione, qua diffunditur similitudo propriæ formæ, secundùm modum similitudinis formę intentionalis, determinãtur ad hanc actionem per hoc, quòd ab intellectu diuino, qui solus infundit lucem Soli, aliisque cœlestibus luminaribus, eis mediantibus

Digitized by Google

antibus illuminatur oĩa inferiora. Et ſicut in illis actionibus agentia corporalia ſubordinantur proximè intellectui Intelligentiæ mouentis. Ita in iſtis actionibus (ſi per ſe de eis loquamur, vt ſupra admonui) ſubordinantur proximè intellectui diuino, lumen infundenti ipſis primis fontibus luminis.

976

21 Et ſicut in illis actionibus, actio ſuperioris, & primi agentis eſt, & prior, & poſterior, ſed prior in mouendo, vt proximè notauimus in hoc §. num. 13. Ita in iſtis actionibus actio diuina eſt prior, non in mouendo, ſed in illuminando, eſtque fundamẽtum omniũ actionum ad iſtam ſeriem ſpectantium, recipitque ſpecificationem ſecundum modum inferiorum illuminantium, ſeu inferiorum agentium, vt patet in exemplo luminis viridis relato in hac diſputatione §. 9. num 5. & §. 11. num. 10.

Quomodo actio diuina ſit prior, & poſterior.

977

22 Denique in calce huius §. notari debet doctrina S. Thomæ, quã tradit de principio intrinſeco determinante ad actiones ſub ſimilitudine eſſentiæ, & paſſionis lib. 2. con. gent. cap. 30. paulò poſt medium, vbi ſic habet. *Neceſſitas verò agentis conſideratur, & quantùm ad ipſum agere, & quantùm ad effectum conſequentem. Prima autem neceſſitatis conſideratio ſimilis eſt neceſſitati accidentis, quam habet ex principijs formalibus. Sicut enim illa accidentia ex neceſſitate principiorum eſſentialium procedunt; ita & actio ex neceſſitate formæ, per quam agens eſt in actu, ſic enim agit, vt actu eſt.* Conſidera prædictam doctrinã: indè enim habes, quòd hoc, quod dico agere, ſeu actio, ſequitur ad formam, qua agens eſt in actu, ſicut proprietates ſequuntur eſſentiam. Ac per hoc habetur, quod ſicut eſſentia per ſe ipſam eſt determinatio ad emanationem proprietatum, ita actus, et forma, per quam agens eſt in actu, eſt per ſe ipſam determinatio ad actionem ab ipſa emanantẽ. Verũ ſimul cũ prædicta doctrina notari debet (id quod ſæpiùs in hoc tractatu diximus) quòd, ſcilicet, actus, ad quem ſequitur actio, qua agens mouet, ſeu agit mouendo aliud, à ſe diſtinctum, non poteſt eſſe ſola forma permanens, quæ ſcilicet nulli ſubſit, ſeu ſit coniuncta motui, ſed indiſpenſabiliter debet includere aliquem motũ proportionatum agenti, quod agendo mouet. Si enim agens corporeum nullo motu corporali moueatur, ſeu non ſit ſub aliquo actu motus corporalis, nullam poteſt habere actionem, qua moueat. Indè vulgatum eſt axioma apud Ariſtotelem, & D. Thomam. Nullum corpus agit, ſeu mouet, niſi per motum. Si autem agens ſit immateriale, ſiue ſimpliciter, vt habentia cognitionem intellectiuam, ſiuè ſecundum quid, vt habentia ſolam cognitionem ſenſitiuam, non eſt ſufficienter in actu ad mouendum, ſiuè ſe, ſiue alia, ſi non ſit ſub aliquo actu motus proportionati ſuæ virtuti, ſcilicet ſub aliqua operatione, ſeu actu cognitionis, vel appetitus, ſiue intellectiui, ſiue ſenſitiui. Motus enim quo mouentur cognoſcentia, vt talia, eſt actus perfecti, puta, operatio, ſiue intellectus, & appetitus intellectualis, ſiue ſenſus, & appetitus ſẽſitiui. Et hinc fit, q̃ ſi prædicta nullo motu ſuæ operationis mouerẽtur, nihil mouere poſſent, vt in Tractatu de illo principio, *omne: quod mouetur, mouetur ab alio*, demonſtrabimus. At verò actus, & forma, ad quam, ſequitur actio, qua agens non mouet, neceſſariò eſt ſola forma permanens, vt patet in actione cœli empyrei, & illuminatione Solis; vt eodem Tractatu probabimus.

Aliud notabile ex doctrina eiuſdem S. Doctoris.

Notabilis doct. S. T. ex qua probatur ipſe tum.

§. XXI.

Qualiter, & per quid in habentibus ſolam cognitionem ſenſitiuam, quæ ſcilicet cognoſcunt, ſed non præſtituunt finem actionibus proprijs, vt bruta animantia, determinatio agentis ad aliquam actionem ſit à cognitione præſtituente finem eidem actioni, ***reſoluitur.***

978

Primũ notabile vel. de conſiderandum.

1 HÆc agentia non præſtituere finem actionibus proprijs; ſed habere illum ſibi præſtitutum ab aliquo intellectu, ſupponimus, demonſtratumq; exiſtimamus à §. D. Inquirimus dumtaxat modum, & principia intrinſeca, quibus, ſecundùm maximam eiuſdem S. D. determinantur ad actiones à cognitione intellectiua præſtituente eiſdem actionibus finem. Et circa hoc cõſiderandum eſt, quòd illud dicimus principium intrinſecum, completè determinans aliquod agens ad actionem aliquam, quo poſito in agente, ſequitur ex neceſſitate, tale agere, niſi impediatur. Supponimus enim principium illud, in quo S. D. quæſt. 22. de veritate art. 6. fundat totam doctrinam talis articuli, inquiens: *Dicẽdum, quòd ex hoc aliquid dicitur eſſe neceſſarium, quod eſt immutabiliter determinatum ad vnum.* Ex quo ſequitur, quòd principium illud, quo poſito in agente, neceſſe eſt, ipſum agere, niſi impediatur, ſit completè determinans ipſum agens ad actionem. Addidi ly *niſi impediatur*; quia ad hoc, vt aliquid ſit neceſſario addictum, & determinatum ad actionem, neceſſitate, & determinatione phyſica, non exigitur, quòd emanatio actionis à tali principio nullo modo poſſit impediri (vt aliqui exiſtimarunt) aliàs eſſentiæ rerum non eſſent determinatæ, per ſeipſas ad proprias paſſiones, quarum emanatio impediri poteſt, ſaltèm per potentiam Dei.

Principiũ intrinſecũ determinans agẽtia ad actiones q̃nam ſit in ſententia S. Tho.

Emanatio actionis à principio intrinſeco determinante impediri poteſt.

Aqua

Digitized by Google

Aqua etiam (& idem dicendum de alijs similibus) non esset ex propria forma, & natura determinata ad emanationem frigiditatis ab ipsa ; nec graue per grauitatem ad emanationem motus deorsum, vtpote quia emanatio frigiditatis ab aqua impediri potest à causa naturali, saltem secundum aliquem gradum peoprium ipsi aquæ, vt patet dum calefit, & lapis impeditur, nè à sua grauitate emanet motus deorsũ, vt patet, dum sursum proijcitur, vel retinetur in manu. Hoc ergo est, quod in prædictis est necessarium, & immutabiliter determinatum ad vnum, nempè quòd, nisi impediatur, ducuntur ex tali principio in determinatas actiones. Ex hoc autem patet, quòd dùm de prædictis agentibus inquirimus principium intrinsecum, quo determinãtur ad actiones, hoc est, quod inuestigamus : quodnam est istud, quo posito in prædictis agentibus, necessario prorumpunt in determinatas actiones. Et hic obiter nota, quòd ex principio S. Doct. nunc relato habetur sensus eiusdem S. Doctoris verbis relatis num. 22. præcedentis § puta *Necessitas agentis, quantùm ad ipsum agere, est similis necessitati accidentis, quam habet ex principijs formalibus.* Hæc enim verba, si cum principio modo relato componantur, hunc sensum reddunt. *Determinatio agentis, quantùm ad ipsum agere, est similis determinationi accidentis, quam habet ex principijs formalibus.* In quo sensu fuerunt à nobis relata.

Nota hãc explicationẽ sententiæ S. Th.

979 2 Secundò considerandum est, quòd quia vnumquodq; agit inquantùm est in actu per formam, ita vt proprium, & per se principium constituens aliquid actiuum, sit forma : oportet, diuersitatem in agentibus esse secundùm diuersitatem, quæ est in formis. Hinc S. D. lib. 2. cont. gen. cap. 47. ratione 3. verbis relatis in hac disp. §. V. ou. 1. ex prædicto principio intulit. *Oportet, quòd secundum modum formæ sit modus operationis consequentis formam.* Qua verò (vt notauimus num. præcedentis §.) formæ, quibus agentia constituuntur in actu, quædam sũt naturales, vt calor in igne; quædam apprehensæ per sensum, vt lupus in æstimatiua ouis ; & quædam apprehensæ per intellectum, vt domus in mente ædificatoris; ideo est, quòd secundùm differentiam inuentam in prædicto triplici formarum genere, oporteat nos inuestigare discrimen agentium circa modũ, quo sunt determinata ad agendum, & ad finem.

Secundũ cõsiderabile.

980 3 Vt autem discrimen agnoscas, quod prædictæ formæ habent ad determinãdum agentia ad actiones, considera discursum S. Doctoris quæst. 6. de Malo ar. vnico in corp. vbi, *Considerandum est* (inquit) *quòd sicut in alijs rebus est aliquod principium proprium actuum, ita in hominibus. Hoc autem actiuum, siue motiuum principium in hominibus propriè est intellectus, & voluntas, vt dicitur in 3. de Anima, quod quidem principium, partim quidem conuenit cum principio actiuo in rebus naturalibus, partim ab eo differt. Conuenit quidem, quia sicut in rebus naturalibus inuenitur forma, quæ est principium actionis, & inclinatio consequens formam, quæ dicitur appetitus naturalis ex quibus sequitur actio: ita in homine inuenitur forma intellectiua & inclinatio voluntatis consequens formam apprehensã, ex quibus sequitur exterior actio. Sed in hoc est differẽtia, quia forma rei naturalis est forma indiuiduata per materiã, vnde, & inclinatio ipsam consequens est determinata ad vnum. Sed forma intellecta est vniuersalis, sub qua multa possunt comprehendi. Vndè cum actus sint in singularibus, in quibus nullum est, quod adæquet potentiam vniuersalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa. Sicut si artifex concipiat formam domus in vniuersali, sub qua comprehenduntur diuersa figura domus, potest voluntas eius inclinari ad hoc, quòd faciat domum quadratam, vel retundam. Principium autem actuum in brutis animalibus medio modo se habet inter vtrumq; Nam forma apprehensa per sensum est indiuidualis, sicut, & forma naturalis ; & ideo ex ea sequitur inclinatio ad vnum actum, sicut in rebus naturalibus ; sed tamen non semper eadem forma recipitur in sensu, sicut in rebus naturalibus : quia ignis semper est calidus ; sed nunc vna, nunc alia, puta, nunc forma delectabilis, nunc tristis. Vnde nunc fugit, nunc prosequitur. In quo conuenit cum principio actiuo humano.*

Ex doct. S. T. explicatur discrimẽ inter formas

981 4 Considerandum 3. quòd in hoc per se primò differunt cognoscentia à non cognoscentibus, quod hæc sunt omninò materialia, ac per hoc sunt determinata ad suum esse naturale; vnde non habent, nisi formas proprias, per quas habent esse. At verò cognoscentia sunt immaterialia secundùm, modũ suæ virtutis cognoscitiuæ, vel scilicet simpliciter, vt intellectualia, vel secundùm quid, vt sensitiua. Suntque propterea naturæ magis amplæ, & indeterminatæ ; vndè & præter formam propriam, qua habent suũ esse naturale, possunt & per suas potentias, quas habent suo modo eleuatas supra materiam, recipere intentionaliter, & suo modo immaterialiter, formas aliarum rerum, per quas fiũt intentionaliter alia, vt adnotat. Ex Aristotele S. D. 1. p. q. 14. ar. 1. in corp. dicens. *Considerandum est, quod cognoscentia à non cognoscentibus in hoc distinguuntur: quia nõ cognoscentia nihil habent,*

Tertiũ cõsiderabile circa discrimen agentiũ habẽtiũ cognitionẽ, & non habentium.

Digitized by Google

bent, nisi formam suam tantum: sed cognoscens natū est habere formā, etiā rei alterius: nam species cogniti est in cognoscente. Vnde manifestum est, quòd natura rei non cognoscētis est magis coarctata & limitata. Natura autem rerum cognoscentium habet maiorem amplitudinem, & extensionem. Propter quod dicit Philosophus 3. De Anima, quòd anima est quodammodo omnia. Coarctatio autē forma est per materiā, &c.

982 5 Quoniam autem potentiæ, virtutes, & inclinationes sunt proportionatę naturis rerum, fit indè, quòd cognoscentia habeant potentias virtutes, & inclinationes ampliores, eleuatiores, & supra modum, quo prædicta habent non cognoscentia. Hæc enim, sicut non habent, nisi formas proprias, quibus habent esse naturale; ita non habent potentiam, virtutem agendi, & inclinationem, nisi secundum suam solam propriam formam. At verò cognoscentia, sicut habent naturam ampliorem per quam, in quantū cognoscentia sunt, possunt recipere formas aliarum rerum, & suo modo per apprehensionem fieri alia intentionaliter: ita habent virtutem agendi ampliorē, inquantum possunt recipere, & apprehendere formas aliorum, & per illas agere: & ita etiam habent appetitum ampliorem, per quem inclinantur secundùm formas apprehensas: & similiter habent potentiam motiuam ampliorē, non determinatam, scilicet ad aliquam differentiam loci, seu ad vnum, per quam possunt mouere secundùm quod apprehendunt.

Potentiæ virtutes, & inclinationes sūt magis amplæ in cognoscentibus, quàm in non cognoscentibus.

983 6 Et ad hoc propositum notari debet discursus. S. Thomæ, quo eadem 1. p. quæst. 80. art. 1. in corpore probat, cognoscentia habere appetitum altiorem, & supra modum appetitus naturalis, inquiens. *Considerandū, quòd quālibet formam sequitur aliqua inclinatio. Sicut ignis ex sua forma inclinatur ad superiorem locum: & ad hoc, quod generet sibi simile: forma autem in his, quæ cognitionem participant, altiori modo inuenitur, quàm, in his quæ cognitione carent. In his enim, quæ cognitione carent, inuenitur tantummodo forma ad vnum esse proprium determinans vnumquodque, quod etiam naturale vnicuiusque est. Hanc igitur formam naturalem sequitur naturalis inclinatio, quæ appetitus naturalis vocatur. In habentibus autem cognitionem sic determinatur vnumquodq; ad proprium esse naturale per formam naturalem, quòd tamen est receptiuum specierum aliarum rerum, sicut sensus recipit species omnium sensibilium, & intellectus omnium intelligibilium. Et sic anima hominis fit omnia quodammodo secundum sensum & intellectum.* (ita legendum est non verò, *scit omnia*) *In quo quodammodo cognitionē habētia ad Dei similitudinē appropinquant, in quo omnia præexistunt, vt Dionysius dicit. Sicut igitur formę altiori modo existunt in habentibus cognitionem, supra modum formarum naturalium: ita oportet, quòd in eis sit inclinatio supra modum inclinationis naturalis; quæ dicitur appetitus naturalis. Et hæc superior inclinatio pertinet ad vim animæ appetitiuam per quam animal appetere potest ea, quæ apprehendit.*

Considerāda doct. S. Th. ad propositū.

7 Oportet ergò, quòd virtus appetitiua bruti sit amplior, & indeterminatior, quā appetitus naturalis. Sicut enim virtus cognoscitiua, seu apprehensiua bruti est ita ampla, vt possit recipere formas omnium sensibilium: ita virtus appetitiua est ita ampla, vt, quantùm est ex se, possit habere motum secundùm omnem differentiam formæ boni, & mali, seu cōuenientis, & nociui, qua sensus ęstimatiuę animalis potest informari. Hinc contingit, quod nunc mouetur motu amoris, nunc odij; nunc gaudij, nunc tristitiæ: nūc spei, nūc desperationis: nūc audacię, nūc timoris, &c. inquantùm modò amat, modò odit: modò gaudet, modò tristatur, modò sperat, modò desperat: modò audet, modò timet, &c. & hoc secundùm quòd sensus eius modò informatur forma, quam apprehendit sibi conuenientem, modò quam apprehendit nociuam, & modò absentē, modò prę sentem, &c. Et hinc fit, quòd si virtus appetitiua animalis consideretur præcisa à iudicio apprehensiuæ, non habeat determinationem ad hunc potius motum, quam ad oppositum. Sicut etiam virtus motiua eiusdē si consideretur secūdum se, & pro vt est præcisa ab aliquo determinato actu appetitus, non est magis determinata ad mouēdum, quàm ad impediendum motum, nec magis ad hunc, quàm ad oppositum motū, vt expresse notauit S. D. quæst. 24. de veritate ar. 2. ad 2. inquiens. *Dicendum, quòd potentia motiua brutorum, secundum se cōsiderata non magis inclinatur ad vnum oppositorum, quàm ad alterum: & sic dicitur quod possunt moueri, & non moueri, &c.*

984 *Virtus appetitiua bruti est amplior q̄ appetitus naturalis. Quantùm est ex se, est ad oppositā, & similiter. virtus motiua.*

8 Quartò aduertendum est, quòd in animali quattuor præcipue actionum species considerare possumus, puta, actiones sensuum externorū, quibus vident, audiunt &c. actiones sensuum internorum, quibus iudicant, seu apprehendunt quædā esse sibi conuenientia, quædam nociua; actiones quibus appetunt, & actiones quibus mouent. Et de omnibus his potest fieri inquisitio, per quid potentiæ animalium determinantur ad actiones.

985 *Quartum aduertendum.*

Reso-

Resolutio dubij duobus dictis.

986 9 His consideratis, dicendum est primò: quòd bruta quantùm ad virtutem motiuam determinantur ad actiones proximè per actum virtutis appetitiuæ: sed quantùm ad appetitiuam determinantur ad actiones appetendi per actum virtutis apprehensiuæ, quo iudicant de conuenientibus, & nociuis, seu per formam apprehensam alicuius conuenientis, vel nociui. Quantùm vero ad virtutem iudicatiuā, partim per species ab exterioribus immissas, seu etiam motas; partim ex propria natura talis virtutis apprehensiuæ. Denique quantùm ad actiones externorum sensuum per species sensibiliū, sibi ab ipsismet sensibilibus impressas.

In brutis virtus motiua determinatur p actū appetitiuæ, & hæc p actū iudicij, & determinatum est à natura.

987 10 Dicendum est secundò, quòd determinatio brutorū ad proprias actiones procedit proximè, vt a præstituente finem actionibus eorundem, à cognitione Intelligentiæ mouentis cælos. Et hoc inquantùm Intelligentia præconcipiens finem actioni cuiuslibet bruti, infert eisdem brutis per motum cæli formas naturales, ad quas sequitur virtus apprehensiua, seu æstimatiua, & iudicatiua, talis naturæ, vt mota ab exterioribus occurrētibus, & proprijs passionibus, ac etiā ab ijs, quę eisdem agentibus imprimuntur per ipsummet motum cæli, prorumpant in aliquod determinatum iudicium, quo de ijs, quæ sibi repręsentantur, iudicāt, esse sibi conuenientia, vel nociua, seu quo apprehēdūt particularia bona, vel mala: quòd iudicium appellatur instinctus naturæ. Ita quod principium, quo determinantur bruta ad actiones appetendi, & eis mediantibus ad actiones mouendi, fit prædictus actualis instinctus, seu forma apprehensa tali instinctu, seu etiam dictamen naturale, quo iudicant quid, & quomodò hic, & nunc in singulari sit ipsis agendum.

Bruta determinantur proximè vt à præstituēte finē actionibus ab intellectu Intelligētia.

Probatur primum dictum.

988 11 Et quidem primū dictum, quantùm ad priorem partem, qua asserimus, virtutē motiuam brutorū determinari ad actiones proximè per actum appetitus eorundem, probat Aristoteles 9. metaphy. tex. 10. apud D. Tho. lec. 4. cuius doctrinæ meminimus disp. 1. §. 10. num. 14. & disp. præsenti §. 11. num. 28. Est enim virtus motiua brutorum potentia actiua rationalis, quæ scilicet, quantùm in se est, se habet ad oppositа, vt patet ex verbis S. D. proximè relatis num. 7. huius §. probat autem prædicto loco Aristoteles, quòd potētia actiua rationalis prodit in actum agendi inquātùm determinatur ad vnū per actū appetitus, puta desiderij, vt in brutis, vel electionis, seu proærēsis, vt in hominibus, & sic habet secundum Versionem Bessarionis quæ est clarior. *Necesse est igitur aliud quiddam esse, quod dominetur; dico autem, siue appetitum, siue electionem, quodcumq; enim appetat, principaliter hoc faciet cum quoad possit approximet passiuo.* Quæ verbā sic explicat S. D. *Ostendit, per quid potentia rationalis reducatur in actum cōcludēs ex dictis, quòd cum potentia rationalis se habeat communiter ad duo contraria, & ita cum à causa communi non procedat effectus determinatus; nisi sit aliquid propriū, quod causam communem ad hunc effectum magis determinet, quàm ad alium; sequitur, quòd necesse est, præter potentiam rationalem, quæ est communis ad duo contraria, poni aliquid, quod appropriet eam ad alterū faciendum, ad hoc, quod exeat in actum. Hoc autem est appetitus, aut proæresis, id est electio quorumcunque, id est electio quæ pertinet ad rationem. Quod enim aliquis desiderat, hoc facit.* Et expresè loquens de potentia motiua animalium eandem doctrinam habet S. D. lib. 2. Physico. lec. 8. verbis relatis disp. 1. §. 1. num. 2. inquiens. *Sicut potentia motiua, quæ est ad vtrumlibet nō exit in actum, nisi per potentiam appetitiuam determinetur ad vnum. Ita nihil, quod est ad vtrumlibet, exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad vnum.*

Afferūtur loca S. D. pro priori dicto.

12 Quantùm verò ad secundam partē, qua asserimus, virtutem appetitiuam determinari ad actionem determinatam appetēdi per actum iudicij virtutis apprehensiuæ, constare potest per hoc, quod in brutis animalibus eadem necessitate sequitur determinatus actus virtutis appetitiuæ ad actum virtutis apprehensiuæ, seu formam apprehēsam, qua determinata actio mouendi sequitur ad actum virtutis appetitiuæ. Vnde sicut virtus motiua necessariò mouet secundùm quod desiderat animal, si tamen non impediatur: ita virtus appetitiua necessariò appetit secundū quod animal apprehendit. Et ita fit, vt sicut virtus motiua, quæ se habet ad vtrumlibet, determinatur per actum virtutis appetitiuæ, ita virtus appetitiua, quæ etiam se habet ad actus oppositos, vt notauimus in hoc §. num. 7. per determinatum iudicium apprehensiuæ. Et notanda sūt ad hoc propositum verba S. Doctoris de veritate q. 24. ar. 2. in corpore quibus ait. *Bruta habent quandam similitudinem rationis, inquantum participant quandam prudentiam naturalem secundùm quod natura inferior attingit aliqualiter ad id, quod est naturæ superioris. Quæ quidem similitudo est secundùm quod habent iudicium ordinatum de aliquibus, sed hoc iudicium*

989 *Probatur secunda pars prioris dicti.*

Loca S. D. ad propositum.

est eis ex naturali æstimatione, non ex aliqua collatione, cum ratione sui iudicij ignorent; propter quod huiusmodi iudicium non se extendit ad omnia, sicut iudicium rationis, sed ad quædam determinata. Et similiter est in eis quædam similitudo liberi arbitrij, inquantùm possunt agere, vel non agere vnum, & idem secundùm suum iudicium, vt sic sit in eis quasi quædã conditionata libertas; possunt enim agere, si iudicant esse agendum, vel non agere, si non iudicent. Sed quia iudicium eorum est determinatum ad vnum; per consequens, & appetitus, & actio ad vnum determinantur. Vnde secundũ Augustinũ 11. super Genesim ad literã mouentur visis; & secundùm Damascenum, aguntur passionibus: quia scilicet naturaliter de tali visu, & de tali passione sic iudicãt, vnde necesse habent ab ipsa visione alicuius rei, vel à passione insurgente, moueri ad fugiendum, vel prosequendum. Sicut ouis, viso lupo necesse habet timere, & fugere: et canis, insurgẽte passione iræ, necesse habet latrare, & prosequi ad nocendũ. Et quæst. 25. sequẽti ar. 1. in corp. inquit. *Appetitus sensitiuus nõ habet necessitatem in rem aliquam antequã apprehendatur sub ratione delectabilis, vel vtilis, sed apprehenso, quòd est delectabile, de necessitate fertur in illud &c.*

990 13 In quibus, vt vides, docet, quòd licèt bruta possint agere, & nõ agere, seu appetere & nõ appetere vnum, & idẽ secundum suum iudicium, attamen si iudicant, necesse habẽt appetere, & si appetunt, necesse habent agere, & quia iudicium eorũ est determinatum ad vnum, ideo appetitus, & actio ad vnum determinantur. Appetitus ergo determinatur per iudiciũ, sicut, & actio per appetitum. Iudicium verò eorundem est determinatum à natura, inquantùm, visis rebus, & insurgentibus passionibus, sic naturaliter iudicant.

991 14 Et quantùm ad hoc posuimus tertiã partẽ in nostro primo dicto, qua asseruimus, quòd bruta, quantùm ad vim iudicatiuam determinantur partim ex ipsa natura talis virtutis, partim ex speciebus ab obiectis occurrentibus habitis, & internis motibus, quibus mouentur ad ferendum: seu excitandum iudicium naturale. Debemus enim considerare in sensu interno animalis duo inter alia, puta, species receptas, & ad se trãmissas & in memoria conseruatas rerum sensibiliũ; & secundo proprietatem talis virtutis, quam habet, vt per tales species erũpat in tale determinatum iudiciũ circa ea, quæ pertinent ad propriam speciem. Vnde virtus iudicatiua aranææ ex speciebus receptis habet artem, & iudicium ad texendam telam, in quod non prorumpit ex suis speciebus sensibilibus vis æstimatiua apis, cuius est proprium, vt ex suis speciebus prorumpat in iudicium conficiendi fauos; sic est proprium virtutis æstimatiuæ hirundinis prorumpere in iudiciũ conficiendi nidum: ouis verò, viso lupo accedente, est proprium, ipsum iudicare inimicum, & tunc esse fugiendum; contrà verò, viso lupo recedente, habet iudicare, tunc esse quiescendum, & viso cane, habet iudicare, ipsum esse defensorem, illiq; se esse adhærendam, &c. Dicimus modò in nostra conclusione, quòd virtus æstimatiua brutorum quantum ad proprietatem iudicãdi est determinata à natura, sicut lapis, per grauitatem ad motum deorsum, & quòd ad hoc, vt in prędictum iudicium naturale prorũpat indiget speciebus exteriorum rerum, quibus fiat, & informetur in actu: quibus positis, prorumpit ex necessitate suæ propriæ naturæ in actionem iudicandi, illo simili modo, quo, dum informatur lapis grauitate, prorumpit in motum deorsum, estq; ad talem motum determinatus. Hinc S. D. quæst. 24. de veritate ar. 1. in corpo. concludit, dicens. *Vnde rectè consideranti apparet, vt per quem modum attribuitur motus, & actio corporibus naturalibus inanimatis, per eundem modum attribuitur brutis animalibus iudicium de agendis.* lib. aũt 2. contra gent. cap. 47. ratione 3. sic habet. *In animalibus brutis forma sensata, vel imaginata mouentes nõ sunt adinuicta ab ipsis animalibus brutis, sed sunt recepta in eis ab exterioribus sensibilibus, quæ in sensum agunt, & diiudicant per naturalem æstimationem. Vnde, licèt quodãmodo dicantur mouere seipsa, inquãtùm eorum vna pars est mouens, & alia mota: tamen ipsum mouere non est eis ex seipsis; sed partim ex exterioribus sensatis, & partim à natura. Inquantùm enim appetitus mouet membra, dicuntur seipsa mouere: quod habent supra inanimata & plãtas. Inquantùm verò ipsũ appetere sequitur de necessitate in eis ex formis acceptis per sensum, & iudicium naturalis æstimationis, non sibi sunt causa, quòd mouentur, &c.* Loca S. T.

992 15 Ex quibus apparet, quòd virtus æstimatiua brutorum est determinata ad vnum inquantùm habet ex conditione suæ naturæ, quod informata, & facta in actu speciebus sensibilium, ex necessitate prorumpat in tale determinatum iudicium. Vnde, suppositа determinatione naturæ, per hoc ipsum completè determinatur ad actionem determinatam; quod informatur aliqua determinata specie sensibilium, qua posità, ex necessitate prorumpit in determinatum iudicium. Et notanda est doctrina S. D. quam habet lib. 2. cont. gent. cap. 30. vbi post verba relata §. præcedenti num. 22. quibus docet, *quòd necessitas agentis*, ideſt, (vt in primo notabili huius §. aduertimus) determinatio *agentis quantùm ad ipsum agere est*

Probatur tertia pars primi dicti duobus cõsideratis circa sensũ internum animalis.

Concluditur intẽtũ adductis locis S. D.

Digitized by Google

est similis necessitati accidentis ; quam habet ex principijs formalibus. Sicut enim alia accidentia ex necessitate principiorum essentialium procedunt, ita & actio ex necessitate formæ, per quam agens est in actu. Sic subiungit : *Differenter tamen hoc accidit in actione, quæ in ipso agente manet, sicut intelligere, & velle : & in actione, quæ in alterum transit, sicut calefacere. Nam in primo genere actionis sequitur ex forma, per quam agens sit in actu, necessitas actionis ipsius, quia ad eius esse nihil extrinsecum requiritur, in quod actio terminetur. Cùm enim sensus fuerit factus in actu per speciem sensibilem, necesse est sentire, &c.* Suppositâ ergo naturali determinatione, sensus æstimatiuæ ad iudicandum, per hoc talis sensus completè determinatur, seu ex necessitate inducitur in determinatã actionem iudicandi, quòd informatur aliqua specie sensibilium, ad quam, vt actu informantem talem sensum, sequitur necessitas talis actionis. Dixi, *vt actu informantem talem sensum*, vt designarem, non sufficere ad cõsecutionem actionis, informationem habitualem, & prout species retinentur habitualiter in memoria, sed requiri actualem, vt optimè adnotat Ferrariensis ad verba præcitata ex D. Th. lib. 2. con. gen. cap. 20. Ad actualem autem requiritur excitatio quædam specierum, proueniens in animalibus brutis, vel ex aliqua sensatione exteriorum sensuum, vel commotione humorum, vel impressione aliqua cœlestium corporum in ipsum sensum internum. Denique ex dictis remanet probata quarta pars eiusdem primi dicti, nempe, quòd sensus externi determinãtur ad actiones per species sibi impressas ab exterioribus sensibilibus.

Necessitas actionis immanẽtis ex actuali informatione.

Probatur secundum dictum.

993 16 DIctum verò secundum, quo, scilicet dicimus, determinationem brutorum ad particulares actiones procedere proximè, vt à præstituente finem eisdem actionibus, à cognitione Intelligentiæ mouentis cœlos, euidenter deducitur ex dictis in resolutione præcedentis §. Virtutes enim sensitiuæ, siue apprehensiuæ, siue appetitiuæ, sunt affixæ determinatis organis corporalibus, in quæ agunt cœlestia corpora per suum motum. Formæ etiam purè sẽsitiuæ educũtur de potẽtia materiæ ab agẽtibus naturalibus per alterationem, & motum procedentem à motu eorundem cœlestium corporum. Probauimus autem in dicta resolutione §. præcedentis, quòd Intelligentia mouens cœlos, hoc ipso, quod est intellectualis, agit propter finem à se intentũ, ac per hoc ordinat in finem motum corporum cœlestium, quæ ipsa Intelligentia mouet per se ; & ex consequenti etiam ordinat in finem omnes motus, & actiones, quos per motum habent inferiora agentia, vt infert S. Thomas verbis relatis § præcedenti n. 3. illis, scilicet. *Quia omne, quod mouetur ab aliquo per se, & non per accidens, dirigitur ab eo in finem sui motus. Corpus autem cœleste mouetur à substantia intellectuali, & causat per sui motum omnes motus in istis inferioribus : necesse est, quòd corpus cœleste dirigatur in finem sui motus per substantiã intellectualem, & per consequens inferiora corpora in proprios fines.* Cùm ergò corpora animata anima sensitiua sint ex istis, quæ causantur à motu cœlestium corporum ; fit indè, quod actiones horum animatorum sint ordinatæ in finem, seu habeant præstitutum finem ab Intelligentia mouente cœlos. Oportet ergò, quòd determinatio horum agentium ad particulares actiones procedat proximè, vt à præstituẽte finem actionibus, à cognitione Intelligẽtiæ. Et dico, *proximè*, vt dicta resolutione admonũi, quia nullus datur intellectus Intelligentia mouente cœlos inferior, à quo, per se loquendo, dirigatur in finem instinctus naturalis animalium.

Actiones brutorũ habere præstitutũ finẽ à cognitione Intelligẽtiæ mouentis cœlos probatur.

17 Et dico *per se loquendo*. Nam loquor de fine, in quem per se ordinatur naturalis instinctus animalium, vt est ex motu cœlestiũ corporum. Suppono enim, dari angelos immediatè agentes aliquos effectus circa hæc inferiora corpora, vt docet S. Doctor 1. p. q. 113. art. 2. in fine corp. dicens : *Probabile est, quòd diuersis speciebus rerum diuersi Angeli eiusdem ordinis deputentur.* Pertinet autem ad hos angelos gubernare tales species immediatè circa aliquos effectus diuersos ab illis, ad quos ordinatur gubernatio Intelligẽtiæ mouentis cœlos, quæ motu cœli mediante, gubernat omnia hæc inferiora & inter ea, animalia per instinctum naturæ in suum finem naturalem, vt docet idem S. Doct. eade 1. p. quæst. 110. ar. 1. ad. 2. vbi postquam posuit opinionem Aristotelis, existimantis, Intelligentias solùm præsidere immediatè cœlestibus corporibus, quæ mouent, nullamq; esse, quæ immediatè habeat actionem circa hæc inferiora, sic subiungit. *Non posuit* Aristoteles, *quòd essent aliquæ substantiæ spirituales, quæ haberent immediatam præsidentiam supra inferiora corpora, nisi fortè animas humanas. Et hoc ideo, quia non considerauit, aliquas operationes in inferioribus corporibus exerceri, nisi naturales, ad quas sufficit motus corporum cœlestium. Sed quia nos ponimus multa in corporibus inferioribus fieri præter naturales actiones corporum, ad quæ non sufficiunt virtutes cœlestium corporum ; ideo*

994 *Dantur angeli mouẽtes hæc inferiora corpora.*

Testimoniũ D. T.

Digitized by Google

secundùm nos necesse est ponere, quòd angeli habeant immediatam præsidentiam, non solùm circa cœlestia corpora, sed etiam supra corpora inferiora.

995 18 Licèt ergò dentur angeli præsidentes immediatè his corporibus inferioribus, non tamen prædicti angeli sunt subordinati in agendo Intelligentijs, prout agunt in hæc inferiora per motum cœli; cum angeli non possint subordinari corporibus: & insuper non eos, quos Intelligentiæ per motum cœli; sed alios effectus agant. Ac per hoc intellectus, mouens cœlos, qui per instinctum naturæ ordinat hæc inferiora in suum finem naturalem, non habet, quantùm ad hunc effectum, alium intellectum inferiorem, sibi subordinatum ad agendum. Habet tamen superiorem, à quo habet virtutem, & artem mouendi cœlos, & vlteriùs, motum intellectus, & voluntatis, quibus in actu mouet. Et hic, ad quem vltimatè oportet deuenire, est intellectus supremus, puta diuinus, à quo, vt à primo motore, est omnis motus, & omnis dispositio, & ordinatio in finem.

Angeli mouentes immediatè hæc inferiora nõ subordinãtur Intelligẽtijs mouẽtibus cœlos.

996 19 Et dico: *Ad quem vltimatè*, &c. Quia probabile est, quòd angeli mouentes cœlos sint ministri angelorum superiorum ordinũ, moueantq; cœlos iuxta dispositionem sibi præscriptam, intimatam, & mandatam à superiori eis communicante aliquid suæ virtutis. Supponimus enim in angelis esse ordinem perfectissimum: & quòd angeli immediatè exequentes actiones circa corpora, sint ministri angelorum superiorum ordinũ, per quos descendit ad eos diuinum mandatum, agendorumq; præscriptum. Ordo autẽ Angelorum, ad quos spectat disponere de agendis circa hæc inferiora, suamq; dispositionem intimare, & ordinare inferioribus ministris executoribus, est ordo Dominationum, qui est primus secundæ hierarchiæ vt S. Doctor docet ex Dionysio 1. p. q. 112. art. 4. ad 1. inquiens. *Dicendum, quòd Dominationes computantur quidem inter angelos ministrantes, non sicut exequentes ministerium; sed sicut disponentes, & mãdantes quid per alios fieri debeat. Sicut architectores in artificijs nihil manu operantur; sed solùm disponunt, & præcipiunt, quid alij debeant operari.* Et idem habet in 2. dist. 9. quæst. 1. art. 3. in corp. & dist. 10. q. 1. art. 3. in corp. & ad 1.

Intelligentias mouẽtes cælos esse subordinatas alijs Intelligẽtijs superioribus est probabile secundũ sententiam S. T.

997 20 Et licet verum sit, loqui S. Thom. de ministerio angelorum, quo dicuntur *in ministerium missi propter eos, qui hæreditatẽ capiunt salutis*: & sic ministratio facta per motum cœli, quæ (vt docet S. D. q. 5. de Potentia art. 5. in corp.) deseruit ad naturalem multiplicationem animarum, sit præintellecta ministerio ad acquirendam eisdem animabus hæreditatem salutis. Ac per hoc posset quis æstimare, ministerium factum per motum cœli non esse inclusum in eo, quod Dominationes disponunt, & mandant inferioribus ministris; eiseq, dispositum immediatè à Deo. Attamen, quia nullum sequitur inconueniens, quin immo maximè consonet ordini inuento in familia ipsiusmet sapientiæ ordinantis omnia; si etiã in ministerio mouendi cœlos subordinationem ponamus, sicut & in alijs ministerijs: ideo conuenientiùs dicitur, quòd motrices Intelligentiæ, quæ sunt immediatè exequentes operationem suam circa corpora, sint subordinatæ, & subiectæ alijs superioribus, quæ non exequuntur immediatè, sed solùm disponunt, & mandant, vt docet de Dominationibus S. D. Maximè cum id consonet dictis Philosophorum gẽtilium, lumine ipso naturali ductorum, vt aduertit S. D. in 2. dist. 10. quæst. vnica ar. 2. in fine corp. Vbi postquam docuit ex Dionysio, angelos superiores nunquam habere immediatum ministerium circa corpora, idq; probauit tribus rationibus sic concludit. *Et ideo executio diuinorum ministeriorum pertinet ad inferiores angelos. Et hæc est causa, quare Philosophi posuerunt duplices motores orbium, scilicet, quosdam coniunctos, quos vocabant orbium animas, quorum conceptiones sunt determinatæ, & particularizatæ, & hos, etiam Auicenna dicit angelos ministrantes. Alios verò separatos, quos Intelligentias dicunt, in quibus sunt formæ simplices, & vniuersales. & hos dicit angelos esse assistentes. Vnde patet, quòd hæc positio rationabilior est: tum quia Dionysius hoc tradit, qui discipulus Pauli fuit, & dicitur eius visiones scripsisse*, &c. *tum etiam quia dictis Philosophorum magis consonat, vt ex eis ea, quæ contra fidem non sunt accipiamus, alijs resecatis.* Sic S. Doct. In quibus, vt vides, videtur acceptare, vt rationabiliorẽ, opinionem Philosophorum ponentium angelos immediatè mouentes cœlos, esse ministros subordinatos alijs superioribus angelis. Sed sint hæc obiter dicta, vt quoquomodo sciatur, qualiter per intermedias causas debet fieri ascensus ad primum mouens immobile. Redeamus ad rem.

Confirmãtur prædicta alio vtì dendi ori loco S. Doct.

§. XXII.

Explicatur modus, & per quid, agentia, in quibus est cognitio præstituens finem suis proprijs actionibus, determinantur ad easdem actiones à sua propria cognitione.

998 1 AGentia hæc (vt sæpiùs supra ex S. Doctore diximus) sunt sola intellectualia, in quibus solis inuenitur arbitrũ de agendis liberum; vndè dicuntur esse liberi

Intellectualia habent actiones, & naturales, & liberas.

liberi arbitrij. Conſiderari autem debet circa prædicta agentia, quòd in eis, (etiam conſideratis præcisè, ſecundùm quod intellectualia ſunt) inueniuntur quædam operationes, ad quas ſunt determinata per naturam; quædam verò, ad quas per ipſam naturam determinationem non habent. Priores appellamus naturales; poſteriores verò poſſunt eſſe liberæ. Porrò talia agentia quas habent potentias operatiuas, ſcilicet intellectum, & voluntatē; & vtraq; habet & operationes, ad quas eſt ex ſua natura determinata, & ad quas talem determinationē non habet. Patet hoc in voluntate, & intellectu hominis, qui inter intellectualia infimum locum tenet. Nam intellectus noſter quædam cognoſcit per inuentionē, & diſcurſum; quædā verò ſtatim ac informatur ſpeciebus terminorum; vt in intellectu ſpeculatiuo (cuius prima apprehenſio ex ei, qua informatur ſpeciebus ab intellectu agēte, eſt ens) ſe habet, quodlibet eſt, vel non eſt: & impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe; & in intellectu operatiuo (cuius prima apprehēſio eſt, bonum, & malum) ſe habet, bonum eſt appetendum, malum vitandum. Ad has autem veritates, ſiue ſpeculatiuas, ſiue practicas cognoſcendas, eſt determinatus intellectus humanus à natura, per habitus, ſcilicet, naturales primorum principiorum, puta intellectū, & ſynderesim. Ad illas verò cognitiones, ſiue ſpeculabilium, ſiue agibilium, quas per inuentriam ſui diſcurſus acquirit non habet intellectus noſter ſimilem determinationē à natura. Et licet in ordine ad aliquas ſpeculatiuas ſit virtualiter, & mediatè determinatus, inquantùm ex vi principiorum naturalium, ad quæ eſt determinatus, poteſt ex neceſſitate duci in aſſenſum cōcluſionum demonſtrabilium; in ordine tamen ad veritates cōtingentes, quales ſunt omnes concluſiones de ſingularibus agibilibus, quæ inueniuntur per diſcurſum conſilij, nullus intellectus, nec ſpeculatiuus, nec practicus habet determinationem. Quoniam concluſiones contingentes non habent neceſſariam connexionem cum principijs naturaliter notis. Ex quo fit, quòd intellectus non eſt determinatus ad eas ex vi prædictorum principiorum, & ſic nec formaliter, & immediatè, nec virtualiter, & mediatè eſt determinatus ad eas.

Intellectus eſt determinatus ad prima principia. & eis mediantibus ad cōcluſiones neceſſarias.

Ad cōcluſiones contingentes intellectus noſter nullam habet determinationem.

999 2 Voluntas etiam noſtra eſt determinata à natura in ſuum proprium obiectum, puta, bonum, ſic in communi ſumptum, ſeu bonum completum, & fœlicitatem propriā, quæ habet rationem finis vltimi: ac per hoc in actum hunc, quo bonum completum, ſeu fœlicitatem propriam diligit, ex neceſſitate ſuæ propriæ naturæ prorumpit, ſuppoſita apprehenſione prædicti boni, & fœlicitatis: vnde non poteſt ire contra hæc principia, bonum eſt appetendū, & malum vitandum. Et licet exercitium appetendi fœlicitatem non ſit neceſſarium in nobis; attamen hoc ideo eſt, quia intellectus noſter non ſemper cogitat de tali bono, ipſumq; exercitium cogitandi eſt quoddam particulare bonum, circa quod non habet voluntas noſtra neceſſitatem. Suppoſita verò cognitione fœlicitatis, ex vi ſuæ propriæ naturæ voluntas prorumpit in motū diligendi, ſeu appetendi illam. Præterea habet noſtra voluntas alios actus circa ſingularia agibilia, de quibus eſt conſilium rationis, in ordine ad quos nullam habet determinationem: & tamen non poteſt in illos exire, niſi ſit in eoſdem determinata. Hoc ergò eſt, quod nunc explicādum proponitur, nempe, modus, & per quid voluntas, quæ nō eſt determinata ad actiones, quibus tendit in agibilia contingentia, determinatur ad illas: ſuaq; determinatio procedit à cognitione præſtituente finem actioni: vt ita de voluntate noſtra verificetur maxima illa S. Doctoris. *Determinatio agentis ad aliquam actionem, oportet, quòd ſit ab aliqua cognitione præſtituente finem actioni.*

Quæſtio reſolunda quæ ſit.

1000 3 Eadem petitio procedit in angelis, & Deo. Habet enim tam voluntas angelica, quàm diuina, volitionē naturalem, ad quam eſt ex ſua natura determinata, & alias, in ordine ad quas nullam habet ex ſua natura determinationem.

Eadē quæſtio procedit in angelis, & Deo.

Hinc voluntas diuina diligit diuinam bonitatem (cui eſt per ſeipſam, nō ſolùm vnita, ſed vnū) determinata ex ſua propria natura in tale obiectum: diligit etiam creaturas, quas ſua dilectione perducit ad eſſe: ſed in ordine ad eas nullam habet determinationem ex ſua natura. Similiter voluntas angeli diligit ſuam naturalem fœlicitatem naturaliter, & determinata in talem actionem, etiam quantùm ad exercitium actus, ex ſua natura: habet deinde multas alias volitiones, in ordine ad quas nullam habet ex ſua natura determinationem, & conſequenter eſt in ordine ad illas ad vtrumlibet; vnde & in eas exire non poteſt, niſi determinata ad eaſdem ab aliqua cognitione præſtituente eiſdem actionibus finem. Hoc ergo eſt nunc etiam explicandum, puta, modus, & per quid voluntas (ſiue angelica ſit, ſiue diuina,) in ordine ad illa obiecta, ad quæ nullam habet determinationem à natura, recipit determinationem ad proſequendum, vel fugiendum per ſuam actionem prædicta obiecta.

Voluntas habet motus in quos eſt determinata p naturam, & motus, in quos non eſt determinata.

Reſolutio difficultatis.

2001 4 AD quod dicendum eſt, vt diximus in hac diſp. §. 6. num 4. quòd, ſcilicet, id quo, vt principio intrinſeco,

&

& vt à forma, ad quam sequitur particularis actio libera, determinatur voluntas agentis, per voluntatem (quodcumq; illud sit, siue creatum, siue increatum) est forma apprehensa de singularibus agẽdis, inuenta, & excogitata per collationem intellectus ipsiusmet agentis; quam, scilicet, ipsum agens cõferendo agẽda ad finem, & applicando vniuersalem rationem finis (saltem virtualiter & mediatè) eisdem singularibus agendis, excogitat & inuenit, dum facta tali collatione, & applicatione, pronunciat vt iudex, ad quem spectat decisio causæ, vltimatam sententiam sui iudicij, qua diffinit, talem actionem hic, & nunc, esse agendam ad finem intentum à suamet voluntate. Ista enim cognitio est, qua præstituitur actioni sententiatæ finis. Merito etiam huius cognitiònis dicitur causata, & inuenta ab eodem agente forma apprehensa singularis agibilis, ad quã per realem, & physicam consequentiam sequitur actio libera voluntatis eiusdẽ agentis, illo simili modo, quo ad formam naturalem sequitur actio naturalis. Ista q; forma est, quæ ita determinat voluntatem, vt sit etiã semper sub potestate, & dominio eiusdem voluntatis, quomodo etiam est sub eodem dominio, & potestate iudicium ipsum, quo talis forma apprehenditur. *Non enim posset esse in homine libertas arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, vt ex proprio iudicio eligeret hoc, aut illud*, inquit D. Thom. in 2. dist. 25 S. quæst. 1. ar. 1. in corp. Et insuper. *Si iudicium cognitionis non sit in potestate alicuius, sed sit aliunde determinatum, nec appetitus erit in potestate eius, & per consequens nec motus, nec operatio absolutè*, vt inquit S. Doctor quæst. 24. de veritate art. 2. in corp. Ex quo est, quod proximum mouens voluntatẽ, eamq; ad suas actiones liberas determinans per modum agentis principalis proximi, habentis dominium, & principatum supra easdem actiones, est ipsamet voluntas, vt volẽs finem; id verò quo ad se determinandum vsitur, vt instrumento, ministroq; coniuncto, qui est deputatus ad inseruiendum eidẽ voluntati tanquam iudex, quo mediante profert sententiam de proprijs actionibus, easq; ordinat, & addicit ad finem volitum, est intellectus, vt habens armarium legum vniuersalium de agibilibus per eandem voluntatem, & vt habens virtutem collatiuam, secundum quam potest applicare leges vniuersales singularibus agibilibus occurrentibus; & sic inuenire quid sit agendum, & per suam sententiam decidere quæstionem, qua ipsa voluntas de proprijs actionibus inquirit: an sint, vel non sint agendæ: & an hæ, vel illæ conueniant, vel repugnent fini.

Loca S. D. valde notanda, in quibus resolutio fundatur.

Voluntas mouet, & determinat seipsã per modũ agentis principalis proximi.

Aduertendum primum.

1002 Circa prædictã resolutionem aduerte primò illa verba: *inuenta, & excogitata per collationẽ intellectus ipsiusmet agentis*. Merito enim ea addidimus. Datur quippè duplex modus formæ apprehensæ de singularibus agendis. Nam quædam est inuenta, & excogitata per industriam ipsiusmet potentiæ apprehensiuæ, prout conferendo agenda ad finem, & ea commensurando per regulam agendorum, puta, per rationem finis, inuenit quid sit agendum. Quod quidem intellectus noster facit per discursum consilij, & syllogizando de vno in aliud. Sicut enim per principia vniuersalia naturaliter nota, spectantia ad habitum intellectus, suo discursu inuenit cõclusiones speculatiuas, & sic acquirit per inuentionem scientias speculatiuas; ita per principia naturaliter nota pertinentia ad habitum synderesis inuenit conclusiones de agibilibus, & acquirit vel per rectum discursum habitus spectantes ad prudentiam, seu rectam rationem agibilium, vel per malum discursum habitus spectantes ad vicia opposita prudentiæ, seu ad peruersam rationem, & dictamen agibilium: sicut etiam acquirit artes, spectantes ad rectam rationem factibilium. Quædam verò forma apprehensa de singularibus agendis non est inuenta per collationem, & industriam ipsiusmet potentiæ apprehensiuæ; sed vel est ei dictata, & impressa ab auctore naturæ, vel alio exteriori agente per absolutam repræsentationem. Sic est forma apprehensa de singulari operabili, quam habent bruta. Ipsa enim in iudicando de singulari operabili occurrẽte, non cõferunt, nec inquirunt quid sibi in tali casu agendum sit, sed habent iudiciũ dictatum à natura, & inde est, quod omnia eiusdem speciei eodem modo operantur, quia scilicet omnia eiusdẽ speciei iudicant vnum in eodem casu, iudicio dictato ab ipsa natura, quæ est vna in omnibus. Hinc S. Doctor loco citato de veritate explicans conditionem iudicij bruti, sic inquit: *Bruta habent quandam similitudinem rationis, inquantùm participant quandam prudentiam naturalem*, &c. *Quæ quidem similitudo est secundùm quod habent iudicium ordinatum de aliquibus; sed hoc iudicium est eis ex naturali æstimatione, non ex aliqua collatione; cum rationem sui iudicij ignorent.* 1003

Explicatur qualiter datur duplex modus formæ apprehẽsę, puta inuẽta per collationẽ, & indita, seu habita per cognitionẽ absolutã.

Modus apprehẽdẽdi brutorũ explicatur.

Loc. S. T.

6 Similes apprehensiones habet etiam homo, dum sine collatione, & discursu, sed per absolutam cognitionem aliquid apprehendit esse sibi conueniens, vel nociuum; vt contingit in actibus repentinis, & quibusdã velleitatibus naturalibus: puta, cum ad su-

bitam

bitam repræsentationem, qua apprehēduntur delectationes venereæ vt quid conueniens, sequitur motus sensualitatis in eas, & cum apprehendimus aliquid, vt indecorum nobis, verecundamur, vt notat S. Thomas in 2. dist. 24. q. 3. ar. 1. in corp. Et potest ad hoc propositum notari doctrina S. D. qua in 3. dist. 17. q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. ad primum explicans distinctionem illam, secundùm quam solet dici, quòd in nobis est quędam voluntas naturalis, tendens, scilicet, per modum naturæ in aliquod apprehensum, quæ à Damasceno appellatur *thelesis*; & quædam voluntas rationalis, tendens, scilicet, in obiectum ex ordine rationis, seu deliberatè, quæ à Damasceno appellatur *Bulisis* sic habet. *Thelesis secundum Damascenum est voluntas naturalis, qua scilicet, per modū naturæ mouetur in aliquid secundùm bonitatem absolutam*, &c. *Bulisis autem est appetitus rationalis, qui mouetur in aliquod bonum ex ordine rationis: & hæc duo à Magistro alijs nominibus dicuntur, voluntas vt natura, & voluntas vt ratio. Secundùm qua tamen non diuersificatur potentia voluntatis. Quia diuersitas ista est ex eo, quod mouetur in aliquod sine collatione vel cum collatione. Conferre autem non est per se voluntatis, sed rationis. Vnde ista diuisio voluntatis non est per essentialia, sed per accidentalia. Et propter hoc non sunt duæ potentiæ, sed vna, differens secundùm respectum ipsius ad apprehensionem, quæ potest esse cum collatione, vel sine collatione.* In quibus, vt vides, docet; quòd per hoc differt voluntas tendens in aliquid per modum naturæ, à se ipsa, prout tendit in aliquid secundum ordinem rationis, quòd ad illam præcedit apprehensio sine collatione; ad istam verò cum collatione. Voluimus ergò illis verbis nostræ resolutionis significare, quòd forma apprehensa, qua determinatur voluntas ad actiones liberas, non potest esse ex illis dictatis à natura, seu etiam apprehensis sine collatione; sed solùm ex istis, quæ per collationē rationis inueniuntur: quæ quidem collationis apprehensio coincidit cum deliberatiua in homine, de qua meminimus disp. præcedenti §. 11. num. 18. & 19.

Doct. S.T. valdè notāda ad propositū, qua explicatur voluntas vt natura, & vt ratio.

Voluntas vt ratio, et vt natura quomodo differant explicatur.

Aduertendum secundum.

1004 *Notabilis differētia inter collationē intellectus humani, & angelici.*

7 ADuerte secundò circa illa verba parenthesis, *saltem virtualiter, & mediatè*. Ea enim posuimus, vt designemus quoddam peculiare inuentum solùm in intellectu humano, non autem in angelico, & diuino. Intellectus siquidem humanus in deliberando, & sententiando de agendis, non semper procedit ex ratione vltimi finis, nec etiam ex illa speciali bonitate illius rei, in qua constituit suum vltimum finem, siue benè, vt cum illum constituit in Deo, siue malè, vt cum illum constituit in seipso. Et inde est, quòd nec semper confert per ipsam rationem vniuersalem vltimi finis, nec semper confert ad particularem bonitatem illius rei, in qua constituit suum vltimum finem. Sed aliquando solum virtualiter ad rationem vniuersalis finis, aliquando etiā virtualiter in ordine ad bonitatem rei, in qua constituit suum vltimum finem. Procedit enim voluntas nostra quandoq; ex fine proximo, & ad illum solùm confert, nil cogitando de fine vltimo, vel de re, in qua constituit finem vltimum; sed tamen tunc etiam procedit ex fine vltimo, virtualiter, saltem ex ipsa ratione vniuersalissima vltimi finis, licet non semper, (etiam virtualiter) ex ratione rei, in qua constituit suum vltimum finem. At verò angelus semper procedit formaliter, & explicitè, non solum ex vniuersalissima ratione vltimi finis, sed etiam ex illa speciali bonitate rei, in qua constituit suum vltimum finem. vnde in omni sua electione actualiter, & explicitè confert ad prædicta; omnisq; actus eius circa singularia occurentia est deliberatus. Et hæc radix est (vt hac occasione id obiter aduertas) quare homo aliquando operatur liberè, & suo actu nec meretur, nec demeretur, vnde non peccat, & tamen non agit perfectum bonum, & aliquando peccat venialiter tantùm, At verò in angelis, siue bonis, siue malis, talis differentia non inuenitur. Vnde nullum habent actum, qui sit solum peccatum veniale, vel qui non procedat, vel ex perfecta charitate in bonis, vel ex formali superbia in malis. Quia enim homo non semper cogitat de vltimo fine, potest habere apprehensiones agendorum, vel non collatas ad aliquem finem, vt sunt apprehensiones indeliberatæ, in quibus aliquando est peccatum veniale, vel non collatas explicitè, & formaliter in rationem vltimi finis, sed solum virtualiter, vel non collatas etiam virtualiter in rem, in qua constituit suum vltimum finem: vt cum homo in peccato mortali existens, operatur aliquod opus bonum ex genere, non cogitans ad finem sui peccati mortalis, sed ad particulares fines bonos ex genere. At verò angelus non habet iudicium de singularibus agendis, nisi per ipsam cognitionem finis, cum non discurrat, sed conclusiones cognoscat in suis principijs; & finis sit principium in agibilibus. Vt docet S. D. 1. 2. quæst. 89. ar. 4. in corp. & de veritate quæst. 24. art. 10. propè finem corp. & alibi sæpè. Et inde est, quòd semper confert singularia agenda in finem vltimum, quem sibi præfixit, & semper deliberatè, numquam indeliberatè procedit;

vt benè aduertit S. D. 1. 2 q. 1. ar. 6. ad 3.

Corollariū valde notādum ex præsēti ad uertentia.

Digitized by Google

cedit; ac etiam omnes eius electiones sunt formaliter, & explicitè ex dilectione illius finis, cui adhæsit, & indè sunt vel formalis charitatis, vt in bonis Angelis, vel ex fine superbiæ, vt in malis. Vt optimè concludit S. Doct. loco proximè cit. ex prima secundæ;

Aduertendum tertium.

1005 8 TErtiò circa illa verba primæ aduertentiæ *collationē intellectus eiusdem agentis* considerari debet; quòd intellectus dicitur esse alicuius agentis, non solùm respectu suppositi subsistentis, puta, hominis, angeli, & Dei, quorum est potentia, seu virtus, qua vtuntur ad intelligendum; sed etiam respectu voluntatis eorumdem, quæ similiter mouet intellectum per modum agentis, vt docet S. Doctor 1.2. quæst. 9. ar. 1. in corp. & alibi sæpè. Et sic per ly *intellectum eiusdem agentis*, non solùm intelligimus intellectum prout est E. g. hominis, cuius est potentia, & instrumentum intelligendi; sed etiam, prout est voluntatis eiusdem hominis, quo etiam ipsa voluntas vtitur, vt instrumento ad intelligendum, mouendo & applicando ipsum ad exercendas operationes ipsi intellectui conuenientes. Vnde intellectus, intelligendo, non solùm manifestat rem intellectam homini, agenti, & vtenti intellectione, & operatione ipsius intellectus ad capiendam per eum, vt per suum instrumentū, notitiam rerum; sed etiam manifestat eandem rem intellectam voluntati eiusdem hominis, vt mouenti & vtenti operatione, & intellectione, ad capiendam notitiam sui obiecti, quod est bonum, & malum. Et indè est, quòd voluntas dicitur percipere bonum, quod sibi manifestat intellectus proprius; quo vtitur, vt instrumento ad intelligēdum. Et hoc, non quia voluntas habet virtutem perceptiuam distinctam ab ea, quam habet intellectus, sibi in eodem supposito coniunctus: sed quia illa perceptio, & manifestatio, qua intellectus capit, & intelligit rem, non solùm est perceptio, & manifestatio, qua res fit manifesta, & percepta ab intellectu, & ab homine per intellectum, sed etiam, qua fit manifesta, & percepta, à voluntate discernente, & percipiente per intellectum sibi coniunctum vt per instrumentum ab eadem voluntate motum, & applicatum ad actionem discernendi, & percipiendi.

Voluntas potest dici suo modo agens per intellectū. quē applicat ad intelligēdū, vt per eū habeat notitiam sui obiecti.

Nota modū quo voluntas dicitur percipere p intellectum.

1006 9 Ad hanc rem explicandam facit doctrina S. Tho. 1.2. quæst. 17. art. 5. vbi, cum sibi secundo loco obiecisset, vt infra: *Ei conuenit imperari, cui conuenit imperium intelligere; sed voluntatis non est intelligere imperium: differt enim voluntas ab intellectu, cuius est intelligere. Ergo actus voluntatis non imperatur.* Respondet. *Ad secundum dicendum, quòd sicut in membris corporalibus quodlibet membrum operatur non sibi soli, sed toti corpori, vt oculus videt toti corpori: ita est in potentijs animæ: Nam intellectus non solùm intelligit sibi, sed alijs potentijs. Et ideo homo imperat sibi ipsi actū voluntatis, inquantùm est intelligens, & volens.* Hæc S. Doct. Quibus si addas, quòd voluntas volens finem, mouet, & applicat intellectum ad inueniendam, & dandam diffinitiuam sententiam de agendis propter finē volitum, qua sententia ipsamet voluntas mouetur ad agenda ea, quæ sententiantur agenda, sequitur, quòd ipsa voluntas medio intellectu, & intelligat, & inueniat, & sentētiet, seipsamq; moueat, & determinet per sententiam sui intellectus ad agenda ea, quæ sunt ad finem.

Loc. S. D. explicans intentum.

1007 10 Non enim intellectus, & voluntas debent imaginari, vt duæ potentiæ disparatæ, quarum vna non deseruit alteri, & quæ non mouet, nec mouetur ab altera, sed vt subordinatæ. Ita quidem, vt voluntas habeat sibi subordinatum intellectum quātùm ad vsum. Et ita se habeat, sicut Princeps habens dominium, & vsum supra intellectum, eoq; vtatur, vt iudice, ad discernendum, quæ sibi cōueniunt circa agenda ad finem; & ad sententiandum, seu deliberandum de agendis. Et sic intellectus subordinatur voluntati, sicut Principi, seu Regi in administrando, seu regendo regno, subordinatur Concilium magistrorum rationalium, per quorum sententias determinātur Regis actiones circa gubernium sui regni, seu quid sit agendum a Principe, seu Rege in toto regno. At verò intellectus habet subordinatam voluntatem quantùm ad propositionem obiecti: Inquantùm, scilicet, proponit voluntati obiectum per suam apprehensionem; Et eam mouet, proponēdo obiectum, secundùm modum suæ apprehensionis: ita vt causalitas, seu motio intellectus in ordine ad voluntatem, quantùm est præcisè ex vi suæ lineæ, se teneat ex parte obiecti. Et dico, *precisè*, quia inquantùm intellectus mouet voluntatem, vt instrumētum motum ab eadem voluntate, mouet eam secundum eum modum, quo mouet agens, & quo voluntas mouet seipsam, vt infra demonstrabimus.

Intellect⁹, & volūtas sūt duę potentię, non disparatæ, sed sibi inuicē subordinatæ, secundùm diuersas rationes.

1008 11 Ex quo fit, quòd voluntas subordinatur intellectui quodam simili modo, quo Rex in actionibus, quibus gubernat regnum, subordinatur suo modo Concilio magistrorum rationalium seu etiā nobilium, inquantùm Cōcilium ostendit Regi, quid iuxta iura regni sui debet agere, & per sententiam dicti Cōcilij Rex se determinat ad agēdum hoc, vel illud in suo regno. In quo facto causalitas seu motio Concilij in ordine ad Regem ex vi suę lineæ se tenet solùm ex parte obiecti, inquantùm

Exemplū ad propositum.

Digitized by Google

in quantũ ex vi suæ lineæ solùm habet ostendere quid sit agendum. Quòd si per sententiã dicti Concilij Rex mouetur ad exequendum rem sententiatam, hoc ideo est, quia Rex cõgregauit, impulitq; Concilium, vt secũdum eius sententiam se determinaret. Et ita est in nostro casu. Nam voluntas impellit intellectum ad consiliandum, vt per sententiam consilij, se determinet, vt infra demonstrabimus.

Aduertendum quartum.

1009 *Considera exemplum iudicis ad quem, spectat decisio causæ.*

12 QVartò aduerte ad illa verba resolutionis: *pronunciat, vt index, ad quem spectat decisio causa, &c.* Continent enim exemplum satis aptum, quo res, de qua agimus, explicatur. Igitur considera iudices curiæ, qui consideratis causis, lites, & quæstiones decidũt: considera etiam ministros inferiores exequentes sententias sibi intimatas per iudices. Et quidem iudices circa casus particulares nõ habent ab alio quæstiones decisas; sed ipsi decidunt, cõsiderata causa, seu facto, secundùm circumstantias personarum, loci, temporis, &c. & collatis omnibus ad leges vniuersales. Ita quidem, vt antequam sententiam pronunciẽt, in eorum est potestate damnare, & absoluere secundùm proprium iudicium, ac per hoc possunt de reo oppositas sententias proferre, puta, vel absoluatur, & liberetur, vel condemnetur, & cogatur, & siuè iustè, siuè iniustè. Quod ideo est, quia, consideratis diuersis principijs, possunt diuersas inferre conclusiones, & sic diuersimodè iudicare. Hinc qui considerat has, vel illas circumstantias, & confert ad has, vel illas leges, diuerso modo iudicat ab eo, qui considerat alias circumstantias, & confert ad alias leges: vnde vnus iudicat reum damnãdũ, quem alius iudicat liberandum, & vnus, idemq; modò vnam, modò aliam sentẽtiam proferat in vnum, eundemq; reum, consideratis diuersis legibus, & principijs. Et ille qui attendit ad amicitias, vel inimicitias, pluries iniustè sententiat, qui verò ad leges, vt plurimum iustè.

Potest proferre oppositas sententias, consideratis diuersis circũstantijs, & legib⁹.

1010 *Ministri exequẽtes sententias nõ decidũt causas, sed ad eos transferuntur decisa.*

13 At verò ministri inferiores exequẽtes sententias scriptas, & sibi intimatas à iudicibus, iudicant quidem, ita esse, vel non esse agẽdum circa reum, & ita agunt, & exequuntur, vt iudicant per sententiam sibi dictatam: sed non habent in sua potestate sic, vel aliter, iudicare; quia non spectat ad eos decisio causæ, sed in ipsos transfertur causa decisa, & ad eos solùm spectat executio.

1011 *Bruta sũt ministri executo.*

14 Hoc considerato, vide, quòd hoc secundo modo habent iudicium de agendis bruta. Non enim ad ipsa pertinet decisiõ causæ de agendis; vnde non inquirunt, quid sit agendum, & ex consequẽti, nec decidunt, nec sententiant de agendis, vt docet Aristoteles 3. de anima tex. 59. apud D. Th. lec. 16. verbis à nobis relatis disp. 1. §. 11. num. 22. & 23. Sed habent sententias præscriptas, & dictatas sibi ab intellectu auctoris naturæ, quas, scilicet, non ipsa inueniunt, discussa causa; cum non conferant de agendis. Et inde est, quòd sunt solùm executores iudicij naturalis, seu sententiæ sibi naturaliter inditæ. At verò intellectualia habent iudicium de agendis cõtingentibus, etiam primo modo. Vnde iudicant de eis, tanquam iudices, ad quos spectat decisio causæ; vtpotè facta collatione singularis actionis agẽdæ ad circumstantias, & ad finem, & ad leges desumptas ex ratione finis. Et sic habent de agendis iudicium proprium à seipsis inuentum per sui proprij intellectus industriam, & resoluunt, & determinant quæstionem de agendis, prout ipsismet videtur. Quod est deliberare de agendis. Ex quibus patet (vt cõcludit Aristoteles loco proximè cit.) quòd per hoc differũt intellectualia à brutis, quòd hæc non deliberant, sed sequuntur iudicium sibi determinatum tantùm ab alio: non sic illa, quę deliberant, sed etiam à seipsis habẽt iudicium determinatum. Idq; voluimus nos significare prædictis verbis.

res sententiarum sibi dictatarũ ab auctore naturæ, non verò decisores quæstionis agẽdorum.

Intellectualia verò sunt iudices decidentes, & exequẽtes.

15 Dixi, *bruta sequuntur iudicium sibi determinatum tantùm ab alio, non sic intellectualia, sed etiam à seipsis*, vt designarem, iudicium determinatũ, quo seipsa mouent, & determinant intellectualia, ita esse à seipsis se mouentibus, vt à proximo mouente, quòd etiam est ab alio, vt à primo mouente. At verò iudicium bruticum est tantùm ab alio, vt à mouente; non autem à seipsis. Ipsa enim non mouent seipsa ad iudicãdum, sed sunt tantùm mota ab alio, puta, auctore naturæ. Sicut grauia, & leuia non mouent seipsa. Sed sunt tantùm mota à generante, vt probat, adducto eodem exemplo, S. D. quæst. 24. de veritate ar. 1. in corp. Vbi postquam docuit, grauia, & leuia non mouere seipsa, sed tantùm esse mota à generante, concludit verbis illis supra §. 21. huius disp. num. 14. relatis, puta: *Vnde recte consideranti apparet, quòd per quẽ modum attribuitur motus, & actio corporibus naturalibus inanimatis, per eundem modum attribuitur brutis animalibus iudicium de agendis. Sicut enim grauia, & leuia non mouent seipsa, vt per hoc sint causa sui motus: ita nec bruta iudicant de suo iudicio, sed sequuntur iudicium sibi à Deo inditum, & sic non sunt causa sui arbitrij.* Intellige de causa mouente se ad arbitrandum. Nam euidens est, virtutem iudicatiuam bruti esse causam elicitiuam sui iudicij. Sicut etiam euidens est, quòd grauia, & leuia ratione

1012 *Bruta sũt tantũ mota ab alio ad iudicãdum, non autem à seipsis. At verò intellectualia etiã à seipsis, licèt virtute alterius mot⁹ quo mouentur ab alio.*

Digitized by Google

grauitatis,& leuitatis,sunt causa,à qua emanat motus,cœterùm ad hoc vt virtus iudicatiua moueat seipsam, seu moueatur à seipsa illo modo, quo mouet aliud, seu mouetur ab alio, non sufficit ista causalitas eliciendi actum? sicut nec causalitas, quam habent grauitas, & leuitas, in ordine ad motum ad eas consequentem,sufficit ad hoc,vt grauia, & leuia moueant seipsa, seu moueantur à seipsis illo modo,quo mouet ea generans,& mouentur à generante. Sed de hac re diffusè agemus in Tractatu de illo principio. *Omne quod mouetur,mouetur ab alio*,eamq; disputatione sequenti probabimus. Veniamus ad resolutionis probationes.

Principalis punctus resolutionis ostenditur testimonijs S. Thomæ.

1013 16 His adnotatis, probanda est resolutio, non quidem quoad omnia in ea contenta, quorum plurima addidimus explicationis gratia, & disputatione sequenti erunt specialiter manifestanda, & probanda; sed quantùm ad principalem punctum spectantem ad intentionem qnæstionis in hoc §,qui ad sequentem assertionē reducitur, nempe; Omnis voluntas determinatur ad aliquam determinatā actionem liberam per cognitionem, seu iudicium sui proprij intellectus apprehendentis per rationem finis, talem actionem determinatè esse agendam,vel non agēdam. Quæ assertio æquiualenter sic etiam proponitur: Omnis voluntas determinat se ad vnam actionem per apprehensionem, seu formam apprehēsam singularis agibilis,vt per principium, quo ipsa à seipsa determinatur.

Conclusio probanda in nostra resolutione proponitur.

1014 17 Et quidem, quòd omne agens liberum, seu omnis voluntas, quæ se habet indifferenter ad opposita, determinetur ad vnum, seu seipsam determinet ad vnum per sui proprij intellectus cognitionem,seu scientiam de agēdis, præter loca S. Doctoris,quæ ex diuersis occasionibus sparsim in hac, & præcedenti disputatione retulimus, quorum aliqua modò infra iterum expendemus,probant euidenter verba eiusdem, quibus rem hanc explicat lib. 3. cont. gentiles cap. 23. aliquantùm ante finem. Vbi postquam sex rationibus probauit, corpora cœlestia moueri à substantia intellectuali,probat ex cō sequenti, non obstare prædictæ doctrinæ, motum corporum cœlestiū esse naturalem. Et similiter nō obstare naturalitati eius, cui conuenit determinatio ad vnum, ipsummet motum esse voluntarium, puta productum à substantia intellectuali mouente cœlos per voluntatem, cui conuenit esse ad vtrumlibet. Idq;probat ex eo, quòd etiam voluntas habet per quid determinatur ad vnum; & sic habet. *Quod autem motus cœli est voluntarius secundùm actiuum principium non repugnat vnitati, & conformitati cœlestis motus,ex hoc quòd voluntas ad multa se habet, & non est determinata ad vnum: quia sicut natura determinatur ad vnum per suam virtutem, ita voluntas determinatur ad vnum per suam sapientiam, qua voluntas dirigitur infallibiliter ad vnum finem.* Hæc Sanctus Doctor. In quibus expressè ponit nostram sententiam, quod manifestiùs videbis ex commentario Ferrarienſis, qui sic habet.

Egregium testimoniū S. Thomæ, quo probatur: omnē voluntatē determinari ad vnū per iudicium intellectus.

1015 18 *Secundum dubium, quod remouet S. Thomas est. Posset enim aliquis arguere, quod motus cœli non sit voluntarius,quia est vnus, & uniformis; voluntas autem ad multa se habet, & non est determinata ad vnum. Et respondet,quòd voluntas est determinata ad vnum per suam sapientiam, qua dirigitur infallibiliter ad vnum finē, sicut natura determinatur ad vnum per suam virtutem: ideo, quòd motus cœli sit voluntarius, non repugnat eius vnitati, & conformitati. Ad huius responsionis euidentiam cōsiderandum est, quòd cum voluntas sequatur cognitionem intellectiuam, & ab ipsa tanquam à sua regula dirigatur, licèt, consideratā ratione voluntatis absolutè, voluntas sit causa indifferens, & indeterminata, & non determinata ad vnum; inquantùm tamen sequitur iudicium intellectus iudicantis, aliquid esse volendum, & faciēdum,determinationem habet ad illud; ita quod propter illud determinatè agit, & potest ad aliquem finem vniformiter, & infallibiliter mouere, quando cognitio,qua dirigitur est infallibilis, & certa, & ipsa voluntas impediri non potest in suo effectu. Et sic cum voluntas substantia mouētis cœlum impediri non possit, dirigaturq; à sapientia infallibili, & certa ad vnum finem,ipsa intellectualis substantia vniformiter mouet cœlum, & infallibiliter ad finem, quem intendit in mouendo. Et non se habet ad motū cœli vt causa indeterminata,sed vt limitata ad vnum.* Ita Ferrariensis.

Verba Ferrariēsis ex verbis S. Th. confirmantis sēntiam.

1016 19 Vide quàm expressè hic Thomista ex antiquis docet nostram sentētiam ex doctrina S. Thomæ. Vide quàm differenter loquitur à modernis. Vide quod est iudicium,quo determinatur voluntas per suam sapiētiam, istud sanè, quo iudicatur aliquid esse volendum,& faciendum. Expende igitur illa verba: *Licet voluntas, considerata absolutè, sit causa indifferens, & non determinata ad vnum; inquantùm tamen sequitur iudicium intellectus iudicantis, aliquid esse volendum, & faciendum, determinationem habet ad illud, &c.* Ecce ipsissimā nostram sententiam. Prædictum enim iudicium est,

Expēduntur verba Ferrariēsis.

in

in quo consistit rationis imperium, ipsumq; est sententia rationis imperans ex collatione finis, & ipsum est apprehensio singularis agibilis, & terminus deliberationis, ad quem sequitur actus deliberatus. In ipso etiam consistit forma apprehensa per collationem, per quam determinatur voluntas ad actiones liberas, quibus per dictum iudicium præstituitur finis, & sunt ordinatæ in finem, vt infra explicabimus.

1017 20 Deinde circa verba S. Thomæ expende illam sententiam: *Quia sicut natura determinatur ad vnum per suam virtutem; ita voluntas determinatur ad vnum per suam sapientiam, qua voluntas dirigitur infallibiliter ad vnum finem.* Ite, nota primò ly *per suam sapientiam.* Habet ergò voluntas sapientiam propriam, qua ipsa sapit. Confer hoc cum adnotatis in præcedenti tertia aduertentia, & percipies tecum D. Thomæ doctrina cohærere. Amplius considera exemplum. Vult enim S. Doct. quòd sicut virtus naturalis, e.g. grauitas est principium proximum inclinans rem naturalem determinatè in vnum; & sicut natura per virtutem suam, tanquam per proximum principium est determinata ad vnum: ita actus sapientiæ ipsius voluntatis, quo determinatè iudicat aliquid esse agendum, est proximum principium inclinans, & impellens voluntatem determinatè in istud vnum iudicatum agendum. Et ita etiam voluntas per iudicium suæ sapientiæ tanquam per principium proximum est determinata ad vnum. Præterea considera, ly, *qua dirigitur infallibiliter ad vnum finem*, & dignoscites, quòd actus voluntatis, quo ipsa agit propter finem infallibiliter, sequitur ad actum suæ sapientiæ, qua ipsamet voluntas dirigitur infallibiliter ad vnum finem. Si enim actus voluntatis posset esse repugnans directioni suæ sapientiæ, qua dirigitur determinatè in vnum, non dirigeretur infallibiliter in illud.

1018 21 Tandem aduerte, quòd S. Doct. in prædicta doctrina loquitur non solùm de voluntate creata, sed etiam de increata, & non solùm de voluntate Intelligentiæ separatæ, sed etiam facta suppositione, quòd cælum esset animatum sicut homo, & moueretur à sua anima, sicut homo à sua. Nam post prædictam doctrinam, sic paulo infra concludit: *Nun differt autem, quantum ad præsentem intentionem, vtrum corpus cæleste moueatur à substantia intellectuali coniuncta, quæ sit anima eius; vel à substantia separata. Et vtrum vnumquodq; corporum cælestium moueatur à Deo, vel nullum immediatè, sed mediantibus substantijs intellectualibus creatis, aut primum tantùm immediatè à Deo dummodo habeatur, quòd motus cælestis est à substantia intellectuali.* Ergo secundùm S. Thomam voluntas omnis substantiæ intellectualis, siue si Deus, siue Intelligentia separata à cœlo, siue sit anima cœli, quæ esset sicut anima nostra, determinatur ad vnum per suam sapientiam. 1019

Instantia.

22 Dices, ergo voluntas, etiam Dei, non est libera; quia agit determinata ad vnum per suam sapientiam; vel libertas non est in voluntate, quæ agit determinata ab alio, scilicet, intellectu per sapientiam, sed potiùs in intellectu, qui determinat voluntatem.

Confirmatur ex dictis.

Conuincit hæc instantia quàm plures, & ferè omnes Patres Societatis negantes intellectus imperium præsertim in Deo. Verùm de hac re agemus diffusè disputatione sequenti. Interim considera qualiter soluat S. Doct. difficultatem prædictæ instantiæ in quantùm tangit diuinam voluntatem. Porrò quæst. 23. de Veritate art. 6. sic quintum argumentum in contrarium proponit: *Voluntas Dei non est, nisi iusta; si ergo ab aliquo alio penderet ratio iustitiæ, quàm ex diuina voluntate, illud restringeret & ligaret diuinam voluntatem, quod est impossibile.* Respondet autem: *Ad quintum dicendum quòd cum in Deo intellectus, & voluntas non differant secundùm rem; voluntas per hoc quod ab intellectu dirigitur, & ad aliquid definitur, non ab aliquo alio restringitur; sed mouetur secundùm suam naturam: cum naturale sit vni voluntati, vt semper secundùm ordinem sapientiæ agat.* *Respons. & confutatio ex doctrina D. Thomæ* 1020

Idem confirmatur alio testimonio eiusdem S. D. rem clarius explicante.

23 Audisti ly *per hoc quod voluntas diuina ab intellectu ad aliquid definitur non ab aliquo alio restringitur sed mouetur secundum suam naturam*, idest mouetur circa tale obiectum, ad quod definitur, iuxta modum, qui conuenit naturæ talis voluntatis, puta, circa obiectum, ad quod habet habitudinem non necessariam, mouetur nō necessariò, sed liberè. Vt optimè explicat ipsemet S. Doct. repetens eandem responsionem lib. primo cont. gen. cap. 82, cuius partem retulimus Disp. p. §. 2. num. 9. & sic habet. *Si voluntas Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinetur, non erit determinatio voluntatis diuinæ per aliquid extraneum facta. Intellectus etiam diuinus non solùm apprehendit diuinum esse, quod est bonitas eius, sed etiam alia bona, vt supra dictum est, quæ quidem apprehendit vt similitudines quasdam diuinæ bonitatis & essentiæ, non vt eius principia, & sic voluntas diuina in illa tendit vt sua bonitati conuenientia, non vt ad suam bonitatem necessaria. Sic autem & in nostra voluntate accidit: quòd cum ad aliquid inclinatur, quasi necessarium*

simpliciter, vt ad finem, quadam necessitate mouetur in illud: cum autem tendit in aliquid solùm propter conuenientiam quandam, non necessariò in illud tendit: vnde nec diuina voluntas tendit in sua obiecta necessariò. Per hoc ergo quod voluntas diuina in ea, ad quæ habet habitudinem non necessariam tendit definita, & determinata per iudicium suæ sapientiæ, non amittit libertatem.

021

Diuinam voluntatẽ determinari ad vnum per cognitionẽ suam circa actus liberos probat S.D.

24 Et inde est, quod cap. 93. eiusdem lib. probans S. Doct. in Deo esse prudentiã, assumpsit propositionem illam relatam à nobis loco proximè cit. nempe: *Voluntas diuina in his, quæ sunt alia ab ipso determinatur ad vnum per cognitionem suam.* Ecce quòd in ordine ad ista determinatur voluntas diuina per intellectus diuini iudicium, quæ sunt alia ab ipso Deo, in ordine ad quæ mouetur liberè. Non destruitur ergo diuina libertas per hoc, quod determinatur ad vnum per iudicium suæ sapientiæ, sed potius astruitur, quippe quia per hoc ipsum Deus, sicut etiam & homo, est liberi arbitrij, quod voluntas eius, non ex instinctu naturæ, sicut bruta, sed ex iudicio rationis inclinatur, & determinatur ad volendum. Et ad hoc propositum nota discursum S. D. quo eodem lib. cap. 88. ratione secunda probat, Deum esse liberi arbitrij. Videlicet: *Voluntas Diuina in his, ad quæ non secundum naturam suam determinatur, inclinatur quodammodo per suum intellectum, vt supra ostensum est; Sed ex hoc homo dicitur præ cæteris animalibus liberum arbitrium habere, quia ad volendum iudicio rationis inclinatur, non impetu naturæ, sicut bruta. Ergo in Deo est liberum arbitrium.*

Idem confirmat ratio S. Doc. qua probat in Deo esse liberum arbitrium.

1022

Inculcatur prædicta ratio, ad propositum, & probatur, nõ destrui sed astrui libertatẽ per hoc, quod determinatur per iudiciũ proprium.

25 In quo discursu primò suppone id, quod euidenter probauimus Disp. prima §. 12. num. 17. (vbi prædictam rationem retulimus aduersus Recentiores) quòd verbum illud, *inclinatur*, significat idem, quod *determinatur*. Secundò considera illam propositionem causalem. *Ex hoc homo dicitur præ cæteris animalibus liberum arbitrium habere, quia ad volendum iudicio rationis inclinatur, seu determinatur* &c. Est enim similis huic propositioni: Ex hoc homo præ alijs animalibus est discursiuus, quia est rationalis. Sicut enim per hanc designatur propria ratio, per quam habet homo, quòd est discursiuus: ita per illam explicatur propria ratio, seu radix, per quam habet quòd est liberi arbitrij. Ista enim est (vt cognouit, & expressit Aristoteles, sagacissimus indagator naturæ, verbis à nobis relatis disp. prima §. 11. num. 22.) quia appetitus hominis, seu voluntas inclinatur in aliquid, seu determinatur per iudiciũ rationis, seu iudicium proprium per rationem inuentum, seu etiam per deliberationem (hæc idem significant) quam non habent bruta, quorum appetitus mouetur naturali instinctu. Per hoc ergò, quòd voluntas determinatur rationis iudicio, habet principium astructiuum libertatis; non autem destructiuum. Sicut per hoc quod ponitur homo rationalis, non ponitur habere principium destruens, sed astruens sum discursiuũ. Immò sicut si diceremus, hominem non esse rationalem, deberemus ex consequenti dicere, eum non esse discursiuum: Ita (inquit D. Thomas loco relato in resolutione huius §. *non esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, vtem proprio iudicio eligeret hoc, vel illud.*

1023

Ex principio, quo D. Thomas probat hominem esse liberi arbitrij credũt Recentes destrui libertatem.

26 Mira res! S. Thomas existimat cum Aristotele, quòd ex hoc homo est liberi arbitrij, & ex hoc etiam Deus (vt patet verbis num. 24. præcedenti relatis) quia ad volendum iudicio rationis determinatur: at verò Recentiores, qui prædicta instantia se victos demonstrans, existimant, quòd careret homo libero arbitrio, si ad volendum iudicio rationis determinaretur, Cogitamodò, qualiter prædictæ assertiones differant. Differunt sanè, sicut qui dicit: homo ex hoc est homo, quia est rationalis, differt à dicente: homo ex hoc non est homo, seu caret humanitate, quia est rationalis. Et inde vide cuius virtutis & efficaciæ sit ratio, & consequentia hæc, qua vinguntur hi Recentiores, quando vt possent suas opiniones defendere, eam se abstentarunt ab Aristotele & D. Thoma in explicatione liberi arbitrij, quantum, scilicet, in explicatione diffinitionis hominis ab eo, qui dicit homo ex hoc est homo, quia est rationalis, se abstentaret, qui diceret: homo ex hoc non esset homo, quia esset rationalis. Vide si peior posset excogitari diuersitas in discursu seu ratiocinatione.

1024

Explicantur probãda contra Recentes.

27 Verùm non hic, sed disputationes sequenti S. Doctorem defendemus aduersus hos Recentes: nunc enim contra eos defensionem ipsius S. Thomæ suscepimus, qui eius doctrinam suscipiunt, & venerantur, & ex consequenti agnoscunt efficaciam dictaminis rationis practicæ, seu iudicij vltimati de agendis, importantis formam apprehensam per iudicium proprium, seu inuentum facta collatione ad finem per rationem finis, seu per iudicium deliberatum. Contra quos in resolutione huius §. diximus ex mente S. Doctoris, quòd ad prædictum iudicium, seu formam apprehensam per idem iudicium *sequitur per realem & physicam consequentiam actus liberus circa eadem volumtatis, seu eisdem agentis, illo simili modo, quo ad formam naturalem sequitur actio naturalis.* Et voluimus per hæc significare,

quòd

quòd ad prædictam formam sequitur actio libera secundùm modum causalitatis causæ efficientis veræ, & propriæ; & eo modo, quo ad calorem ignis calefacientis lignum, sequitur ipsum lignum alterari, & calefieri, & ad causam impellentem, sequitur rē impulsam moueri: & ad actionem generantis, imprimentis rei genitæ grauitatem, sequitur, talem rem moueri deorsum, si impedita non sit, sitque extra centrum. Ex quo tandem sequitur, quòd determinatio, quam ex dicta forma, prælato modo apprehensa habet voluntas volens finem ad mouendum seipsam ad agendam vnam determinatè actionem propter finem, & quam intellectus, vt instrumentum motum ab eadem voluntate volente finem, habet ad inducendum efficaciter eandem voluntatem in actionem determinatam deliberatam, agēdam propter finem, sit determinatio agentis, seu motionis, quod physicè, & realiter, & vt causa effectiua verè, & propriè, mouet suum mobile (quod etiam est ipsa voluntas, vt reducibilis in actum agendi aliquam actionem propter finem) in vnam determinatam actionem. Idque est §. sequenti demonstrandum.

§. XXIII.

Probatur, quòd voluntas per formā apprehensam per iudicium deliberatum, seu dictamen, quod in nobis est conclusum, per syllogismum practicum, & idem est, quòd imperium rationis, est determinata, vt causa verè efficienter mouens, seu vt causa perficiens, ad mouēdum seipsam in determinatam actionem.

1025 1. NON curamus §. præcedenti pluribus confirmare propositionem intentam, quia ex his, quæ in hoc §. sunt dicenda, à fortiori constabit: Intendimus sanè in hoc §. non solùm confirmare nostram sententiam in sensu ab ipso S. Doctore intento, sed etiam excludere quandam imaginationem, qua posset quis suspicari, loca S. Thomæ à nobis adducta in confirmationem nostræ sententiæ, ita interpretari posse, quòd non repugnent existimantibus, voluntatem creatam determinari ad determinatam actionem liberam, per motū impressum voluntati à solo Deo.

Dicta in precedenti §. probantur à fortiori in hoc §. Intentio in hoc §. quæsit.

1026 2. Potrò quidam dicunt, quòd voluntas potest mouere, & determinare liberè seipsam dupliciter, vno modo physicè, & alio modo moraliter: & quòd ad se liberè mouendum, & determinandum physicè, non requiritur deliberatio, & consilium rationis, sed solùm ad mouendum, & determinandum se moraliter. Meminit huius distinctionis Suarius *lib. 3. de Diuina gratia cap. 44 num. 26.* eamque tribuit Thomistis. Et re vera eam expressè tradit Aluarez *t. 2. quæst. 9. ar. 3.* vbi in adnotationibus ad dictum articulum considerat doctrinam Sancti Thomæ, qua in eodem articulo, & 4. sequenti docet, quòd voluntas mouet seipsam per hoc, quòd ex eo quòd vult actu finem, per consilium rationis reducit seipsam in actum volendi ea, quæ sunt ad finem, ad quem erat in potentia, & sic reducit seipsam de potentia ad actum, quod est mouere seipsā. Ex quo S. Doct. infert, quòd si voluntas ad actum illum, quo actu vult finem, mouisset seipsam, oporteret, quod id fecisset per consilium rationis ex alia volitione finis præsuppositi, & quòd ne detur processus in infinitum, oportet deuenire in aliquem actum volitionis finis, in quem voluntas non mouet seipsam, sed tantùm mouetur. Considerat, inquam, prædictam doctrinam, & circa eam dubitat. *Vtrum voluntas verè se moueat in volitione, qua aliquid appetit, tanquam finem; siue illa volitio sit prima, & simpliciter totius vitæ, siue in quolibet alio negotio.* Huic autem dubitationi respondet num. 4. prædictæ adnotationis ad art. 3. qu. 9. & sic habet.

Aluarez, cuius prædictam distinctionem asserit, referuntur.

1027 3. *Ex his, quæ diximus disp. 81. de Auxiliis n. 6. colligi potest vera intelligentia cōclusionis S. Thomæ. Ad cuius euidentiā cōsiderandum est, quòd voluntas potest seipsam mouere dupliciter. Primò modo moraliter, quod contingit quando ex praxia volitionis finis se applicat ad electionem mediorum. Secundò potest se mouere physicè, quando scilicet liberè producit actum etiam si non deliberet propriè de illo. Potest enim aliquis actus esse liber, etiam si non sit deliberatus.* Et paucis interpositis ponit duas conclusiones, quarum prima est: *Voluntas in omni operatione libera, siue sit circa finem, siue circa media semper se mouet physicè.* Secunda verò est: *Voluntas non se mouet moraliter in ea volitione, qua vult finem. Ratio dubii Probatur. Eius modi motio moralis fit per consilium, & deliberationem, vt ex littera huius articuli colligitur. Sed deliberatio, & consilium non est circa finem, sed solum circa media, vt docet S. Thomas. &c.*

1028 4. Posset ergo aliquis existimare, quòd secundum prædictam distinctionem posset responderi ad loca S. Doctoris à nobis adducta, quibus docet: Voluntatem determinari per iudicium proprium ad inferendam sibi ipsi determinatam actionem. dicendo scilicet, Sanctum Doctorem prædictis locis loqui de determinatione, quam habet voluntas secundùm illum modum, quo se mouet moraliter, non autem de illa, quam habet

Possent existimare Recentes ex predicta distinctione responderi posse ad rationes S. Doctoris.

bet secundùm illum modum mouendi, quo se mouet physicè: ad hoc autē vt se moueat physicè, requiritur aliud, quòd præstari non posset per formam apprehensam per iudicium practicum.

1029

Nomine motionis moralis intelligunt Recentes motionem metaphoricam, non verè efficientem.

5 Posset etiam deindè intelligere per illos terminos, *motio, seu determinatio moralis* motionem & determinationem, quam appellant metaphoricam, prout contradistinguitur a motione & determinatione causæ verè efficienter mouentis in determinatam actionem, & in eo sensu, quo prædictis terminis vtitur Aluarez eadem quæst. 9. 1. 2. Disp. 45. num. 11. sic discurrens. *Intellectus non applicat voluntatem ad operandum; sed solum eam mouet iudicando, & proponendo obiectum cum cognitione, & notitia; atque illuminando, vel dirigendo ipsum, vel imperando: ergo non mouet eam verè efficienter, sed solum moraliter, per modum suadentis, & proponentis obiectum.* In quibus, vt vides, *ly mouet moraliter* contraposuit ad ly *non mouet verè efficienter*, in quo sensu vtitur iisdem terminis Disp. 23. de Auxiliis num. 16. & 17. & alibi sæpè. Ex quo posset quis tandem existimare, quòd dum D. Thomas docet, voluntatem determinari ad agendum determinatam actione per cognitionem propriam &c. intelligendus sit de determinatione, quam habet voluntas, non ad mouendum se verè efficienter, sed solum ad mouendum se moraliter, seu per modum suadentis, & metaphoricè. Et ideo nos, vt per nostram resolutionem prædictam excogitationē euerteremus, doctrinam Sancti Thomæ in sensu eidem prædictæ excogitationi oppositō, expressimus; probandamque proposuimus non solum ex locis Sancti Doctoris nostram sensum præferentibus, sed etiam ex sententia ipsius Aluarez, quam ipsemet putat communem Thomistarum. In hoc ergo §. primò inuenietur sententiam nostram sententiam asserta, & probatam ab Aluarez ex communi Thomistarum consensu. Secundò verò loca, & rationes S. Doctoris nostram sententiam confirmandam exponemus.

Afferuntur loca Aluarez, quibus expressè docet totam nostram sententiam ex communi sensu Thomistarum.

1030

Imperium rationis est conclusio syllogismi practici secundū sententiā Aluarez.

6 EXistimares paradoxa, quæ probanda proposuimus si statim nō videres verissima. In primis §. 22. n. 19. diximus rem eandem significari (entitatiuè & materialiter loquendo) per imperium rationis, & per conclusionem syllogismi practici, quæ est terminus discursus consilij deliberantis de agendis ad finem, seu per iudicium intimum per collationem, seu etiam dictamen vltimatum de agendis. Vide quæ circa conclusionem syllogismi operatiui, & deliberationem rationis diximus disp. prima §. 11. à num. 18. ad 34. Aluarez autem 1. 2. quæst. 14. disp. 56. num. 9. docet etiam, imperium rationis esse ipsammet conclusionem syllogismi practici, qua concluditur, quid sit faciendum. Vnde probat, ad actus indeliberatos voluntatis non requiri imperium, sequenti discursu. *Imperium, quod explicatur per illa verba, hoc est faciendū, vel fac hoc, est conclusio syllogismi practici, & per consequens præquiritur deliberationem rationis, & discursum. Ad actus autem indeliberatos nulla requiritur deliberatio; immo talis deliberatio repugnat eisdem actibus: ergo ad huiusmodi actus nullum requiritur imperium.* Nota ly, *Imperium est conclusio syllogismi practici, & per consequens præquirit deliberationem.* Ipse enim nomine, *deliberationis*, intelligit inquisitionem consilij, vt ex statim subijciendis videbis, & per, *inquisitionem consilij*, intelligit discursum rationis practicæ, seu syllogismum, quo ratio procedens ex efficaci volitione finis concludit, quid est agendum, ita vt voluntati, concludendo, intimet, vt illud agat, secundum quam rationem illa conclusio habet rationem imperij, vt nos disputatione sequenti explicabimus. *Verba Aluarez.*

7 Aduerti enim debet, quòd præfatus doctor in hac quæst. 14. 1. 2. excitat primò disp. 55. qua inquirit: *An consilium intrinsecè includat iudicium & inquisitionem de rebus agendis.* Et respondet ex sententia Caietani, quòd includit, tum inquisitionem, quę fit per discursum syllogismi practici, tum iudicium, in quod peruenitur per talem discursum. Et hanc conclusionem probat ratione eiusdem Caietani, soluitque argumenta in contrarium. Excitat secundò Disputationem 56. qua quærit: *An necessarium sit iudicium compositionis circa obiectum, vt voluntas circa illud operetur.* Vbi per ly *iudicium compositionis*, intelligit iudiciū, quo per discursum concluditur, aliquid esse, vel non esse faciendum, quod disputatione præcedenti docuerat includi intrinsecè in consilio. Nam ad explicandum titulum huius disp. 56. postquam notauit ex Caietano, *consilium esse inquisitionem cum iudicio conclusionis in integro syllogismo operatiuo*, conclusionemque talis syllogismi esse *iudicium, quo intellectus iudicat, hoc esse faciendum*, concludit sensum difficultatis propositæ, inquiens: *Difficultas ergo consistit in hoc, vtrum, vt voluntas amet aliquid obiectum, sufficiat ex parte intellectus sola apprehensio, seu cognitio eiusdem obiecti; an verò sit etiam necessarium iudicium cō-* *Aperitur intentio Aluarez in prædicto testimonio.*

positio-

positionis, quo intellectus iudicat, hoc esse faciendum. Ex quibus apparet, quòd per ly *iudicium compositionis*, intelligit iudiciū conclusum per syllogismum practicū, quod Caietanus docet, pertinere ad cōpletum, & perfectum consilium, vt conclusio eius.

1032

Nota quā sententiam docet, esse communē Thomistarum.

8 Post hæc in eadem disp. num. 6. refert opinionem dicentium, posse voluntatem nostram liberè moueri in obiectum sola simplici cognitione apprehensum, sine iudicio compositionis prædicto, rationesque proponit talis opinionis. Sed statim post eas num. 8. sic prosequitur: *Oppositam sententiam docent communiter Thomistæ, quæ subinde à nobis explicanda est, & defendēda.* Eamque explicat duplici conclusione, quarum primam proponit num. 9. inquiens: *Prima conclusio. Ad actus naturales, siue indeliberatos nostræ voluntatis nō requiritur ex parte intellectus iudicium cōpositionis, seu imperium, quod explicatur per illa verba: fac hoc.* Probat subinde hanc conclusionem ratione relata num. 6. & subiungit statim secundam conclusionem inquiens num. 10. *Secunda conclusio. Ad omnes liberos actus voluntatis semper est necessarium iudicium compositionis, & practici intellectus, quod explicatur his verbis: fac hoc.* Eam autem probat num. 12. ex doctrina S. Thomæ & sic inquit. *Quoniam vt docet S. Thomas infra quæst. 17. ar. 5. Omnes actus voluntarij, qui sunt in potestate nostra subiacent imperio rationis. Manifestum est autem, omnes actus liberos, etiam si versentur immediatè circa finem, esse voluntarios, & in potestate nostra. Ergo pendent ex imperio rationis. Sed imperium importat iudicium practicum intimantis seu denuncians voluntati, hoc esse faciendum, & dicentis: hoc ama, &c.* Ex quibus omnibus apparet, hunc doctorem existimare, esse communem sententiam Thomistarum, conclusionem syllogismi practici, qua concluditur, & definitur, aliquid esse, vel non esse faciendum, prout habet intimare voluntati, vt illud faciat, vel non faciat, esse imperium rationis præcedens, vt necessarium ad omnes actus liberos. Idque nos sentimus. Fateor tamen, quod hic doctor malè explicat prædictum iudicium, illis verbis, *iudicium compositionis & diuisionis.* Sicut etiam malè explicat iudicium naturale, ad quod sequitur appetitus naturalis, & indeliberatus, per illa verba, *simplex cognitio seu apprehensio obiecti.* Nam dictamen naturale, quod præcedit appetitū indeliberatum, nō differt a dictamine requisito ad appetitum liberū, per hoc, quod vnum importat compositionem & diuisionem; alterum verò non, quia vtrumque pronunciat aliquid esse agendum. Sed per hoc, quod naturale, est absolutè sic iudicans, seu est impressum ab alio; at verò deliberatum est inuentum per collationem ad finem, siue deductum sit per discursum, vt accidit in nobis, siue inuentum sine discursu, vt est in Angelis & Deo. Vt nos demonstrabimus disputatione sequenti, & patere potest ex locis S. Doctoris à nobis supra relatis.

Conclusio Aluarez, qua explicat eāmunē sententiam Thomistarum.

Verba Aluarez, quibus probat prædictam conclusionem.

Explicat nostrā sententiam.

Quæ minus rectè dicuntur ab Aluarez.

1033

Dari duplex imperium, alterum præcedens electionē, alterum eā sequēs nobiscum docet Aluarez.

9 Præterea disp. 65. num. 25. & tota disp. 66. docet idem Aluarez quòd secundū expressam mentem S. Doct. datur aliquod imperium, quod præcedit electionem, & omnes actus liberos voluntatis: & datur aliquod, quod subsequitur electionem imperans, & applicans potētias executioni. Quorum primum importat conclusionem syllogismi practici pronunciatis quid est agendum, seu eligendum, & intimantis, vt eligatur, quam non importat secundum. Et hoc etiam nos fatemur, vt ex dictis in superioribus disp. patet.

1034

Referūtur quædam spectantia ad nostrā sententiā.

10 Amplius tam §. præcedenti num. 4. in resolutione, & num. 5. 6. & deinceps in explicatione eiusdem resolutionis, quàm etiam sæpe sparsim in tota hac disputatione, & etiam disp. præcedenti §. 11. a num. 5. & deinceps diximus, voluntatem determinare seipsam, & determinari à seipsa per iudicium proprium, inuentum scilicet per collationem intellectus, quam ratio nostra facit per discursum consilij, & per syllogismum practicum procedentem ex volitione efficaci finis, cuius conclusio mouet voluntatem ad exercitium actus, & sic habet rationem imperij; ita vt id, quo voluntas vtitur ad se determinandum sit intellectus, per cuius iudicium, & imperium, seu formam apprehēsam tali iudicio, determinatur ad mouendum seipsam determinatè in hunc, vel illum actum liberum quantùm ad exercitium actus, & secundùm illum modum, quo voluntas, vt causa verè efficiens, mouet tum se, tum alias potentias.

1035

Alia dicta eiusdē sententiæ referūtur.

11 Præterea in hac disp. §. 3. à num. 2. vsque ad finem §. probauimus ex euidenti doctrina S. Thomæ, & Aristotelis, non valere illam consequentiam, qua ex eo, quod illud, quod est ad vtrumlibet non exit in actum, nisi per aliquid, quod ipsum determinat ad vnum, infertur, quòd voluntas, quæ est ad vtrumlibet, non exit in actum, nisi a primo agente immediatè, & per aliquid ab ipso solo dimanans determinetur ad vnum. Similiter §. 7. huius disp. probauimus, non valere consequentiam illā, qua ex eo, quod secunda mouentia non mouent, nisi moueātur, infertur, ergo illud, quod est secundum mouens, vt est voluntas, non mouet, nisi moueatur immediatè ab ipso solo primo, & per motum ab ipso solo procedentem. Et rationem assignauimus. Quia quando sunt

plura

plura mouentia ordinata, primum mouens non mouet vltimum, nisi per intermedia: & sic, si aliquid est motum, & determinatum ad actionem ab alio, non oportet, quòd talis motùs, & determinatio procedat à solo primo. Quia si inter mobile, & determinabile ab alio, & primum mouens, sunt alia intermedia, quæ sunt proximiora mouentia, oportet, quòd motus, & determinatio procedat à primo per intermedia, & sic oportet, quòd procedat etiam ab intermedio, sicut si anima manu mouet baculum, oportet, quòd motus baculi procedat, non à sola anima, sed etiam à manu. Ex quo infertur, quòd quia proximum mouens, & determinans voluntatem ad volendum media ad finem, est intellectus motus à volente finem ad inueniendum, & determinandum, quid sit conueniens fini; ideo determinatio, qua voluntas determinatur ad eligẽdum aliquod determinatum medium ad finem; ac etiam motus ille, quo voluntas mouetur per determinatam actionẽ in tale medium, oportet, quòd procedat, non à solo Deo immediatè, qui est primus, & remotus motor voluntatis creatæ, sed etiam ab intellectu, vt à proximo mouente, moto à voluntate volente finem, vt a suo proximo superiori mouente. Ita quidem, vt motus ille, quo voluntas creata mouetur eligendo determinatum medium ad finem volitum, sit à Deo mouente voluntatem in finem, & media voluntate mota in finem, & per talem motum applicante intellectum ad inueniẽdum determinatum medium in dictum finem & ita sit à Deo, non immediate mouente voluntatem in actionem, qua determinatè tendit in tale medium propter finem, sed mediante voluntate volente finem, & etiam mediante intellectu moto à voluntate, iudicante, & per suam sententiam imperante, talem determinatam actionem agendam esse propter finem. Hæc est summa totius nostræ sententiæ circa hunc punctum. Et indè ex principijs proximè relatis reiecimus, vt inutilem discursum ipsius Aluarez, & aliorum Recentium, quo ex eo, quod voluntas est ad vtrumlibet, & mouens mota ab alio, inferebant, voluntatem determinari per motum impressum à solo Deo.

Explicatur modo quo secũdum D. Thomæ sententiã actus liber nostræ voluntatis procedit à Deo mediante eadem voluntate & intellectu

1036 12 Nunc ergo audi. Totum hoc, quod diximus, esse summam totius nostræ sententiæ ex doctrina S. Thomæ, docet etiam, & probat ex eisdem principijs ipsemet Aluarez 1.2. quæst. 17. disp. 64. vbi num. 20. ponit primam conclusionem, & inquit. *Prima ergo conclusio sit. Ad omnes actus deliberatos, vel liberos, siue versentur immediatè circa media, siue circa finem, necessarium est imperium rationis, & iudicium practicum, quod explicatur per illa verba: fac hoc, ama, elige &c.* Quam conclusionem probat primò auctoritate; secundò verò ratione & sic habet. 1037

Recẽsentur dicta Aluarez. quibus docet totam nostrã sententiam.

13 *Præterea probatur ratione Magistri Medina quæst. 13. art. vltimo. Quia voluntas etiam post consultationem, & iudicium, quod exprimitur per modum indicatiui, secundùm se est indifferens ad eligendum, vel non eligendum: & similiter est indifferens ad eligendum, vel volendum hoc vel illud, quantùm ad exercitium actus. Ergo oportet, quòd per imperium dirigatur, & determinetur ad operandum, & ad volendum hoc potiùs, quam illud: aliàs non magis sequeretur hæc actio, quàm illa.* *Voluntatẽ nostrã determinari ad alterã partem per imperium rationis docet Aluarez.*

1038 14 Et statim subdit. *Respondent, hanc rationem esse nullam; quia non oportet ponere aliquid ex parte intellectus rationis cuius voluntas vnum præ alio eligat, aut velit, quia ex innata libertate habet eligere pro libito, etiam inter æqualia. Sed hæc solutio pugnat apertè cum doctrina S. Thomæ 1. p. quæst. 19. art. 3. ad 5. vbi cum S. Doctor proposuisset hoc argumentum.* Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator in 2. Physic. Si ergo voluntas Dei in aliquibus se habet ad vtrumlibet: sequitur, quòd ab aliquo alio determinetur ad effectum, & sic habet aliquam causam priorem. *Sic respondet.* Ad quintum dicendum, quòd causa, quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: Sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. *Et in hac 1.2. quæst. 9. ar. 4. in corp. & alijs pluribus in locis id ipsum docet. Sentit ergo, voluntatem creatam, quæ secundum se est causa contingens, & indifferens, numquam producere determinatum actum, nisi ab alio determinetur: hæc autem determinatio in actibus liberis fit ab intellectu per imperium rationis. Ergo huiusmodi imperium est necessarium ad omnes actus liberos.* Hæc Aluarez. Notasti minorem subsumptam sub auctoritate S. Thomæ, videlicet, *hæc autem determinatio in actibus liberis fit ab intellectu per imperium rationis.* Tota nostra sententia in hoc consistit. Sed nunc audi secundam rationem, quam statim subiungit num. 22. inquiens. *Voluntas nostra nõ exit in actum, nisi per imperiũ rationis determinetur ad alterã partem.*

1039 15 *Secundò probatur. Primum mouens non mouet, nec producit effectum, nisi per mouens secundum. Sicut Deus, qui est primum mouens simpliciter, non mouet hæc inferiora, nisi per mouentia intermedia: Vnde & Angeli inferiores illuminantur à Deo per superiores; vt 1. p. quæst. 106. ar. 3. & 4. docet* *Voluntas in ordine ad actus liberos est primum mouens: mouẽs verò proxi-*

Digitized by Google

mum ad exercitiū actus eſt intellectus per imperium.

4. docet S. Thomas. *Sed voluntas eſt primum mouens omnes potentias executiuas ad ſuas operationes: intellectus autem per imperium eſt ſecundum mouens, quod ſubinde mouet in virtute ipſius voluntatis, vt in corp. huius art: docet S. Thomas. Ergo voluntas nunquam ſe mouet liberè, nec alias potentias executiuas, niſi per imperiū rationis: ac per conſequens eiuſmodi imperium eſt ſimpliciter neceſſarium, vt voluntas operetur, ad omnes actus liberos, tam elicitos, quàm imperatos.* Et circa hanc rationem conſidera primò principium in maiori aſſumptum, ipſumque confer ad doctrinam, quam ex D. Thoma retulimus in hac diſp. 2 §. 7 & deinceps & §. 11. num. 41. & inuenies, prædictam maiorem eſſe abſolutè veram de agentibus creatis, quæ ſunt primum mouens in aliquo ordine, vt eſt voluntas in ordine ad potentias ſibi ſubordinatas, & corpus cœleſte in ordine corporalium: de Deo verò non abſolutè; ſed formaliter, & in quantùm mouet, vt primum in ſerie per ſe ordinatorum mouentium, ſeu inquantùm ſeruat ordinem, quem ipſemet Deus præfixit in prædictis mouentibus: non autē prout agit miraculosè, & non ſeruato prædicto ordine, vt cum reſuſcitat mortuos, dat viſum cæcis &c. Et inde deduces, prædictam maiorem eſſe veriſſimam, vt pote, quia loquitur de primo mouente, prout mouet formaliter, vt primum in ſerie per ſe ordinatorum mouentium.

1040

Ratio allata ab Aluarez eſt fundamētum noſtræ ſententiæ.

16 Secundò conſidera, quòd prædicta ratio eſt fundamentum noſtræ ſententiæ, quo ineuitabiliter probatur. Nam ſi ex vna parte intellectus per imperium eſt proximū determinās voluntatem ad exercitium actus volendi, ſeu eligendi hoc potiùs, quàm illud; mouetque voluntatem ex vi præcedentis actus ipſius voluntatis, ex quo ipſamet voluntas procedit ad determinandam ſeipſam per imperium intellectus, vt ipſe Aluarez docet ex Medina verbis relatis num. 13. & verbis referendis nu. 18. Et ex alia parte, primum mouens, qualis eſt Deus, non mouet (loquendo naturaliter) vltimum mobile, niſi per mouens medium, quod eſt proximū mouens: iā indè ſequitur, quòd Deus non mouet voluntatem ad exercitiū actus volendi & eligēdi hoc potiùs, quàm illud, niſi per intellectū ſuo imperio mouentem voluntatē determinatè ad eligendum hoc potiùs, quàm illud, ſeu ſuo imperio determinante voluntatem ad hanc potiùs actionem, quàm illam. Fit ergo voluntas à Deo de indeterminata, determinata ad exercitium actus volendi & eligendi determinatè hoc &c. per imperium rationis præſupponens alium actum voluntatis, quo ratio mouetur ad imperandum ab eadem voluntate. Imperium ergo rationis eſt determinatio voluntatis, qua eam Deus determinat ad exercitium actus, non quidem immediatè, ſed mediante voluntate mouente ſeipſam per imperium intellectus. Qualiter autē Deus moueat quādoq; immediatè voluntatem per gratiā, dicemus infra.

1041

Ex ipſo Aluarez oſtenditur, nō valere conſequētiam eiuſdem Aluarez.

17 Tertiò conſidera qualiter ex diſcurſu ipſius Aluarez relato proximo num. 13. euidenter habetur noſtra, & D. Thomæ doctrina, cuius meminimus num. 11. huius §. videlicet, quòd non valet illa conſequentia, qua, ex eo quod aliquid eſt mouens motum ab alio, ſeu etiam determinatum ab alio, infertur: ergo eſt motum immediatè à Deo per aliquid ab ipſo ſolo dimanans. Si quidem primum mouens non mouet vltimum mobile, niſi per intermedium mouens: motus ergo, quo mouetur vltimum mobile, non ſolùm dimanat à primo, ſed etiam ab intermedio. Et in caſu, de quo loquimur, non valet: voluntas mouetur, & determinatur ab alio ad exercitium actus volendi hoc potiùs, quàm illud ex his, ad quæ eſt indifferens: ergo voluntas determinatur à Deo per motum ab ipſo ſolo dimanantem. Si quidem talis motio *& determinatio in actibus liberis* (vt ait Aluarez verbis relatis num. 12. *fit ab intellectu per imperium rationis*, mota à voluntate, mota à Deo per illum actum, quo mouit eandem rationem, ſeu intellectum ad imperandum, ac per hoc oportet, quòd emanet non à ſolo Deo, ſed etiam à voluntate, & intellectu inferente per virtutem collatiuam, ſeu per diſcurſum conſilij, iudicium illud determinatum, quo iudicando imperat, talem determinatā actionem agendā eſſe a voluntate pro fine volito.

1042

Imperium intellectꝰ requiritur ad hoc, vt in virtute voluntatis intellectꝰ moueat eādem voluntatem ad exercitiū actus.

18 Exprimit etiam noſtram ſententiam id, quod docet Aluarez num. 23. ſequenti reſpondens primo argumento, quod in principio diſputationis propoſuerat pro oppoſita ſententia, his verbis. *Probant Primò. Nam actus imperij, ſi eſt in intellectu non videtur neceſſarius, vt cæteras potentias moueat quoad exercitium. Quia primum mouens quoad exercitium, etiam eodem S. Thoma teſte quæſt. 9. ar. 1 eſt voluntas. Intellectus autem ſolùm eſt primum mouens quoad ſpecificationem. Neque neceſſarium eſt imperium, vt primum principium mouens quoad ſpecificationem: quia per iudicium conſultationis, quod præcedit electionem, ſufficienter dirigūntur operationes quoad ſpecificationem.* Cui reſpondet num. 22. cit. dicens. *Ad primum argumentum iam patet ex dictis, ad quid ſit neceſſarium imperium rationis. Requiritur enim, vt in virtute voluntatis, quæ eſt primum mouens quoad exercitium, moueat, & determinet ipſam voluntatem ad volendum hoc, vel illud, & potentias executiuas ad operandum,*

dum, & exequendum id, quod voluntas vult. Licèt enim voluntas inter mouentia creata sit primum mouens seipsam, & cæteras potentias, quantùm ad exercitium actus, id tamen efficit per imperium rationis, quod est secundum mouens in virtute ipsius voluntatis. Hæc Aluarez.

1043 *Testimonium Aluarez, quo docet, voluntatem mouere effectiuè intellectũ & alias potentias.*

19 Tandem completè explicat totam nostram, & S. Thomæ sententiam, dum illam quæstionem definit: An voluntas, vt primum mouens ad exercitium actus, & intellectus, vt mouens medium, & vt motum à voluntate, mouens ad idem exercitium, moueant alias potentias, & seipsas, vt causæ effectiuæ verè, & propriè. Docet enim cum Diuo Thomâ, & veritate, quòd sunt causæ verè effectiuæ & verè efficienter mouentes. Loquendo igitur de voluntate, sic quæstionem proponit, & resoluit eadem 1.2. quæst. 9. disp. 45. in fine: *Vtrum autem voluntas moueat intellectum ad exercitium actus, & per quem modum illum moueat disputatur ex professo 1.p. quæst. 82. ar. 4. vbi videndus est Caiet: & Magister Bannes, & alij interpretes S.Th. qui fatentur, voluntatem mouere effectiuè, & applicare intellectum ad exercitium actus. Videatur etiam ipse S. Doctor quæst. 14. de Veritate ar. 1. & 2. & quæst. 22. ar. 12.* Et quidem D. Thomas loco citato 1 p. id docet expresè. Sic enim habet.

1044 *Testimonũ S.D. confirmãs supradicta.*

20 *Dicendum, quòd aliquid dicitur mouere dupliciter. Vno modo per modum finis, sicut dicitur, quòd finis mouet efficientem; & hoc modo intellectus mouet voluntatem. Quia bonum intellectum est obiectum voluntatis, & mouet ipsam, vt finis. Alio modo dicitur aliquid mouere per modum agentis, sicut alterans mouet alteratum, & impellens mouet impulsum & hoc modo voluntas mouet intellectum, & omnes animæ vires.* Nota exemplum: *sicut alterans mouet alteratum, &c.* quo nos ad idem significandum vsi sumus num. 25. §. præcedentis. Alterans enim non alio causalitatis modo, quàm verè efficientis mouet alteratum, & sic voluit designare S. Doctor, quòd *mouere per modum agentis* importat idem, quod mouere, vt mouet causa efficiens. Hinc Caietus prædictam distinctionem S. Thomæ retulit his verbis: *Distinctio est ista: mouere dupliciter, finaliter, & effectiuè &c.*

1045 *Recensetur testimonia Aluarez, quibus docet intellectũ mouere voluntatẽ effectiuè per imperium*

21 Quòd autem voluntas non nisi per intellectum eiusque imperium, vt per causam intermediam mouentem in virtute eiusdem voluntatis, moueat, secundùm dictum modum causalitatis effectiuæ, tam alias potentias, quàm seipsam, docuit Aluarez ex D. Thoma tum verbis relatis in hoc §. nu. 13. 15. & 18. tùm sæpissimè alijs locis: siquidẽ dicendo, quòd intellectus, vt mouens secundum, & inquantùm mouet, vt motus à voluntate, mouet per imperium ad exercitium actus, tam ipsam voluntatem, quàm alias potentias, hoc voluit significare per ly *ad exercitium actus*, nempe, quòd mouet per modum agentis, & effectiuè. Patet hoc ex ipsomet Aluarez eadem 1.2. quæst. 9. disp. 45. vbi postquam num. 7. primam conclusionem posuit his verbis: *Absolutè dicendum est, intellectum, etiam cum notitia, & cognitione practica, seu bonum apprehensum per talem notitiam, non habere per se virtutem mouendi effectiuè voluntatem*: num. deinde 13. eiusdem disp. in fine explicat illã particulam, *per se*, positam in conclusione, & sic habet. *Dixi in conclusione intellectum non habere per se virtutem mouendi efficiter ipsam voluntatem: nam in virtute ipsius voluntatis id efficere potest, vt patebit infra.* Et citat in margine quæstionem 17. quæ est de Imperio, ex quo loco sunt verba à nobis relata, vbi post verba relata in hoc § num. 18. addit. *Per iudicium autem consultationis quod præcedit electionem nõ mouetur efficaciter voluntas quoad exercitium actus, sed solùm indicatur illi, quid sit faciendum.* Et voluit per hoc significare, quòd iudicium practicum, de quo in conclusione, modo relata, dixit, *quòd non habet virtutem mouendi effectiuè voluntatem*, est hoc iudicium spectans ad consultationẽ, & quod in eadem disp. 64. num. 19. dixerat pertinere ad synesim, & gnomẽ, & explicari per modum indicatiui.

1046 *Voluntas nostra per imperium rationis mouet seipsam ad exercitiũ actus.*

22 Et inde consequenter docet Aluarez, quòd voluntas nõ potest efficaciter mouere, siue alias potẽtias, siue seipsam, nisi mediante ratione imperante, siue sibi, siue alijs potentijs. Hinc disputatione 63. in eandem quæst. 17. primæ secundæ num. 12. sic habet. *Ad primum argumentum Respondetur quòd voluntas non potest efficaciter mouere cæteras potentias, nisi mediante imperio rationis; neque ipsa potest velle aliquid actu deliberato nisi supposito imperio intellectus.* Et notari debet ex hoc loco, quòd contra prædictam responsionem affert statim instantiam, & respondet, vt infra: *Sed contra: sequitur ex hac solutione quòd voluntas moueatur quantùm ad exercitium ab imperio intellectus. Consequens est contra S. Th. sup. quæst. 9. ar. 1. & 3. vbi docet, quod voluntas quantùm ad exercitium non mouetur ab intellectu, sed à seipsa. Ergo. Sequela probatur, nam iuxta hanc solutionem, voluntas non potest habere aliquem actum deliberatum, nisi accedat imperium intellectus. Respondetur. Quòd cum imperium habeat mouere voluntatem quantùm ad exercitium in virtute ipsius voluntatis, vt in corpore huius articuli docet S. Thomas: quando mouetur voluntas*

per

per imperium intellectus à nullo alio mouetur tanquam à prima radice, niſi à ſeipſa; loquendo de mouentibus creatis. Et idem docet Diſp. 45. num. 17.

Concluditur, docuiſſe Aluarez totum, quod in hoc §. probare intendimus: Idque contra ſeipſum.

1047

Reſumitur doctrina Aluarez, qua primò docet, imperium eſſe concluſionem ſyllogiſmi practici.

23 ECce quàm manifeſtè docuit, & probauit hic auctor ex ſententia, quam (vt ipſe ait) *docent communiter Thomiſtæ* ea omnia, quæ probanda nobis eſſent ad noſtrum intentum in hoc §. Ecce quæ docuit (licèt inconſequenter, & ſibi ipſi repugnans in multis) Aluarez ipſe, quem principem & magiſtrum, magna reuerentia ſequendum, quam plures ex Recentibus recepere. Ecce. In primis vult verbis relatis num. 6. & 7. huius §. imperium rationis eſſe concluſionem ſyllogiſmi operatiui præſupponentem diſcurſum, & inquiſitionem, ſeu deliberationem conſilij; quæ ſcilicet, (vt docet Caietanus) includitur in conſilio, quod importat, tùm inquiſitionem, tùm iudicium, ad quod inquirendo peruenitur: quæ duo includuntur in integro ſyllogiſmo operatiuo, quo concluditur, intimando voluntati, vt agatur, hoc, vel illud eſſe hic, & nūc agendum, vel non agendum.

1048

Docet ſecundò, imperium mouere effectiuè voluntatem.

24 Docet ſecundò, quòd intellectus per prædictum imperium mouet effectiuè volūtatem ad ſequendum determinatè vnā partem ex oppoſitis, illam, ſcilicet, quam intimando voluntati iudicat, agendam, vel non agendam eſſe. Et hoc inquantùm intellectus, in mouendo voluntatem ad exercitium actus, eſt mouens ſecundum ſubordinatum eidem voluntati, quæ in quantùm præſupponitur habere volitionem, qua applicat & monet verè effectiuè ipſum intellectum ad conſiliandum, & imperandum, vt agatur id, quod conſiliādo determinat agēdum eſſe, habet in ſuo ordine (ſcilicet, potentiarum animæ) rationem primi mouentis ad exercitium actus, vt habes verbis relatis num. 15. & 18.

1049

Docet tertiò, imperium eſſe neceſſariū omnibus actibus liberis.

25 Docet tertiò, quòd ad hoc eſt neceſſarium prædictum imperium voluntati in omnibus actibus liberis, vt ipſa voluntas quæ (attentis omnibus quæ præcedunt dictum imperium) eſt indeterminata, & indifferens in ordine ad tales actus, accipiat per dictum imperium determinationem, qua ſe mouet effectiuè, & ad exercitium actus ad eligendum hanc potiùs partem, quàm illam, vt habes verbis relatis num. 13. & 14.

1050

Docet quartò, voluntatem moueri per imperium intellectus propriùs dici motā à ſeipſa.

26 Docet quartò, quòd dum ſic voluntas determinatur, & mouetur effectiuè, & ad exercitium actus ab intellectu per imperium, potiùs dicendum eſt, quòd voluntas, quæ in ordine mouentium quoad exercitiū actus eſt primum mouens in genere, moueat effectiuè ſeipſam per rationis imperium, quod eſt ſecundum mouens, quàm quòd intellectus moueat, & determinet voluntatem: quippè, quia operatio potiùs attribuitur primo, ſeu principali mouenti, & cui per ſe conuenit, quàm ſecundo mouenti, & cui conuenit per hoc ſolùm, quod mouetur à principali, ſicut facere ſcamnum potiùs conuenit artifici, quàm ſerræ. Et ita mouere effectiuè, & ad exercitium actus potentias potiùs conuenit voluntati, quæ mouet ſecundùm prædictum modum, vt agens primum, & principale, quàm intellectui per imperiū, cuius efficacia ad mouendum, quantum ad exercitium actus, procedit ab ipſa voluntate mouente intellectum virtute volitionis, quæ in ipſa præſupponitur, vt habes verbis relatis num. 22.

1051

Docet quintò, imperium efficaciter mouerè volūtatē, adeo vt inferat infallibiliter actum imperatum.

27 Docet quintò: quòd tale imperium mouens effectiuè voluntatem, ex vi volitionis ſuppoſitæ, qua ab eadem voluntate ratio ipſa mouetur ad conſiliandum, & imperandum, adeo efficaciter mouet, & impellit eandem voluntatem in eam actionē, quæ iudicatur, & imperatur vt expediens dictæ volitioni præſuppoſitæ, vt ad illud infallibiliter ſequatur: voluntatem inferri in actionem imperatam, & vtique vt ad cauſam effectiuè mouentem determinatè in vnā partem ex oppoſitis, quam imperat, vt habes verbis relatis num. 22. Hæc autem ſunt quæ noſtram ſententiam, & probant, & dilucidant. Et ex quibus habetur primò: quòd, dum voluntas ex volitione finis, per conſilium rationis includens concluſionem ſyllogiſmi operatiui, & imperium dictans, aliquid agendum, mouet ſeipſam in talem determinatam actionem, mouet ſe effectiuè & non ſolùm metaphoricè, & per modum ſuadentis. Habetur ſecundò, quòd imperium rationis eſt principium, quo voluntas determinatur ad inferendum ſeipſam in determinatam actionem, vt cauſa verè efficiēter mouens, & vt cauſa perficiens. Et tandem quòd ad formam apprehenſam per imperium, ſeu ad imperium apprehendens, aliquid eſſe, vel non eſſe agendum, ſequitur infallibiliter motus liber voluntatis ſecundùm illum modum, quo effectus ſequitur ad ſuam cauſam efficientem, vt diximus in fine §. precedētis, & probare propoſuimus in hoc §.

1052

Exemplū ad propoſitum.

28 Et hic obiter nota quòd ſicut corpus cœleſte per motum, quo mouetur ab Intelligentia, eſt primum mouens in ordine corporalium motionum: ita voluntas per motum, ſeu volitionem, qua mouetur in finem, eſt in ordine potentiarum primum mouens ad exercitium actus. Sicut ergo influentia,

Digitized by Google

qua Cœlum per motum influit, & mouet hæc inferiora corpora, determinatur ad speciem effectus per hoc, quod recipitur in causa inferiori, quæ per suam formam est determinata ad illam speciem effectus: vnde per hoc, quod est recepta in virtute generatiua leonis, & per eam transit ad effectum, determinatur ad generandum leonem, vt probauimus in hac disp. à §. 9. & deinceps. Ita influentia, & impetus, quo voluntas, vt mota volitione finis, impellit seipsam per intellectus imperium, tanquam per intermediam causam, ad agendum aliquid propter finem, determinatur ad impellendum in hanc potiùs, quàm illam actionem per intellectum suo imperio apprehendentē, quod hæc, non illa actio sit agenda ad finem volitum. Vide quæ diximus prima parte huius Trac. toto §. x. præsertim à num. 5. Redeamus ad Aluarez.

Inconsequentia Aluarez manifestantur.

1053

Probatur, posuisse Aluarez duas conclusiones sibi repugnantes contradictoriè.

29 DIxi num. 23. *licèt inconsequenter, & sibi ipsi repugnanter*: quia dicta huius doctoris à nobis relata à num. 6. ad 23. huius §. non cohærent, sed repugnant quampluribus alijs eiusdem dictis. Et in primis cōclusiones relatæ n. 8. & 12. huius §. quib° docet, quòd *in omnibus actibus deliberatis aut liberis, etiam si versentur immediatè circa finem, est necessarium ex parte intellectus practicum iudicium compositionis & diuisionis*: & quòd *ad omnes actus deliberatos, vel liberos, siue versentur immediatè circa media, siue circa finem, est necessarium imperium rationis, & iudicium practicum, quod explicatur per illa verba: fac hoc, &c.* repugnant contradictoriè conclusioni relatæ num. 3. huius §. quā idem author docet, quòd voluntas in volitionibus, quibus liberè vult finem, non se mouet moraliter. Porrò hic author idem intelligit per ly *imperium rationis*, & per ly *iudicium cōpositionis, & diuisionis*, vt patet verbis relatis num. 6. & 7. Amplius (vt ex relatis eisdem numeris constat) per ly *imperium rationis*, intelligit conclusionem syllogismi operatiui, quæ præsupponit deliberationē, & discursum; estque illud iudicium, quod secundùm Caietanum includitur intrinsecè in consilio, seu integro syllogismo operatiuo. Et ita fit, quòd illis duabus conclusionibus prioribus, explicatis terminis definiat, quòd ad omnes actus liberos voluntatis, siue versantes immediatè circa finem, siue circa media, requiritur iudicium, quod est conclusio syllogismi operatiui, & supponit deliberationem, & discursum, ac etiam includitur intrinsecè in consilio, & in integro syllogismo operatiuo. At verò per illam conclusionem, qua dicit, quòd *voluntas in ea volitione, qua liberè vult finem, se mouet physicè, non moraliter*, per ly *non se mouet moraliter*, intelligit: quòd non se mouet præsuppositō consilio & deliberatione, vt patet verbis relatis num. 3. Ita vt propositio negata verbis explicationibus sit: In ea volitione, qua voluntas liberè vult finem, non se mouet, præsuppositō consilio & deliberatione. Cum ergo hæc propositio contradictoriè opponatur illi propositioni vniuersali: *Ad omnes actus deliberatos, vel liberos, siue versentur immediatè circa finem, siue circa media, requiritur imperium, seu iudicium* practicum, quod est conclusio syllogismi operatiui præsupponens discursum & deliberationem, &c. iam inde habetur, quòd prædictam propositionem vniuersalem, sibi contradicens, protulerit.

1054

Alia incōsequentia, & repugnātia in dictis eiusdem doctoris ostenditur.

30 Ampliùs, si, dum docet verbis relatis num. 3. huius §. quòd voluntas mouet se moraliter, quando, ex eo quod vult finem, per consilium rationis reducit se in actum volendi aliquid propter finem, intelligeret per ly *mouet se moraliter*, quòd secundùm hunc modum voluntas non mouet se effectiuè, sed solùm per modum suadentis, & metaphoricè, & in eo sensu, quo sumit ly *mouet moraliter* verbis relatis num. 5. huius §. tunc non solùm sibi ipsi contradiceret, sed etiam repugnaret euidenter textui S. Doctoris, dum dicit, in dicto sensu intelligendum esse eundem S. Doctorem ar. 3. & 4. quæstionis nonæ primæ secundæ.

1055

Ostenditur repugnare textui S. Thomæ.

31 Repugnaret quidem textui ipsi S. Doctoris prædicto loco. Nam ex ipso textu euidenter apparet, ipsum S. Doctorem sentire, quòd voluntas mouet seipsam ad exercitium actus, & eo modo, quo mouet agens, seu causa efficiens, per hoc, quod ex volitione finis, per consilium rationis reducit seipsam in actum volendi ea, quæ sunt ad finem. Et hoc sic fit manifestum. Siquidem art. 3. prædicto determinat, quòd voluntas mouet seipsam, dum ex hoc, quod vult finem, reducit se in actum volendi ea, quæ sunt ad finem. Obijcit autem tertio loco contra hanc conclusionem hoc argumentum. *Voluntas mouetur ab intellectu, vt dictum est. Si igitur voluntas mouet seipsam, sequitur, quod idem simul moueatur à duobus motoribus immediatè, quod videtur inconuenientes: non ergo voluntas mouet seipsam.* Et respondet. *Ad tertium dicendum quod non eodem modo voluntas mouetur ab intellectu, & à seipsa. Sed ab intellectu quidem mouetur secundùm rationem obiecti, a se ipsa verò quantùm ad exercitium actus, secundùm rationem finis.* Ex quibus appareret, doctrinam corporis articuli sic intelligi, nempe, quòd voluntas mouetur a seipsa

Moueri ad exercitium actus est moueri à causa efficiente secundū D. Thomam

ad

ad exercitium actus, secundum rationem finis, per hoc, quod ex volitione finis reducit seipsam in actum volendi ea, quæ sunt ad finem. Moueri autem ab aliquo ad exercitium actus secundum rationem finis, importat apud S. Thomam hac eadem quæst. art. primo, idem, quod moueri ab aliquo agente, seu causa efficiente, cui conuenit agere propter finem. Vnde prædicto art. in corpore sic habet.

1056

Doctrina S. Thomæ.

32. *Dicendum, quòd in tantùm aliquid indiget moueri ab aliquo, inquantum est in potentia ad plura. Oportet enim, vt id quod est in potentia, reducatur in actum per aliquid, quod est actu: & hoc est mouere. Dupliciter autem aliqua vis anima inuenitur esse in potentia ad diuersa. Vno modo, quàntùm ad agere, vel non agere. Alio modo, quantùm ad agere hoc, vel illud: sicut visus quandoque videt actu: & quandoque non videt: & quandoque videt album, & quandoque nigrum. Indiget igitur mouente quantùm ad duo, scilicet, quantùm ad exercitium, vel vsum actus, & quantùm ad determinationem actus. Quorum primum est ex parte subiecti, quod quandoque inuenitur agens, quandoque non agens. Aliud autem est ex parte obiecti, secundum quod specificatur actus. Motio autem ipsius subiecti est ex agente aliquo. Et cum omne agens agat propter finem, vt suprà habitum est, principium huius motionis est ex fine.* Hæc D. Thomas valde notanda ad conuincendos hos, qui sic inconsiderate Scholas textui repugnantes facilè approbant.

1057

Notantur tres propositiones S. Th. ex quibus appareat cõtra dixisse Alunez S. Doctori.

33. Nota igitur tres propositiones. Prima est: moueri, seu motio quantùm ad exercitium vel vsum actus est ex parte subiecti, quod quandoque inuenitur agens, quandoque non agens. Secunda est: *Motio ipsius subiecti est ex agente aliquo.* Tertia est: *Cum omne agens agat propter finem, principium huius motionis est ex fine.* Ex his enim euidenter habes, quòd motio ad exercitium actus est ab illo agente, quod agit propter finem. Agens autem hoc, est proprie causa efficiens, quæ scilicet, mouet effectiuè. Et inde euidenter habes, quòd dum S. Doctor docet, quòd voluntas mouetur à seipsa quantùm ad exercitium actus, quando ex volitione finis reducit se per consilium rationis ad volendum aliquid propter finem: significare voluit, quòd secundùm hunc modum mouetur à seipsa, vt ab agente, & mouente effectiuè, illo, scilicet, modo, quo mouet id, quod agit propter finem, & cuius motio pendet ex ratione finis. Tale autem est verè, & proprie causa efficiens, vt per se patet.

34. Idque videbis euidentiùs, si doctrinam S. D. articuli 4. eiusdem quæstionis ex-

Expenditur ad idē propositū doctrina S. Thomæ.

næ expendes. Cõsidera igitur circa litteram huius articuli, primò, quòd conclusionem probandam proponit his verbis *Eo modo, quo mouetur ad exercitium actus, adhuc necesse est ponere, voluntatē ab aliquo principio exteriori moueri.* Secundò considera discursum S. Thomæ, quo prædictam conclusionem probat. Sic enim procedit. *Omne, quod quandoque est agens actu, quandoque in potentia, indiget moueri* (intellige ad exercitium actus) *ab aliquo mouente*, sed voluntas nostra est huiusmodi. *Manifestum est autem, quòd voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet*, ergo necesse est, quòd voluntas nostra ab aliquo moueatur ad volendum, quantùm ad exercitiũ actus. Et quidem si dicatur, quòd ipsa mouet seipsam quantùm ad exercitium actus, vt dictum est. *Ipsa mouet seipsam inquantùm per hoc quòd vult finem, reducit seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem*, quod non potest facere, nisi consilio mediante. Sed tunc, vel ad volendum finem mouetur à seipsa, vel ab alio; si à seipsa, oportet, quòd hoc faciat mediante consilio ex aliqua voluntate præsuppositā, sed in hoc non est procedere in infinitum. Ergo oportet deuenire ad primum motum voluntatis, in quem voluntas prodit, ex instinctu alicuius exterioris mouentis, quantùm ad exercitium actus.

1059

Tota linea mouentiũ, per quæ fit reductio actuũ voluntatis ad primũ mouens immobile est mouentiũ ad exercitium actus.

35. Et inde tertiò aduerte, quòd cum conclusio intenta à S. Doctore nulla alia possit esse, nisi prædicta; si quidem expresse talem conclusionem probandam proponit in principio articuli; ideo oportet, quòd tota linea motuum ordinatorum voluntatis, per quos fit ascensus ad motum, in quem voluntas prodit mota immediatè ab agente extrinseco, seu primo mouente immobili, sit motum in quos voluntas mouetur a seipsa quantùm ad exercitiũ actus. Secundùm quem modũ oportet, quòd voluntas sit mota à seipsa vt a causa efficiente, & agente propter finem à se intentum. Sicut etiam oportet, quòd motus ille, in quem voluntas prodit mota, quantùm ad exercitium actus, non à seipsa, sed ab exteriori principio, & mouente immobili, puta Deo, procedat ab eodem exteriori principio vt a causa effectiua, seu agente, & mouente voluntatem in finem intentum ab ipso exteriori principio, ita vt voluntas per talem motum sit mota, & directa in finem ab alio, non autem sit mota & directa in finem à seipsa. Mouens enim ad exercitium actus est causa effectiua, seu agens, cui conuenit agere propter finem, vt patet ex verbis S. Thomæ relatis & expensis num. 32. & 33. proximè præcedentibus.

Et hic nota primò, quòd quia agens agere propter finem contingit dupliciter (vt habes

habes ex D Thoma eadem 1. 2. quæst. 1. ar. 2. in corp: & est euidens & demonstratum) scilicet, vt se mouens, & dirigens in finem, vel vt motum in finem ab alio: ideo est, quòd voluntas tunc, vt agens, seipsam mouet, quãdo ex volitione finis, seipsam impellit in finem, dirigens se in ipsum: cum verò non sic agit, sed impetu naturæ tendit in finem, sibi præstitutum ab alio, tunc se habet, vt ãgens propter finem motum ad agendum ab alio, non à seipso.

1060

36 Nota secundò (vt sic obiter reijcias distinctionem de se mouendo physicè, & moraliter) quòd prædictus discursus S. Thomæ fundatur in hac conditionali: nempe, *si voluntas mouet seipsam quantùm ad exercitium actus, oportet, quòd hoc faciat mediante consilio ex aliqua voluntate præsuppositа.* Quæ quidem conditionalis includit hanc exclusiuam: Voluntas non aliter mouet seipsam quantùm ad exercitium actus, quàm mediante consilio ex aliqua voluntate præsuppositа. Siquidem, si quis sentiret (vt cum Suario, & alijs suis aduersarijs sentit Aluarez) quòd voluntas mouet se libere ad exercitium actus, etiam alio modo ab eo, quo se ipsam mouet mediante consilio ex aliqua voluntate præsuppositа; videlicet, cum liberè se mouet physicè, non moraliter; tunc prædicta conditionalis esset falsa, & discursus S. Doctoris totus rueret. Nam, dum S. Doctor inquit; *Et siquidem ipsa voluntas moueret seipsam, oporteret, quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsuppositа*, negaret ille hanc propositionem excludendo, quod voluntas ad exercitium actus se mouet etiam physicè, secundum quem modum non oportet, vt hoc faciat mediante consilio ex aliqua voluntate præsuppositа. Hoc autem posito, discursus S. Doctoris totus periret, minimèque posset peruenire ad motum, in quem voluntas prodit mota ab exteriori principio. Hinc stupens capere non valeo, qualiter Aluarez illam distinctionem de se mouendo moraliter, & physicè, potuit adaptare litteræ huius articuli quarti quæst. nonæ, quãdo sic repugnat textui, vt totum destruat, reddatque nullum. Et multo magis est hoc mirandum, quando Caietanus in commentario ad eundem articulum id ipsum aduertit, proponés dubium, illudque soluens reducendo solutionem ad principia per se nota. Mira res! Thomista in re tam euidenti maluit cõsentire aduersarijs, & recedere à D. Thoma, quam a sua dimoueri sententia.

Explicatur fundamentum discursus S. Doctoris, & refellitur distinctio de mouendo se physicè, & moraliter.

1061

37 Audi igitur Caietanum, qui aliquãtùm post principium commentarij ad prædictum quartum articulum proponit dubiũ, & soluit vt infra. *Præterea. Tota vis rationis litteræ consistit in hac exclusiua. Voluntas mouet se mediante consilio, seu ex aliqua voluntate præsuppositа tantum. Et tamen neque hìc, neque in præcedenti articulo, probata est quoad vtramque expositionem. Probatum est enim, quod voluntas mouet se hoc modo; sed non est probatum quòd non alio modo: super qua tamen negatiua fundatur tota vis rationis in littera, vt patet.* Sequitur solutio. *Ad euidentiam huius difficultatis scito tria. Primum est fundamentum huius rationis: & est id, quod dictum est, scilicet, quod voluntas mouet se, non alio modo, quàm ex voluntate finis. Sed radix huius fundamenti non est prætermissa ab Auctore, sed in primo articulo huius quæstionis posita, scilicet, quod principium motionis ad exercitium actus, est ex fine: quia omne agens agit propter finem. Et in art. 3. repetita, & applicata, cum dicitur, quòd ad voluntatem pertinet mouere alias potentias ex ratione finis. Et ergò vis rationis huius hæc. Omne agens agit propter finem appetitum, vel appetitu naturali, vel animali vel intellectuali: Sed voluntas mouendo, tam alias potentias, quàm se, est agens: ergo actio ista est ab ea ex appetitu finis vel naturali, vel animali &c. Sed non ex appetitu naturali: quia sic non mouet se, sed dans naturam moueret illam eo modo, quo grauia, & leuia mouentur à generante: nec esset voluntarium illud agere; vt patet: cuius oppositum significat voluntatem mouere se. Ergo est ex appetitu animali, seu intellectuali, idest, ex volitione finis, quod est intentum. Agere enim ex præuolitione finis, & mediante consilio, idem sunt; sicut cognoscere ex principijs, & mediante syllogismo, idem est. Hæc autem ratio procedit ex per se notis communibus omnes conceptionibus, vt de se patet: vnde nullam habet calumniam. & vtramque expositionem illius exclusiuæ probatam complectitur euidentem, & per hoc patet responsio ad obiectionem contra rationem.* Hæc Caietanus. Quæ quidem Caietani valdè notanda contra hùnc recentem Thomistam!

1062

Confirmãtur prædicta auctoritate Caietani.

38 Habes enim, esse manifestum, rationem S. Thomæ in dicto art. fundari in illa propositione exclusiua. Habes eandem rationem reductam ad communes animi conceptiones, taliter vt ex iudicio Caiet. nullam possit habere calumniam. Nunc ergo quis non miretur, fuisse rationem prædicti articuli existimatam à Suario lib. 3. de Diuina gratia cap. 44. num. 24. inutilem probareque falsum, *& propter hoc qui benignius S. Doctorem interpretantur dixisse, ipsum locutum fuisse mbraliter, non physicè.* Nam (vt num. 56. subdit Suarius) *loquendo physicè, sine dubio voluntas propriè se mouet quoad exercitium actus in prima volitione finis etiam*

Inculcatur doctrina Caietani contra Suarium.

etiam si sit de bono in communi, quia verè efficit illum actum propria virtute vitali; immo & determinat se ad talem actum, quia cum posset illum continere, voluntariè illum exercet. Quis ergo non miretur tantam doctorum differentiam, vt quòd vnus existimat adeo euidens, vt sit notum in primis animi conceptionibus, nullamque possit habere calumniam, alius iudicet adeò falsum, vt oppositum existimet indubitabile, seu sine dubio? Sed maiori admiratione dignum est hoc, quod in Aluarez notauimus, quòd scilicet, ob oculos habens commentarium Caietani reducens litteram S. Thomæ ad communes animi conceptiones, ipse in suo commentario excogitauit illam distinctionem subuertentem (si falsa non esset) fundamentum rationis S. Thomæ, nulla facta mentione doctrinæ Caiet. deditque occasionem Suario existimandi benignam interpretationem, quæ funditùs euerteret (si textui non repugnaret) illam doctrinam S. Doctoris, qua excogitatio Suarij falsa conuincitur, vt in Tractatu de illo principio. Omne, quod mouetur, mouetur ab alio, demõstrabimus. Quandoetiã reducemus omnes motus tũ corporales, tũ vitales ad motũ prouenientem immediatè à primo mouente immobili, & tam in actibus naturalibus, quàm in liberis. Interim solùm nota, quòd ad hoc, vt aliquod agens liberè se moueat, non sufficit, vt diximus num. 15. præcedenti §. ille modus se mouendi (si tamen ita potest appellari) quo oculus diceretur se mouere per hoc, quod elicit actum visionis. Sed requiritur, quòd se moueat secundum illum modum, quo id, quod est in actu tale, aliud à se diuersum, quod est in potentia, reducit in actum similem actui agentis, vnde non sufficit ille modus agendi, quo lapis ratione grauitatis, à qua actiuè emanat motus deorsum, dicitur (licèt abusiuè) agere suum motum: sed requiritur ille modus agendi quo id, quod est actu calidum, reducit calefactibile in actum caloris, & sic requiritur, quòd agens liberum secundum istum modum moueat se ad iudicandum, & appetendum, ita vt habeat principium, quo sit actu iudicans, per quod perueniat ad aliud iudicandum, & similiter habeat principium, quo actu velit, ex quo deueniat ad aliud volendum. Sed de hac re in prædicto Tractatu, vt notauimus num. 15. præcedentis § Redeamus ad Aluarez, de quo diximus nu. 30. huius § quòd non solùm repugnaret textui D. Th. quod probauimus; sed etiam sibi ipsi.

Ostenditur inaduertentia Aluarez.

1063

Repugnaret Aluarez sibi ipsi dicen.

39 Repugnaret igitur sibi ipsi, quia ipsemet verbis relatis à num. 13. ad 22. docet voluntatem nostram se mouere effectiuè, & quantùm ad exercitium actus, per imperium rationis, tanquam per causam secundam ab ipsamet voluntate motam, & applicatam ad iudicandum ex vi volitionis præsuppositæ. Nomine autem imperij rationis, intelligit (vt sæpe aduertimus) iudicium quod secundum Caietanum intrinsecè includitur in consilio, & integro syllogismo rationis practicæ. Quando ergo voluntas ex volitione præsuppolita se mouet per cõsilium rationis ad volendum aliquid aliud ptopter finem volitum, non mouet se solùm metaphoricè, & per modum suasionis, seu ex parte solius obiecti, sed etiam effectiuè, & ad exercitium actus, seu ex parte subiecti.

ti, intellectum per imperium mouere effectiuè voluntatem.

1064

Repugnat etiam sibi dum docet imperium intellectũ mouere voluntatẽ ad exercitiũ actus.

40 Immo & in hoc ipso, quod dicit, imperium rationis motæ à voluntate, mouere, quantùm ad exercitium actus, eandem voluntatem ad aliquem alium actum distinctum ab illo, qui in volunsate præsupponitur, repugnat sibi ipsi. Nam 1.2. quæst. 9. art. 1. Disp. 45. num. 12. ideo docet, quòd motus intellectus apprehendentis bonũ, seu bonum apprehensum, simul sumptum cum notitia apprehendente, non concurrit effectiuè ad actum voluntatis tendentis in dictum bonum apprehensum, quia actiones immanentes, quales sunt actus voluntatis, non procedunt effectiuè, nisi à potentia, in qua subiectantur: Et actus voluntatis non in intellectũ, sed tantùm in voluntate subiectantur. Ex hac autem ratione sequitur euidenter, quòd imperium intellectus, nec etiam in virtute voluntatis, potest mouere effectiuè voluntatem: immo etiam sequitur, quòd nec ipsa voluntas possit mouere effectiuè intellectum: cùm nec actus intellectus in voluntate, nec actus voluntatis in intellectu subiectari possit, etiam in virtute eiusdem voluntatis. Et nihilominus hic auctor non alibi, sed in eadem disputatione statim num. sequenti, puta 13. in fine, subiungit illa verba supra à nobis relata. *Dixi in conclusione intellectum non habere per se virtutẽ mouendi efficienter ipsam voluntatem. Nã in virtute ipsius voluntatis id efficere potest.* Et num. 18. in fine docet cum S. Thoma, Caietano, Magistro Bannes, & alijs interpretibus S. D. *voluntatem mouere effectiuè, & applicare intellectum ad exercitium actus.* Dicat modò hic doctor, qualiter ista sua dicta cohæreant, nempe. Ideò intellectus ex vi propria, seu per se, non potest mouere effectiuè voluntatem, quia actus, seu motus volũtatis est actus vitalis, & non potest procedere effectiuè, nisi à potentia, in qua recipitur: Et voluntas mouet effectiuè intellectum, & etiam intellectus in vi, qua mouetur à voluntate per actum, qui præsupponitur in voluntate, mouet effectiuè eandem voluntatem ad alium actum? Nam actus intellectus, in quem idem intellectus mouetur

Conuincitur de dicta repugnantia.

à vo-

à voluntate, non est vitalis; aut etiam non est vitalis actus imperatus voluntatis, qui effectiuè procedit ab imperio existente in intellectu? Si ergo vterque actus est vitalis, & potest procedere, vt à mouente effectiuè, a potentia, in qua non subiectatur: cur intellectus per suam notitiam non potest mouere effectiuè voluntatem, quia actus voluntatis est vitalis?

Alia inconsequentia huius Recentioris, & in dictis ipsius repugnantia manifestatur.

1065

Dicit sibi repugnantia circa actum voluntatis præcedentem imperium rationis.

41 ADhuc in explicando actum voluntatis, ex vi cuius intellectus per imperium mouet quantùm ad exercitium actus eandem voluntatem ad alium actum, Diuo Thomæ, & sibi ipsi euidentissimè contradicit. Nam, in primis, 1. 2. disp. 46. num. 12. existimat, quòd ante omnem actum voluntatis præcedit imperium inditum ab auctore naturæ: creditque, quòd ad tale imperium sequitur actus liber. Porrò num. 2. dictæ disp. proponit 4. argumentum in contrarium his verbis. *Quartò. Est impossibile, in actibus voluntatis dari processum in infinitum; quia numquam posset voluntas deuenire ad vltimum actum: eo quod infinitũ non est pertransibile. Ergo necesse est deuenire ad primum actum voluntatis necessarium, qui non procedit ex præcedenti deliberatione. Aliàs talis deliberatio deberet procedere ex alia deliberatione, & sic in infinitum. Sed necessitas illius primi actus voluntatis non potest aliunde prouenire, nisi ab obiecto. Ergo datur in via aliquod*

1066

Ponit primum actũ voluntatis procedere ab imperio rationis indito ab auctore naturæ.

obiectum necessitãs voluntatem quoad exercitium actus.

42 Respondet verò num. 12. his verbis. *Ad quartum Respondetur, in actibus voluntatis deueniendum esse ad primum actũ, qui procedat ab imperio indito ab auctore naturæ, quod quidem imperium, vt patebit infra, ne detur processus in infinitum, non erit formaliter actus deliberatus; sed solùm radicaliter: quia nimirum cum indifferentia intrinseca libertati, hoc est, cum facultate ad vtrumlibet mouet voluntatem ad prosequendum bonum sibi propositum.* Nota singula huius responsionis. Ne enim concedat, voluntatem, dum est in via, moueri ad exercitium actus ab aliquo obiecto, docet, quòd, ne detur processus in infinitum in actibus voluntatis, deueniendum est, non ad primum actum voluntatis necessarium, in quem moueretur ab obiecto quantum ad exercitium actus; sed ad imperium inditum mouens voluntatem ad exercitium actus in primum actum relicta in voluntate indifferentia, & facultate ad vtrumlibet. Idque promittit se infra explicaturum. Amplius nota, quòd non docuit, voluntatem in primum actum moueri, & determinari ad exercitium actus per qualitatem impressam eidem voluntati ab auctore naturæ, sed per imperium inditum ab eodem naturæ auctore.

1067

Ponit, primum actũ voluntatis à nullo imperio rationis procedere: sed ex instinctu naturæ.

43 Verùm deinde disp. 56. num. 14. in responsione ad quartum versans eandẽ difficultatem docet, quòd, ne detur processus in infinitum in actibus voluntatis, deueniẽdum est, non ad imperium rationis præexquisitum ad omnem actum liberum voluntatis; sed ad actum voluntatis, qui non dependet ex imperio, & sic habet. *Ad quartum respondetur, quòd, vt patebit infra, imperium præcedit omnem actum liberum voluntatis. Nec ex hoc sequitur, quòd detur processus in infinitum, quia vt dicit S. Tho. infra quæst. 17. ar. 5. ad 3. deueniendum est tandem ad primum actum voluntatis, qui ex imperio rationis non dependeat, sed ex instinctu naturæ, aut superioris.*

1068

Ponit, nullum dari imperium naturale

44 Demum perueniens iam ad quæst. 17. vt ad proprium locum definiendi rem hanc: & ad quem verbis relatis duobus numeris præcedentibus fortè remisit lectores, inquirit disp. 67. *An detur aliquod imperium naturale antecedens omnem actum liberum voluntatis.* In hac autem disputatione primò refert opinionem quorundam affirmatiuè respondentium; rationesque eorundem. Secundò refert oppositam, quam dicit Cõradi, eamque sequitur, inquiens. *Vndè dicendum est. Nullum dari imperium merè naturale antecedens omnem actum voluntatis liberum. Probatur primò. Nam S. Thomas art. 1. huius quæst. ait, quòd imperium est actus rationis præsupposito actu voluntatis, in cuius virtute ratio mouet per imperium ad exercitium actus. Item etiam ar. 5. ad 3. inquit, quòd ad primum actum voluntatis non præexquiritur imperiũ, quia est actus naturalis. Ergo ad imperium præexquiritur necessariò motio libera voluntatis: aliàs enim nulla esset implicatio, quod ante primum actum naturalem voluntatis antecederet imperium.*

1069

Probat tale imperiũ non dari.

45 *Secundò probatur. Homo per imperium est dominus suarum operationum: ergo imperium debet esse actus rationis liber, sicut & operatio, cuius homo est dominus. Dominium namque, quod habet homo respectu suarum operationum fundatur in libertate, seu libera facultate ad vtramque partem.*

1070

Probat tale imperiũ tollere libertatẽ actui imperato, si daretur.

46 *Tertiò. Si datur aliquod imperium naturale, vel illud fertur super actum naturalem, vel super actum liberum: non super actum naturalem; nam actus naturales non cadunt sub imperio, sed solùm actus liber,*

Digitized by Google

liber, vt in hoc art. docet S. Thomas. Nec etiam poteſt cadere ſuper actum liberum: Nam ad imperium efficax neceſſariò ſequitur actus imperatus, niſi adſit naturale impedimentum potentiæ executiuæ. Ergo, ſi imperium eſt naturale, actus etiam imperatus, qui ſequitur ad tale imperium, erit etiam naturalis, & non liber.

1071 47 Denique reſpondet ad argumenta, quæ pro oppoſita ſententia propoſuit in principio diſputationis: quorum primum eſt. *Intellectus ſemper mouet voluntatem efficienter eam dirigendo; Sed huiuſmodi motus non fit, niſi per imperium rationis: ergo deueniendum eſt ad primum imperiũ naturale, per quod primus actus voluntatis dirigatur: aliàs enim daretur proceſſus in infinitum in actibus voluntatis.* Et ad hoc reſpondet inquiens. *Ad primùm argumentum reſpondetur, quòd intellectus dirigit voluntatem per imperium in actib⁹ liberis; non autem in naturalibus, in quibus actus, qui præcedit ex parte intellectus, non eſt imperium; ſed naturalis apprehenſio, & propoſitio obiecti; hæc enim neceſſariò requiritur ad actum etiam naturalem voluntatis; quia nihil volitum, quin præcognitum.*

Soluit rationẽ probantẽ, dari imperiũ naturale; & hoc, quia voluntas in ſolis actibus liberis dirigitur per imperium.

1072 48 Secundum verò argumentum eſt. *Datur aliquis actus voluntatis, qui ſit naturalis, & non liber: ergò ſimiliter dari poterit aliquod imperium naturale antecedens omnem actum liberum voluntatis.* Et ad hoc reſpondet dicens: *Ad ſecundum negatur conſequentia: nam actus voluntatis poteſt procedere ab ipſa, vt natura eſt, & tunc erit actus naturalis & indeliberatus. Imperium autem licèt aliquid ſit actus intellectus, qui ſecundùm ſe poteſt conſiderari, vt natura, & habere aliquem actum indeliberatũ, tamen neceſſariò præſupponit liberum actum voluntatis, vt probat S. Thomas vbi ſupra. Vnde non poteſt dari aliquod imperium procedens ab intellectu, vt natura.* Hæc Aluarez.

Soluit aliam rationẽ, & docet, imperium rationis præſupponere actum liberum voluntatis.

1073 49 Hic autem ne mireris tranſcripſiſſe nos integram diſputationem huius Doctoris. Non enim hoc ideò dumtaxat fecimus, vt eius inconſequentias manifeſtatas vitemus; id enim non adeò referret; Sed, & maximè, quia id poſtulat defenſio S. Thomæ, ne ei imponatur doctrina non ſua. Hic enim Doctor opiniones ſuas ſibi, & D. Thomæ repugnantes imponit eidem S. Doctori. Ex quo fit, quòd non valentes doctores, qui prædictas repugnantias aduerterunt, animum flectere ad aſſentiendum contradictorijs (quis enim hoc faciet, cum ſit impoſſibile)? compulſi ſunt negare neceſſitatem imperij rationis, ſeu dictaminis præceptiui de agendis ad finem, & ſic manifeſtè recedere, quantùm ad hunc punctum, ab Ariſtotele, & D. Thoma, vt fecerunt ferè omnes Patres Societatis, qui per hoc ipſum excuſandi videntur in tali receſſu, quia fidem quibuſdam Thomiſtis, doctrinam ſui præceptoris ſub quadam repugnantia proponentibus, habuerunt.

Imponit S. Thomæ opiniones ſibi, & eidem S. Th. repugnantes.

1074 50 In primis igitur conſidera, quàm manifeſtè dicta poſteriora huius doctoris, à nobis ad notata à num. 43. & deinceps in hoc §. repugnent dictis eiuſdem prioribus, adnotatis num. 42. Priùs enim docuit in actibus voluntatis, ne detur proceſſus in infinitum, deueniendum eſſe ad primum, ſupponentem imperium inditum ab auctore naturæ, mouens ad exercitium actus eandem voluntatem ſalua indifferentia, & poteſtate ad vtrumlibet, ſeu libertate in ordine ad eundem primum actum. At verò poſtea docet, non dari imperium naturale, deueniendumque eſſe (ne detur proceſſus in infinitum) ad actum primum voluntatis non liberum, ſed naturalem, vt patet verbis relatis num. 43. 47. & 48. ad quem ſcilicet nullum præcedit imperium, nec naturale, nec liberum, ſed ſola ſimplex apprehenſio obiecti. Et inſuper, quòd ſi daretur imperium naturale, actus voluntatis imperatus conſequens, eſſet etiam naturalis, & non liber, vt patet verbis relatis nu. 46. 47. & 48. ac per hoc tale imperium, ſi daretur, non moueret voluntatem, ſalua, ſeu conſeruata libertate, & facultate ad vtrumlibet in ordine ad actum in quem moueret, ſed ea ablata, & hoc, *quia ad imperium efficax neceſſariò ſequitur actus imperatus.* Et hic nota, quid eueniret, ſi ex prædicto antecedenti poſſet inferri ablatio libertatis actus conſequentis. Quis capiet hæc?

Manifeſtantur repugnantiæ prædictorum.

1075 51 Verùm hæc, vt dixi parùm referrent, ſi has ſuas opiniones non imponeret S. Thomæ. Vide ergo quid refert docet hic doctor ex D. Th. (& ita reuera eſt) quòd omnis actus liber voluntatis (qui nimirum eſt ſimpliciter talis) procedit ex imperio rationis: & quòd, ne detur proceſſus in infinitum, deueniendum eſt ad actum voluntatis, qui ex tali imperio non procedit; ſed ex inſtinctu naturæ, vel ſuperioris mouentis patet hoc verbis relatis num. 8. 43. & 48. huius §. Imponit deinde S. Thomæ, nullum habens in eo fundamentum, ipſum docere quòd ad omne imperium rationis præcedit actus voluntatis liber, ita vt nullum detur imperium ſupponens ſolùm actum voluntatis merè naturalem. Quòd tamen non ſolùm S. Doctor non docuit, ſed euidenter docuit oppoſitum loco ab ipſomet Aluarez citato verbis relatis nu. 43. eſtque euidenter falſum, vt potè inferens proceſſum in infinitum.

Imponit falſò opiniones repugnantes S. Thomæ.

Digitized by Google

1076 52 Et quidem, quòd ex prædicta positione sequatur processus in infinitum in imperijs, & actibus voluntatis, est adeò euidens, vt sit valde mirum, id non aduertisse virũ in disputationibus versatum. Siquidem ipse ponit ad omnem actum liberum voluntatis præcedere imperium rationis, & simul ponit, quòd ad omne imperium rationis præcedit actus liber voluntatis: dato ergo aliquo actu voluntatis libero, iam ad illud debet præcedere aliquod imperium rationis; & quia *imperium* (vt ipse ait verbis relatis num. 44.) *necessariò præsupponit liberum actum voluntatis*, iam debet dari alius actus liber præcedens tale imperium, & ad hunc actum, quia etiam est liber, debet præcedere aliud imperium, quod *necessariò præsupponit* alium actum liberum, & sic in infinitum. Quis non vidisset hunc processum?

Sequitur ex positionibus Aluarez processus in infinitum in actibus voluntatis

1077 53 Quòd autem S. Doctor non docuit, quòd imperium rationis præsupponat necessariò actum liberum voluntatis, sed huius docuit oppositum loco citato ab Aluarez verbis relatis num. 43. puta 1. 2. quæst. 17. ar. 5. ad 3. patet. Nam argumentum quod proponit est. *Si aliquis actus voluntatis imperatur, pari ratione omnes imperantur; sed si omnes actus voluntatis imperantur, necesse est in infinitum procedere: quia actus voluntatis præcedit actum imperantis rationis, vt dictum est, qui voluntatis actus, si iterum imperatur, illud iterum imperium præcedet aliquis rationis actus, & sic in infinitum. Hoc autem est inconueniens, quòd procedatur in infinitum. Non ergo actus voluntatis imperatur* Responsio autem est. *Ad tertium dicendum, quòd cum imperium sit actus rationis, ille actus imperatur, qui rationi subditur. Primus autem actus voluntatis ex rationis ordinatione non est; sed ex instinctu naturæ, aut superioris causæ, vt sup. dictum est:* (scilicet quæst. 9. art. 4. *& ideo non oportet quòd in infinitum procedatur.* Hæc S. Doctor in responsione.

Probatur, nõ docuisse S. Thomam, ad omne imperiũ præcedere actum liberum voluntatis.

1078 54 In quibus, vt vides, primò negat, omnem actum voluntatis imperari, quia actus primus voluntatis non ex imperio, sed ex instinctu naturæ, vel superioris agentis procedit. Et inde dicit, quod ideo, si ad actum voluntatis præcedit imperium, & ad imperium præcedit actus voluntatis, non est procedere in infinitum, quia est deuenire ad imperium, ad quòd præcedit actus voluntatis, ad quem non præcedit imperium; sed instinctus naturæ. Actus autem voluntatis, ad quem non præcedit imperium, est actus voluntatis non liber, sed naturalis secundum Aluarez verbis relatis nu. 47. & 48. docet ergo S. Doctor quòd, nedetur processus in infinitum, deueniendum est ad imperium rationis, ad quem præcedit actus voluntatis naturalis, & non liber. Docet ergo contradictorium illius propositionis, quam Aluarez verbis relatis num. 50. imponit S. Thomæ, nempè: *Imperium necessariò præsupponit liberum actum voluntatis, vt probat S. Thomas, vbi supra.*

Inculcatur prædicta doctrina S. Thomæ ad propositum.

1079 55 Quòd autem nullo fundamẽto imposuerit Aluarez, S. Thomæ prædictam contradictionem, constare potest ex discursu ipsiusmet Aluarez verbis relatis num. 44. sic enim discurrit. *S. Thomas ait, quòd imperium est actus rationis præsupposito actu voluntatis, in cuius virtute ratio mouet per imperium ad exercitium actus. Item etiam ar. 5. ad 3. inquit, quod ad primum actum voluntatis non prærequiritur imperium, quia est naturalis. Ergo ad imperium prærequiritur necessariò motio liberæ voluntatis*, idest, (vt ipse Aluarez dicit verbis proximè relatis) *necessariò præsupponit liberum actum voluntatis. Alias enim nulla esset implicatio, quòd ante primum actum naturalem non præcederet imperium.* Repetij argumentum, vt defectum agnoscas. Considera igitur, quòd S. Doctor in relatis propositionibus, non dicit hoc, quod intendit Aluarez; sed ipse ex relatis propositionibus infert: idque ex eo, quod secundum dictas auctoritates S. Doctoris repugnat; imperium rationis præcedere actum naturalem.

Non habuisse Aluarez fũdamentũ imponendi S. Thomæ repugnantes opiniones, probatur.

56 Vide modò defectum. Verum quidem est, ex secunda propositione Sancti D. inferri, quòd ad actum voluntatis naturalem non potest præcedere imperium, & hoc in quantum ad imperium rationis sequitur, non actus voluntatis naturalis, sed liber, & subiectus ordinationi rationis: non tamen potest inferri, quòd ad imperium præcedat actus liber voluntatis.

Manifestatur defectus argumenti.

1080 57 Dices, si ex auctoritate S. Thomæ habetur, quòd ad imperium sequitur actus voluntatis liber, ergo oportet, quòd ipsum imperium sit liberum, ac per hoc oportet, quòd supponat actum liberum voluntatis, à quo tale imperium habeat libertatem. Respondeo, quòd in hoc discursu defecit Aluarez non quidem ex auctoritate S. Thomæ, sed ex seipso: vt potè, quia vel non agnouit, vel non aduertit principium, vnde prouenit libertas in primo progressu, quo voluntas procedit de actu necessario, seu naturali, in actum liberum, putauitque (saltem in hac disp. 67. relata) libertatem imperij desumi ex præcedenti actu voluntatis, quod falsum esse, demonstrabimus disputatione sequenti, quando de processu cuiuslibet voluntatis (humanæ, scilicet, Angelicæ, & Diuinæ) quo primo procedit

Instantiæ Aluarez Respondetur, eam procedere ex non cõsiderato principio libertatis in primo imperio.

de

Digitized by Google

de actu naturali, qui est principium omnium volitionum, in actus liberos, diffusè agemus, remque hanc tam difficilem, & ferè ab omnibus desideratam, reducemus ex doctrina D. Thomæ ad principia per se nota; quando etiam explicabimus libertatem, quam in sententia S. Thomæ potest habere primus actus voluntatis humanæ, cui in voluntate angelica correspondet actus simpliciter necessarius.

58 Dixi *saltem in hac disputatione non agnouit*; quia bis inueni, hunc doctorem remisisse lectores ad quædam loca, in quibus promittit se explicaturum, primum imperium non esse liberum formaliter, & ex vi præcedentis actus voluntatis, sed tantùm radicaliter, quod quidem ad explicationem huius veritatis faceret; loca tamen, ad quæ lectores remittit, non inueni. Et quidem verbis relatis num. 42. huius §. dicit, se explicaturum infra, quòd imperium inditum ab auctore naturæ non est actus formaliter liber, sed solùm radicaliter. Verùm hoc deinde non inueni, sed quæ retulimus ex disp. 67. in qua docet totum oppositum. Illa autem breuis explicatio allata verbis relatis eodem num. 42. falsum supponit, & asserit, vt ex dicendis disputatione sequenti patebit; estque ab ipsomet Aluarez impugnata verbis relatis num. 46. 1081

Ex testimonijs Aluarez supra relatis euidenter infertur, non esse necessariam voluntati qualitatem aliquam, impressam sibi a solo Deo, ad hoc, vt ipsa voluntas procedat in determinatum actum liberum.

59 Denique inconsequenter loquitur; quia ex recensitis dictis eius sequitur contra seipsum hoc, quod in titulo posuimus. Quod quidem sic appareret. Nam ipse vult, quòd intellectus mouet ex vi præcedentis actus voluntatis, & per imperium, non solùm alias potentias, & seipsum, sed etiam eandem voluntatem ad determinatè eligendum, & hoc quantùm ad exercitium actus, & effectiuè. Vult enim cum D. Thoma, omnes actus voluntatis liberos esse imperatos, darique imperiū præcedens electiones voluntatis, vt constat ex relatis num. 8. & a num. 12. ad 24. huius §. vultque, intellectum per imperium effectiuè mouere voluntatem, idque docet inter alia loca relata 1.2. disp. 45. num. 13. in fine, & num. 17. Docet deinde non alibi; sed eadem disputatione, & num. 13. quòd, si intellectus moueret per se voluntatem effectiuè, talis motio sufficeret voluntati ad hoc, vt exeat in actum; & non esset ei necessaria motio eidem voluntati impressa a solo Deo. Ex his autem sequitur, quòd si intellectus in virtute voluntatis, & ex vi præcedentis actus, mouet eandem voluntatem effectiuè ad alium actum, non erit necessaria voluntati motio impressa a solo Deo ad hunc alium actum; sed ad summum esset necessaria motio ad actum præcedentem. Ad præcedentem autem secundùm doctrinam eiusdem Aluarez non est necessaria, & sic sequitur, quòd ad nullum actum sit necessaria. 1082

Inculcantur testimonia Aluarez ad propositū.

Secundum doctrinam Aluarez non esset necessaria qualitas

præmouēs ad actus voluntatis imperatos

60 Quòd autem ad illum actum voluntatis, qui præcedit imperium, talis motio non sit necessaria per ipsummet Aluarez; sic ostenditur. Nam vel talis actus præcedens esset imperatus, vel non, si imperatus, id erit ex vi alterius imperij procedentis ex alio præcedenti actu voluntatis, & sic ad talem actum imperatum non fuit necessaria talis motio, & ita fiet ascensus ad actum voluntatis præcedentem imperium, qui nō erit imperatus, sed ex instinctu naturę, sed ad actum, in quem prodit voluntas ex instinctu naturæ, non requiritur ex sententia ipsiusmet Aluarez motio impressa à solo Deo. Ergo. Aduerte, quod secundum hunc doctorem, actus primus voluntatis, ad quem oportet deuenire, ne detur processus in infinitum, vel procedit ex imperio indito ab auctore naturæ, vt docet verbis relatis num. 42. vel si imperium naturale non datur (vt ipsemet docet) procedit ex instinctu naturæ; Si dicatur primum, cum secundùm eundem doctorem per tale imperium intellectus moueat effectiuè voluntatem, iam indè habetur, iuxta doctrinam præcedenti numero citatam, quod non est necessaria motio impressa à solo Deo in talem actum. Si verò dicatur secundum, multò minus erit necessaria. Siquidem illa motio impressa a solo Deo ponitur necessaria potentiæ, vt per ipsam potentia determinetur ad actum, potentia autem in illum actum, in quē prodit ex instinctu ipsiusmet naturæ, est ex ipsa sua natura determinata in illum, vt loquendo de appetitu brutico docet nobiscum ipsemet Aluarez 1.2. disp. 48. num. 6. in fine: non est ergo necessaria talis motio voluntati ad talem actum. Et hæc satis sint, vt obiter videas, docuisse hunc doctorem ferè omnia spectantia ad nostram sententiam, licet fuerit sibi ipsi contrarius. Veniamus ad secundum principale huius §. 1083

Nec esset necessaria ad actum primū non imperatū.

Digitized by Google

Recenſetur doctrina S. Thomæ, quæ probatur, quòd ad iudicium proprium, quo in eius ſententia determinatur voluntas ad ſe mouendum in vnam determinatam partem ex oppoſitis, ad quæ ſe habet ad vtramlibet, ſequitur, vt ad principium effectiuè mouens, per ſequelam phyſicam, & neceſſariam determinatus motus operationis, quo ipſa voluntas à ſeipſa mouetur.

1084

Voluntas mouẽs ſeipſam non ſecundùm idem, ſed ſecundùm aliud eſt mouẽs, & mobilis.

61 VT quòd intendimus probare percipias, Aduerto, quòd (vt probabimus in Tract. de illo principio; *Omne, quòd mouetur, mouetur ab alio*) in ſententia S. Th., & veritate ipſa, voluntas mouens ſeipſam, quantùm ad exercitium actus, per aliud eſt mouens, & per aliud eſt mobilis. Eſt quidem mouens, in quantùm eſt in actu volens finem; eſt verò mobilis, inquantùm eſt in potẽtia ad volendum ea, quæ ſunt ad finem. Idque docet perpetuò S. Doctor, & omiſſis alijs, 1. 2. quæſt. 9. ar. 3. ad 1. & 2. & quæſt. 6. de malo in corp. art. vnici. Ex quo loco nota illa verba. *Quantùm ad exercitium actus, primò quidem manifeſtum eſt, quòd voluntas mouetur à ſeipſa. Sicut enim mouet alias potentias, ita & ſeipſam mouet. Nec propter hoc ſequitur, quòd voluntas ſecundum idem ſit in potentia, & in actu. Sicut enim homo ſecundùm intellectum in via inuentionis mouet ſeipſum ad ſcientiam, in quantùm ex vno noto in actu, venit in aliquod ignotum, quod erat ſolum in potentia notum: ita per hoc, quòd homo aliquid vult in actu, mouet ſe ad volendum aliquid aliud in actu. Sicut per hoc, quòd vult ſanitatem, mouet ſe ad volendum ſumere potionem. Ex hoc enim, quòd vult ſanitatem, incipit conſiliari de his, quæ conferunt ad ſanitatem: & tandem determinato conſilio, vult accipere potionem.* Ex quibus habes primò, quòd voluntas mouens ſeipſam illo modo, quo mouet alia, nimirum, ad exercitium actus, effectiuè, & eo modo, quo alterans mouet alteratum (vt patet verbis relatis nu. 20.) per hoc ſe mouet, quòd ex eo, quod vult aliquid in actu, reducit ſe per conſiliũ rationis, & determinato iam conſilio, ad volendum aliquid aliud in actu. Habes ſecundò: quòd non ſecundùm idem eſt mouens, & mota, ſed ſecundum diuerſa. Quod quidem loco cit. ex 1. 2. ad primum ſic explicat. *Voluntas non ſecundùm idem mouet, & mouetur; vndè non ſecundùm idem eſt in actu, & in potentia: ſed inquantùm in actu vult finem reducit ſe de potentia ad actum, reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, vt ſcilicet actu ea velit.*

Locus S. Doctoris.

Alius locus ad idẽ

62 Itaque, vt vides, voluntas per aliud eſt motiua ſui ipſius, & per aliud eſt mobilis à ſeipſa. Eſt quidem motiua ſui, inquantùm eſt in actu volitionis finis: ita vt actus, quo conſtituitur motiua ſui, ſit volitio finis. Eſt verò mobilis à ſeipſa, inquantùm ipſamet, quæ eſt in potentia ad volendum ea, quæ ſunt ad finem, eſt reducibilis in talem actum volendi à ſeipſa ex vi, qua eſt in actu volitionis finis. Et ita motus, in quem eſt mobilis, & mouetur voluntas à ſeipſa, eſt actus volendi, quo appetit ea, quæ ſunt ad finem. Voluntas igitur mouens ſeipſam ſecundùm aliud eſt motiua ſui, & ſecundùm aliud eſt mobilis à ſeipſa. Eſt quidem motiua ratione motus, ſeu actus volitionis finis, quo eſt in actu; eſt verò mobilis, ratione potentialitatis, & in quantùm eſt in potentia in ordine ad actum volendi ea, quæ ſunt ad finem. 1085

Eſt volũtas mouẽs, in quantùm eſt in actu per volitionẽ finis; & eſt mobilis, in quantùm eſt in potentia ad ea, quæ ſunt ad finem.

63 Nùm tu, Thomiſta cum ſis, dices cum Scoto (quem refert, & ſequitur Suarius lib. 3. de Diuina gratia cap. 44. nu. 25.) quòd ad hoc, vt aliquid moueat ſeipſum, hæc diſtinctio actuum non requiritur; & quòd ſufficit tale eſſe in actu virtuali, & potentia formali? vel dices talem actuum diſtinctionem requiri, vt aliquid ſe moueat moraliter; non autem, vt ſe moueat phyſicè? Sed quis, non dico Thomiſta, ſed Peripateticus hæc dicet? Quomodo ſtabit principium illud, *Omne, quod mouetur mouetur ab alio*, & illud aliud: *Mouens ſeipſum habet partem mouentem, & partem motam.* quibus ex Ariſtotele, & alijs philoſophis vtitur ad probandum Deum eſſe D. Thomas 1. p. quæſt. 2. ar. 3. & lib. 3. contra gent. cap. 13.? Verùm ſi in talia quis abiiſſet Thomiſta, non hìc, ſed cum alijs Ariſtoteli, & D. Thomæ contrarijs confutãdus erit à nobis in Tract. de prædicto principio; *Omne, quod mouetur, mouetur ab alio.* Interim legat Caietanum, Ferrarienſem, & alios Thomiſtas prædictis locis, & probabit ſe ab illis cum Scoto reiectum. 1086

64 Poſita igitur ſententia S. Thomæ, debet ſecundò conſiderari, quòd voluntas habet poteſtatem ad vtrumlibet, ſeu libertatem propriam, & perfectam, in quantùm eſt principium motiuum ſui in proprias actiones. *Liberum enim eſt*, (vt ex Ariſtotele adnotat S. Doctor quæſt. 24. de Veritat. primo in corp. & lib. 2 cont. gent. cap. 48. ratione 2. & alibi ſæpè) *quod ſui cauſa eſt.* Voluntas ergo habens actum volitionis finis, per quem eſt motiua ſui ipſius, per hoc eſt libera in determinando, & mouendo ſeipſam in proprias actiones, quod ex vi actus volitionis finis, per quem eſt motiua ſui, non eſt determinata ad mouẽdum ſeipſam in vnam ſolam determinatam partem ex 1087

Voluntas habet libertatem ſecũdùm, quod eſt principiũ motiuum ſui.

Liberum eſt, quod ſui cauſa eſt. Ariſt.

oppo-

Digitized by Google

oppositis; sed habet potestatem mouendi se ad vtrumlibet. Et insuper ex vi eiusdem actus volitionis finis habet vim, potestatem, & modum perueniendi ad causandum illud principium, seu formam, per quam virtus eiusdem actus volitionis finis, quo voluntas est motiua sui, recipit determinationem ad mouendum in vnam determinatam partem ex oppositis, & ad quam, vt ad principium proximum, per quod voluntas mouet effectiuè seipsam, sequitur determinata operatio eiusdem volūtatis, qua à seipsa mouetur. Vt ita ipsa voluntas per illummet actum, quo est motiua, sit causa sui per hoc, quod est causa illius formæ, seu principij, per quod habet determinatè mouere seipsam in alteram partem ex oppositis, & ad quod sequitur sua operatio. Et ita ex consequenti sic domina suæ determinationis, & operationis. Agens enim, est dominus suæ actionis per hoc, quod est causa formæ, ad quam sequitur sua operatio, vt habes probatum à S. Thoma verbis relatis in hac disp. §. 3. num. 1.

Quid exigat voluntas ad hoc vt sit libera in determinando, & mouēdo se.

1088 65 Habet autem voluntas ex vi, quæ est in actu volitionis finis, prædictam vim, seu potestatem, & modum perueniendi ad causandam prædictam formam per hoc, quòd ex vi talis actus volitionis finis mouet, & impellit (tanquam causam sibi subordinatam, seu instrumentum, ad mouendam seipsam) intellectum ad inueniendam per industriam suæ virtutis collatiuæ, seu (vt accidit in nobis) per discursum consilij, id quod est agendum, seu est conueniens agere propter finem. Et sic ex vi actus volitionis finis, mouendo intellectum, est causa illius iudicij inuenti, quo apprehenditur aliquid determinatè esse agendū, seu est causa formæ apprehensæ, per quam habet determinationem ad mouendum seipsā ad appetendū hoc determinatè, quod iudicat esse appetendum propter finem volitum.

Habet voluntas potestatē causandi principiū, per quod determinatur, in quantū ex vi volitionis finis impellit intellectum.

1089 66 Vt autem prædicta radicitùs capiātur, debet adnotari tertiò. Quòd instrumenta, & causæ inferiores sunt necessaria principali, & superiori agenti propter actiones proprias eis conuenientes ex propria forma, quæ conducunt ad effectum principalis agentis, sine quibus non posset ad suū effectum peruenire. Hinc ferra est necessaria fabro lignario, propter actionem, quæ est propria ferræ, cuius est secare, quod cōducit, & est necessarium fabro ad conficiēdum opus artificiosum, vnde mouendo ferram, eaque secando, procedit ad efficiendam arcam. Similiter etiā semen leonis est necessarium cœlo ad generandum leonem propter virtutem propriam, quæ est in tali semine, vnde mouendo talem virtutem ad actionem propriam, procedit cœlum per motum suum ad generandum leonem. Simili ratione voluntati volenti finem est necessarius intellectus ad hoc, vt perueniat ad mouendam seipsam ad appetenda ea, quæ sunt ad finem, propter scilicet operationes, quæ sunt propriæ ipsius intellectus, & conducunt ad istum effectum mouendi voluntatem in ea, quæ sunt ad finem.

Intellectus est necessarius voluntati ratione operationis propriæ, ad hoc, vt seipsam determinet: Et hoc illo modo, quo instrumenta artificis.

67 Est enim potentia *appetitiua* (vt docet ex Aristotele S. Doctor 1. p. quæst. 80. art. 2. in corp. & alibi sæpissimè *potentia passiua, quæ nata est moueri ab apprehensorende appetibile apprehensum est mouens non motum, appetitus autem mouens motum*. Hinc proximus motor voluntatis ex parte obiecti est intellectus per apprehensionem boni. Nam bonum apprehensum est obiectum voluntatis. Et sic est propria operatio intellectus mouere ex parte obiecti voluntatem per apprehensionem boni. Intellectus igitur est necessarius voluntati volenti finem ad mouendā seipsam ad appetenda ea, quæ sunt ad finem, propter prædictam operationem propriam, vt scilicet, apprehendat per suum iudicium id, quod est conueniens, vt agatur propter finem, vt sic applicando voluntati proprium suum motorem ex parte obiecti, eo mediāte ipsa seipsam moueat ex parte subiecti, & ad exercitium actus, ad appetendum id, quòd iudicatur conueniens, seu expediens fini volito. Et ita per actionem propriam intellectus, vt per actionem propriam sui instrumenti, procedit ad efficiendum id, quod superat virtutem talis actionis, puta ad mouendum seipsam ad exercitium actus. Et hoc illo simili modo, quo artifex, mouendo serram, per actionem serræ, quæ est mera sectio, procedit ad conficiendum opus artis, quod superat virtutem serræ: Et causæ superiores mouendo virtutem, quæ est in semine leonis, procedunt ad generādum leonem secundùm omnes rationes, & gradus superiores, vt entis, corporis generabilis &c. secundum quas superat efficaciā virtutis seminis, vt hac disp. ex D. Th probauimus §. 8. præsertim a num. 21. & deinceps.

1090 *Potentia appetitiua est potentia passiua*

Operatio propria intellectus necessaria voluntati ad determinādum se, explicatur.

68. Et indè sequitur, quòd sicut artifex non potest peruenire ad conficiendū opus artis, e.g. arcam, nisi per instrumēta ab ipso artifice mota ex vi artis, & hoc, in quantùm oportet, quòd per motum, quo mouet instrumenta adiungatur ei virtus propria instrumentorum, per quorum actiones peruenit ad opus artis. Et similiter omnis causa remota seu superior creata non producit vltimum effectum, nisi per inferiorem proximam effectui, propter eadem rationem: quia nimirum oportet, vt virtuti causæ superioris,

1091 *Artifici mouēti instrumenta iungitur virtus propria instrumentorum.*

Digitized by Google

Recenſetur doctrina S. Thomæ, quæ probatur, quòd ad iudicium proprium, quo in eius ſententia determinatur voluntas ad ſe mouendum in vnam determinatam partem ex oppoſitis, ad quæ ſe habet ad vtrumlibet, ſequitur, vt ad principium effectiuè mouens, per ſequelam phyſicam, & neceſſariam determinatus motus operationis, quo ipſa voluntas à ſeipſa mouetur.

1084

Voluntas mouẽs ſeipſam non ſecundùm idem, ſed ſecundùm aliud eſt mouẽs, & mobilis.

61 VT quòd intendimus probare percipias, Aduerto, quòd (vt probabimus in Tract. de illo principio; *Omne, quòd mouetur, mouetur ab alio*) in ſententia S. Th., & veritate ipſa, voluntas mouens ſeipſam, quantùm ad exercitium actus, per aliud eſt mouens, & per aliud eſt mobilis. Eſt quidem mouens, in quantùm eſt in actu volens finem; eſt verò mobilis, inquantùm eſt in potẽtia ad volendum ea, quæ ſunt ad finem. Idque docet perpetuò S. Doctor, & omiſſis alijs, 1. 2. quæſt. 9. ar. 3. ad 1. & 2. & quæſt. 6. de malo in corp. art. vnici. Ex quo loco nota illa verba, *Quantùm ad exercitium actus, primò quidem manifeſtum eſt, quòd voluntas mouetur à ſeipſa. Sicut enim mouet alias potentias, ita & ſeipſam mouet. Nec propter hoc ſequitur, quòd voluntas ſecundum idem ſit in potentia, & in actu. Sicut enim homo ſecundùm intellectum in via inuentionis mouet ſeipſum ad ſcientiam, in quantùm ex vno noto in actu, venit in aliquod ignotum, quod erat ſolùm in potentia notum, ita per hoc, quòd homo aliquid vult in actu, mouet ſe ad volendum aliquid aliud in actu. Sicut per hoc, quòd vult ſanitatem, mouet ſe ad volendum ſumere potionem. Ex hoc enim, quòd vult ſanitatem, incipit conſiliari de his, quæ conferunt ad ſanitatem: & tandem determinato conſilio, vult accipere potionem.* Ex quibus habes primò, quòd voluntas mouens ſeipſam illo modo, quo mouet alia, nimirum, ad exercitium actus, effectiuè, & eo modo, quo alterans mouet alteratum (vt patet verbis relatis nu. 30.) per hoc ſe mouet, quòd ex eo, quod vult aliquid in actu, reducit ſe per conſilium rationis, & determinato iam conſilio, ad volendum aliquid aliud in actu. Habes ſecundò: quòd non ſecundùm idem eſt mouens, & mota, ſed ſecundum diuerſa. Quod quidem loco cit. ex 1. 2. ad primum ſic explicat. *Voluntas non ſecundùm idem mouet, & mouetur; vndè non ſecundùm idem eſt in actu, & in potentia: ſed inquantùm in actu vult finem reducit ſe de potentia ad actum, reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, vt ſcilicet actu ea velit.*

Locus S. Doctoris.

Alius locus ad idẽ

62 Itaque, vt vides, voluntas per aliud eſt motiua ſui ipſius, & per aliud eſt mobilis à ſeipſa. Eſt quidem motiua ſui, inquantùm eſt in actu volitionis finis: ita vt actus, quo conſtituitur motiua ſui, ſit volitio finis. Eſt verò mobilis à ſeipſa, inquantùm ipſamet, quæ eſt in potentia ad volendum ea, quæ ſunt ad finem, eſt reducibilis in talem actum volendi à ſeipſa ex vi, qua eſt in actu volitionis finis. Et ita motus, in quem eſt mobilis, & mouetur voluntas à ſeipſa, eſt actus volendi, quo appetit ea, quæ ſunt ad finem. Voluntas igitur mouens ſeipſam ſecundùm aliud eſt motiua ſui, & ſecundùm aliud eſt mobilis à ſeipſa. Eſt quidem motiua ratione motus, ſeu actus volitionis finis, quo eſt in actu; eſt verò mobilis, ratione potencialitatis, & in quantùm eſt in potentia in ordine ad actum volendi ea, quæ ſunt ad finem. 1085

Eſt volũtas mouẽs, in quantùm eſt in actu per volitionẽ finis, & eſt mobilis, in quantùm eſt in potentia ad ea, quæ ſunt ad finem.

63 Nùm tu, Thomiſta cum ſis, dices cum Scoto (quem refert, & ſequitur Suarius lib. 3. de Diuina gratia cap. 44. nu. 25.) quòd ad hoc, vt aliquid moueat ſeipſum, hæc diſtinctio actuum non requiritur; & quòd ſufficit tale eſſe in actu virtuali, & potentia formali? vel dices talem actuum diſtinctionem requiri, vt aliquid ſe moueat moraliter; non autem, vt ſe moueat phyſicè? Sed quis, non dico Thomiſta, ſed Peripateticus hæc dicet? Quomodo ſtabit principium illud, *Omne, quod mouetur mouetur ab alio*, & illud aliud: *Mouens ſeipſum habet partem mouentem, & partem motam.* quibus ex Ariſtotele, & alijs philoſophis vtitur ad probandum Deum eſſe D. Thomas 1. p. quæſt. 2. ar. 3. & lib. 3. contra gent. cap. 13.? Verùm ſi in talia quis abijſſet Thomiſta, non hìc, ſed cum alijs Ariſtoteli, & D. Thomæ contrarijs confutãdus erit à nobis in Tract. de prędicto principio; *Omne, quod mouetur, mouetur ab alio.* Interim legat Caietanum, Ferrarienſem, & alios Thomiſtas prædictis locis, & probabit ſe ab illis cum Scoto reiectum. 1086

64 Poſita igitur ſententia S. Thomæ, debet ſecundò conſiderari, quòd voluntas habet poteſtatem ad vtrumlibet, ſeu libertatem propriam, & perfectam, in quantùm eſt principium motiuum ſui in proprias actiones. *Liberum enim eſt*, (vt ex Ariſtotele adnotat S. Doctor quæſt. 24. de Veritat. primo in corp. & lib. 2 cont. gent. cap. 48. ratione 2. & alibi ſæpè) *quod ſui cauſa eſt.* Voluntas ergo habens actum volitionis finis, per quem eſt motiua ſui ipſius, per hoc eſt libera in determinando, & mouendo ſeipſam in proprias actiones, quod ex vi actus volitionis finis, per quem eſt motiua ſui, non eſt determinata ad mouẽdum ſeipſam in vnam ſolam determinatam partem ex 1087

Voluntas habet libertatem ſecũdùm, quod eſt principiũ motiuum ſui.

Liberum eſt, quod ſui cauſa eſt. Ariſt.

oppo-

Quid exigat voluntas ad hoc vt ſit libera in determinando, & mouēdo ſe.

oppoſitis; ſed habet poteſtatem mouendi ſe ad vtrumlibet. Et inſuper ex vi eiuſdem actus volitionis finis habet vim, poteſtatem, & modum perueniendi ad cauſandum illud principium, ſeu formam, per quam virtus eiuſdem actus volitionis finis, quo voluntas eſt motiua ſui, recipit determinationem ad mouendum in vnam determinatam partem ex oppoſitis, & ad quam, vt ad principium proximum, per quod voluntas mouet effectiuè ſeipſam, ſequitur determinata operatio eiuſdem voluntatis, qua à ſeipſa mouetur. Vt ita ipſa voluntas per illummet actum, quo eſt motiua, ſit cauſa ſui per hoc, quod eſt cauſa illius formæ, ſeu principij, per quod habet determinatè mouere ſeipſam in alteram partem ex oppoſitis, & ad quod ſequitur ſua operatio. Et ita ex conſequenti ſit domina ſuæ determinationis, & operationis. Agens enim eſt dominus ſuæ actionis per hoc, quod eſt cauſa formæ, ad quam ſequitur ſua operatio, vt habes probatum à S. Thoma verbis relatis in hac diſp. §. 5. num. 1.

1088

Habet voluntas poteſtatē cauſandi principiū, per quod determinatur, in quantū ex vi volitionis finis impellit intellectum.

65 Habet autem voluntas ex vi, quæ eſt in actu volitionis finis, prædictam vim, ſeu poteſtatem, & modum perueniendi ad cauſandam prædictam formam per hoc, quòd ex vi talis actus volitionis finis mouet, & impellit (tanquam cauſam ſibi ſubordinatam, ſeu inſtrumentum, ad mouendam ſeipſam) intellectum ad inueniendam per induſtriam ſuæ virtutis collatiuæ, ſeu (vt accidit in nobis) per diſcurſum conſilij, id quod eſt agendum, ſeu eſt conueniens agere propter finem. Et ſic ex vi actus volitionis finis, mouendo intellectum, eſt cauſa illius iudicij inuenti, quo apprehenditur aliquid determinatè eſſe agendū, ſeu eſt cauſa formæ apprehenſæ, per quam habet determinationem ad mouendum ſeipſā ad appetendū hoc determinatè, quod iudicat eſſe appetendum propter finem volitum.

1089

Intellectus eſt neceſſarius voluntati ratione operationis propriæ, ad hoc, vt ſeipſam determinet: Et hoc illo modo, quo inſtrumenta artificis.

66 Vt autem prædicta radicitùs capiātur, debet adnotari tertiò. Quòd inſtrumenta, & cauſæ inferiores ſunt neceſſariæ principali, & ſuperiori agenti propter actiones proprias eis conuenientes ex propria forma, quæ conducunt ad effectum principalis agentis, ſine quibus non poſſet ad ſuū effectum peruenire. Hinc ſerra eſt neceſſaria fabro lignario, propter actionem, quæ eſt propria ſerræ, cuius eſt ſecare, quod cōducit, & eſt neceſſarium fabro ad conficiēdum opus artificioſum, vnde mouendo ſerram, eaque ſecando, procedit ad efficiendam arcam. Similiter etiā ſemen leonis eſt neceſſarium cœlo ad generandum leonem propter virtutem propriam, quæ eſt in tali ſemine, vnde mouendo talem virtutem ad actionem propriam, procedit cœlum per motum ſuum ad generandum leonem. Simili ratione voluntati volenti finem eſt neceſſarius intellectus ad hoc, vt perueniat ad mouendam ſeipſam ad appetenda ea, quæ ſunt ad finem, propter ſcilicet operationes, quæ ſunt propriæ ipſius intellectus, & conducunt ad iſtum effectum mouendi voluntatem in ea, quæ ſunt ad finem.

1090

Potentia appetitiua eſt potentia paſſiua

Operatio propria intellectus neceſſaria voluntati ad determinādum ſe, explicatur.

67 Eſt enim potentia *appetitiua* (vt docet ex Ariſtotele S. Doctor 1. p. quæſt. 80. art. 2. in corp. & alibi ſæpiſſimè *potentia paſſiua, quæ nata eſt moueri ab apprehenſo vnde appetibile apprehenſum eſt mouens non motum, appetitus autem mouens motum*. Hinc proximus motor voluntatis ex parte obiecti eſt intellectus per apprehenſionem boni. Nam bonum apprehenſum eſt obiectum voluntatis. Et ſic eſt propria operatio intellectus mouere ex parte obiecti voluntatem per apprehenſionem boni. Intellectus igitur eſt neceſſarius voluntati volenti finem ad mouendā ſeipſam ad appetenda ea, quæ ſunt ad finem, propter prædictam operationem propriam, vt ſcilicet, apprehendat per ſuum iudicium id, quod eſt conueniens, vt agatur propter finem, vt ſic applicando voluntati proprium ſuum motorem ex parte obiecti, eo mediāte ipſa ſeipſam moueat ex parte ſubiecti, & ad exercitium actus, ad appetendum id, quòd iudicatur conueniens, ſeu expediens fini volito. Et ita per actionem propriam intellectus, vt per actionem propriam ſui inſtrumenti, procedit ad efficiendum id, quod ſuperat virtutem talis actionis, puta ad mouendum ſeipſam ad exercitium actus. Et hoc, illo ſimili modo, quo artifex, mouendo ſerram, per actionem ſerræ, quæ eſt mera ſectio, procedit ad conficiendum opus artis, quod ſuperat virtutem ſerræ: Et cauſæ ſuperiores mouendo virtutem, quę eſt in ſemine leonis, procedunt ad generādum leonem ſecundùm omnes rationes, & gradus ſuperiores, vt entis, corporis generabilis &c. ſecundum quas ſuperat efficaciā virtutis ſeminis, vt hac diſpu. ex D. Th. probauimus §. 8. præſertim a num. 21. & deinceps.

1091

Artifici mouēti inſtrumenta iungitur virtus propria inſtrumentorum.

68. Et indè ſequitur, quòd ſicut artifex non poteſt peruenire ad conficiendū opus artis, e.g. arcam, niſi per inſtrumēta ab ipſo artifice mota ex vi artis, & hoc, in quantùm oportet, quòd per motum, quo mouet inſtrumenta adiungatur ei virtus propria inſtrumentorum, per quorum actiones peruenit ad opus artis. Et ſimiliter omnis cauſa remota ſeu ſuperior creata non producit vltimum effectum, niſi per inferiorem proximam effectus, propter eadem rationem: quia nimirum oportet, vt virtuti cauſæ ſuperioris,

Digitized by Google

Ita voluntati mouẽti intellectum iungitur virtus propria intellectus.

perioris, per motum, quo mouet inferiorem, adiungatur virtus inferioris, per cuius actionem procedit in vltimum effectũ. Ita voluntas volens finem, non potest peruenire ad mouendum seipsam ad appetendum aliquid determinatè propter finem, quantùm ad exercitium actus; nisi per intellectum ab ipsa voluntate finis motum; Et hoc ideo, quia oportet, vt mouendo intellectũ, adiũgatur sibi virtus propria ipsius intellectus, per cuius apprehensiones determinãtes eidem voluntati obiectum conueniens fini, seu agendum propter finem, inducit seipsam ad volendum determinatè illud, quod est iudicatum conueniens fini. Hinc inuenies sæpissimè à S. Doctore dictum, voluntatem non mouere seipsam ex volitione finis, nisi per consilium rationis terminatum ad sententiam, quo iudicatur aliquid esse, vel non esse agendum propter finem, & quod electio sequitur determinationẽ consilij. Vide loca S.D. a nobis relata disp. 1. a nu. 28. ad 34. & referenda nu. 85.

1092

Locus S. Thomæ ad propositũ.

69 Et notari hìc debet (vt hac occasione soluamus notabilem obiectionem) ratio S.D. qua lib. 3. contra gent. cap. 88. verbis a nobis relatis in hac disp. §. 11. num. 41. probat, voluntatem à nullo agente, extrinseco creato moueri posse, quantum ad exercitium actus. Sic enim habet. *Omnium creaturarũ actiones sub ordine diuinæ prouidentiæ continentur; vndè præter leges ipsius agere non possunt. Est autem prouidentiæ lex, vt vnũquodq; immediatè à proxima sibi causa moueatur. Causa igitur superior creata, tali ordine prætermisso, nec mouere, nec agere potest. Proximum autem motiuum voluntatis est bonum intellectum, quod est suum obiectum, & mouetur ab ipso, sicut visus à colore. Nulla igitur substantia creata potest mouere voluntatem, nisi mediante bono intellecto. Hoc autem est inquantùm manifestat ei aliquid esse bonum ad agendum, quod est persuadere. Nulla igitur substantia creata potest agere in voluntatem, vel esse causa electionis nostræ, nisi per modum suadentis.*

1093

Probat intentum, & posset inde desumi occasio errãdi.

70 Hæc autem ratio in primis probat, voluntatem non mouere seipsam, nisi mediante proximo mouente eiusdem voluntatis, puta bono apprehenso, seu apprehensione boni. Posset deinde, quis fortè existimare, prædicta ratione probari posse, quòd voluntas, seipsam mouens mediante apprehensione obiecti, solùm se moueat per modum suadentis, seu quòd voluntas per intellectum nihil aliud sibi faciat, nisi puram propositionem obiecti, quod quidẽ est falsum, & expresse contra S. Doctorem, eiusque contrarium probandum assumpsimus. Vndè considerari debet, quòd prædicta ratio licèt id efficaciter conuincat de agente extrinseco creato, non potest tamẽ idem conuincere de voluntate, quæ est principium intrinsecum, cui intellectus est instrumentum coniunctum, & sibi subordinatum ad mouendum ad exercitium actus potentias sibi subiectas. Non enim idem potest facere voluntas agentis, per intellectum proprium, & per intellectum alienum, etiam si vtrumque mouere posset ad intelligendum. Intellectus etiam non secundum omnia munera, secundùm quæ subordinatur principio intrinseco, cuius est instrumẽtum coniunctum, potest subordinari agenti extrinseco. Sciendum est igitur, quòd creatura intellectualis per intellectum duo (inter alia) munera exercet, vnum est intelligere, aliud est ordinare ad opus, seu mouere. Virtus enim tactiua, seu motiua in substantia intellectuali est ipse intellectus, vnde illam proportionẽ habet ad substantiam intellectualem, quam manus ad hominem: vnde sicut homo omnia mouet manu, in cuius musculis, & neruis residet virtus ad mouendum, ita substantia spiritualis omnia mouet intellectu, in cuius conceptionibus est efficacia ad mouendum, seu transmutandum. Et inde est, quod omnia mouet per imperium, quod nihil aliud importat, quàm conceptionem intellectus, secundùm quòd habet efficaciam ad aliquid transmutandum; Vide verba S. Doctoris à nobis relata in hac disp. §. 18. nu. 6.

Notabile pro soluẽda difficultate.

1094

Vnde intellectus habet efficaciã mouendi ad exercitiũ actus, explicatur exemplo.

71 Verùm intellectus habet in suis cõceptionibus hanc efficaciam ad mouendum in quantùm est instrumentum voluntatis, eidem voluntati coniunctum, & prout agit in virtute voluntatis: sicut calor naturalis in animalibus habet vim generandi carnes, in quantùm agit virtute animæ, cuius est instrumentum coniunctum. Vnde sicut calor naturalis, quantùm ad istud munus generandi carnes, immediatè (suo tamen modo) subditur animæ, nec alia quæcunque causa extrinseca procedit in dictum effectũ nisi per animam. Ita intellectus, quantùm ad istud munus mouendi effectiuè, voluntatem in appetitum eorum, quæ sunt ad finem, subditur immediatè voluntati volenti finem: nec in istum effectum procedit alia causa exterior; nisi quæ mouet effectiuè eãdem voluntatem in actum volitionis finis, in cuius virtute intellectus mouet ad exercitium actus. Non sic autem se habet idem intellectus, quantùm ad aliud munus, puta, intelligendi, & repræsentandi obiectum voluntati.

1095

Cur de mouente extrinseco, non verò de intrinseco intendo.

72 Est enim, quantùm ad hoc, causa principalis, & in ordine ad appetitum se habet, vt mouens immobile. Appetibile enim non mouetur ab appetitu, sicut appeti-

Digitized by Google

tum probatur ratio S. Thomæ, explicatur.

petitus ab appetibili. Intellectus etiam, quantū ad iſtud munus, ſubordinatur immediatè agenti extrinſeco, vel infundenti ſpecies intelligibiles, vel illuminanti, vel loquenti, & ſuggerenti. Atque ex his modò patet ratio, cur de agente extrinſeco creato valeat: quòd ſi voluntatem mouet mediante intellectu, eam ſolùm mouebat per modum ſuadentis, & proponentis obiectum; non autē id valeat de voluntate mouēte ſeipſam. Ratio enim eſt. Quia agens creatum in ordine ad intellectum ſeparatum, quo debet vti, vt inſtrumento ad mouendam voluntatem alterius, nullam aliam communicationem habet, quàm illuminationem, & locutionem, per quas ſola ſuaſio fieri poteſt, vnde intellectus in ordine ad voluntatem mouendam non poteſt deſeruire agenti ſeparato creato, niſi ſecundum munus proprium proponendi obiectum. Non ſic autem ſe habet voluntas in ordine ad intellectum, ſibi coniunctum, vt naturale inſtrumentum, & vt calor naturalis animæ, cui communicat, non vim ad intelligēdum, ſed ad mouendum ſecundum modum qui conuenit voluntati; ſicut anima tribuit calori vim, non quidem calefaciendi, ſed

1096 generandi carnes.

Quod eſt in poteſtate inſtrumenti eſt etiam in poteſtate principalis agentis

73 Vlteriùs debet aduerti (& hoc eſt quartò conſiderandum) quòd id, quod eſt in poteſtate inſtrumenti, eſt, & maiori ratione, ſub poteſtate principalis agentis. Intellectus autem voluntati coniūctus, vt eius inſtrumentum naturale, non habet inditas, & à natura determinatas, apprehenſiones ſingularium agibilium, ſed habet eas in ſua poteſtate, & virtute. Et hoc inquantùm habet naturaliter indita prima principia agibilium, in quorum poteſtate, & virtute continentur omnes ſingulares apprehenſiones agibilium. Vnde & per illa (quæ inquantùm vniuerſalia ſunt ſe habent indifferenter ad multa, vt habes ex S. Thoma lib. 2. con. gen. cap. 48. ratione 4.) poteſt peruenire ad ſingularem apprehenſionem cuiuslibet determinati agibilis propter finem; per hoc nimirum, quòd poteſt per ſuam virtutem collatiuam, applicare prædicta principia cuilibet ſingulari agendo. Fit inde fit, quòd apprehenſiones ſingularium agibilium ſint etiam in poteſtate voluntatis.

1097

Voluntati mouenti ſe per intellectum duplex poteſtas ingitur.

74 Habes etiam ex duobus præcedentibus notabilibus, quòd voluntas, vt per volitionem finis mouens intellectum, duas poteſtates ſibi acquirat, quæ ſunt propriæ inſtrumenti, quod mouet. Vna eſt: poſſe ſibi præſentare, & determinate proprium obiectum, ſeu medium ad finem, ſuaſque operationes in eundem finem ordinare. Altera eſt: habere in ſua poteſtate ſingulares apprehenſiones agibilium, illaſque poſſe inuenire per applicationem vniuerſalium principiorum ſingularibus agendis occurrentibus. Et ſic tandem apparet, qualiter vera ſint ea, quæ diximus num. 63. huius §. quòd, videlicet, voluntas conſiderata ſecundùm illam rationem, qua eſt motiua ſui, habeat illa duo, nempe primò, quòd eſt motiua ſui indifferēter, & ad vtrūlibet. Et ſecundò, quod habet vim, poteſtatem, & modum perueniendi ad cauſandum illud principium, ſeu formam, per quam ipſamet habet determinationem ad mouendū ſeipſam determinatè in alteram partem ex oppoſitis; habeatque propter hoc, ex vi illius principij, per quod primò habet, quòd eſt motiua ſui, dominium tum ſupra illam determinationem, per quam habet determinatè ſe mouere in alteram partem ex oppoſitis, tum ſupra ſuas operationes, in quas mouetur à ſeipſa. Habet quidem primum inquantùm ex vi actus volitionis finis, per quem habet primò, quòd ſit motiua ſui, non eſt magis determinata ad mouendum in vnum medium, quàm in aliud; nec magis ad vnam, quàm ad alteram partem. Habet verò ſecundum, inquantùm ex vi eiuſdem actus volitionis finis mouet intellectum ad inueniendum conuenientia fini, per cuius motū adiungitur ſibi poteſtas illa duplex, in duplici præcedenti notabili explicata, & in hoc num. 73. recenſita.

Inde habet poteſtatem, & modum ad determinādum ſe.

Et etiam dominium ſupra propriam determinationem, & operationem.

1098

Explicatur ex dictis, quid probare intendimus, & qualiter forma apprehenſa dici poteſt prædeterminatio phyſica.

75 Habes denique id, quod ex doctrina S. Thomæ in hoc §. principaliter manifeſtare intendimus. Videlicet, quòd forma ſingularis agibilis inuenta per collationem, ſeu diſcurſum conſilij ab intellectu moto ad talem formam inueniendam à voluntate efficaciter volente finem, quæ ſcilicet importat illud iudicium, quò vltimatè concluditur, quòd hic, & nunc hoc eſt agendum pro fine volito, ſit principium, per quod voluntas habet, vt ſe moueat verè efficienter in determinatam actionem; ac per hoc, ſi nomine prædeterminationis phyſicæ (quo recentiores vtuntur) nil aliud venitur, niſi principium, quo agens determinatur ad effectiuè mouendum, & quo cauſa talis principij determinat agens ad agendum, & per illud effectiuè influit in actionem eiuſdem agentis; prædicta forma verè, & propriè dici poſſet prædeterminatio phyſica in ſententia S. Thomæ.

1099

Forma apprehenſa determinans volūtatem eſt in intellectu, ſed

76 Porrò prædicta forma apprehenſa per iudicium, quo iudicatur aliquid eſſe, vel non eſſe agendum, illudque ordinatur, vt fiat pro fine volito, eſt determinatio, qua voluntas determinatur ad ſe mouendum in actum appetendi, ſeu agendi id ipſum, quod iudicatur agendum; non quidem exiſtens in ipſa voluntate ſe mouente; ſed in intel-

Digitized by Google

dependēs à voluntate, vt existens in eius potestate.

intellectu, per quem, vt per instrumentum sibi coniunctum, seipsam mouet: nec independens ab eadem voluntate se mouente; sed dependens, & ab ea causata, vt ab habente illam in sua potestate. Si quidem (vt notauimus num. 2 S. huius §.) prædicta forma apprehensa ab intellectu ex vi, quâ mouetur à voluntate facta in actu per actum volitionis finis, determinat eandem voluntatem ad mouendum seipsam ad aliquid determinatè agendum propter finē, illo simili modo, quo forma causæ inferioris, e.g. virtus, quæ est in semine leonis, determinat influentiam causæ superioris, puta, cœli, ad producendum effectum; in quem est determinata ipsa causa inferior per suā formam, puta, ad producendum leonem, in quem est determinatum semen leonis per suam virtutem. Talis autem determinatio non est, vt in subiecto, in causa superiori; sed in inferiori intermedia, per quam superior causa transmittit suam influentiā in effectum. Et ita in casu nostro, forma apprehensa, quæ est in intellectu, qui, in mouendo voluntatem ad appetendum aliquid propter finem, est mouens medium, subordinatum eidem voluntati mouenti se ex volitione finis, determinat influentiam eiusdem voluntatis ad mouendum seipsam in determinatam actionem. Cum hac tamen differentia, quòd forma naturalis causæ inferioris, per quam determinatur influentia superioris causæ, præsupponitur, & non pendet per se ex motu, quo causa superior, mouendo inferiorem, procedit ad producendum effectum, vt probauimus in hac disp. §. xi., Sicut forma serræ præsupponitur in serra, & non pendet per se ex illo motu, quo artifex, mouendo serram, conficit arcam. At verò forma apprehensa singularis operabilis, vt nunc, non præsupponitur actu existens in intellectu; Sed per se pendet ex influentia volitionis finis, ex cuius impetu concluditur per syllogismū operatiuum, semperque existit sub potestate, & placito ipsiusmet voluntatis intellectum mouentis, & conseruantis sub prædicta forma, vt Disp. sequenti accuratè, & facta reductione ad primum principium, probabimus.

Testimonia S. Thomæ, quibus nostra confirmatur sententia, memorantur: deducitur que non impropriè dici posse: formam apprehensam iudicio proprio esse prædeterminationem physicam, qua nimirum physicè determinatur voluntas (licèt à seipsa) ad liberè se mouendum in alteram partem ex oppositis.

77 DEueniamus tandem ad intentum principale huius §. Probandum ianè proposuimus, Sanctum Doctorem sentire: quòd principium determinans voluntatem ad mouendum effectiuè seipsam in alteram partem ex oppositis est propria cognitio, seu iudicium proprium de particulari operabili, vt nunc, quod nimirum est inuentum, siue per collationem, siue per discursum consilij; & importat formam boni apprehensam per conclusionem, syllogismi operatiui; idque in tam rigoroso sensu, vt ad voluntatem sic determinatam ad mouendam seipsam in vnam partē ex oppositis, necessariò sequatur sequela physica, & reali, & vt ad principium causæ verè efficienter mouentis, eandem voluntatem moueri à seipsa in eandem determinatam partem. 1100

Conclusio ostendenda in sententia S. Thomæ.

78 Seruauimus in dicta conclusione proprium loquendi modum: loquimur enim de principio determinante indifferentiam voluntatis, quam habet, in quantùm est mouens se, quo, scilicet, ipsa vt mouens, determinatur ad mouendum seipsam in alteram partem. Diximus verò, *vt ad voluntatem sic determinatam necessariò sequatur*, &c. vt significaremus, quod voluntas, ratione prædicti principij determinantis, mouet vt causa propriè dicta, *Nam* (vt inquit S. Doctor quæst. 3. de Malo ar. 3. ad 3. *propriè causa dicitur, ad quam ex necessitate sequitur aliquid*. Illa autem ad quam non ex necessitate sequitur effectus, qualis est, quæ per modum suadentis, mouet voluntatem, non potest dici causa propriè, sed solùm impropriè effectus sequentis, vt in eadem responsione S. Doctor loquens de Diabolo, qui potest mouere voluntatem hominis in actu peccati per modum exhortantis, aduertit, dicens: *Diabolus quamuis ordine naturæ sit supra animam humanam, non tamen ex necessitate potest voluntatem eius mouere, & sic non est propriè causa peccati*. Ex quibus apparet, ad causam, quæ propriè est talis, pertinere, vt ad ipsam ex necessitate sequatur effectus, ita videlicet, vt inter ipsam, & effectum sit connexio, & sequela necessaria. 1101

Proprium iudicium determinat indifferentiam voluntatis, quam habet in quantùm est mouēs.

Causa propriè quid sit.

79 Ad videndam igitur sententiam S. Thomæ circa conclusionem prædictam, primò 1102

Loca S. Doctoris docentis, voluntatem determinari ad vnũ per iudiciũ proprium, recenſentur.

primò recole, & expende verba S. D. à nobis ſupra relata, quibus docet, voluntatem determinari ad alteram partem ex oppoſitis, ſeu ad vnum, à ratione per obiectum apprehenſum, per conſilium rationis, per determinationem conſilij, per iudicium, & cognitionem propriam, & ſimiles loquendi modos. Faciunt enim ad propoſitum huius intentionis, quæ retulimus Diſp. 1. §. 1. num. 4. ex lib 6. Metaphy. lec. 2. lit. tex. 9. puta: *Oportet quòd cauſa, quæ eſt ad vtrũlibet, vt voluntas, ad hoc quòd agat, inclinetur magis in vnã partem per hoc, quod mouetur ab appetibili, & ſic ſit cauſa, vt in pluribus. Ab appetibili*, ſcilicet, apprehenſo: vnde componenda ſunt prædicta verba cum alijs eiuſdem S. Doctoris relatis eadem Diſp. § 2. num. 9. videlicet. *Bonum apprehenſum voluntatem, vt proprium obiectum determinat.* & illis alijs: *Voluntas diuina in his, quæ ſunt alia ab ipſo, determinatur ad vnum per cognitionem ſuam.*

Explicatur modus quo voluntas fit in actu per iudicium intellectus.

1103 80 Recole etiam verba S. D. relata eadem §. num. 1. nempe: *Cum homo habeat potentiam ad oppoſita, puta, ad ſedendum, vel non ſedendum, oportet, quòd reducatur in actum per aliquid aliud. Reducitur in actum alterius horum per conſilium, ex quo vnum oppoſitorum præeligit alteri.* Et adde adnotata ibidem num. 4. puta. *Voluntas, cum ſit ad vtrumlibet, per aliquid determinatur ad vnum, ſcilicet, per conſilium rationis.* Et his adde adnotata §. 9. ſequenti num. 5. videlicet: *Quia igitur vis appetitiua* (ideſt voluntas) *ſe habet ad vtrumlibet, non tendit in vnum, niſi ſecundùm quod à ratione determinatur ad illud.* Et hìc obiter lege, quæ expendimus a num. 6. ad 15. vbi omnes prædictas auctoritates repetiuimus.

Referũtur alia loca ad idem.

1104 81 Adhùc recole, quæ diximus eadem Diſp. §. 11. à num. 7. ad 16. vbi contra Suarium inculcauimus doctrinam S. Thomæ, qua docet, agentia, quæ habent ſui actus dominium, determinari ad actiones à cognitione exiſtente in eodem agente, ſeu à cognitione propria. Demum recole doctrinam eiuſdem S. Doctoris, qua §. præcedenti a num. 16. ad 27. prædictam concluſionem probauimus.

Alius locus S. D. ad idem.

1105 82 Vt deindè videas. Angelicum præceptorem ſentire, agentia libera determinari ad actiones per prædictum iudicium proprium, vt per principium, quo effectiuè, phyſicè, & ad exercitium actus, ſe mouent in determinatas actiones; recole, quæ adnotauimus in hac Diſp. §. 4. à num. 3. ad 6. vbi probauimus, S. Doctorem verbis ibidem adductis docere, agentia libera determinari ad actiones per cognitionem propriam, vt per principium, quo ſuo modo conſtituitur in actu ad ſe mouendum. Vt pote quia S. Doctor ex eo deduxit, agentia debere eſſe determinata ad alteram partem ad hoc, vt ab ipſis exeat actio, quia ipſa debent eſſe in actu, ex vi illius principij, *vnumquodque agit in quãtùm eſt in actu.* Certum eſt autem, quòd actus, quo agens eſt in actu ad agendum, eſt principium actionum, ſeu effectuum effectus phyſicè, & realiter. Dixi, *ſuo modo conſtituitur in actu*, vt innuerem ſpecialem modum, quo fit in actu voluntas per apprehenſionem boni. Fit enim in actu (vt num. 76. huius §. notauimus) illo modo, quo cauſa ſuperior, & ea, quæ eſt principalis, fit in actu ad agendum determinatum effectum per coniunctionem ſuæ influentiæ ad formam inferioris agentis, ſeu inſtrumenti. Sicut enim agenti ſuperiori mouenti id, quod eſt ſibi inferius, vnitur virtus actiua, quam ex propria forma habet ipſum agens inferius, & ſic habet influentiam actuatam, ſeu determinatam per virtutem inferioris: & ſic ſuo modo fit in actu ad producendum determinatum effectum, non per aliquid in ſuperiori agente receptum, ſed per coniũctionem ſuæ influentiæ ad inferius agens, quod eſt in actu, & determinatum ad effectum per ſuam propriam formam, vt probauimus ex doctrina S. Thomæ in hac diſp. §. 9. ferè per totum. Ita voluntas volens finem, quæ ſe habet, vt cauſa ſuperior, & prima in ſuo ordine, & eſt indeterminata, & ſuo modo in potentia ad mouendam ſeipſam in hanc, vel in illam partem ex oppoſitis, determinatur, & ſuo modo fit in actu ad mouendum in alterã partem ex oppoſitis per hoc, quod ipſimet voluntati mouenti intellectam ad inueniendum per induſtriam ſuæ virtutis cognitiuæ id, quod eſt conueniens fini, vnitur virtus appetibilis, ſeu boni apprehenſi, ſeu etiam apprehenſionis boni inuentæ per induſtriam ipſius intellectus, per quam determinatur, & ſuo modo fit in actu influentia, ſeu impetus ipſius voluntatis ad inducendum ſeipſam in eum appetitum, ad quem intellectus eſt determinatus per apprehenſionem boni excogitatam, & inuentam per ſuam induſtriam.

Voluntas determinatur per iudicium, vt per principium quo mouet ad exercitiũ actus.

1106 83 Ampliùs recole diſcurſum, quo in hoc §. a num. 31. ad 38. ex D. Thoma probauimus, quòd voluntas per hoc mouet ſeipſam eo modo, quo mouet agens, ſeu quãtùm ad exercitium actus, quòd ex volitione finis ſe reducit de potentia in actum volendi ea, quæ ſunt ad finem. Quibus adde, quæ notauimus num. 61. & quæ ex eodem S. Doctore retulimus aſſerta ab Aluarez nu. 13. 14. 15. & 18. eiuſdem §.

Loca S. Doctoris ad propoſitum.

84 Præterea, vt videas, quòd ſecun-

1107

Digitized by Google

Appetitus sequitur iudiciũ proprium per sequelam necessariã

dùm eundem S. Doctorem, determinatus actus appetitus circa agenda ad finem sequitur necessariò, seu per sequelam realem & physicam, ad iudicium illud cognitionis, quo per determinationem consilij, seu conclusionem syllogismi practici apprehenditur aliquid, vt conueniens, seu agendum propter finem. Recole loca eiusdem S. Doctoris relata à nobis Disp. præcedenti §. xi. à num. 28. ad 34. Docet enim expressè ex doctrina Aristotelis, quòd ad conclusionem syllogismi operatiui, & ad determinationem consilij sequitur ex necessitate electio, & operatio, quæ concluditur, & determinatur agenda: & quòd est impossibile, appetitum esse contrarium iudicio cognitionis de particulari operabili, vt nunc.

1108 85 Recole igitur ex relatis num. 28. & 29. doctrinam Aristotelis, qua docet, quòd cum ex duabus opinionibus, vniuersali, scilicet, & singulari, *in agendis rebus fit vna ratio. anima concluſum continuo agat, nec ceſſe eſt.* Et explicationem S. Thomæ, qua exemplum eiusdem Aristotelis sic refert, *vt ſi opinio vniuerſalis ſit, quòd omne dulce oportet guſtare. Opinio autem particularis ſit, quod hoc (demonſtrato aliquo particulari) ſit dulce: neceſſe eſt, quòd ille qui poteſt guſtare, ſtatim guſtet; niſi ſit aliquid prohibens.* Ex relatis vero num. 30. recole illa verba S. Thomæ explicantis Aristotelem puta: *Quando iam aliquid determinatum eſt per conſilium, tunc primo eligitur.* Et illa alia: *Ideo dicit* (Aristoteles) *quòd determinatio conſilij præcedit electionem quia oportet, quòd poſt inquiſitionem conſilij ſequatur iudicium de inuentis per conſilium, & tunc primò eligitur, quod prius eſt iudicatum.* Et illa: *Vnde relinquitur, quòd electio ſequitur determinationem conſilij.*

Recenſentur teſtimonia S. D. ad prædictam intentum.

1109 86 Amplius, ex relatis num. 31. & 32. recole illa verba D. Thomæ: *Dicendum, quòd concluſio ſyllogiſmi, quæ ſit in operabilibus ad rationem pertinet, & dicitur ſententia, vel iudicium, ad quam ſequitur electio.* Et illa: *Dicendum, quòd electio ſequitur ſententiam, vel iudicium, quod eſt ſicut concluſio ſyllogiſmi operatiui.* Et illa alia: *Dicendum, quòd electio præſupponit conſilium, non tamen ſequitur ex conſilio; niſi iam determinato per iudicium. Illud enim quod iudicamus agendum poſt inquiſitionem conſilij, eligimus, vt in 3. Ethi dicitur.*

Alia teſtimonia S. D. ad idem

1110 87 Demum ex relatis num. 33. in primis considera totum notabile S. Doctoris in Art 2. quæſt. 24. de veritate, quod supponit, vt probet, in brutis non esse liberum arbitrium. Sic enim habet. *Sciendum eſt, quòd cùm ad operationem noſtram tria concurrant, ſcilicet, cognitio, appetitus, & ipſa operatio; tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet. Appetitus enim cognitionem ſequitur, cùm non ſit, niſi boni, quod ſibi per vim cognitiuam proponitur. Et quòd quandoque appetitus videatur cognitionem non ſequi, hoc ideo eſt quia non circa idem accipitur appetitus, & cognitionis iudicium. Eſt enim appetitus de particulari operabili: iudicium verò cognitionis quandoque eſt de aliquo vniuerſali, quod eſt quandoque contrarium appetitui: ſed iudicium de hoc particulari operabili, vt nunc, nunquam poteſt eſſe contrarium appetitui. Qui enim vult fornicari, quamuis ſciat in vniuerſali fornicationem malam eſſe; tamen iudicat ſibi, vt tunc bonum eſſe fornicationis actum, & ſub ſpecie boni ipſum eligit. Nullus enim intendens ad malum operatur, vt Dionyſius dicit. Appetitum autem, ſi non ſit aliquid prohibens ſequitur motus, vel operatio. Et ideo ſi iudicium cognitiua non ſit in poteſtate alicuius; ſed ſit alicubi determinatum, nec appetitus erit in poteſtate eius, & per conſequens nec motus, nec operatio abſolutè. Iudicium autem eſt in poteſtate iudicantis, ſecundùm, quòd poteſt de ſuo iudicio iudicare. De eo enim, quod eſt in noſtra poteſtate, poſſumus iudicare. Iudicare autem de iudicio ſuo eſt ſolius rationis, quæ ſuper actum ſuum reflectitur, & cognoſcit habitudines rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat. Vnde totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta.*

88 Considera, inquam, hoc notabile, quo Angelicus angelicè aperit, in ratione constitutam totius libertatis radicem. Cõsidera, quali necessitate vult, actum electionis sequi ad iudicium de particulari operabili, vt nunc; illa, scilicet, qua non potest non sequi; ne indè accidat, *iudicium eſſe contrarium appetitui*, quod (vt ipse S. Doctor habet) *nunquam eſſe poteſt*. Talis autem sequela, quæ ita est necessaria, est physica, & realis, vt per se constat.

Notabile S. Doctoris conſid-randum ſ- tur.

89 Amplius considera, quòd ex eo, quòd appetitus sequitur iudicium, infert, quòd non esset in alicuius potestate appetitus, si talis non haberet in sua potestate iudicium cognitionis. Quæ quidem consequentia non posset inferri, si appetitus posset non sequi ad iudicium. Siquidem si posset non sequi, adhuc posset esse in alicuius potestate appetere, & non appetere, etiam si non esset in sua potestate iudicium. Vult ergo S. Doctor, quod appetitus ita sequitur ad iudiciũ de particulari operabili vt nunc, quòd posito tali iudicio, appetitus talis operabilis non possit non sequi. Quod vt-

que

Appetitu cognition sequitur.

Vnde eſt quod quan doque vi detur non ſequi.

Iudicium nunquam poteſt eſſe contrariũ appetitui

Si iudici non eſt poteſtate iudicãtis appetitus ſequens n eſt in eiu uem pote ſtate.

IIII

Inculcati prædicta doctrina ad propo tum.

IIII

Vrgetur ad idem

Digitized by Google

que ſequelam neceſſariam realem, & phyſicam importat.

1113 90 Præterea recole notabile S. Thomæ in quæſt. 16. de Malo art. 2. in corp. puta. *Appetitus animalis ſequitur formã apprehensã, ſicut naturalis formam naturalem.* ***Sciendum eſt ergò, quòd appetitus nihil eſt aliud, quàm inclinatio quædam in appetibile: & ſicut appetitus naturalis conſequitur formam naturalem; ita & appetitus ſenſitiuus, vel rationalis, ſiue intellectiuus ſequitur formã apprehenſam. Nõ enim eſt niſi boni apprehenſi per ſenſum, vel intellectum. Non ergo poteſt malum in appetitu accidere ex hoc, quod diſcordat ab apprehenſione, quam ſequitur.*** Quod quidem notabile, quantùm ad ſimilitudinem ſequelæ appetitus ad propriam formam, repetit lib. 3. Ethi. lec. 13. in principio inquiens. ***Circa primum conſiderandum eſt, quod bonum mouet appetitum, inquantùm eſt apprehenſum. Sicut enim appetitus, ſeu inclinatio naturalis ſequitur formam naturaliter inhærentem; ita appetitus animalis ſequitur formam apprehenſam.*** Et idem repetit 1.2. quæſt. 8. ar. 1. in corp. inquiens: ***Conſiderandũ eſt, quòd cũ omnis inclinatio conſequatur aliquam formam; appetitus naturalis conſequitur formam in natura exiſtentem; appetitus autem ſenſitiuus vel etiam intellectiuus, ſeu rationalis, qui dicitur voluntas, ſequitur formam apprehenſam.***

1114 91 Denique ex omnibus prædictis auctoritatibus, præſertim num. præcedenti relatis concludebenè nos in reſolutione poſita §. præcedenti num. 4. & explicatiùs nu. 23. propoſuiſſe ſententiam Angelici præceptoris, dum diximus, ***quòd ad formam apprehenſam ſingularis agibilis per realẽ, & phyſicam conſequentiam ſequitur actio libera voluntatis eiuſdem agentis illo ſimili modò, quo ad formam naturalem ſequitur actio naturalis:*** Conſidera, quàm expreſsè totum hoc docet in priori auctoritate num. præcedenti relata. Habes enim in ea idem exemplum; habes etiam tantam neceſſitatem ſequelæ appetitus ad formam apprehenſam per iudicium; vt non ſit poſſibile, inueniri appetitum diſcordantem à tali forma.

1115 92 Nec dicas, inde ſequi, quòd ſicut motus naturalis non eſt liber, ſeu in poteſtate agentis naturalis: ita nec appetitus intellectiuus, ſeu motus voluntatis erit liber, & in poteſtate eiuſdem voluntatis. *Obiectio.*

Non dicas hoc, inquam. Nam motus liber à motu naturali non differt in modo, quo ſequitur ad ſuam propriam formam, ſeu principium intrinſecum; ſed in modo differenti formæ, ad quam ſequitur. Similiter appetitus animalis bruti, ſeu etiam actus voluntatis indeliberatus, non differt a libero in modo, quo ſequitur ad formam apprehenſam per cognitionem, ſed in modo cognitionis, ſeu apprehenſionis. Inquãtum, ſcilicet, (vt notauimus num. 76.) forma naturalis, ad quam ſequitur actio, & motus naturalis, non eſt cauſata ab eodem agente, quod agit, & mouetur per talem formam, & ita talis forma non habet iſtum modum, eſſendi ſcilicet ab agente, quod per ipſam agit, & ex conſequenti non eſt in poteſtate eiuſdem agentis. Similiter apprehenſio, ſeu cognitio, qua brutum apprehendit bonum, non eſt inuenta per collationem, & induſtriam virtutis cognitiuæ; ſed ab auctore naturæ indita, & ſic non eſt cauſata ab eodem bruto, & nec eſt in eius poteſtate. At vero apprehenſio, ſeu iudicium cognitionis, quo apprehendit intellectus ſingularia agenda propter finem, eſt inuentum per collationem, & induſtriam ipſiuſmet intellectus iudicantis de ſuo proprio iudicio, & ex conſequenti, habentis illud in ſua poteſtate, vt patet ex ipſo S. D. verbis relatis num. 87. proxime præcedenti. Hinc dixit S. Doctor ***tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet***, & inde intulit, ***quòd ſi iudicium cognitiua non ſit in poteſtate alicuius, ſed aliundè determinatum; nec appetitus erit in poteſtate eius.*** Similiter ipſemet S. Doctor lib. 2. con. gen. cap. 47. ratione 4. verbis relatis in hac diſp. §. v. num. 1. per hoc probat, intellectualia habere dominium ſuæ actionis, quòd modus actionis eſt ſecundum modum formæ, ad quam ſequitur operatio, ex quo infert, quòd forma, quæ eſt cauſata ab eodem agẽte, cauſat operationem, cuius agens eſt dominus: non ſic illa, quæ non eſt cauſata ab eodem agente. Non igitur diſcrimen inter vnum, & alterum motum conſiſtit in modo, quo ſequuntur ad ſuam formam, ſeu principium, ſed in modo formæ, & principij, ad quod ſequuntur. Sed de hac re agemus diſp. ſequenti, quando oſtendemus, diſcurſum prædictum S. Doctoris eſſe verè demonſtratiuum. Interim conſidera, quæ aduertimus §. præcedenti num. 5. & 6. *Solutio prædictæ obiectionis, qua declaratur; modũ libere agendi ſequi modũ cognitionis, ſeu modũ formæ.*

Corollarium ex dictis.

1116 93 ATque ex his modò corollariè deduces, quòd forma apprehenſa de particulari operabili, vt nunc, excogitata, & inuenta per induſtriam intellectus moti ex volitione finis, (& hoc ſiue per puram collationem, vt ſit ab angelis, & Deo, ſiuè per diſcurſum conſilij, ſeu ſyllogiſmi operatiui, vt ſit ab hominibus) qua ſecundùm ſententiam D. Thomæ determinatur voluntas ad ſe mouendum in alteram partem ex oppoſitis, habeat perfectiſſimo *Deducitur, poſſe dici, formam apprehenſã eſſe prædeterminationẽ phyſicam.*

Digitized by Google

modo ea, quæ Aluarez, Salmãticenſes, & quidam alij recentiores Thomiſtæ tribuũt (licèt malè) motioni primi mouentis, quam appellarunt prædeterminationem phyſicã: vt proinde poſſit prædicto nomine nõ immeritò nuncupari, immo & exiſtimari à Thomiſtis.

Probatur ex his, quæ Recentes exiſtimãt de prædeterminatione phyſica quæ cõueniunt formæ apprehenſæ, & repugnant motui primi mouentis.

Etenim dicti Recentes duo exiſtimant, conuenire motui primi mouentis, recepto in voluntate, propter quæ, eum dicendum putant prædeterminationem phyſicã eiuſdem voluntatis. Vnum eſt, quia verè, & realiter, & vt per formam ex ſe determinatam ad efficiendum vnum, per eum determinatur voluntas ad ſe mouẽdum in alterteram partem ex oppoſitis. Alterum eſt, quod ad ipſum ſequatur neceſſariò per realem, & phyſicam ſequelam determinata operatio voluntatis, in quam eandem voluntatem mouet prædictus motus prædeterminans. At verò hæc duo ſecundùm ſententiam S. Thomæ hactenus explicatã, verè, & propriè conueniunt formæ apprehenſæ per iudicium, & cognitionem propriam, repugnant autem motui primi mouentis. Prædicta ergo forma apprehenſa dici poteſt, immo & eſt illa prædeterminatio phyſica voluntatis, quam in ſententia S. Thomæ quærunt Thomiſtæ; non autem motus primi mouentis. Et inde fit, quòd quia prædicta forma apprehenſa, ſecundũ quod habet vim, & efficaciam ad mouendum, importat in ſententia S. Thomæ ipſiſſimum intellectus imperium, quo agens voluntarium mouet, quidquid mouet, vt patet ex verbis eiuſdẽ S. Doctoris a nobis relatis in hac diſp. §. 18. num. 6. ideo difficultatis punctus circa materiam prædeterminationis phyſicæ, aſſerendæ in ſententia S. Thomæ circa operationes liberas, ad hanc vnicam quæſtionem reducitur: nempè. An rationis imperium ſit neceſſarium voluntati ad ſe mouendum in alteram partem ex oppoſitis, cohæreatque cum libertate. Et idcirco nos etiam prædictam quæſtionem reſoluendam proponimus diſp. ſequenti. Ita enim defenſa, & explicata manebit ſententia S. Thomæ.

PVNCTVM QVINTVM.

In quo

Dubia reſidua, obiectioneſque Recentium proponuntur, & ſoluuntur.

1117 94 PRoponenda, & ſoluenda ſunt in hoc puncto duo præcipuè dubia, quæ adhuc extant circa doctrinam S. Thomæ in hac diſp. propoſitam: & inſuper ſoluendæ ſunt eæ rationes, quas Recentes excogitarunt, vt munus determinandi cauſas creatas ad actiones, iuxta ſenſum explicatum §. 1. huius diſputationis, imponant motui primi mouentis. Porrò probauimus iam, & (vt exiſtimamus) euidenter, quòd principia, & rationes S. Doctoris, quibus ad imponendum prædicto motui præfatum munus vtebantur dicti Recentes, contra ipſoſmet ſunt. Ampliùs, quòd ſatis ſunt diuerſa munera, quæ iuxta expreſſam doctrinam D. Thomæ eidem motui conueniũt, quæque axiomati illi, ***Motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus ſed in vnoquoque ſecundùm proprium modum***, quod in hac diſp. defendimus, valde cohærent. Adhæc, oſtendimus per quæ principia iuxta S. Doctoris mentẽ determinantur quælibet agentia ad proprias actiones. Et ea quidem, quæ libertate carent, determinari formaliter diximus per naturalia principia ſibi impreſſa à cognitione, quæ eſt in ſuperiori agente: *libera* verò formaliter per cognitionem propriam, ſeu formam apprehenſam, ab ipſiſmet inuentam, ſiue per intellectus collationem, ſiue per diſcurſum conſilij. Extant nunc, tum difficultates, quas poſſunt proponere, qui contra S. Doctorem negant verificari in agentibus liberis axioma illud: ***Ab eo, quod eſt ad vtrumlibet, nulla ſequitur actio, niſi per aliquid determinetur ad vnum***, dicuntque, actionem liberam procedere à principio exiſtẽte ad vtrumlibet, nullo exiſtente determinante: tum quas proponere poſſunt, qui motui primi mouentis imponunt munus formaliter determinandi cauſas per ipſum motas ad actiones. Verùm ad ſoluendas priores deputauimus diſputationem tertiam proximè ſequentem. Ad ſoluendas verò poſteriores ex parte ordinauimus diſputationem quartam, ad eas, ſcilicet, ob quas ijſdem Recentibus videtur, quòd niſi determinentur agentia formaliter per ipſum motum primi mouentis, cauſis impreſſum ab ipſo ſolo primo mouente, remaneat inexplicabilis infallibilitas ordinis diuinæ prouidentiæ. Quare eæ ſolùm pro hac diſputatione reſtant, quas prædicti Recentes excogitarũt, vt probent, cauſas ſecũdas determinari formaliter ad proprias actiones per ipſum motum primi mouentis, quæ in hoc puncto ſoluendæ ſunt, vt diximus. Procedemus autem hoc ordine.

Recenſentur probata in ſuperioribus.

Quæ difficultates remanent, explicantur.

Primò proponemus quædam teſtimonia S. Thomæ, quæ ijs, quæ ex eodem S. D. diximus duobus præcedentibus §§. de principio determinante agentia ad actiones liberas, pugnare videntur: ſimulque eiſdem maximè cohærere oſtendemus ſequenti §. 14.

Secun

Secundò obijciemus doctrinam aliam S. Thomæ, quæ minimè cohærens videtur alijs ex eodem S.D. relatis §.9. circa obiecta cauſarum per ſe ordinatarum: oſtendemuſque ipſum S. Doctorem eſſe ſibi concordem §. 25.

Denique §. 26. proponemus, ſoluemuſque excogitatas à Recentibus rationes, quibus exiſtimant, probari, motum primi mouentis eſſe formalem determinationem ſecundorum agentium ad actiones.

§. XXIV.

Proponuntur, & concordantur ſupra relatis, teſtimonia S. Doctoris, quibus docet, voluntatem non ſequi rationem ex neceſſitate, conſcientiæque dictamen importare concluſionem rationis practicæ.

1118 1 QVantùm igitur ad primum duo dicta S. Doctoris repugnare videntur habilitæ concluſioni in duobus §§. proximè præcedentibus. Vnum habet quæſt. 22. de Veritate ar. 15. in corp. inquiens. *Electio eſt vltima acceptio, qua aliquid accipitur ad proſequendum, quod quidem non eſt rationis, ſed voluntatis. Nam quantumcunque ratio vnum alteri præfert, non dum eſt vnum alteri præceptatum ad operandum, quouſque voluntas inclinetur in vnum magis quàm in aliud; non enim voluntas de neceſſitate ſequitur rationem.* Et idem videtur repetere quæſt. 25. ſequenti ar. 1. in corp. dum inquit: *De neceſſitate vult bonum vniuerſale; ſed non habet neceſſitatem reſpectu huius, vel illius rei, quantumcunque apprehendatur, vt bonum, vel vtile.* Hoc autem dictū, pura *non enim voluntas de neceſſitate ſequitur rationem, quantumcunque vnum alteri præfert*, planè videtur repugnare noſtræ concluſioni, & relatis auctoritatibus eiuſdem S. D. quibus ſtatuimus, actum electionis ſequi de neceſſitate ad actum rationis concludentis ex vi volitionis finis per ſyllogiſmum operatiuum, aliquid eſſe, vel non eſſe agendum.

Duo teſtimonia S. Thomæ, quæ videtur repugnare prædictis, referuntur,

1119 2 Ampliùs, ſi electio eſt actus voluntatis, & eſt vltima acceptatio, taliter vt quantumcunque ratio vnum alteri præferat, nunquam ſit neceſſarium, electionem voluntatis ſequi, & acceptare, id quod ratio iudicat præferendum, nunquam volũtas erit determinata ad acceptandum, & eligendum ab ipſa ratione; ſed determinatio erit per hoc, quòd voluntas acceptat, vel non acceptat id, quod ratio per iudiciũ præfert: & ita non erit determinata per iudicium ad acceptandum priùs natura, quã acceptetur.

Inculcantur prædicta teſtimonia cõtra ſupra relata.

3 Alterum dictum eſt, quo docet, dictamen conſcientiæ importare iudicium concluſum ſyllogiſmo rationis practicæ, quo iudicatur aliquid eſſe, vel non eſſe agendum. Euidens autem eſt, quod poteſt, quis habere actum voluntatis contrarium dictamini ſuæ propriæ conſcientiæ, vtcum quis aliquid vult malum conſcientia, ſeu conſcientia recalcitrante: poteſt ergo quis habere iudicium de particulari operabili (quale eſt concluſum per ſyllogiſmũ rationis practicæ) contrarium appetitui. Hoc autem repugnat dictis eiuſdem S. D. relatis §. præcedenti num. 87. alijſque locis relatis ibidem à num. 85. ad 92. quibus habetur, quòd ad prædictum iudicium de neceſſitate conſequitur appetitus. Dictum verò S. Doctoris circa dictamen conſcientiæ vide in 2. diſt. 24. quæſt. 2. ar. 4. in corp vbi ſic habet. 1120

Difficultas ex dictis D. Thomę de conſcientia proponitur.

1121 4 *Quandam actualem conſiderationẽ rationis per conſcientiam communiter loquentes intelligere videntur; ſed quæ ſit illa actualis rationis conſideratio, videndum eſt. Sciendum eſt igitur, quòd, ſicut in 7. Ethic. Philoſophus dicit, ratio in eligendis, & fugiendis quibuſdam ſyllogiſmis vtitur. In ſyllogiſmo autem eſt triplex conſideratio, ſecundum tres propoſitiones, ex quarum duabus tertia concluditur. Ita etiam contingit in propoſito, dum ratio in operandis ex vniuerſalibus principijs circa particularia iudicium aſſumit. Et quia vniuerſalia principia ad ſyndereſim pertinent, rationes autem magis appropriatæ ad opus pertinent ad habitus, quibus ratio ſuperior, & inferior diſtinguuntur: ſyndereſis in hoc ſyllogiſmo quaſi maiorem miniſtrat, cuius conſideratio eſt actus ſyndereſis: ſed minorem miniſtrat ratio ſuperior, vel inferior, & eius conſideratio eſt ipſius actus: ſed conſideratio concluſionis elicitæ eſt conſideratio conſcientiæ. V. g. ſyndereſis hanc proponit. Omne malum eſt vitandum. Ratio ſuperior hanc aſſumit: adulterium eſt malum, quia lege prohibitum; ſiue ratio inferior aſſumeret illam. quia eſt malum, quia iniuſtum, ſiue inhoneſtum. Concluſio autem, quæ eſt, adulterium hoc eſſe vitandum: ad conſcientiam pertinet. Et indifferenter, ſiue ſit de præſenti, vel de præterito, vel futuro. Quia conſcientia & factis remurmurat, & faciendis contradicit.* Et tandem concludit prædictum corp. art. inquiens. *Conſcientia nominat applicationem quandam legis naturalis, ad aliquid faciendum per modum concluſionis cuiuſdam.* Si igitur, ex vna parte, contingit, voluntatem operari contra conſciẽtiam, ita vt factum dictamini conſcientiæ non concordet: &, ex alia, conſcientia importat (vt inquit S. D. verbis relatis) ſententiam,

Doctrina S. Thomæ circa dictamen cõſcientiæ.

Digitized by Google

tentiam, & iudicium de particulari operabili, etiam de præsenti per modum conclusionis syllogismi practici, inde clarè sequitur, voluntatem posse non concordare iudicio de particulari operabili.

1122 5 Verùm præfata S. Doctoris dicta nullam habent difficultatem, si attendatur ad ea, quæ ex doctrina eiusdem S. D. sæpè aduertimus, nempe, intellectum non determinare voluntatem ad alteram partem ex oppositis absolutè, & ex propria vi; sed ex vi, qua est instrumentum eiusdem voluntatis volentis efficaciter finem, & ab ea motum ad determinandum per sententiam, ab ipsomet inueniendam, id, quod est conueniens fini volito, seu agendum propter finem. Diximus enim, quòd, in sententia S. Thomæ, intellectus non habet imperium, quo determinat, & mouet voluntatem ad alteram partem ex oppositis, nisi inquantum est motus ab eadem voluntate virtute alicuius actus præcedentis, qui in nostro casu est volitio finis. Et notari possunt ad hoc propositum verba S. Th Thomæ 1.2. quæst. 17. ar. 1. in corp: *Primùm mouens in actibus animæ ad exercitium actus, est voluntas, vt supra dictum est. Cùm ergo secundum mouens non moueat, nisi in virtute primi mouentis, sequitur, quòd hoc ipsum, quòd ratio mouet imperando, sit ei ex virtute voluntatis. Vnde relinquitur, quòd, imperare, sit actus rationis præsupposito actu voluntatis, in cuius virtute ratio mouet per imperium ad exercitium actus.*

Predicta testimonia nullam habere difficultatem, probatur ex dictis.

Intellectus non habet imperium ex vi propria.

Verba S. Thomæ.

1123 6 Et hinc fit, quòd sicut est verum dicere, quòd quantumcunque serra secet (si tamen non secat ex vi artis) nunquam aget opus artificiosum, ita est verũ, quòd qãtũcunque intellectus repræsentet aliquid, vt bonum, & vtile, (si tamen id non repræsentat ex vi volitionis præcedentis, seu volitionis finis) talis repræsentatio non habebit vim, & rationem imperij; & ex consequenti, nec vim determinandi, & mouendi efficaciter voluntatem in obiectum repræsentatum. Et sicut est verum, quòd opus artificiosum à nullo fit, vt à causa principali proxima, nisi ab artifice: ita est verum, quòd voluntas à nullo determinatur, vt à causa principali proxima, nisi à seipsa volente finem, vt nos diximus in resolutione §. 22. num. 4. Et sicut est verum, quòd opus artificiosum non fit, nisi per instrumenta applicata ad actionem propriam, seu exercentia operationẽ propriam: ita est verũ quòd voluntas nõ determinatur ad alteram partem ex oppositis circa agenda ad finem; nisi per intellectum suo imperio, seu finali sententia apprehendentem, talem determinatam partem esse agendam ad assequẽdum finem. Denique sicut absolutè est falsum, quòd opus artificiosum sequitur de necessitate sectionem serræ, cum possit ipsa secare mota ab eo, qui caret arte: & est verum, quòd opus artificiosum sequitur de necessitate sectionem serræ motæ ab artifice ad conficiendum prædictum opus: & similiter est verum, quòd serra efficit opus artificiosum, inquantùm scilicet est instrumẽtũ artificis. Ita est falsum, quòd voluntas de necessitate sequitur rationem apprehendẽtẽ aliquid esse bonum, vel vtile: & est verũ, quòd volũtas de necessitate sequitur rationem, motam ab eadem voluntate merito actus volitionis finis, ad determinandum per suum iudicium, & apprehensionem id, quod est conueniens fini, seu ad determinãdum per imperium id, quod expedit agere: & similiter est verũ, quòd intellectus suo imperio, & per apprehensionem determinati obiecti determinat voluntatem; inquantũm scilicet est instrumentum voluntatis volentis finem.

Exemplo euidenti inculcatur prædicta doctrina ad propositum.

1124 7 Atque ex his modò patet, nullam esse in dictis Angelici Doctoris repugnantiã. Etenim locis num. 11 huius §. relatis dum dicit: *non enim voluntas de necessitate sequitur rationem*, loquitur de ratione secundùm ea, quæ, apprehendendo obiectum voluntatis, habet ex viribus proprijs. Quod quidem non repugnat dictis de conclusione syllogismi rationis practicæ, quæ (vt nu. 9. sequenti explicat S. D.) concludit ex vi adhæsionis voluntatis ad finem, ac per hoc mouet ex vi actus volitionis finis imperando. Similiter illud: *quantumcunque ratio vnum alteri præferat nondum est vni alteri præacceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinetur ad vnum magis, quàm ad aliud*, intelligitur de rationis actu, secundùm quod habet præferẽdo mouere voluntatem ex propria vi, secundùm quã rationem potest præcedere tempore actum electionis, & spectat (dum iudicium est rectum) ad virtutem synesis, cuius est rectè iudicare; non autẽ de actu præferendi, qui habet ex vi volitionis finis mouere voluntatem, secundùm quam rationem concluditur per syllogismum operatiuum, & pertinet ad prudentiam, secundùm quod est præceptiua, estque simul tempore cum actu electionis. Talis enim actus preferẽdi includit virtualiter actum electionis. Nec potest verè de eo dici, quòd, dum ipse est, *non dum sit vnum alteri præacceptatũ ad operandum*; nec locum habet ly *quousque voluntas inclinetur ad vnum magis, quàm ad aliud*. Siquidem, statim ac ratio sic concludit, vnum præ alio esse acceptandum, præacceptatur, vt S. Doctor ex Aristotele docet verbis relatis §. præcedenti num. 85. & sic non habet locum ly *non dum*, & ly

Concordatur primũ dictum S. Thomæ.

quou-

Digitized by Google

quousque. Denique Angelicus præceptor ex his, quæ actui rationis conueniunt secundùm propriam lineam, probat prædictis verbis, actum electionis non esse actum rationis, sed voluntatis.

1125 *Ostenditur, secundum dictũ nullã habere difficultatem.*

8 Auctoritas autem eodem nu. 1. huius §. adducta ex quæst. 25. de veritate nullam habet apparentium repugnantiæ. Loquitur enim S. Doctor de necessitate, quam habet voluntas nostra ex sua propria natura, assignatque differentiam inter appetitũ bruticum, & rationalem. Vultque, quòd voluntas nostra ex natura sua nõ habet necessitatem, nisi ad bonum commune: ad reliqua verò bona particularia non habet firmam adhæsionem, seu motum perfectum ex natura sua, sicut habent bruta, quæ habent apprehensiones inditas circa particularia. Et licet circa quædam particularia bona naturæ humanæ naturaliter conuenientia, considerata secundùm absolutam bonitatem, habeat quosdam motus naturales; illi tamen sunt imperfecti, & conditionales, contra quos potest habere actus liberos absolutos, & perfectos, & debet notari pro intelligentia horũ doctrina S. Thomæ in 3. dist. 17. quæst. 1. ar. 2. quæstiuncula 2. in corp. vbi sic habet.

1126 *Doctrina S. Thomæ valde notanda ad propositũ.*

9 *Dicendum, quòd cum voluntas sequitur rationem, processus voluntatis proportionatur processui rationis. Ratio autem habet aliquod principium per se notum, ad quod resolvendo reducit illud, cuius cognitionem quærit. Et quandò ad illud reducere potest, habet certitudinem de re, & sententiat, quòd ita est. Sed antequam ad illud primum principium reducere possit, mouetur aliquibus verisimilitudinibus: & si quidem rationibus illis detineatur tanquã certis, decipitur, & errat. Si autem illis non detineatur, tunc habet opinionẽ vnius partis cum formidine alterius. Finis autem, vt dicit Philosophus 7. Ethicorum se habet in voluntarijs, sicut principium in speculativis. Vnde quando voluntas reducit aliquid consiliabile in finem, in quo totaliter quiescit, sententialiter acceptat illud. Si autem reducat in finem, in quo non totaliter quiescit, trepidat inter vtrumque. Sed si consideretur hoc, quod est ad finem, sine ordine ad finem, mouetur voluntas in ipsum secundùm bonitatem, vel malitiam, quam in eo absolutè inueniet. Sed quia voluntas non sistit in motu, quem habet circa huiusmodi, cum non feratur in ipsum, sicut in finem; ideo non sententiat finaliter, secundùm prædictum motum suum, de illo, quousque finem, in quem illud ordinat, non consideret. Vnde voluntas non simpliciter vult illud, sed vellet, si nil inueniretur repugnans. Voluntas autem, vt natura, mouetur in aliquid (vt dictum est) absolutè. Vndè si per rationem non ordinetur in aliquid aliud, acceptabit illud absolutè, & erit illi tanquam finis. Si autem ordinet in finem, non acceptat illud absolutè, quousque perueniat ad considerationem finis. Quod facit voluntas, vt ratio, (scilicet voluntas deliberata.) Patet igitur, quòd voluntas, vt natura imperfectè vult aliquid, & sub conditione, nisi feratur in ipsum, sicut in finem: Sed eorum, quæ sunt ad finem, habet voluntas, vt ratio, vltimum iudicium, & perfectum.* Hæc S. Doctor vtilde considerandæ, vt scias resoluere actus voluntatis in sua principia; & qualiter habeat, vel non habeat aliquem actum necessarium circa bona, vel mala particularia; discriminetur que ab appetitu brutico, qui de necessitate mouetur actu perfecto à particularibus apprehensis per sententias dictatas ab auctore naturæ.

S. Doctor se refert ad verba à nobis relata § 22. huius disp. nu. 6. Vide illa.

10 Ad illud, quod num. 3. & 4. proponitur de dictamine conscientiæ, dicendũ est, quòd secundùm D. Thomam, dictamen cõscientiæ, licèt sit de particulari operabili, de quo etiam est illud iudicium, & dictamen, ad quod sequitur electio; differt tamen ab eo multipliciter. Principaliter autem in hoc, quòd iudicium de particulari operabili competit conscientiæ in via, qua examinamus An sit, vel non sit agendum tale operabile, consistitque in pura cognitione; ac per hoc, licèt sit practicum, est tamen speculatiuè practicum, quia eius non est applicare ad affectionem. Et radix huius est, quia discursus, cuius est conclusio dictamen spectans ad conscientiam, procedit ex principijs syndereseos purè acceptis. At verò illud iudicium, ad quod sequitur electio, quod solet appellari, iudicium liberi arbitrij, concluditur per syllogismum procedentem ex efficaci volitione finis, habeturque in termino illius viæ, qua de particulari operabili examinamus; & consistit non in pura cognitione, sed etiam in applicatione ad affectionem, & sic est, non speculatiuè practicum, sed practicè practicum.

1127 *Solvitur difficultas proposita dictis S. Doctoris de conscientia.*

11 Pro hac re nota doctrinam S. Doctoris quæst. 17. de Veritate ar. 1. ad 4. vbi sic habet. *Ad quartum dicendum. Quòd iudicium conscientiæ, & liberi arbitrij, quantùm ad aliquid differunt, & quantùm ad aliquid conueniunt. Conueniunt enim quantùm ad hoc quòd vtrumque est de hoc particulari actu: competit autem iudicium conscientiæ in via, qua est examinans. Et in hoc differt iudicium vtriusque à iudicio syndereseos. Et differunt iudicium conscientiæ, & liberi arbitrij: quia iudicium*

1128 *Verba S. Doctoris confirmãtis prædictam solutionem.*

Digitized by Google

cium conscientia consistit in pura cognitione: iudicium autem liberi arbitrij in applicatione cognitionis ad affectionem, quod quidem iudicium est iudicium electionis. Et ideo contingit quandoque, quòd iudicium liberi arbitrij peruertitur, non autem conscientia. Sicut cum aliquis examinat aliquid, quod immineat faciendum, & iudicat quasi adhuc speculando per principia hoc esse malum, vt potè fornicari cum hac muliere. Sed quando incipit applicare ad agendum, occurrunt vndique multa circumstantia ad ipsum actum, vt potè fornicationis delectatio, ex cuius concupiscentia ligatur ratio, ne eius dictamen in eius electionem prorumpat. Et sic aliquis errat in eligendo, & non in conscientia; sed contra conscientiam facit, & dicitur hoc mala conscientia facere, in quantùm factum iudicio scientia non concordat. Atque ex his patet, nullam esse repugnantiam in dictis S. Doctoris.

1129 12 Quòd si cupis scire, qualiter passio concupiscentiæ ligat rationem, ne per dictamen conscientiæ perueniat ad inducendam operationem, procedatque in iudicium illud, quo iudicat fornicari hic, & nũc, cum hac muliere esse amplectendum, ad quod sequitur electio fornicationis, quæ nõ concordat iudicio scientiæ: lege S. Thomam sæpius agentem illam quæstionem: *An ratio possit superari à passione contra suam scientiam*, eam autem inter alia, vertit 1. 2. quæst. 77. ar. 2. vbi docet, quòd quando ratio non solum in vniuersali, sed etiam in particulari scit (ex: gratia) *adhuc speculando per principia, fornicari cum hac muliere esse malum*, superari potest à passione, per hoc, quod passio concupiscentiæ insurgens trahit virtutem imaginatiuam, & æstimatiuam ad attendendum delectabilitati actus fornicationis, ipsamque distrahit, & dum crescit, totaliter impedit, ne apprehendat ea, quæ deseruiunt dictamini conscientiæ, & sic ratio cessat ab apprehensione talis dictaminis. Amplius facta per vehementiam passionis aliqua immutatione corporali, potest ligare rationem, ne procedat in prædictum conscientiæ dictamen, neue illud continuet, sicut per somnum ligatur ratio, ne discurrat. Quo facto impellit imaginatiuã, & æstimatiuam ad suggerendum rationi principium vniuersale conforme impulsui passionis, puta omne delectabile esse prosequendum. Et inde ratio, quæ a passione vincitur, subsumit sub prædicto principio: Sed fornicari hic, & nunc, cũ hac muliere est delectabile: & sic concludit, talem actum esse prosequendum: quo iudicio infertur in operationem, dictamini conscientiæ, repugnantem. Vide posteriorem partem prædicti corporis articuli, ipsamque compone cum doctrina responsionis ad quartum, & articuli præcedentis in corpore. Vide etiam quæst. 3. de Malo art. 9. in corp. & ad 7. Qualiter autem cum prædicta doctrina, ac etiam cum necessitate, qua (verba sequentia sunt S. Thomæ) *posita, quòd ratio sit ligata, necesse est, quòd sequatur peruersa electio*, stet libertas arbitrij, vide apud eundem D. Th. eadem qu. 3. de Malo. art. x. in corp. (vbi sunt verba proximè relata) & in responsionibus argumentorum.

13 Ampliùs prædictæ difficultati posset secundùm relatam D. Thomæ doctrinã dici secundò (& fortè melius ad dissoluendas obiectiones, quæ contra præcedentem responsionem fieri possent) quòd ligamen rationis, ne per dictamen conscientiæ prorumpat in operationem, fit non solùm per hoc, quod feruescente passione, ratio diuertitur ab actuali consideratione dictaminis conscientiæ, & trahitur in consideratione obiecti, in quod inclinat passionis feruor facta aliqua transmutatione corporali; sed etiam aliquando solùm per hoc, quòd rationem distrahant, ne in dictamen conscientiæ prorumpat ex vi adhæsionis ad finem; ideoque fiftat in iudicio purè speculatiuo, & conditionali.

1131 14 Pro huius rei intelligentia considerandum est primò, quòd cùm conclusio importata per iudicium conscientiæ, quantùm ad id, quod sibi competit præcisè ex vi talis nominis, consistat (vt habet S. Doctor relatus proximò num. 11.) in pura cognitione, sitque quodammodo speculatiuum: oportet, quòd resoluatur in sua principia synderesis, prout ipsa etiam in pura cognitione consistunt, sunteque secundùm eũdem modum speculatiua. Ac per hoc oportet, quòd secundùm id, quod habet ex se, non procedat, nec resoluatur in affectionem, seu adhæsionem ad finem, quæ est extra lineam puræ cognitionis.

1132 15 Secundò est considerandum, quòd secundùm doctrinam eiusdem S. Doctoris relatam num. 9. ratio practica non dat de aliquo singulari consiliabili finalem sententiam, quæ inducit voluntatem ad acceptandum; nisi quando illud suo discursu resoluit in aliquem finem, cui voluntas inhæret. Antequam autem in talem finem resoluat; ac per hoc iudicat de eo, quòd est ad finem, sine ordine ad finem, vel cum ordine ad aliquid, cui voluntas imperfectè, pro tunc, adhæreret, per actum scilicet solius velleitatis; potest quidem tunc ferre aliquod iudicium de illo, sed non absolutum, & finale, sed quasi conditionale, & conforme volitioni illius, in quod reducit. Inducitque

prop-

Explicatur modus, quo secundùm D. Th: passio ligat rationem, ne per dictamen conscientiæ inducat operationem.

Qualiter cum ligamine rationis, & necessitate prorumpendi in peruersam electionem stet libertas arbitrij explicatur remissiuè.

1130 *Secunda responsio, per quam soluuntur obiectiones contra præcedentem propositum.*

Primùm notabile pro prædicta responsione explicanda.

Ratio practica non dat finalẽ sententiã, nisi resoluat consiliabile in finem volitum.

Digitized by Google

propterea voluntatem ad tendendum in tale cõfiliabile per actum solius velleitatis.

1133 16 Indè fit, quòd conscientiæ iudiciũ, dum habetur secundùm ea, quæ ad conscientiam purè spectant, inquantùm scilicet non est deductum ex vi efficacis volitionis finis, importat iudicium dictans aliquid sub quadam conditione; mouensque voluntatem ad summum in actus velleitatis, & imperfectos. Vt cum quis, percussus alapa, & non adhærens firmiter obseruantiæ mandatorũ, sed habens in illa velleitatem, ad hoc suo discursu veniret, vt iudicaret, quòd secundum præscriptum Euangelij promittentis æternum præmium, debet offerre percutiẽti alteram maxillam. Hic haberet iudicium conscientiæ conditionale; quippe quia non absolutè, & finali sententia iudicaret, esse tunc offerendam alteram maxillam percutienti, (quæ sententia pronunciatur, quibuscunque in contrarium non obstantibus) sed solùm secundùm quid, puta, secundùm præscriptum Euangelij, ac per hoc sub hac conditione, si vis seruare præcepta Euangelij. Ideoque prædictus percussus, qui solùm velleitatem supponitur habere in obseruãtiam mandatorum, in solam velleitatem oblationis alterius maxillæ induceretur per talem suæ conscientiæ dictamen. Quòd si talis in conflictu contumeliæ receptæ constitutus, diuerteretur à consideratione præmij, supponereturque pro tunc, distractus ab affectu ad præmium: & ita haberet prædictum iudicium conscientiæ non ex aliquo affectu procedens, sed in pura speculatione sistens: tunc ad nil moueret affectum. Et ratio huius illationis est. Quia offerre maxillam percussori non est aliquid absolutè bonum homini, in quod absolutè apprehensum fertur voluntas actu velleitatis naturali, & indeliberato; sed potius est absolutè quoddam malum, quod apprehensum naturaliter fugit. Et inde est, quòd, nisi supponatur apprehensum, vt bonum, per ordinem ad aliquem finem aliquo modo volitum, est extra limites obiecti prosequibilis à voluntate.

Purũ iudiciũ conscientiæ est conditionale.

Non mouet voluntatem, nisi ex aliqua volitione finis.

1134 17 Considerandum est tertiò, quòd hoc iudicium, puta, secundùm præscriptũ Euangelij promittentis æternum præmium, offerenda est altera maxilla percutienti vnam, non opponitur contradictoriè huic, nempe, secundum existimationem hominum, ad vitandum familiæ dedecus, alapamque iuxta ritum nobilium compensandam, percutienti in vnam maxillam non est offerenda altera, sed tollenda vita. Vtrumque enim est verum speculatiuè. Amplius non haberet iudicia contradictoria, qui sic in particulari casu diceret: Secundum dictum Euangelij, cuius præceptum vellem seruare, nisi in ludibrium hominum verterer, exibenda est altera maxilla percutienti vnam: at pensatis, quibus nunc valdè afficior, & adhæreo, tollenda est huic vita; non verò offerenda altera. Iudicium enim primum, quod est cõditionale, non contradicit secundo, quod est absolutum, sicut nec affectus ille imperfectus, & conditionalis repugnat simul esse cum affectu secundo deliberato, & absoluto. Et quidem, quòd secundum iudicium non contradicat primo, est euidens. Quippè quia contradictio esset, si vtrumque esset absolutum, puta ista duo: Pensatis omnibus, quibus afficior, non est percutienti vnam offerenda altera maxilla: Et pensatis omnibus, quibus afficior, percutienti vnam maxillam offerenda est altera. Similiter ista duo: Secundum præscriptum Euangelij percutienti nunc vnam offerenda est altera: Et secundum præscriptum Euangelij percutienti nunc vnam non est offerenda altera; quæ quidem iudicia in vno eodemque simul esse non possunt.

Iudicium conscientiæ nõ opponitur cõtradictoriè dictamini liberi arbitrij.

1135 18 Quartò considerandum est, quòd si iudicium de singulari operabili, quod, prout fistit in pura cognitione, spectat ad conscientiam, deduceretur (vt deduci potest) ex vi adhæsionis voluntatis ad fines virtutum moralium; tunc tale iudicium non esset purum, seu simplex dictamen conscientiæ; sed simul etiam esset dictamen prudentiæ, seu rectum iudicium liberi arbitrij, moueretque voluntatem efficaciter in rem iudicatam. Et hoc inquantùm ex vi adhæsionis voluntatis ad fines virtutum adiungitur ei virtus præceptiua, seu imperatiua. Itaq; per hoc differt iudicium rectum conscientiæ (de hoc enim procedit obiectio) à iudicio prudentiæ, quòd hoc supponit adhærentiã voluntatis ad fines virtutum moralium; illa verò non, si præcisè sumatur.

Iudicium conscientiæ rectæ, si procedat ex adhæsione ad fines virtutum, euadit dictamen prudentiæ

1136 19 His consideratis, facilè explicatur, qualiter quis, retinens rectum dictamen cõscientiæ, vinci possit à passione, & ita incidere, conscientia contradicente, in iudicium electionis imprudens; ac etiam operari imprudenter, consentiendo passioni, murmurante conscientia contra id, quod fit in actu. Etenim feruescente passione. e.g. concupiscentia, distrahit rationem, ne attendat ad fines virtutum, & ex consequenti distrahit voluntatem, ne prorumpat in actus adhærentiæ ad dictos fines: & sic dictamen rectæ conscientiæ remanet in memoria destitutum eo, quod habebat ex vi adhæsionis voluntatis ad rectos fines. Et indè remanet, non secundùm illam rationem perfectam spectantem ad prudentiam; & prout, priusquam feruesceret passio, dictabat absolutè, fornicationem e. g. esse malam, & vitandam; sed secundùm rationem magis

Modꝰ, quo contradicente conscientia possit quis incidere in peruersum dictamẽ liberi arbitrij, peruersãque electionem, explicatur.

Digitized by Google

imperfectam, spectantem ad conscientiam præcisè sumptam, & prout idem dictat cõditionatè, & secundùm quid, videlicet, quòd secundùm principia rectè rationis, seu præceptum diuinum, fornicatio hìc, & nunc, occurrens &c. est mala, & vitanda. Hoc autem iudicium non repugnat simul esse cum eo, quo quis victus passione iudicat sententia finali, quòd ad sumendam delectationem, qua afficitur, conueniens est, & bonum medium fornicari hìc, & nunc cum hac muliere ad prædictum finem apta (vt sibi ostendit sensus, & passio) ac per hoc esse committendam. Et inde sequitur, posse quandoque accidere, quòd quis, retinens rectum iudicium conscientiæ, incidat victus passione in peruersum iudicium liberi arbitrij, quo, contradicente, & repugnante conscientiæ dictamine, inducitur in operationẽ oppositam ei, quam eadem conscientia dictat. Vt ita possit verificari doctrina S. Thomæ relata in hoc §. num. 4. nempe: *Conclusio, quæ est: adulterium hoc esse vitandum, ad conscientiam pertinet. Et indifferenter, siue sit de præsenti, vel de præterito, vel futuro. Quia conscientia, & factis remurmurat, & faciendis contradicit*; quæ quidem doctrina verificari non posset secundùm primam responsionem.

1137 20 Huius discursus maior constare potest ex primo, & secundo notabili; minor verò ex tertio. Adhuc autem veritas eiusdem minoris erit tibi euidentior, si consideres, quòd vna, eademque actio est medium proportionatum vni fini; atque adeo agenda ex suppositione talis finis: & est repugnans alteri fini; ideoque non agenda ex suppositione alterius finis; atque adeo est simul agenda, & non agenda sub conditione finis, sed respectu diuersorum finium. Sic medicina amara, & nauseosa est expediens, conueniens, & sumenda ad acquirendam sanitatem; & simul non est expediens, nec sumenda ad sumendam delectationem in potu. Si ergo ita est in se, sine vlla contradictione, iudicare etiam de illa eodem modo nullam inuoluet cõtradictionem. Idque est euidentissimum. Simul autem considera, quòd finalis sententia, qua quis ex affectu ad sanitatem iudicat absolutè, seu alijs non obstantibus, sumendam esse potionem, solùm indicat, & exposcit, quòd affectus sanitatis vincat, & aliquo modo excludat, seu virtualiter paruipendat affectum delectationis in potu, vt sic pronuncietur sententia alijs non obstantibus; non autem exigit exclusionem illius iudicij conditionalis, quo iudicatur potio non sumenda ad delectationem potus explendam. Id que etiam est ipsa experientia notum. Denique considera, quòd ita res se habet circa dictamen conscientiæ. Siquidem (vt eodem vtamur exemplo) fornicatio naturali, & diuina lege prohibita, est simul conueniens delectationi, & repugnans amicitiæ Dei, & obseruantiæ mandatorum, ac per hoc est simul agenda, & non agenda respectu diuersorum finium. Et conscientia quidem dictat, quòd ad seruandam diuinam amicitiam, pœnamque vitandam, non est committenda; sensualitas verò dictat, quòd ad sumendam delectationem cum fœmina pulchra, cuius offertur occasio, est agenda. Quãdo ergo quis ex affectu ad delectationẽ sententiat absolutè, alijs scilicet non obstantibus, committendam esse fornicationem; solùm oportet, quòd in ipso prævalent affectus in delectationem, non autem quòd careat iudicio conditionali, quo iudicat fornicationem nõ esse committendam ad seruandam diuinam amicitiam. Prædominium autẽ obtinet sensualitatis affectus per hoc, quod feruescẽte passione, distrahit rationẽ, ne attendat ad fines virtutum, & sic facit, vel vt affectus ad virtutes tepescat, vel totaliter desistat. Et ex consequenti ad hoc vt iudicium rectum conscientiæ in eo, qui vincitur à passione, habeat simul ista duo, nempè, ligamen, ne prorumpat in electionem conformem dictamini, & quòd resistat, clamet, & remurmuret contra electionem peruersam, quæ actualiter inducitur ex iudicio liberi arbitrij peruerso, hoc sufficit, & requiritur, videlicet, quòd passio liget rationem, ne ita repræsentet fines virtutum moralium, aut etiam infusarum, vt inducat fortem affectum in dictos fines. Verùm de hoc redibit sermo disp. sequenti, quando rationes existimantium, rationis imperium repugnare libertati, soluemus.

Probatur iterum minor præcedentis discursus euidẽti ratione, & exemplo.

1138 21 Solùm aduerte, quòd S. Doctor relatus num. 11. huius §. hanc secundam responsionem videtur prædictæ difficultati dedisse verbis illis: *Iudicium conscientiæ consistit in pura cognitione: iudicium verò liberi arbitrij in applicatione cognitionis ad affectionem. Et ideo contingit quandoque, quòd iudicium liberi arbitrij peruertitur, non autem conscientia. Sicut cum aliquis examinat aliquid quòd imminet faciendũ, & iudicat, quasi adhuc speculãdo per principia, hoc esse malum, vt potè fornicari cum hac muliere; sed quando incipit applicare ad agendum, occurrunt vndique multa circumstantia ad ipsum actum, vt pote fornicationis delectatio, ex cuius concupiscentia ligatur ratio, ne eius dictamen in electionem prorumpat. Et sic aliquis errat in eligendo, & non in conscientia.* Circa quæ verba primò considero, vndè prouenit, quòd possit aliquando contingere, iudicium liberi arbitrij esse peruersum, existente recto dicta-

D. Thomã verbis hìc relatis sequi secundã responsionem, ostenditur.

Prima cõsideratio ad propositum.

Digitized by Google

dictamine conſcientiæ. Huius enim non alia aſſignatur ratio à S.D. niſi hæc, puta, quia *iudicium conſcientiæ conſiſtit in pura cognitione; iudicium verò liberi arbitrij in applicatione cognitionis ad affectionem.* Subindè ſumo aliam doctrinam eiuſdē S. Doctoris num. 5. huius §. relatam, qua docet, iudicium rationis non habere vim applicandi voluntatem in affectionem eorum, quæ ſunt ad finem; niſi ex vi volitionis præſuppoſitæ, qua efficaciter appetitur finis. Et inde deduco, quòd, dum iudicium rectæ conſcientiæ non conſiſtit in applicatione cognitionis ad affectionem, ſed in pura cognitione, non præſupponat adhæſionem voluntatis ad rectos fines; & quòd ex hoc prouenit, quòd aliquando contingit, peruerti iudicium liberi arbitrij, iudicio conſcientiæ exiſtente recto. Conſidero ſecundò illa verba: *Ex concupiſcentia ligatur ratio, ne eius dictamen in electionem prorumpat.* Non enim dixit, ex concupiſcentia ligatur ratio, ne in dictamen conſcientiæ prorumpat, ſed ne dictamen conſcientiæ in electionem prorũpat. Et inde infero, quòd ligamen rationis, de quo hìc loquitur S. Doctor, non inducit ſuſpenſionem actus dictaminis ipſius conſcientiæ, quantùm ad hoc, quòd ſit, vel non ſit; ſed quantùm ad hoc, quod applicet, vel non applicet ad affectionem rei iudicatæ. Cum autem hoc habeat ex præſuppoſito actu volitionis finis; indè vltimatè deduco, quòd prædictum ligamen in eo, qui paſſione vincitur, inducit ſuſpenſionem actus adhærentiæ voluntatis ad rectos fines; non autem excludit actum ipſum dictaminis conſcientiæ. Et indè fit, quòd aliquando contingit, iudicium liberi arbitrij peruerti, exiſtente recto, & remurmurante contra factum iudicio conſcientiæ.

Secunda conſideratio.

§. XXV.

Obijciuntur quædam alia teſtimonia S. Doctoris: concordantur relatis in §§. præcedentibus, præſertim 8. & 9. & Ferrarienſis vindicatur ab impoſita ſibi doctrina à Requeſenio.

1139 1 OCcurrit ſecundò loco doctrina S. Thomę à nobis relata in hac diſp. §. 8. num. 4. qua docet: *corpora cœleſtia cauſare generationem in his inferioribus, inquantùm motus eius eſt cauſa omnium inferiorum mutationum. Sed cùm omnis motus ſit actus motoris, & moti oportet, quòd in motu relinquatur virtus motoris, & virtus mobilis. Vnde ex ipſo mobili, quòd corpus eſt, habet virtutem mouẽdi inferiora corpora ad diſpoſitiones corporales: ex parte autem motoris, qui eſt ſubſtantia ſpiritualis (quæcumque ſit illa) habet virtutem mouendi ad formas ſubſtantiales, ſecundùm quas eſt eſſe ſpecificum, quod diuinum eſſe dicitur &c. Et per hunc modum omnes formæ naturales deſcendunt à formis, quæ ſunt ſine materia.*

Verba S. Thomæ, circa quæ eſt difficultas.

1140 2 Verùm contra prædictam doctrinã, quam, tùm dicto §. 8. tùm 9. ſequenti ſæpè retulimus in confirmationem eorum, quæ prædictis locis ex S. Doctore docemus, videtur ſtare vulgata illa doctrina eiuſdem S. D. qua docet, quòd qualitates in virtute ſubſtãtiæ, cuius ſunt virtutes actiuæ, procedunt ad cauſandam ſubſtantiam, vt inter alia loca docet ipſe S. Doctor 1. p. quæſt. 115. ar. 1. ad quintum. Motus ergo cœlorum, inquantùm eſt corporis moti, non ſolùm habet virtutem mouendi inferiora corpora ad diſpoſitiones corporales, ſed etiam ad formas ſubſtantiales, ex quibus eſt eſſe ſpecificum. Et indè eſt, quòd eadem quæſt. 115. ar. 3. ad 2. poſtquam excluſit ex doctrina Ariſto. opinionem Platonis exiſtimantis, formas ſubſtantiales inferiorum corporum cauſari à formis immaterialibus à materia ſeparatis, concluſit, principium actiuum cauſans in his inferioribus generationem, & corruptionem ſubſtantialem eſſe motum cœleſtis corporis. Et indè deduxit corollarium relatum à nobis in hac diſp. §. 16. num. 9. nempè: *Et ideo quidquid in iſtis inferioribus generat, & mouet ad ſpeciem, eſt ſicut inſtrumentum cœleſtis corporis.* Hæc enim doctrina minimè cohærere videtur cũ ſupra relata, qua docet, quod motus cœleſtis *ex ipſo mobili, quod corpus eſt, habet virtutem mouendi inferiora corpora ad diſpoſitiones corporales: & quòd ex parte motoris, qui eſt ſubſtantia ſpiritualis habet virtutem mouendi ad formas ſubſtantiales.* Quippe quia etiam ex parte mobilis habet vim ad mouẽdum in formas ſubſtantiales. Eo vel maximè, quòd corpus cœleſte ponitur à S. Doctore cauſa principalis generationis ſubſtantialis horum inferiorum: cauſa autem principalis ſecundùm eundem S. Doctorem à nobis relatum in hac eadem diſp. §. 8. num. 46. & 47. agit ex vi ſuæ propriæ formæ. Motus ergo cœleſtis corporis, pro vt eſt talis corporis habentis ſuam formam, & virtutem permanentem, vim habet ad generationem ſubſtantialem.

Doctrina eiuſdem S. D. qua videtur repugnare præcedenti.

1141 3 Et augetur difficultas ex doctrina eiuſdem S. D. quam habet in dicta reſponſione ad 2. art. 3. qu. 115. 1. p. Docet enim, quòd ſi qualitates actiuæ elementorum eſſent formæ ſubſtantiales, nulla eſſet neceſſitas motus corporis cœleſtis ad inducendã generationem ſubſtantialem in his inferioribus. Sed quia tales qualitates ſunt meræ diſpoſitiones materiales, ad formam ſub-

Difficultas augetur ex alio loco S. Doctoris.

Digitized by Google

ſtantialem inferiorum corporum; ideo eſt neceſſarius motus cœleſtis corporis, vt principium actiuum ad formam ſubſtantialem. Prædictus ergo motus cœleſtis corporis, in quantùm eſt talis corporis, vim habet, non ad meras diſpoſitiones materiales, quarum munus explent qualitates ipſæ elementorũ; ſed ad inducendas formas ſubſtantiales. Et aduerte, quòd hæc difficultas eſt replica ſatis vrgens contra reſponſionem, qua conciliauimus loca D. Thomæ dicto § 8. num. 16.

1142 *S. Doctor videtur ſequi opinionem Auicennæ, quã ipſemet reprobat ex doctrina Ariſtotelis.*

4 Amplius, S. Doctor verbis num. 1. relatis videtur ſequi opinionem Platonis, & Auicennæ, quam ipſemet eadem quæſt. 115. 1. p. ar. 1. in corp. refert dicens: *Tam Plato, quàm Auicenna, in aliquo ipſum ſequẽs, ponebant, quòd agentia corporalia agunt ſecundum formas accidentales, diſponẽdo materiam ad formam ſubſtantialem: ſed vltima perfectio, quæ eſt per inductionem formæ ſubſtantialis, eſt à principio immateriali.* Et quæſt. 110. eiuſdem 1. p. art. 2 in corp. inquit: *Auicenna poſuit omnes formæ, quæ ſunt in materia, procedere à conceptione Intelligentiæ, & quòd agentia corporalia ſunt ſolùm diſponentia ad formas.* Videtur, inquam, S. Doctor hanc opinionem ſequi, dum verbis num. 1. relatis tribuit corpori cœleſti ſolam vim ad inducendas diſpoſitiones corporales, & totam vim ad inducendas formas ſubſtantiales Intelligentiæ mouenti cœlos, concludens: *Et ſecundùm hunc modum omnes formæ corporales deſcendunt à formis, quæ ſunt ſine materia.* & vtique à conceptione Intelligentiæ; vt expreſsè docet verbis relatis in hac eadẽ diſp. § 20. num. 3. Et tamen hanc ipſam Auicennæ opinionem ijſdem locis modò citatis, docet, eſſe falſam, & ab Ariſtotele reiectam.

1143 *Alia doctrina S. Thomæ proponitur, cui videtur ipſemet repugnare.*

5 Præterea § 20. num. 19. diximus ex doctrina D. Thomæ, ibidem relata, quòd viſibilia, puta colorata, producunt ſpeciem ſui, ſiue in medio, ſiue in ſenſibus, inquantùm ſunt illuminata, ſicut corpora alia mouentia motu phyſico mouent, inquantùm mota. At contra prædictam doctrinam videtur ſtare alia eiuſdem D. Thomæ doctrina, qua lib. 2. de Anima lec. 14. proprie finem, & quæſt. vnica de Anima ar. 4. ad 4. docet ex opinione Ariſtotelis, *quòd cùm color ſit quædam forma, habet ex ſe, quòd diffundat ſimilitudinem ſui in medio*: Et quòd lumen ad producendas ſpecies viſibiles requiritur non ex parte coloris, qui ex ſe habet talem virtutem, ſed ex parte medij, quod per lumen diſponitur ad recipiendas prædictas ſpecies. Vnde citata quæſt. de Anima ad 4. ſic habet. *De lumine eſt duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quòd lumen neceſſarium eſt ad videndum quantùm ad hoc, quòd dat virtutem coloribus, vt poſſint mouere viſum, quaſi color non ex ſeipſo ſit viſibilis; ſed per lumen. Sed hoc videtur Ariſtoteles remouere cùm dicit in 2. de Anima, quòd color eſt per ſe viſibilis, quod non eſſet, ſi ex lumine haberet viſibilitatem. Et ideo alij aliter dicunt, & meliùs, quòd lumen neceſſarium eſt ad videndum inquantùm perficit diaphanum, faciens illud eſſe lucidum in actu. Vnde Philoſophus dicit, quòd color eſt actus lucidi ſecundùm actum. Nec obſtat, quòd ab eo, qui eſt in tenebris, videntur ea, quæ ſunt in lumine, & non è conuerſo. Hoc enim accidit ex eo, quod oportet illuminari diaphanum, quod circumſtat rem viſibilem, vt recipiat viſibilem ſpeciem, qua vſque ad hoc viſibilis eſt, quouſque porrigitur actus luminis illuminantis diaphanum, licèt de propinquo perfectius illuminet, & de longinquo magis debiliter.*

6 Adhæc, § 22. nu. 17. & 18 huius Diſp. retulimus doctrinã D. Thomæ, & Ferrarienſis in commentario, docentium, voluntatem, quæ eſt ad vtrumlibet, determinari ad vnum infallibiliter per ſuam ſapientiam, ſeu (vt habet Ferrarienſis) *per iudicium, quò iudicatur, aliquid eſſe volendum*. Verùm Requeſenius 1. 2. diſp. 12. num. 16. & 63. affert contra prædictam doctrinam tùm D. Thomam, tùm Ferrarienſem; creditque, D. Thomam docere oppoſitum 3. contra gent. cap. 110. & quæſt. 1. de Malo art. 3. circa finem corp. ex quo loco refert hæc verba: *Cur autem nõ vtatur regula prædicta, nec illi conformetur, non oportet aliam cauſam quærere; quia ad hoc ſufficit ipſa libertas voluntatis, per quam poteſt agere, vel non agere*: Ferrarienſem verò 3. contra gen. cap. 112. §. circa id, quod dicitur Intellectualem. *Vbi* (inquit Requeſenius) *ſic loquitur*, videlicet: *Moralis malitia, & bonitas voluntatis conſiſtit in conformitate, vel difformitate ad regulas rationis, quin à ratione prædeterminetur ad operandum, cum ad ipſam pertinet ſe determinare, ſiue ad conformitatem, ſiue ad difformitatem*. Et quidem, quòd Requeſenius exiſtimet, tam verba, quæ refert ex D. Thoma, quàm quæ exiſtimat dicta à Ferrarienſi, repugnare doctrinæ eorundem à nobis relatæ, patet ex ipſomet. Requeſenio qui d ſp 10. præcedenti num. 50. poſt quam docuit, voluntatem non fore liberam, ſi per iudicium rationis, ſeu rationis imperium determinaretur, ſic concludit. *Quapropter rectè S. Thomas 3. contra gent. cap. 110. & quæſt. 1. de Malo ar. 3. & Ferrarienſis 3. con. gen. cap. 112. §. (circa id, quod dicitur intellectualem) non imperio intellectus, ſed ipſi voluntati attri-*

1144 *Refertur doctrina S. Th. & Ferrarienſis, ſimulque ea, quæ cõtra eoſdem opponit Requeſenius.*

Digitized by Google

attribuit determinationem ſui actus, vt pluribus infra dicam diſp. 12. loquens de libertate. Diſputatione autem 12. refert prædicta verba, nec aliud ſiue ex D. Th. ſiue ex Ferrarienſi refert ad hoc propoſitum.

Reſpondetur difficultati propoſita num. 2. & 3. & afferuntur inſignia quædam notabilia ex doctrina S. Thomæ circa modum, quo forma ſpecifica rerum ſublunarium procedunt, vt ex principio per ſe, à formis immaterialibus.

1145 *Proponitur inſignis doctrina S. Thomæ, conſideranda pro ſolutione præcedentium difficultatum.*

7 OBiectiones prædictæ procedunt merè in doctrina S. Thomæ. Eas autem oportuit proponere, ne circa Sancti Doctoris dicta ſcandalum patiantur, qui in eius doctrina nō ſunt diligenter verſati. Et quidem difficultatem primæ obiectionis à nemine vidi inculcatam cōtra doctrinam relatam num 1. immo etiam nullus occurrit, qui eandem doctrinam ad aliquod propoſitum pro ſe adduxerit. Vt autem altiſſimam profundamque S. Doctoris philoſophiam, ac eius doctrinæ cohærentiam circa difficultatem prædictam manifeſtemus, debemus in primis conſiderare doctrinam eius, quam tradit quæſt. 5. de Potentia ar. 1. in corp. vbi ſic habet. *Eſt aliquod efficiens, à quo forma rei facta non dependet per ſe, & ſecundùm rationem formæ; ſed ſolùm per accidens. Sicut forma ignis generati ab igne generante per ſe quidem, & ſecundùm rationem formæ non dependet: cùm in ordine rerum eundem gradum teneat; nec forma ignis aliter ſit in igne generato, quàm in generante; ſed diſtinguitur ab ea ſolùm diuiſione materiali, prout ſcilicet eſt in alia materia.* Et hìc nota, quid requiritur ad hoc, vt forma cauſæ efficientis ſit per ſe cauſa formæ ſui effectus. Oportet enim, quòd in ordine rerum alium gradum teneat, ſitque aliter, ſeu habeat alium modum eſſendi ab eo, quem habet in effectu. Deinde conſidera quid inde infertur, nam ſubdit. *Vnde eum igni generato* (legendum puto, *generanti*) *ſua forma ſit ab aliqua cauſa, oportet, ipſam formam pendere ab altiori principio, quod ſit cauſa ipſius formæ per ſe, & ſecundum propriam ſpeciei rationem. Cum autem eſſe forma in materia, per ſe loquendo, nullum motum, vel mutationem implicet, niſi forte per accidens: omne autem corpus non agit, niſi motum: neceſſe eſt, quòd principium, ex quo per ſe dependet forma, ſit aliquod incorporeum. Per actionem enim alicuius principij dependet effectus à cauſa agente. Et ſi aliquod principium corporeum eſt per aliquem modū cauſæ formæ, hoc habet inquantùm agit virtute principij incorporei, quaſi eius inſtrumentum. Quod quidem* (deſt inſtrumentum) *eſt neceſſarium ad hoc, quod forma eſſe incipiat, inquantùm forma non incipit eſſe, niſi in materia. Non enim materia, quocumq; modo ſe habens poteſt ſubeſſe formæ; quia proprium actum in propria materia oportet eſſe. Cùm ergo eſt materia in diſpoſitione, quæ non competit formæ alicui, non poteſt à principio incorporeo, à quo forma dependet per ſe, eam conſequi immediatè: vnde oportet, quòd ſit aliquid tranſmutans materiam. Et hoc eſt aliquod agens corporeum, cuius eſt agere mouendo. Et hoc quidem agit in virtute principij incorporei; & eius actio* (ſcilicet principij incorporei) *determinatur ad hanc formam, ſecundùm quod talis forma eſt in eo* (ſcilicet agente corporeo) *actu, ſicut in agentibus vniuocis, vel virtute, ſicut in æquiuocis.*

1146 *Conſideranda circa præcedentem doctrinam S. Thomæ proponuntur.*

8 Et hìc circa prædicta nota diligēter, primò illā propoſitionem: *ſi aliquod principium corporeum eſt per aliquem modum cauſa formæ, hoc habet inquantùm agit virtute principij incorporei, quaſi eius inſtrumentum.* Nota, in quam ly *per aliquem modum*, & inde accipe, quòd, non niſi ex vi agentis incorporei agens corporeum habet cauſalitatem effectiuam in formā ſubſtantialem. Et inde poſtquam deduxit S. Doctor, quòd *oportet eſſe aliquod agens tranſmutans materiam. Et hoc eſt aliquod agens corporeum, cuius eſt agere mouendo*; ſubiunxit. *Et hoc quidem agit in virtute principij incorporei.* Et voluit ſignificare, quòd dum agens corporeum, tranſmutando materiam, attingit ſua cauſalitate formam, agit hoc ex vi principij incorporei. Secundò nota finem, ob quem deſeruit agenti incorporeo operatio agentis corporei, ille enim eſt ad diſponendam materiam, ac per hoc proprium munus agentis corporei eſt diſponere materiam, ſi precisè ſumatur; licèt deinde ex vi agentis incorporei habeat tranſmutare materiam, & ſua cauſalitate attingere ipſam formam ſubſtantialem; & aliquod agens incorporeum ſit, quod non niſi per agens corporeum, per quòd tranſmutat materiam, ipſam formam ſubſtantialem per ſe attingat, vt infra dicemus. Et inde percipies, quòd S. Doctor in præcedēti doctrina repetit illud ipſum, quod docuit in ſentētijs verbis relatis n. 1. ſcilicet, quòd motus cœli *ex ipſo mobili quod corpus eſt habet virtutem mouendi inferiora corpora ad diſpoſitiones corporales*, & quòd *ex parte motoris, qui eſt ſubſtātia ſpiritualis habet virtutem mouendi ad formas ſubſtantiales.* Differentia inter vtramque doctrinam eſt, quòd in vna appellat ſubſtantiam ſpiritualem id, vnde procedit vis ad cauſandam formam; In altera verò principium incorporeum,

Digitized by Google

poreum. Tertiò nota illam propositionem actio principij incorporei determinatur ad hanc formam, secundùm quòd talis forma est in agente corporeo actu, &c. atque hinc obiter dignosces, quàm benè sibi ipsi consentiat S. Doctor in illa doctrina, quam toto § 9. huius disp. probauimus, nempe, quòd actio superioris agentis (qualis est actio agẽtis incorporei in ordine ad corporea) determinatur ad effectum secundùm formas, quibus constituuntur in actu agentia inferiora.

1147 9 Secundò considerari debet, quòd hoc principium incorporeum, seu spiritualis substantia, quæ, seu quod est causa per se formæ dantis speciem, seu formæ substãtialis horum corruptibilium, est duplex: Alterum, quod non nisi per instrumentum corporeum potest inducere formam in materiam; ac per hoc non potest immediatè, ideſt sine tali medio, dictam formam inducere. Et huiusmodi sunt Intelligentiæ motrices cœlorum, quæ non nisi mouendo cœlos, eorumque motu mediante peruenire possunt ad causandas prædictas formas. Alterum, quod tam per instrumentum corporeum, quàm sine tali instrumento, prædictum effectum inducere potest. Vnde per seipsum immediate potest inducere formã substantialem in materiam, inducendo simul per seipsum dispositiones proportionatas formæ, quam inducit. Et hoc non est, nisi Deus. Et quidem de vtroque hoc principio incorporeo verificatur (licet differenti modo, infra explicando) doctrina illa Sancti Thomæ, qua de motu cœli docet, quòd *ex ipso mobili, quod corpus est, habet virtutem mouendi inferiora corpora ad dispositiones corporales, & quòd ex parte motoris, quæ est substantia spiritualis (quæcunque sit illa) habet virtutem mouendi ad formas substantiales, secundùm quas est esse specificum*. Nota ly *quæcunque sit illa*. Distribuit enim pro qualibet substantia spirituali, secundùm quod sunt diuersæ opiniones apud philosophos, de motoribus cœlorum, quas breuiter recensel S. Doctor verbis relatis in hac disp. §. 22. num. 21. nempe. *Non refert autem* &c. *Vtrum corpus cœleste moueatur à substantia intellectuali coniuncta, quæ sit anima eius, vel à substantia separata. Et vtrum vnumquodque corporum cœlestium moueatur à Deo, vel nullum immediatè, sed mediantibus substantijs intellectualibus creatis, aut primum tantum immediatè à Deo*. Vnde per ly *quæcunque sit illa*, significauit idem, quod, siue talis substantia spiritualis sit anima cœli, siue substantia separata creata, siue Deus.

Principiũ incorporeũ à quo procedit forma specifica per se, est duplex, alterum indigens, alterum non indigens instrumẽto corporeo.

De vtroque intelliguntur verba S. Thomæ.

1148 10 Amplius de vtroque principio incorporeo, creato scilicet, & increato intelligitur doctrina relata nu. 7. ex quæst. quinta de Potentia. Licèt enim S. Doctor in vltima parte articuli deueniat ad Deũ, additis quibusdam alijs principijs; attamen id, quod nos dicto num. 7. retulimus spectans ad explicationem causæ per se formæ, dantis speciem, de vtroque intelligitur. Siquidem illa verba: *Cum ergo est materia in dispositione, quæ non competit formæ alicui, non potest à principio incorporeo à quo forma dependet per se, eam consequi immediatè: vnde oportet, quod fiat aliquid transmutans materiam*, verificantur de principio incorporeo creato, propriè loquendo. Præterea, formæ, per quas Intelligentia mouens cœlos (quæ est principium incorporeum creatum (efficit formas substantiales (eo modo, quò formis conuenit effici) quibus hæc inferiora corpora sortiuntur speciem, iam in ordine rerum non eundẽ gradum tenent, & insuper aliter sunt, seu alium modum essendi habent in Intelligentia efficiente, quàm habent in his inferioribus, quæ per eas constituuntur in specie. Habẽt ergo conditiones requisitas ad hoc, vt per eas Intelligentia sit principiũ efficiens per se in ordine ad formas substantiales horum corruptibilium. Etenim (vt notauimus nu. 7. præcedenti) ad hoc vt aliquid per suam formam sit per se principium efficiens respectu formæ sui effectus, hæc duo requiruntur, nempe, vt forma, per quam agit, *aliumve rum ordinem teneat*, habeatque alium modum essendi in ipso, quàm in effectu; vnde propter defectum vtriusque, dixit S. Doctor, quòd ignis generans non potest esse causa per se respectu formæ ignis generati. Atqui formæ, per quas Intelligentiæ motrices cœlorũ sunt effectiuæ formarum horum inferiorum, habent ista duo. Agunt enim per formas apprehensas sicut artifex: formæ autem apprehensæ sunt immateriales, ac per hoc non tenent eundem gradum rerum cum formis, quibus corporalia constituuntur in specie. Amplius habent alium modum essendi ab eo, quem habent in corporibus, quæ per eas constituuntur in specie. Forma enim lapidis in Intelligentia habet esse intentionale, non vero naturale, vnde & Intelligentia per formam lapidis est intentionaliter lapis, nõ autem lapis naturaliter.

Idem probatur ex alio loco S. Doctoris

1149 11 Nec tamen propterea hoc, quòd S. Doctor hoc loco quæstionis quintæ de Potentia concludit, oportere, principium per se formæ dantis speciem esse incorporeum, repugnat sibi ipsi docenti prima parte qu. 115. ar. 3. ad 2. verbis relatis in obiectione num. 2. & quæst. 3. de Potentia ar. 7. verbis relatis in hac disp. §. 8. num. 10. principium

Excluditur obiectio.

per

per ſe formæ dantis ſpeciem eſſe aliquod corpus cœleſte, vnde concludit: *Et propter hoc nihil agit ad ſpeciem in his inferioribus, niſi per virtutem corporis cœleſtis.* Etenim (præter ea, quæ ſimili dubio dixi-mus eodem §. 8. num. 19.) dicendum eſt, quòd his locis ex quæſt. 3. de Potentia, & ex 1. p. ſumit corpus cœleſte, non prout importat præcisè ipſam ſphæram corpoream, ſed vt importat mouens primum in genere, includens complexum, & quaſi compoſitum ex ſphæra corporea, vt parte materiali, & Intelligentia incorporea, mouente prædictam ſphæram, vt parte quaſi formali. Vnde ſicut ex parte effectus non cōſiderat ratio-nem formæ ſubſtantialis dantis ſpeciem, præſcindendo eam à diſpoſitionibus requiſitis ad ipſam, conſideratam ſecundum ra-tionem ſpecificam, quæ ſe tenent ex parte materiæ ſpecificè ſumptæ: ita ex parte cauſæ mouentis conſiderat virtutem, non præ-ſcindendo id, quod ſibi competit ratione partis incorporeæ ab eo, quod habet ratio-ne partis corporeæ: & ita tribuit ei, pro effectu per ſe, ipſam rationem ſpecificam in-cludentem, tam ipſam formam ſubſtantia-lem dantem ſpeciem, quàm diſpoſitiones corporeas ad ipſam requiſitas. At verò in quæſt. 5. de Potentia, & in 2. ſententiarum ſumit corpus cœleſte, præſcindendo partem corpoream ab incorporea; ac per hoc, ſi-cut ex parte effectus conſiderat formá ſub-ſtantialem præcisè, & diſpoſitiones corpo-rales præcisè; ita reſoluit illas in ſua prin-cipia, præſcindendo vnum ab alio. Quòd ſanè nullam inuoluit repugnantiam.

Qualiter intelligendus ſit S. Doctor explicatur.

1150 12 Amplius, vt ſciatur, qualiter for-mæ ſubſtantiales dantes eſſe ſpecificū, pro-cedant, vt ex principio per ſe, à ſubſtantia immateriali, ſeu incorporea, debet conſi-derari, tam id, in quo conſiſtit virtus acti-ua agentis corporei, vt talis, quidque re-ſpicit talis virtus, vt proprium obiectum, quàm in quo conſiſtit virtus actiua agen-tis incorporei, quidque talis virtus, vt ſuum proprium obiectum, reſpicit. Et licet de hac re diffusè acturi ſimus in Tract. ſæpè citato de illo principio: *Omne, quod mo-uetur, mouetur ab alio*, oportet tamen quæ-dam ex ibi dicendis in hunc locum tranſ-ferre ſoluendæ difficultati neceſſaria.

Ad inueniendam veritatem conſiderāde ſunt virtutes, & obiecta agentium.

1151 13 Sciendum eſt igitur, quòd in ſen-tentia S. Thomæ virtus actiua, per quam agunt corpora, vt talia, quæcunque illa ſint, ſiue corruptibilia, ſiue incorruptibi-lia, conſiſtit, non in forma ſubſtantiali, quæ ſecundùm ipſum non poteſt eſſe imme-diatè actiua, ſed in quibuſdam qualitati-bus. Qualitates autem, per quas agens ipſū redditur quale, ſeu diſpoſitum ad ipſam ſuam formam ſubſtantialem, qua eſt in-actu, non habent ex ſe, & ex vi propria, niſi inducere in ſibi paſſum ſimiles qualita-tes: cum omne agens agat ſibi ſimile in principio, per quod agit. Ac per hoc ha-bent per ſe, & ex vi propria reddere ſuum paſſum quale, quod eſt reddere ipſum paſ-ſum diſpoſitum ad formam ſubſtantialem: eſt enim qualitas diſpoſitio ſubſtantiæ.

Virtutes actiuæ agentium corporaliū conſiſtunt in qualitatibus.

14 Et quidem, loquendo de virtutibus 1152
actiuis inferiorum corporum, docet id ex-preſsè 1. p. quæſt. 115. ar. 1. ad 5. verbis ſe-quenti nu. referendis, & ar. 3. ad 2. vbi poſt-quam poſuit, *quòd principia actiua in in-ferioribus corporibus non inueniuntur, niſi qualitates actiuæ elementorum, quæ ſunt calidum, & frigidum, & huiuſmodi*, pa-rum infra ſubdit: *ſed rectè conſiderantis ap-paret, quòd huiuſmodi accidentia ſe habent ſicut materiales diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem naturalium corporum.* Lo-quendo verò de corporibus cœleſtibus, quantùm ad virtutem fundatam in ipſa corporeitate, id ipſum docet expreſsè in 1. ſent: verbis ſæpe repetitis, & proximè rela-tis in hoc §. num 8. & 9. Hinc ipſe S. Doctor verbis relatis in hac Diſp. §. 7. num. 10. Cœ-lum appellat *primum alterans non alterā-tum*; hæc verò inferiora *alterantia altera-ta*, & deſignat per hoc effectum proprium, ſeu proprium munus vtrorumque corporum in agendo. Sic ergo habemus, quòd in ſen-tentia S. Thomæ virtus actiua corporalium agentium conſiſtit in qualitatibus, & quòd proprius eius effectus, ſeu proprium obie-ctum, in quòd per ſe, & ex vi propria pro-cedit, eſt diſpoſitio corporalis.

Probatur propoſitū auctorita-tibus S. Thomæ.

15 Diximus: *in quod per ſe, & ex vi* 1153
propria procedit, vt deſignaremus, loqui nos de proprio effectu, ſeu obiecto talis virtutis; non verò de eo, in quem, ſeu quod poteſt peruenire, vt inſtrumentum alterius, ſiue ſuperioris agentis, ſiue etiam ſubſtan-tiæ, ſeu ſubiecti, à quo ſuo modo emanat qualitas illa, quæ eſt talis ſubſtantiæ virtus actiua. Certum eſt enim in ſententia S. Tho-mæ, quòd tale principium tendit ad indu-cendum in ſuum paſſum formam acciden-talem ex propria virtute. Vnde loco pro-ximè citato ex quæſt. 115. 1. p. ar. 1. ad 5. ſic habet: *Dicendum, quòd corpus agit & ad formam accidentalem, & ad formam ſub-ſtantialem. Qualitas enim actiua, vt calor, & ſi ſit accidens, agit tamen in virtute ſubſtantiæ, ſicut eius inſtrumentum, & ideo poteſt agere ad formam ſubſtantialem, ſicut & calor naturalis, inquantùm eſt inſtrumentum animæ, agit ad generatio-nem carnis: ad accidens verò ex propria virtute.* Verùm circa hoc ipſum dictum S. D. quod ſæpiſſimè repetit, & vide in 2. diſt. 1. q. 1. ar. 4. ad 5. eſt præſens difficultas qua-

Explica-tur præce-dens pro-poſitio.

liter

liter scilicet hoc, puta virtus corporalis, vt instrumentum substantiæ corporeæ, agit ad formam substantialem, cohæreat cum alio eius dicto, quo docet, quòd motus corporis cœlestis ex ipso mobili, quod est corpus, seu substantia corporea, habet virtutem ad dispositiones corporales, & quòd ex motore, quæ est substantia spiritualis, habet virtutem ad formam substantialem.

1154 16 Et idcirco sciendum est secundò, quòd virtus actiua, seu principium proximum agendi, quo substantia spiritualis agens producit effectum similem principio proximo, per quod agit, consistit, non quidem in aliqua qualitate, quæ est dispositio corporalis; sed in formis intelligibilibus ipsarum rerum, vt docet S. Doctor 1. p. quæst. 65. ar. 4. in corp. his verbis. *Species intellectus angelici sunt quadam seminales rationes corporalium formarum*. Vnde tam parum supra ad prædicta verba in eodem corpore art. quàm in responsione ad 2. docet, formas rerum corporalium deriuari, vt ex principio, ex formis quæ sunt in intellectu angelico, & vlterius ex formis, quæ sunt in intellectu diuino, vt ex supremo principio. Et quidem apud D. Thomam, sequentem modum loquendi Augustini, idem significat hoc dictum *species intellectus angelici sunt seminales rationes corporalium formarum*, quod dicere: species intelligibiles intellectus angelici sunt virtutes actiuæ corporaliũ formarum, vt videre est apud ipsum D. Th. eadem 1. p. quæst. 115. ar. 2. in corp. vbi docet, quòd Augustinus per hos terminos, *seminales rationes*, intelligit virtutes actiuas, & passiuas inditas rebus à Deo. Certum est autem, quòd species intellectus angelici in ordine ad formas corporum corruptibiliũ, quæ procedunt ab ipsismet speciebus, vt à principijs, non sunt virtus passiua: & inde est, quòd, dum de prædictis speciebus docuit, quòd *sunt quadam seminales rationes corporalium formarum*, docuit, quòd sunt virtus actiua, à qua procedunt formæ corporum corruptibilium.

Virtus actiua agentis incorporei cõsistit in speciebus intellectualibus.

Seminales rationes quid importent apud Augustinum.

1155 17 Sunt autem prædictæ formæ intelligibiles in Intelligentia mouente cœlestia corpora virtutes actiuæ, & principia, à quibus per motum eorundem cœlorum procedunt formæ inferiorum corporum, illo simili modo, quo formæ rerum artificiatarũ, existentes in mente artificis, sunt virtutes actiuæ, & principia, ex quibus procedunt formæ, quas per aliqua instrumenta inducunt in artificiata. Vnde sicut artifex mouendo instrumentum imprimit formam artis, quam sua mente excogitauit in extrinsecam materiam, puta figuram Mercurij in marmor: estque talis forma expressum quid ex forma, quæ est in mente artificis, ab ipsa deriuatum. Ita Intelligentia mouens corpus cœleste, vt suum instrumentum, imprimit formas sua mente conceptas in materiam corporalem, suntque tales formæ expressæ ab illis formis, quæ sunt in mente Intelligentiæ mouentis cœlum, vt inquit S. Thomas Opusc. 34. circa medium his verbis. *Procedunt tales formæ* (scilicet corporum corruptibilium) *à substantijs separatis vt à primis principijs, quæ mediante virtute, & motu corporum cœlestium imprimunt formas apud se intellectas in materiã corporalem*. & in 2. dist. 15. quæst. 1. ar. 2. in corp. vbi post verba relata in hoc §. num. 17 concludit: *Et per hunc modum omnes formæ naturales descendunt à formis, quæ sunt sine materia, vt Boetius dicit* 1. *de Trinitate cap.* 3. *&* Commentator 11. *Meta. sicut formæ artificiatorum ab artifice*: & idem sæpe docet, vt 3. cont. gent. cap. 24. verbis à nobis relatis in hac disp. § 20. num. 3. & alijs modò infra in hoc §. nu. 25. referendis. Vnde sicut agens corporale, seu merè naturale, vt ignis, assimilat sibi passum in forma, quæ est eius virtus actiua, vt ignis suum passum efficit calidum: artifex verò, mouendo instrumenta, assimilat sibi passum in forma, quam habet in mente, quæ est eius virtus actiua, & proximum principium, per quod agit. Ita Intelligentia, mouendo corpus cœleste, vt suum instrumentum, assimilat sibi passum, in quod agit per tale instrumentũ, assimilat, inquam, sibi in formis, in sua mente existentibus, per quas, vt per virtutem, & proximum principium agit.

Formæ intellectuales existẽtes in mẽte Intelligentiæ se habent ad formas corporum corruptibiliũ, sicut formæ in mẽte artificis ad artificiata.

1156 18 Hoc posito ex mente S. Thomæ, debemus inuestigare obiectum talis virtutis, seu formæ, per quam agit Intelligentia mouens cœlos. Et circa hoc considerandum est quartò, quòd in sententia eiusdem S. Thomæ formæ prædictæ sunt ad minimum similitudines alicuius formæ substantialis constituentis aliquam speciem; ac per hoc quælibet illarum est ad minimum similitudo vnius naturæ specificæ: estque ipsamet quidditas, seu forma specifica, non quidem secundùm modum essendi, quem materialiter habet, vt inhærens menti ipsius Intelligentiæ; sed secundùm id, quod repræsentat, inquantùm scilicet repræsentat ipsam met quidditatem formæ. Et inde est, quòd res naturales per formas substantiales, quibus constituuntur in specie, assimilantur formis, quæ sunt in Intelligentia, secundùm propriam substantiam, & quidditatem, quia hæc ipsa substantia, & quidditas repræsentatur per illas species.

Species intellectus angelici per se repræsentãt ipsas quidditates specificas.

1157 19 Ex his modo constare potest, quòd nam est proprium obiectum virtutis Intelligentiæ mouentis cœlos. Cum enim omne agens agat sibi simile in forma per quam agit,

Obiectum proprium virtutis

Digitized by Google

actiua Intelligẽtiæ mouentis cœlos eſt forma ſpecifica.

agit, oportet, quòd proprium obiectum virtutis eius (quòd eſt facibile per virtutẽ) ſit illud, in quo effectus aſſimilatur agenti in illa forma, ſecundum quam agens habet virtutem agendi ſibi ſimile. At vero res naturales generabiles, & corruptibiles, quæ ſunt effectus Intelligentiæ mouentis cœlos, per ipſas ſuas formas ſubſtantiales, quibus conſtituuntur in ſpecie, aſſimilantur propriè, immò, & per ſe primò, illis ſpeciebus, ſeu formis exiſtentibus in mente Intelligentiæ mouentis, per quas habet proximam virtutem ad agendum ſibi ſimile. Proprium ergo obiectum virtutis Intelligentiæ mouentis cœlos eſt ipſa forma ſubſtantialis dans ſpeciem rebus corruptibilibus. Et hoc illo ſimili modo, quo obiectum proprium, in quod ex vi propria tendit virtus actiua corporalis, conſiſtens in qualitatibus actiuis, eſt qualitas, & diſpoſitio ad formam ſubſtantialem, vt ſupra ex ipſo S. Doctore probauimus. Reliqua, quæ ad hunc punctum ſpectare poſſent, expecta in Tractatu ſupra citato.

1158 20 Patet igitur ex dictis diſcrimen, quo, quantùm ad virtutem actiuam, differt agens corporeum ab incorporeo. Virtus enim actiua proxima, quæ quaſi habitualiter poſſidetur ab agente corporeo per ſuas qualitates actiuas, tendit ex vi propria in diſpoſitiones corporales. At verò virtus actiua proxima, quæ ſecundùm eundem modum poſſidetur à ſubſtantia ſpirituali, tendit ex vi propria in ipſam formam ſubſtantialem. Et inde eſt, quòd motus cœli, quo Intelligentia mouens ad cauſandum ſuum proprium effectum, habet, prout exit ex ſuo principio actiuo, ordinem ad formam ſubſtantialem. At verò, prout eſt ſecundùm virtutem actiuam, quam habet corpus cœleſte per ſuas qualitates, per quas proximè habet influere in hæc inferiora corpora ex propria vi, aliam virtutem habere non poteſt, quàm ad diſpoſitiones corporales, vt inquit S. D. loco cit. ex 2. ſent.

Diſcrimẽ inter virtutem actiuam agẽtis corporei, & incorporei explicatur.

Concluditur ex dictis ſententia S. Thomæ.

1159 21 Nec tamen contra hoc eſt, quòd qualitates corporales in virtute ſubſtantiæ, à qua emanant, tendunt ad producendam ſubſtantiam. Hoc enim verum eſt, ſimulque ſtat cum illo. Verumtamen quia ſubſtantia corporea non habet virtutem, quæ per ſe tendit in formam ſubſtantialem, quãtamen habet cauſa ſuperior incorporea; inde eſt, quòd ipſa ſubſtantia corporea eſt cauſa ſubordinata cauſæ incorporeæ, vt mobile ſuo motori, & vt inſtrumentum ſuæ cauſæ principali; vt ita per motum eius virtus ſua compleatur, & ex unione ad virtutem ipſius ſuperioris tendat per formalem virtutem ad inducendam formam ſubſtantialem. Illa enim vis, quam qualitates actiuæ

Concordãtur dicta S. Doctoris.

per hoc quod procedunt a ſubſtantia corporea, habent ad producendam formam ſubſtantialem, eſt imperfecta, & inſufficiẽs in dictum effectum, ſi per ſe accipiatur, & vt deſtituta à virtute, quæ ſibi iungitur in motu, quo mouetur à ſubſtantia incorporea, cuius virtus actiua per ſe tendit in talem effectum. Imperfectio autem conſiſtit in eo, quòd ex tali vi tendit in formam ſubſtantialem ſecundùm quaſdam rationes inferiores, & materialiores; non verò ſecundùm rationem, qua conſtituit in ſpecie: ideoque, quantùm ad hoc, debet formari, & compleri à ſuperiori, cui in agendo ſubordinatur. 1160

22 Vnde ſicut cauſa incorporea creata, quæ agit per formas intelligibiles de ſe vniuerſales, & tendentes in ipſam formam ſpecificam, non poteſt procedere in determinatam formam ſubſtantialem, niſi adiungat ſibi, vt inſtrumentum, cauſam corpoream, per cuius qualitates actiuas diſponat materiam, & per cuius formam ſubſtantialem, qua eſt in actu, determinetur vniuerſalitas virtutis formæ, per quam agit ipſa cauſa incorporea, vt docet S. Doctor verbis relatis in hoc §. num. 7. ita cauſa corporea per ſuas qualitates actiuas non eſt ſufficiens ad procedendum in formam ſubſtantialem; niſi adiungatur ſibi virtus cauſæ incorporeæ, per ſe tendens in dictum effectum: ac etiam ab ipſo principio per ſe actiuo formæ dantis ſpeciem perficiatur ſuo modo vis ſubſtantiæ corporeæ, quam communicat ſuis qualitatibus actiuis ad formam ſubſtantialem inducendam. Atque ex his patet reſponſio ad difficultatem propoſitam num. 2.

Sicut cauſæ incorporeæ creatę nõ niſi per corporeas vt ver ſua inſtrumẽta; ita nec corpora niſi ex vi ſubſtantiæ incorporeæ procedunt ad cauſandã formã ſpecificam:

23 Patet etiam ex dictis reſponſio ad ea, quæ proponuntur num. 3. ex S. Thoma 1. p. quæſt. 115. ar. 3. ad 2. Doctrina enim huius reſponſionis, aliàs ſatis difficilis, tum in primo diſcurſu, quo probatur, quòd præter qualitates actiuas, quibus agunt inferiora corpora, requiritur aliud ſuperius actiuum ad inducendam formam ſubſtantialem: tum in ſecundo diſcurſu, quo probatur, tale ſuperius actiuum eſſe corpus cœleſte: vnde & Caietanus laborat in ſoluẽdis dubijs ab ipſo per circa prædictam reſponſionem propoſitis, iam ex dictis remanet explicata & facilis. Et inſuper dubia, quibus Caietanus premitur, reſtant ſoluta. Porrò primus diſcurſus fundatur in præcedenti doctrina, ex qua conſtat, quòd non obſtante, quòd qualitates actiuæ inferiorum corporum agant in virtute ſubſtantiæ corporeæ; adhuc neceſſe eſt, dari ſuperius actuum, quod per virtutem ſuam proximam, per quam agit, tendat per ſe in ipſam formam ſubſtantialem conſtituentem corpora inferiora in ſua ſpecie. Secundus verò diſcurſus reducit formam ſub- 1161

Soluitur confirmatio primæ obiectionis, difficultaſque contra doctrinam S. Thomæ oſtenditur ſoluta ex dictis.

ſtantialem horum inferiorũ in corpora cœleſtia, vt in ſuperius actiuum, ſumendo corpus cœleſte in ſenſu, quem notauimus num. 11. huius §. & aduertit D. Th. Opuſ. 28. ar. 1. circa medium, inquiens: *ipſe orbis motus ſecundum Ariſt. componitur ex Intelligentia mouente, & circulo caleſti*, ſecundùm quem ſenſum includit, tam motum, per quẽ ſibi communicatur virtus à ſubſtantia ſpirituali, ſeu incorporea, quàm ipſam ſubſtantiam ſpiritualem mouentem prima corpora, & per motum cõmunicantem eis aliquid illius virtutis, per quam ipſa eſt per ſe cauſa formæ dantis ſpeciem. Et ſic ceſſat difficultas propoſita num. 3. quæ ex eo vim ingerebat, quòd ſupponebat, Diuum Thomam reducere formam ſubſtantialem in corpus cœleſte, præſcindendo ab eo illa, quæ ſibi competunt, inquantùm eſt motum à ſubſtantia intellectuali. Cum tamen S. Doctor reducat prædictam formam in corpus cœleſte, prout eſt primum mouens corporeum motum ab alio, ac per hoc prout habet ſibi coniunctum motorem incorporeum; mouetque in prædictam formam per motum habentem virtutem ab eodem motore.

Reſpondetur difficultati propoſitæ num. 4.

2162 24 AD id verò, quod proponitur num. 4. dicendum eſt, quòd ſententia S. Thomæ ſatis differt ab opinione Platonis, & Auicennæ. Plato enim poſuit ſpecies rerum corporalium ſubſiſtẽtes, quas appellauit Ideas: S. verò Thomas ponit eas in mente Intelligentiarum mouentium cœleſtia corpora, & etiam in mente diuina. Auicenna autem poſuit quidem formas prędictas immateriales in mente Intelligentiæ, vt notat S. Doctor 1. p. quæſt. 65. ar. 4. in corp. & quæſt. 110. ar. 2. in corp. verbis relatis in hoc §. num. 4. Immo poſuit eas in mente cuiuſdam ſubſtantiæ ſpiritualis, quam exiſtimauit præſidere omnibus corporibus inferioribus, eamque appellauit Intelligentiam agentem, vt aduertit ipſe S. Doctor eadem quæſt. 110. ar. 1. ad 3. Sed tamen deinde exiſtimauit cum Platone, quòd à formis exiſtentibus in mente prædictæ Intelligentiæ immediatè effluerent formæ naturalium corporum per modum cuiuſdam creationis, non ſecus ac ſi eſſent ſubſiſtentes. Vndè illud ipſum, quod nos de fide tenemus circa animam rationalem; quod ſcilicet virtus generatiua humana ſolùm diſponit materiam; anima verò immediatè procedit à Deo, Auicenna exiſtimauit eſſe verum de omnibus formis horum inferiorũ corporum in ordine ad Intelligentiam agẽtem, quam earundem formarum creatricẽ putauit, vt aduertit S. Doctor ſæpiſſimè. Et ita poſuit, quòd agentia corporalia ſolùm diſponunt materiam ad formas aliorum corporum: formæ verò effluunt per modum cuiuſdam creationis à formis exiſtentibus in mente Intelligentiæ agentis. Vnde ipſe S. Doctor citata quæſt. 115. ar. 1. in cor. poſt quam retulit opinionem Auicennæ, eam dicit eſſe, quam in quæſt. de Creatione rerum, puta 45. eiuſdem primæ partis pro ſecunda opinione retulerat; & ſic habet: *Et hæc* (ideſt opinio Auicennæ) *eſt ſecunda opinio de actione corporum, de qua ſupra dictum eſt, dum de creatione ageretur.* Hoc autem loco, puta quæſt. 45. ar. 8. in corp. ſic ſecundam opinionem refert *Alij verò poſuerunt formas dari, vel cauſari ab agente ſeparato per modum creationis, & ſecundùm hoc cuilibet operationi naturæ adiungitur creatio. Sed hoc accidit eis ex ignorantia formæ. Non enim conſiderabant, quòd forma, corporis non eſt ſubſiſtens* &c.

Plato, & Auicenna poſuerunt formas corporum procedere immediatè, & per modum creationis à formis immaterialibus.

2163 25 At verò S. Thomas formas illas immateriales, quas dicit eſſe per ſe principium formarum inferiorum corporum, ponit quidem in intellectu Intelligentiarum mouentium cœlos: non tamen ponit, quòd ab eis deriuentur formæ corporum per immediatum effluxum, ſeu per modum creationis, ſed per viam motus, ſeu generationis naturalis, inquantùm ſcilicet, mouendo cœleſtia corpora, & per motum communicando eis aliquid ſuæ virtutis, proceduntper exercitium actionis eorundem corporum (eleuatæ tamen per virtutem ſibi communicatem) ad imprimendum ſimilitudinem ſuæ formæ in materiam corporalem, vt loquitur S. Doctor Opus 34. verbis ſupra relatis num. 17. Itaque diſcrimen inter Platonem, & D. Thomam in eo conſiſtit, quòd ille poſuit Ideas inferiorum corporum ſubſiſtentes, & quòd ex illis eorundem corporum formæ effluerent immediatè; at verò S. Thomas ſequens Ariſtotelem, eas poſuit in mente ſubſtantiæ intelligentis mouentis cœlos, & quòd ex illis non immediatè, ſed mediante corporum cœleſtium motu (quibus per motum ipſum communicat ſuam virtutem) formæ corporum inferiorum deriuentur: Ita ipſemet S. Doctor lib. 3. cont. gent. cap. 24. cuius magnam partem retulimus in hac diſp. §. 20. num. 3. Vbi poſtquam ex eo, quod corpora cœleſtia mouentur à ſubſtantia intellectuali deduxit: *ſunt igitur formæ, & motus inferiorum corporum à ſubſtantia intellectuali cauſata, & intenta ſicut à principali agente: à corpore verò cœleſti ſicut ab inſtrumento*, ſic ſubiungit: *Oportet autem, quòd ſpecies eorum, quæ cauſantur, & intenduntur ab intellectuali agente exiſtant in intellectu ipſius, ſicut forma artificia*

Diſcrimẽ inter doctrinam S. Thomæ & opinionẽ Platonis, & Auicennæ declaratur.

Verba S. Thomæ explicantis prædictũ diſcrimen.

Digitized by Google

ficiatorum in intellectu artificis, & ex eis deriuentur in effectus. Omnes igitur formæ in istis inferioribus, & omnes motus determinantur) legendum putarem *deriuantur*) *à formis intellectualibus in intellectu alicuius substantiæ, vel aliquarum. Et propter hoc dicit Boetius lib. de Trinitate, quòd formæ separatæ sunt principia formarum, quæ sunt in materia. Et quantùm ad hoc verificatur dictum Platonis, quòd formæ separatæ sunt principia formarum: licet posuerit eas per se subsistentes, & causantes immediatè formas sensibilium. Nos verò ponimus eas in intellectu existentes, & causantes formas inferiores per motum cœli.* Ecce discrimen. Ecce auctoritatem Boetij, qua in 2. senten. confirmat dictum suum verbis relatis num. 1. Et indè accipe, quòd sententia S. Thomæ in vtroq; loco vna est; licet in Sententijs distinctiùs resoluat effectus in sua principia.

1164 *Soluitur tacita obiectio, & cohærentia doctrinæ S. Thomæ manifestatur.*

26 Denique aduerte, (vt sic soluamus aliam obiectionem) quòd huic positioni, qua formæ inferiorum corporum ponuntur deriuari per motum cœli ex formis immaterialibus, vt ex principio per se, benè cohæret doctrina eiusdem S. Doctoris, qua sæpe, & præsertim quæst. 115. 1. p. cit. art. 1. in corp. confutat opiniones Platonis, & Auicennæ, inquiens: *Omnes autem hæ opiniones ex vna radice processisse videntur, quærebant enim causam formarum, ac si ipsæ formæ fierent secundùm seipsas. Sed, sicut probat Arist. 7. Metaph: id quòd propriè fit est compositum. Formæ autem corruptibilium rerum habent, vt aliquando sint, aliquando non sint, absque hoc, quod ipsæ generentur, & corrumpantur: sed compositis generatis, aut corruptis; quia etiam forma non habent esse, sed composita habent esse per eas. Sic enim alicui competit fieri, sicut & esse. Et ideo, cum simile fiat à suo simili, non est quarenda causa formarum corporalium aliqua forma immaterialis; sed aliquod compositum, secundùm quod hic ignis generatur ab hoc igne. Sic igitur forma corporalis causantur, non quasi influxa ab aliqua immaterialiforma, sed quasi materia reducta de potentia in actũ ab aliquo agente composito.* Benè inquam cum hac doctrina cohærent relãta num. præcedentibus. Vnde ad modò recitata verba sic subiungit S. Doctor. *Sed quia agens compositum, quòd est corpus, mouetur à substantia spirituali creata (vt Augustinus dicit 3. de Trinitate) sequitur vlteriùs, quòd etiam formæ corporales à substantijs spiritualibus deriuentur, non tanquam influentibus formas, sed tanquam mouentibus ad formas. Vlteriùs autem reducuntur in Deum, sicut in primam causam, etiam species angelici intellectus, quæ sunt quædam seminales rationes corporalium formarum.*

27 Quocirca illa verba: *Et ideo, cum simile fiat à suo simili, non est quarenda causa formarum corporalium aliqua forma immaterialis, sed compositum,* intelliguntur, quòd non est quærenda secundùm illum modum, quo eam Plato, & Auicenna somniarunt, existimantes, ipsam esse causam creatricem, & per effluxum: non autem secundùm illum modum, quo, habita causa per accidens alicuius formæ, debet inquiri causa, a qua effectus dependet per se, vt ab ea, in cuius virtute fit ab alijs causis; ac etiam cuius forma, per quam agit, est in alio rerum ordine, habetque alium essendi modum ab eo, quem habet in effectu. Ampliùs, dum asseritur, quòd pro causa compositi debet inquiri aliud compositum, intelligitur non de causa principali, à qua compositum genitum dependet per se, attenta ratione formæ absolutè sumptæ; sed de causa immediata, à qua quomodolibet, etiam vt ab instrumento, & vt à disponente materiam, dependet effectus. Sed de his in alio Tractatu sæpe citato.

1165 *Declaratur præcedens doctrina S. Thomæ.*

Satisfit difficultati propsitæ num. 5.

28 AD dubium propositum num. 5. breuiter dicendũ est, quòd (vt aduertit Bergomensis dub. 828.) S. Doctor vtranque ex illis opinionibus in obiectione tactis sequitur, vt probabilem: & modò vnam, modò aliam inculcat ad propositum rei occurrentis; licèt locis in dicta obiectione relatis videatur sequi secundam opinionem, vt conformiorem Aristoteli. Itaque secundùm illam opinionem, quæ asserit, quòd colores non habent vim causandi speciem sui; nisi inquantùm in seipsis illuminantur, philosophandum est, vt fecimus dicto §. 20. num. 19. 20. & 21. Vbi etiã num. 19. retulimus verba S. Thomæ, quibus hanc ipsam opinionem videtur sequi.

1166 *Satisfit obiectioni propositæ ex visibilitate colorum.*

29 Secundùm verò illam opinionem, quæ asserit, colores habere virtutem ex se ad causandam speciem sui; Et quòd lumen requiritur ad videndum, non vt conferens aliquam visibilitatem, seu virtutem coloribus ad causandam speciem sui in sensu; sed solùm, vt disponens diaphanum, reddens illud de diaphano in potentia diaphanum in actu, vt ita (vt docet Arist. 2. de Anima tex. 71. & 72. apud D Th. lec. 15. lit. 6. &c.) per ipsum, tanquam per proprium medium transmitti possint species visibiles ad visum, quæ à coloratis per se emanant; paulò aliter resoluendum esset dubium, quod loco in obiectione citato explicabamus. Porrò di-

1167 *Solutio difficultatis secundum opinionem Aristotelis.*

Digitized by Google

cendum esset, quòd colores sunt per se ipsos determinati ad actionem istã causandi speciem sui in visu, sicut essentiæ rerum ad proprias passiones. Et quòd deficiunt in causandis speciebus visibilibus per accidens, ex defectu scilicet, qui non est in ipsis coloribus, sed in diaphano: quòdque sunt determinati ad talem actionem à cognitione, quæ est in solo primo agente, à quo solo in tali actione per se dependent, cuius est agere, & conseruare res independenter à motu.

1168 30 Cùm enim talis actio (per se loquẽdo) nullum implicet motum; non potest per se pendere ab agente illo, quod agit mouendo. Et ex consequenti non potest pendere per se ab agente corporeo nec etiã ab Angelis, qui non agunt in corpora, nisi ea mouendo. Quòd si cum quibusdam Thomistis diceres, eos posse causare lumen; iam in hypothesi opinionis, secundùm quam procedit hæc resolutio, non esset ad propositum. Supponimus enim, hanc actionem causandi species visibiles non pendere per se ex lumine, sed merè per accidens. Remanet ergo, quòd talis actio non posset per se pendere, nisi ex actione primi agentis, quòd in agendo non dependet a motu; & quod à nullius alterius agentis cognitione posset esse per se ordinata in finem, nisi primi agentis. Quoniam autem agentia determinantur ad actionem ab illa cognitione, à qua actio eorundem agentium ordinatur in finem, vt ex maxima S. Doctoris explicata §. 19. huius disp. constat; sequitur indè, quòd, in hypothesi prædictæ opinionis, colores essent determinati ad actionem causandi species visibiles à cognitione solius primi agentis, per se loquendo.

Probatur, & explicatur præcedens resolutio.

1169 31 Nec contra hæc obstat, quòd colores, seu colorata, generantur, & corrumpuntur per motum, & conseruãtur per motum cœli. Non obstat, inquam, nam (vt docet S. Doctor quæst. 5. de Potentia ar. 8. in corp. verbis relatis in hac disp. §. 20. num. 17.) predicta actio producendi similitudinem intentionalem suæ formæ non conuenit coloratis, inquantùm sunt entia naturalia producta ex causis naturalibus sui ordinis; sed inquantùm participant aliquid de substantijs separatis, quæ sunt superioris ordinis, secundùm quam rationem solùm per accidens pendere possunt à causis sui ordinis, per se verò nonnisi ex primo agente, à quo secundùm eandem rationem conseruantur in esse.

Quòd colores generantur per motum, nõ obstat præcedenti resolutioni.

Respondetur obiectioni propositæ num. 6.

1170 32 DEnique num. 6. duo opponuntur a Requesenio: ex D. Thoma vnum, ex Ferrariensi alterum. Et quidem quantùm spectat ad S. D. valde mirum est, prædictum Doctorem, aliosque, quos sequitur, ex quibus auctoritates in obiectione propositas transcripsit, potuisse sibi suadere ex verbis illis, quæ obijciunt, D. Thomam existimasse, repugnare, vel non esse necessarium libertati voluntatis, imperium rationis; quando tam frequenter, & tam clarè docuit, actum liberum voluntatis eum solum esse, qui sequitur, supponitque rationis imperium, iudicium collatiuum, deliberationem rationis, determinationem consilij, &c. quæ idem re sunt, & solùm ratione differunt. Recole hic loca S. Thomæ relata disp. 1. §. 11. nu. 18. Idque etiam patet ex tam multis in hac disputatione relatis, præsertim §. 23. a num. 77. & deinceps.

Obiectio proposita ex dictis Requesenij irrationabilis ostenditur.

Nec sanè ex eo, quod (vt inquit S. Doctor) *non oportet aliam causam quarere, cur homo non vtatur regula rationis, iique non se conformet; quia adhoc sufficit libertas voluntatis, per quam potest agere, vel non agere*, potest aliqua vel leui apparentia inferri, imperium rationis, vel repugnare, vel non esse necessarium actui libero voluntatis.

1171 33 Dices, saltem hoc secundum inferri. Si enim libertas voluntatis, per quam potest agere, vel non agere sufficit adhoc, vt vtatur, vel non vtatur regula: ergo adhoc, vt vtatur, vel non vtatur regula, non requiritur imperium; aliàs ipsa voluntatis libertas non sufficeret. Sic ergo ad actum liberum, quo voluntas vtitur, vel non vtitur regula, non requiritur imperium. Mira est argumentatio. Sed in sententia S. Thomæ infert contradictorium eius, quod deberet inferre, seu infert contradictoriũ eius, quod inuoluitur in antecedente. Siquidem secũdùm S. Thomam illi actus sunt in nostro dominio; ita vt sit in nostra potestate eos agere, vel non agere, qui subduntur rationis imperio, seu rationi deliberanti. Vnde S. Thomas 1. 2. quæst. 17. ar. 5. in argumento sed contra assumit hanc propositionem. *Omne quod est in potestate nostra, subiacet imperio nostro.* & inde infert, quòd actus voluntatis, qui sunt in nostra potestate, imperãtur à nobis, & in 2. dist. 24. quæst. 3 ar. 2 in corpore habet: *Voluntas completum dominium habet in illis actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt, & bi sunt actus deliberationem sequentes, qui rationi adscribuntur*, & 1. 2. quæst. 6. ar. 2. ad 2. inquit: *Dicendum, quòd ex hoc contingit, quòd homo est dominus sui actus, quod habet de liberationem de suis actibus. Ex hoc enim quòd ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas vtrumque potest.* Per hoc ergo voluntas vt libera habet, quòd potest agere, vel

Malus modus discurrendi Requesenij manifestatur.

Loca D. Thomæ ex quibus cõuincitur Requesenius malè discurrisse

Digitized by Google

re, vel non agere, quod ratio deliberans, ſeu imperans, poteſt imperare, agere, vel non agere, & deliberare vnum, vel alterum; & in primo inuoluitur hoc ſecundum tanquam ratio, & radix vnde oritur ipſum primum. Ex primo ergo inferre, quòd non eſt neceſſarium, vel ſibi repugnans hoc ſecundum, eſt inferre contradictorium eius, quod inuoluitur in ipſo antecedente, ſicut cum quis, ex eo, quod quis eſt eſt homo, inferret, quòd ei non eſt neceſſaria, vel repugnãs rationalitas, vt notauimus in hac diſp. §. 23. num. 26. Nunc ergò peto à Requeſenio, & ab alijs, ex quibus tranſcripſit auctoritates ipſe Requeſenius, vt ſoluant hoc argumentum. Adhoc, vt quis poſſit ridere, ſufficit ei, quòd habeat potentiam ridendi: ergo repugnat ei, vel non eſt neceſſaria rationalitas ad ridendum. Et ſicut illi ſoluent hoc, ita & nos ſoluemus ſuum. Sicut enim ſe habet poſſe ridere ad rationalitatem, ita ſe habet poſſe agere, vel non agere voluntatis, ad poſſe rationem deliberare, ſeu imperare agere, vel non agere. Vnde ipſe S. Tho. quæſt. cit. 17. p. 2. ar. 1. ad ſecundum habet. *Radix libertatis eſt voluntas, ſicut ſubiectum: ſed ſicut cauſa eſt ratio. Ex hoc enim voluntas libera poteſt in diuerſa ferri; quia ratio poteſt habere diuerſas conceptiones boni*, diuerſas, ſcilicet, conceptiones deliberatas, & imperantes, vt patet ex ſupra relatis auctoritatibus.

1172 34 Dixi bis, *ex quibus tranſcripſit auctoritates Requeſenius*. Vt ipſi Requeſenio debitum honorem exhibeam. Non enim potui de viro tam religioſo exiſtimare, eum voluiſſe, vel falſum imponere Ferrarienſi, vel falſis auctoritatibus ſuos lectores decipere. Cum enim in Ferrarienſi non ſint ea verba, immo etiam nec ſenſus eorum, quæ eidem Ferrarienſi imponit; cogitaui, quòd ipſe tranſcribens ex aliquo doctore referente verba Ferrarienſis, notauerit, vt verba Ferrarienſis, quæ talis doctor dicebat ex ſuo ingenio. Vt hoc videas, referam primò verba Ferrarienſis; ſecundò verò verba, quæ, vt dicta à Ferrarienſi, refert Requeſenius.

Tranſcribens ex alijs doctoribus Requeſenius notauit, vt verba Ferrarienſis quæ erant aliorum.

1173 35 Itaque lib. 3. con. gent. cap. 112. §. *circa id quòd dicitur* ſic habet: *Circa id quòd dicitur, intellectualem naturam ſecundùm ſuam cognitionem eſſe ſui actus dominam, aduertendum eſt, quòd hoc non dicitur, quaſi libertas formaliter in intellectu reſideat; vt enim dicitur Verit. quæſt. 24. ar. 6 formaliter reſidet in Voluntate: ſed quia radix libertatis eſt ipſe intellectus, vt in eadem quæſtione declaratur art. 2. Vnde & in 1. 2. quæſt. 17. ar. 1. ad 2. dicitur, quòd radix libertatis, ſicut ſubiectum eſt voluntas; ſed ſicut cauſa eſt ratio.*

Verba Ferrarienſis referuntur

36 Requeſenius verò Diſp. 12. in 12. num. 26. ſic refert, eodem loco dixiſſe Ferrarienſem. *Hoc non dicit quaſi libertas formalis in intellectu reſideat, vt enim dicitur quæſt 24. de Veritate ar. 6. formaliter reſidet in voluntate; ſed quia radix voluntatis eſt ipſe intellectus, vt in eadem quæſtione declarat art. 2. ex quo fit quod moralis malitia & bonitas voluntatis conſiſtat in conformitate, vel differmitate ad regulam rationis, quin à ratione prædeterminetur ad operandum, dum ad ipſam pertinet ſe determinare, ſiue ad conformitatem, ſiue diſformitatem.* In quibus, vt vides, totum id, quòd ſequitur à ly *ex quo fit* &c. quo vtitur contra noſtram, Ferrarienſis, & D. Thomæ ſententiam Requeſenius, quodque repetit eadem diſp. num. 63. in fine, non extat in Ferrarienſi, immo nec ſtylum eius ſcribendi obſeruat, nec eſt ad propoſitum ſui Commentarij. Quare, vt huic doctori meritum daremus honorem, hoc ſolùm ſuſpicari potuimus, quod ipſe tranſcribens ex alijs doctoribus, doctores ipſos, quaſi Ferrarienſem tranſcripſerit. Nec aliud oportet reſpondere, vt dicta Ferrarienſis ſibi non repugnare defendamus. 1174

Verba, quæ refert Requeſenius vt dicta à Ferrarienſi.

§. XXVI.

Soluuntur Recentium obiectiones, quibus exiſtimant, probari motum primi mouentis eſſe formalem determinationem ſecundorum agentium ad actiones.

1 SVpponimus hìc ea, quæ in hac diſputatione diximus §. 3. & deinceps, vbi ſufficienter reiecimus, vt inutiles, & ipſi S. Doctori repugnantes, rationes, & auctoritates ex doctrina S. Thomæ deſumptas, quibus Recentes relati §. 1. nu. 7. eiuſdem diſp. conuincebantur, ad imponendum motui primi mouentis munus determinandi per ſeipſum inferiora agentia ad determinatas actiones. Quòd quidem munus, vt potè minus congruens illi axiomati S. Doctoris, *Motus Primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus; ſed in vnoquoque ſecundùm proprium modum*, tam eidem motui oſtendimus repugnare à §. 9. & deinceps; vbi proponentes rationes pro ſententia S. Thomæ §. 11. patefecimus falſum fundamentum, malique diſcurſus radicem, ex qua eorundem Recentium deceptio oriebatur. Solùm reſtant pro hoc vltimo §. proponendæ, & ſoluendæ quædam famoſæ deductiones ad impoſſibile, quibus ad exiſtimandum conuenire dicto motui præfatum munus ijdem Recentes firmantur. 1175

Recenſentur loca, in quibus præcipua argumenta Recentiũ ſunt ſoluta

Prima

Digitized by Google

Prima deductio ad impossibile Proponitur, vilque contra nostram, & D. Thomæ sententiam valere ostenditur.

1176 2 PRimò igitur sic possumus ex dictis horum Recentium argumentari. Si per motum, quo a Primo mouente immobili mouentur inferiora agentia, seu causæ secundæ, non determinarentur eadem agentia ad actiones determinatas; sequeretur, quòd voluntas creata, quæ liberè determinat seipsam, & potentias sibi subiectas ad proprias actiones, esset respectu prædictarum actionum primum determinans. Consequens est falsum, & impossibile; cùm non minus repugnet creaturæ ratio primi determinantis, quàm ratio primi agentis, seu mouentis. Ergo &c. Sequela maioris sic ex eorundem Recentium dictis probari potest. Nam ex vna parte, voluntas determinaret seipsam, & potentias sibi subiectas ad actiones, & sic talis determinatio esset ex ipsa voluntate, vt ex principio. Ex alia verò parte prædicta determinatio, vt potè quia esset libera, non procederet ex ipsa natura voluntatis, vt ita posset refundi in primum agens, vt in auctorem naturæ. Nec etiam posset procedere ab eodem Primo, vt à mouente: quia per motum, quo ab eodem moueretur voluntas, vt à Primo mouente, non determinaretur ipsa voluntas ad aliquam actionem. Prædicta ergo determinatio esset à voluntate, vt à principio, & non esset ab alio superiori principio; esset ergo à voluntate, vt à primo principio; & sic voluntas esset primum principium talis determinationis, seu primum determinans in tales actiones.

Obijcitur, quòd videtur sequi ex nostra sententia, voluntatẽ creatam esse primum determinans se.

1177 3 Antequam respondeam nota obiter, quòd difficultatem prædictæ deductionis sæpè inculcant prædicti Recentes in suos aduersarios. Illi autem, (inter quos Fasolus locis à nobis citatis in prima parte huius Tractatus §. 4. num. 56.) deductionem concedunt: negant verò id, quòd deducitur, esse inconueniens: quin immo probant, esse necessarium ad consistentiã libertatis creatæ: vt videre est apud ipsum Fasolum 1. p. quæst. 14. ar. 13. num. 155. & 156. vbi proponit sibi quandam obiectionem inculcantem similem difficultatem, obijcientemq; vt fictitiam, & chimericam determinationem voluntatis creatæ non procedentem ex determinatione superioris causæ. Respondet verò, non esse id fictitium; sed ad tuendam creatam libertatem necessarium. Et ad hoc probandum affert, post Ruardum, Augustinum lib. de spiritu, & litera cap. 34. bis dicentem, quòd consentire, vel dissentire fidei, propriæ voluntatis est. Et notat præcipuè illa verba. *Profectò & ipsum velle credere Deus operatur in nobis, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propria voluntatis est.* Post quæ verba statim subiungit Fasolus, commendationem prædictæ sententiæ, eãq; applicat, & vrget ad suum propositum, & sic habet: *Consentire, vel dissentire (quæ verba, præcisè propter suam grauitatem, diuino quodam instinctu ad eruditos ætatis nostræ Theologos pro tuenda salute creatæ libertatis bis repetere voluit sapientissimus Augustinus) idem sine dubio sunt cum eo, quod nos dicimus determinare se ad consentiendum, determinare se ad dissentiendum. Et si (subdit parum infra) consentire, vel dissentire non est determinare se, quid, quæso, aliud fingi potest, quod sit? Nihil enim assignare poteris, de quo verificari queat illud, quod Augustinus affirmat, propria voluntatis est. Hæc igitur determinatio dicitur opus propriæ voluntatis, vt contra distincta à Deo, eiusque gratia. Ergo est à solo libero arbitrio, & non à Deo, vt latiùs infra declarabimus num.* 161. Ita Fasolus. In quibus (quidquid sit de eo, quod miscet de gratia, quòd ad nostrum propositum non est, nec de ea quoquo modo agere intendimus) vt iam vides, concedit, asseritque necessarium saluti libertatis creatæ id, in quod deducit prima hæc obiectio, iam proposita.

Notatur existimatio Fasoli circa inconueniẽs, in quod intendit deducere præcedens obiectio. Et qualiter intentum suum colligit ex auctoritate Augustini.

1178 4 Verùm etiam hìc (vt ita videas, qua doctrina eruditi velit ætatis suæ Theologos pro tuenda salute creatæ libertatis ipse Fasolus) nota iterum, quòd Augustinus, licèt verbis modò supra relatis non intenderit (vt existimo) sensum, quem inditi js satis leuibus deducit Fasolus: attamen reuera habuit aliquando istam existimationem, quã ex prædictis verbis excepit Fasolus, qua scilicet putauit, quòd, prædicato Euangelio, consentire nos Deo vocanti ad fidem, nostrum esset proprium, & nobis esset ex nobis, & non à Deo. Quam quidem existimationem, & si non in libro de Spiritu, & littera; in alijs tamen opusculis expressisse se fatetur ipsemet Augustinus lib. primo de Prædestinatione Sanctorũ cap. 3. post principium, inquiens: *Vt prædicato nobis Euãgelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar: quem meũ errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta.* Hæc de suo tali dicto ipsemet Augustinus. Nunc ergo consideret Fasolus, quam commendauit doctrinam, vt *diuino quodam instinctu ad eruditos ætatis nostræ Theologos pro tuenda salute creatæ libertatis* bis repetitam:

Nota, quod Augustinus aliquando habuit existimationem, quam ex dictis eius extraxit Fasolus; sed ab ea recessit lib. de Prædestinatione Sanctorum, vt ab errore;

Digitized by Google

Vide D. Th. quodl. 1. ar. 7. in cor. dicentem: Pelagiani posuerunt, q̄ initiū boni operis est hominis ex seipso, dū consentit fidei p liberū arbitrium.

titam: hanc scilicet, quam fuisse suum errorem fatetur ipsemet Augustinus, emendans seipsum, puta: consentire Euāgelio est nostrū proprium, & nobis est ex nobis: quod idem omninò significat cum eo, quod accepit ex eodem Augustino Fasolus, puta: consentire vocationi Dei, nostræ voluntatis est, & non a Deo. Num dices, quòd hæc differunt? Sed quam poteris differentiam cogitare? quid minus inconuenientis dices habere hoc secundum, quàm primum, vt non hoc, sed illud dicas errorem?

Solutio prædictæ Obiectionis.

1179

Solutio præcedentis obiectionis proponitur.

5 QVare ego (qui Deum rogo, ne ijs me erudiri permittat, à quibus recedens, vt ab erroribus, se correxit Augustinus) iudico impossibile, & omninò inconueniens id, in quod incendit deducere prædicta prima obiectio, salutemque libertatis creatæ, eo existente impossibili, non perire, sed tueri: eo autem dato, vt vero, libertatem creatam, non solùm salute priuari, sed etiam extingui: vt patet ex his, quæ ex S. Thoma notauimus disp. præcedenti §. xi. num. 13. & amplius ex dicendis disputatione sequenti constabit. Obiectioni igitur respondens, nego sequelam maioris, & aio, quòd suppositâ doctrina S. Thomæ hactenus explicata, talis consequentia, nec probatur, nec probari potest. Quādoquidē cū dicitur, quòd, *ex alia parte, prædicta determinatio nō procederet à primo agente vel à primo mouente; quia per motum, quo ab eo moueretur voluntas, vt à primo mouente, nō determinaretur ipsa voluntas in aliquā actionem*; iam ratio assumpta in præfato dicto non concludit intentum, si sumatur in eo sensu, quo assumitur a dictis Recentibus, & à nobis tale assumptum conceditur. Siquidem ipsi intendunt proponere hanc conditionalem, nempe: Si per motum primi mouentis, tanquam per determinationem, seu formam determinantem, non determinaretur voluntas ad actionem, determinatio voluntatis ad actionem non esset, seu non procederet, à Deo, vt à primo mouente. Hæc autem propositio euidenter falsa est, etiam in sententia eorundem Recentium, quorum est argumentum.

1180

Falsitas sequelæ probatur ex dictis eorundē Recentium.

6 Et hoc sic ostendo. Nam (vt inter hos Recentes docet Ioannes à S. Thoma, à nobis relatus in hac Disp. §. 5. num. 23.) corpora grauia, & leuia (& idem est de alijs similibus) non determinantur ad suum motum naturalem per ipsum motū primi mouentis, tanquam per determinationem, seu formam determinantem in talem motum; sed per ipsam grauitatem, & leuitatem, quā habent à generante; vnde sublato impedimento, nec noua motione, nec aliā nouā prædeterminatione indigent ad procedendum in suum motum naturalem, vt inquit ipsemet Ioannes à S. Thoma, relatus loco prædicto. Et tamen non valet ista consequentia, puta: Grauia non determinantur ad motum deorsum per motum primi mouentis, tanquam per determinationem, seu formam determinantem: ergo determinatio grauium ad motum non procedit à motu primi mouentis, seu a primo motore per motū, quo mouet inferiora mouentia. Non valet, inquam, consequentia. Nam grauitas, quæ est ipsa determinatio, seu forma determinans ipsa grauia ad motum, ita procedit, vt à sua causa efficiente proxima, à generante ipsa grauia: generans autem non generat, nisi mouendo, & non mouet, nisi motum à suis superioribus causis, ascendēdo vsque ad ipsum mouens immobile. Et sic grauitas ipsa, seu determinatio ad motū deorsum procedit efficienter a primo mouente immobili: esto motus dicti primi mouentis non sit per seipsum determinatio, seu forma determinans grauia ad motum, sicque eius influentia determinabilis secundū formas inferiorum agentium.

1181

Idem probatur vniuersaliter ex doctrina S. Thomæ supra explicata.

7 Idque vniuersaliter apparet in doctrina S. Thomæ, qua §. 20. & 21. huius disputationis probauimus, quòd agentia hæc inferiora, quæ agunt, siue per formam merè naturalem, siue per formam apprehensam per sensum, determinantur ad proprias actiones, tanquam per principium, quo formaliter determinantur, per ipsas suas formas, siue naturales, siue apprehensas per sensum, vt ibidem explicuimus. Et quòd talis determinatio procedit, vt à causa efficiente, à cognitione Intelligentiæ mouentis corpus cœleste; quæ prædiffiniens sua conceptione finem actionibus horum omnium inferiorum agentium, imprimit eisdem agentibus per motum cœli principia proportionata, ex quibus emanant illæ determinatæ actiones, quibus perguat determinatè in fines sibi præstitutos, & prædiffinitos in conceptione ipsius Intelligentiæ mouentis cœlum. Hoc posito, euidenter non valet consequentia, si quis ita discurrat: Agentia hæc inferiora non determinātur ad actiones per motum ipsum cœli, tanquam per determinationem, seu formam determinantem ad actiones: ergo determinatio eorundem agentium ad actiones non procedit efficienter a motu cœli, seu ab Intelligentia, vt à mouente cœlum. Et sic est falsa euidenter ista cōditionalis: Si per motum cœli tanquam per determinationem, seu formam determinantem non determinantur hæc inferiora agentia ad actiones, determinatio eorundem agentium ad actiones

tiones non procedit efficienter ab Intelligẽtia, vt à mouente cœlos. Et ratio est euidentissima. Nam adhoc, quòd determinatio prædictorum agentium ad actiones procedat, vt à causa efficiente, ab Intelligentia, vt à mouente cœlum, hoc exigitur, nempè, quòd per motum, quo ab eadem Intelligentia mouetur cœlum, causetur illud principium, quo formaliter prædicta agentia determinantur ad actiones: non autem exigitur, quòd motus cœli formaliter per seipsum sit ipsa determinatio, seu forma determinans ad actiones.

1182 8 Ita ergo in proposito, adhoc, vt determinatio voluntatis ad eligendum hoc, vel illud, sit à Deo, vt à Primo mouente voluntatem, non oportet, quòd motus, quo voluntas mouetur à Deo, vt a primo motore, sit per seipsum ipsa formalis determinatio, seu forma: qua determinatur voluntas ad eligendum hoc, vel illud. Sufficit enim, quòd illa forma apprehensa per iudicium conclusum per consilium, seu inuentum per vim collatiuam intellectus practici, quo determinatur voluntas ad eligendum hoc, vel illud, procedat suo modo, vt à causa efficiente, ab aliquo motu voluntatis, quo ipsa voluntas mouetur à Deo, vt à primo motore: esto deindè, quòd talis motus, quo voluntas mouetur à Deo, sit indifferens adhoc, vt ab eo procedat hæc, vel illa forma, qua voluntas seipsam determinat ad eligendum hoc, vel illud. Sicut motus cœli est causa omnium principiorum, quibus hæc inferiora agentia determinantur ad actiones; esto quantùm est de se, non sit determinatus ad causandum hæc, vel illa principia, sitque determinabilis, & de facto determinetur ad hoc, vel illud causandum, per formas inferiorum agentium, in quibus recipitur, vt demonstrauimus in hac disp. a §. 22. ad 29.

Applicatur præcedens doctrina ad propositũ solutionis

1183 9 Iam enim (vt in hac eadem disp. probauimus a §. 22. & deinceps.) principium, quo formaliter determinatur voluntas ad eligendum hoc, vel illud, est forma singularis agibilis apprehensa per iudicium proprium, seu deliberatum, conclusum per syllogismum practicum in nobis; in Deo verò, & Angelis, inuentum per collationem intellectus practici, procedentis ad iudicandum de agendis ex vi volitionis finis. Et sic voluntas volens finem, determinat seipsam ad eligendum per hoc, quod ex vi, qua vult finem, est causa illius iudicij, seu formæ apprehensæ, per quam determinatur ad eligendum illud ipsum, quod iudicatur agendum: & ita determinat seipsam, vt causa formæ, per quam determinatur. Actus autem volitionis finis, seu motus ipse volitionis, quo voluntas mouetur in finem (est enim ipse actus, seu operatio voluntatis motus, qui est actus perfecti, vt sæpè aduertit S. Doctor ex Aristotele) & quo mediante ipsa voluntas procedit ad causandam illam sententiam rationis, qua determinatur ad eligendum determinatum agibile pro fine voluto, iam procedit à Deo, vt à primo mouente. Nam vel talis motus est appetitus vltimi finis, in quem prodit voluntas, vt mota à Deo, vt auctore naturæ: vel est appetitus aliquis alicuius particularis finis, in quem voluntas procedit, vel immediatè, vel mediate ex vi volitionis vltimi finis, cũ non possit dari processus in infinitum in ordinatis volitionibus finium. Vt constat ex his, quę notauimus ex doctrina S. Thomæ in hac disp. §. 6. a num. 13. ad 18. & §. 25. à nu. 34. ad 37. & § 23. à num. 61. ad 77. Et sic motus ille volitionis finis, per quem voluntas procedit ad causandam illam formam, qua determinatur ad eligendum hoc, vel illud, iam est à Deo, vt à primo mouente, siue immediatè siue mediantibus alijs motibus. Et ex consequenti forma illa apprehẽsa, quæ procedit à prædicto motu, est etiam à Deo mediante tali motu: & ita est à Deo, vt à primo mouente.

Explicatur magis prædicta responsio.

Probatur, quòd determinatio voluntatis procedit à Deo, vt a Primo mouente, in nostra, & D. Thomæ sententia.

1184 10 Patet ergo ex dictis, quòd dum voluntas creata ex volitione finis se determinat per sententiam intellectus, ad quam peruenit per consilium, ad eligendum aliquid propter finem, non est primum determinans se; sicut nec per hoc, quod prædicto modo mouet seipsam, est primum mouens. Porrò adhoc, vt aliquid sit primum mouẽs requiritur, quòd sit mouens, & non sit motum ab alio. Voluntas autem, dum prædicto modo mouet seipsam, est mouens mota ab alio. Nam per hoc, quòd est mota motu volitionis finis, mouet se ad eligẽda ea, quæ sunt ad finem. Et tunc, vel est mota motu volitionis finis à seipsa, vel ab alio; si ab alio, non esset mouens non mota ab alio, & sic non esset primum mouens: si autem à seipsa, oportuisset, quod mouisset se per consilium rationis ex aliqua alia volitione finis. Et cum in hoc non possit dari processus in infinitum, oportet deuenire ad aliquem motum volitionis finis, in quem voluntas sit mota non à se, sed tantũ ab alio, vt patet ex discursu S. Thomæ relato §. 6. huius disp. num. 14. & expenso nu. 15. & 16. Sic ex consequenti voluntas sic se mouens, non est mouens non mota ab alio, & ita non est primum mouens.

Manifestatur ex dictis, quòd voluntas, mouens, & determinãs seipsam, non est primũ mouẽs se, nec primũ se determinans.

1185 11 Similiter ergo per hoc, quod voluntas prædicto modo determinat seipsam, nõ est primum determinans se. Quandoquidem adhoc, vt aliquid sit primum determinans, oportet quod sit determinans, & non sit determinatum ab alio. Non sic autem est voluntas, dum prædicto modo se determinat.

Probatur, quòd voluntas determinans se, est determinans

Digitized by Google

minat. Nam ipſa, vt determinata in aliquem finem, determinat ſe per conſilium rationis ad volendum aliquid propter finem. Vel ergo eſt determinata in finem à ſe, vel ab alio. Si ab alio; iam non eſſet primum determinans, quod expoſcit non eſſe determinatum ab alio. Si à ſe; oportet, quòd ſe determinaſſet in illum per conſilium rationis procedentem ex aliquo alio fine, in quē fuiſſet determinata, & tunc vel à ſe, vel ab alio. Et ſic ne detur proceſſus in infinitum, oportet deuenire ad volitionē alicuius finis, in quem ſit determinata non à ſe, ſed tantùm ab alio. Ex quo habetur, quòd voluntas ſecundùm prædictum modum determinans ſeipſam, ſit determinans determinata ab alio, & ex conſequenti non primum determinans.

Inſtantia contra prædictam reſponſionem valdè apparens proponitur.

1186 12 DIces, quòd licèt prædicto diſcurſu benè probetur, quòd voluntas prædicto modo ſe mouens, & ſe determinans, non ſit abſolutè, & ſimpliciter primum mouens, & primum determinans: & ſimiliter benè probatum ſit, quòd voluntas non ſit primum agens, & primum mouens in ordine ad formam, ſeu principium, quo ipſa voluntas determinatur: vitari tamen non poteſt, quin tribuatur voluntati aliqua ratio primi principij in ordine ad ſuam determinationem, ſeu aliqua ratio primi determinantis. Quod quidem repugnat voluntati creatæ.

1187 13 Explicatur hoc. Nam in voluntate, ex volitione finis determinante ſe per conſilium rationis, duo poſſumus conſiderare. Vnum eſt illa dependentia, quam habet ſententia rationis, qua determinatur voluntas, in ordine ad ipſam volitionem finis, inquantùm talis ſententia procedit ex ipſa volitione finis. Aliud eſt illa diſcretio, qua voluntas ex volitione finis per conſilium rationis procedit potiùs in hanc ſententiam, qua determinatur ad hoc agendum; quàm in aliam ſententiam, qua determinatur ad aliud. Et quantùm quidem ad primum, benè ex rationibus ſupra poſitis probatur, quòd non habet voluntas rationem primi determinantis: at verò quantùm ad ſecundum, videtur, quod voluntas retineat rationem independentis, & primi principij. Quoniam autem hoc eſt illud, ſecundùm quod voluntas habet rationem determinatiui in ordine ad ſeipſam; inde eſt, quod videtur retinere rationem determinantis ſe indepẽdenter ab eo, à quo habet motum volitionis finis, & ex conſequenti rationem primi determinantis, quod tamen implicat conuenire voluntati creatæ. 1188

Manifeſtatur pũctus, circa quem videtur reſtare difficultas.

14 Quòd autē voluntas ſecundùm hāc rationem, qua habet, quòd potiùs procedat in hanc, quàm in illam ſententiam per rationis conſilium, habeat rationem independentis, ſic oſtenditur. Nam, ex vna parte, à voluntate, vt à principio libero, prouenit, quòd ipſa potiùs in hanc, quàm in illam ſententiam procedat per rationis conſilium; & ex alia, non poteſt aſſignari aliquòd principium prius voluntate, à quò ipſa voluntas habeat, quòd potiùs in hanc, quàm illam ſententiam procedat ex vi volitionis finis. Ipſa ergo voluntas eſt principium, ad quod non præcedit aliud principium, quantùm ad iſtam diſcretionem: erit ergo quantùm adhoc principium primum. *Proponitur ratio ad propoſitum.* 1189

15 Huius diſcurſus vltima conſequentia patet. Nam hoc intelligimus nomine primi principij: principium ad quod non præcedit aliud. Secunda autem pars antecedentis videtur manifeſta. Nam ſi voluntas id haberet ab alio principio priori; maximè id haberet à Deo, prout ipſe eſt mouens, & determinans voluntatem creatam in finem. Sed ab hoc non. Ergo à nullo. Probo minorem. Nam quòd voluntas per conſilium rationis procedat potiùs in hanc, quàm in illam ſententiam, non poteſt prouenire ex eo, quòd ipſa eſt mota, & determinata à Deo in finem vltimum. Siquidem cum motu, & determinatione voluntatis in vltimum finem poteſt componi, & de facto componitur, quæ habet ex partibus, ſiue contradictorijs, ſiue contrarijs, puta, tam agere, quàm non agere hoc, & tam agere hoc, quàm oppoſitum: & ex conſequenti cũ tali motu, & determinatione, poteſt componi, tam ſententia dictans, hoc particulare eſſe agendum, quàm quæ dictat, tale non eſſe agendum, & quòd ſit agendum oppoſitum: aliàs ex neceſſitate procederet in talem ſententiam, ſicut ex neceſſitate eſt determinata in finem vltimum, ergò, quòd voluntas ſe determinet potiùs in hāc, quàm in illam partem, procedatque in hanc, vel illam ſententiam ex vi volitionis finis, non poteſt ei prouenire à Deo inquantùm, mouet, & determinat voluntatem in finem. *Probatur vltima cõſequentia, & ſecũda pars antecedentis prædictæ rationis.* 1190

16 Prima denique pars antecedentis videtur etiam manifeſta. Nam voluntas inquantùm libera habet in ſua poteſtate ſuam propriam determinationem ad actus ſuos, ſicut habet in ſua poteſtate ſuos actus. Habet ergo in ſua poteſtate, quòd procedat in hanc potiùs, quàm in illam ſententiam, per quam ipſa ſeipſam determinat ad hunc potiùs, quàm ad illum actum. Ergo à voluntate, vt à principio libero, prouenit, quòd *Probatur prima pars antecedentis.*

in hanc potiùs, quàm in illam sententiam procedat.

Quæ petuntur explicari in prædicta instantia, & quædam notabilia recensentur.

1191 17 Difficultas huius instantiæ quædam petit, quæ sumus duabus sequentibus disputationibus explicaturi. Porrò prior illa propositio rationis positæ num. 14. qua assumitur, quòd *ex una parte, à voluntate, vt à principio libero prouenit, quòd ipsa voluntas potiùs in hanc, quàm in illam sententiam procedat per rationis consilium*, iuncta cum tua probatione posita num. præcedenti, petit, vt explicemus, qualiter deliberatio rationis practicæ, seu imperium, & sententia de agendo hoc, vel illo, pro fine volito, sit sub dominio, & potestate voluntatis. Quod quidem nos accuratè, & operosè inuestigaturi sumus disp. sequenti. Nihilominus tamen hic notari debet doctrina S. Thomæ, quia de deliberatione rationis tria specialiter docet, nempe, quòd propter ipsam actus voluntatis nostræ sunt in nostro dominio, & potestate: & quòd ipsa etiam est in nostro dominio, & potestate: & quòd si ipsa est in nostro dominio, & potestate propter aliã deliberationem præcedentem, quæ etiam est in nostro dominio, & potestate; oportet, ne detur processus in infinitum, deuenire ad primam deliberationem, quam non præcedit alia deliberatio; sed in eam ratio deliberans, seu liberum arbitrium, mouetur ab agente extrinseco, quod aliud esse non potest, nisi Deus.

Petit difficultas vt explicetur, qualiter deliberatio rationis sit sub potestate voluntatis.

Notari debet doctrina S. Thomæ, qua de deliberatione rationis docet tria.

1192 18 Docet totam hoc S. Doctor 1. 2. quæst. 109. art. 2. cuius primum argumentum in contrarium tale est, *Illud est in hominis potestate, cuius ipse est Dominus. Sed homo est dominus suorum actuum, & maximè eius, quod est velle, vt supra dictum est. Ergo homo potest velle, & facere bonum absque auxilio gratiæ.* Respondeo autem est. *Ad primum dicendum, quòd homo est dominus suorum actuum, & volendi, & nolendi, propter deliberationem rationis, qua potest flecti ad vnam partem, vel ad aliam, sed quòd deliberet, vel non deliberet; & si huiusmodi etiam sit dominus, oportet, quòd hoc sit per deliberationem præcedentem. Et cum hoc non procedat in infinitum, oportet, quòd finaliter deueniatur ad hoc, quòd liberum arbitrium hominis moueatur ab aliquo exteriori principio, quòd est supra mentem humanam, scilicet, à Deo, vt etiam Philosophus probat in capitulo de bona fortuna. Vnde mens hominis, etiam sani, non sic habet dominium*

Doctrina S. Thomæ proponitur.

suæ actionis; quin indigeat moueri à Deo. Hæc S. Doctor valdè notanda.

1193 19 Verùm non ideo hæc notanda diximus, vt inde videas indigentiam diuini auxilij, seu vt moueatur à Deo, quam habet homo, secundum quod est dominus suorum actuum, probari per ea, quæ cognouit Aristoteles solo lumine naturæ, nempe per hoc, quod ne detur processus in infinitum in deliberationibus ordinatis (quorum scilicet vna est in nostro dominio, quia est per deliberationem præcedentem) deueniendum est finaliter ad primam, in quam liberum arbitrium, seu ratio deliberans, mouetur immediatè à Deo, vt etiam latiùs idem prosequitur S. Doctor expressè contra Pelagium quodlib. 1. art. 7. in corp. Non autem per hoc, quod ad quamlibet deliberationem immediatè, idest, nulla alia deliberatione mediante mouetur à Deo. Hoc enim non spectat ad præsentem intentionem; nec de hac re aliquid agere intendimus. Notanda igitur valdè sunt: quia euidenter de deliberatione docet S. Doctor illa tria, quorum.

In prædicta doctrina notari debent illa tria.

1194 20 Primum est. *Homo est dominus suorum actuum, & volendi, & nolendi propter deliberationem rationis* (idest virtutem deliberatiuam) *qua potest flecti ad vnam partem, vel aliam.*

Primum notabile.

1195 21 Secundum est. *Quòd homo deliberet, vel non deliberet, & si huiusmodi etiam sit dominus, oportet, quòd sit per deliberationem præcedentem.*

Secundum notabile.

1196 22 Tertium est. *Cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deueniatur ad hoc, quod liberum arbitrium hominis moueatur ab aliquo exteriori principio.* Nota, *finaliter deueniatur.* Non enim dixit: oportet, quòd statim, & immediatè deueniatur ad externus principium: sed finaliter: quia scilicet, dum nõ possumus progredi in infinitum, debemus tandem deuenire ad illam deliberationem, quæ est finis in prædicto progressu, & ad hanc, oportet dicere, quòd ratio deliberans mouetur immediatè à Deo. Ex quo sequitur quod ea mediante mouet in alias.

Tertium notabile.

1197 23 Ex quibus possunt experiri Thomistæ, quòd licèt homo habeat in suo dominio, & potestate suum velle, & nolle, idque propter virtutem deliberatiuam, per quam potest deliberare vnum, & alterum, habeatque etiam in suo dominio, & potestate ipsummet deliberare, per quod determinatur ad appetendum id, quod deliberat: non tamen propter hoc sequitur, quòd homo in deliberando, & determinando se, sit independens, seu non motus ad deliberandum ab alio: quia etiam secundum hanc seriem, seu lineam deliberationum ordinatarum oportet deuenire ad primam, à qua

Non sequitur in sententia S. Thomæ quòd homo in deliberando, & determinando se sit independens, & primũ.

omnes

Digitized by Google

omnes aliæ ſequentes deliberationes per ſe dependent, & ad quam mouet Deus virtutem deliberatiuam. Ex quo (vt dixi) ſequitur, quòd omnes deliberationes hominis pendeant à Deo, vt à primo mouente hominem ad deliberandum, ſeu ad habendum dominium ſuorum actuum, ſeipſumque determinandum in eoſdem actus.

1198 24 Conſideranda eſt enim hìc doctrina S. Thomæ, quam tradit de cauſis per ſe ordinatis, quibus repugnat proceſſus in infinitum (cauſis enim per accidens ordinatis nõ repugnat proceſſus in infinitum, vt docet S. Doctor 1. p. quæſt. 46. ar. 2. ad 7.) quamque nos retulimus in hac diſp. §. 7. a num. 15. ad 19. Docet enim S. Doctor, quòd cauſa prima, & omnis ſuperior, mouendo inferiorem ſibi immediatam, protendit operationem ſuam in effectum infimæ cauſæ per omnes intermedias. Ita vt in quemlibet effectum cuiuſuis cauſæ infimæ ſit congreſſus omniũ ſuperiorum cauſarum, quarum quælibet, vt mota immediatè a ſua ſuperiori proxima, procedit in effectum cuiuſuis inferioris cauſæ. A cauſa autem prima dependent omnes, tam motiones, quàm effectus omnium inferiorum cauſarum per hoc, quòd ipſa, mouendo immediatè eam, quæ eſt ſibi proxima, & ea mediante alias magis inferiores, protendit ordinato deſcenſu operationem ſuam ad omnes motiones, & effectus inferiorum cauſarum. Ex hoc autem accipi poteſt, qualiter quælibet ex deliberationibus noſtris (in quibus, ne detur proceſſus in infinitum, oportet deuenire in eam, in quam ratio deliberatiua mouetur immediatè à Deo) dependet ab ipſo Deo, vt à primo mouente ad deliberandum. Per hoc enim, quod Deus mouet ad primã, protendit operationem ſuam vſque ad vltimam, vltimaque dependet à prima per omnes intermedias: intermediæ etiam magis poſteriores mediis illis prioribus: non autem per hoc, quod nullis mediantibus, mouet Deus immediatè ad ſingulas, licet ad ſingulas moueat; ſed immediatè ad primam, & ea mediante ad aliam, ſeu alias ordinato progreſſu.

Recolenda S. Thomæ doctrina ad propoſitum.

1199 25 Ampliùs notari debet, quòd licet deliberatio, ſeu imperium poſſit eſſe in noſtro dominio, & poteſtate, vt deliberata, & imperata alia deliberatione, & imperio; vnde & contingit, quòd de vna deliberatione, & imperio iterum deliberamus, & imperamus, & aliquando per nouam ſententiam reuocamus priorem, aut etiam confirmamus: attamen per ſe loquendo deliberatio, ſeu imperium, non eſt in noſtro dominio, & poteſtate, vt quod, & vt res deliberata ſeu imperata, ſed vt quo aliquis alius actus imperatur, & deliberatur. Sicut ſententia, ſeu imperium iudicis dicitur eſſe ſub dominio, & poteſtate eiuſdem iudicis, non quia (ſi per ſe loquamur) eſt res ſubiecta ſententiæ, & imperio eiuſdem iudicis, ſed quia eſt id, quo imperat, & ſibi ſubijcit alia. Licet etiam verum ſit, quòd ipſa ſententia, & imperium inquantùm reflectuntur ſupra ſeipſa, ſint imperium imperatum, & ſententia ſententiata, vt diſp. ſequenti explicabimus. Et hinc fit, quòd magis propriè loquimur; dum dicimus, quod à voluntate imperio, & deliberatione procedit hic potiùs, quàm ille actus: non autem ita propriè, dum dicimus, quòd à volũtate procedit hæc potiùs, quàm illa deliberatio. Quia tamen vna deliberatio ex alia deliberatione quandoque procedit, inde eſt, quòd hæc ſecunda propoſitio poteſt quandoque verificari, ſicut prima.

Deliberatio per ſe loquendo eſt quo aliquid deliberatur, non verò res deliberata, licet ſit ſuo modo deliberata.

1200 26 Vnde pro aſſequendo verò ſenſu propoſitionis aſſumptæ, puta illius *à voluntate, vt à principio libero, prouenit, quòd ipſa potiùs in hanc, quàm in illam ſententiam procedat*, conſiderari debet, quid importat voluntas, prout eſt principium liberum. Et circa hoc recole adnotata a nobis §. 22. huius diſp. à n. 2. quòd ſcilicet voluntas in ordine ad aliquos actus eſt principium naturale; in ordine verò ad aliquos alios eſt principium liberum. Et quidem (vt ex D. Thoma adnotauimus diſp. præcedenti §. 11 num. 18. & in præſenti §. 22. num. 6. voluntas ſecundùm priorem rationem appellatur à Damaſceno *Thelefis*, ſecundùm verò poſteriorem *Bulifis*. Differt autem Thelefis à Bulifi, ſeu voluntas vt principium naturale, à ſeipſa, vt eſt principium liberum, quòd ſecundum priorem rationem mouetur in bonum apprehenſum ſine collatione, ſeu deliberatione, & vtique ab auctore ipſius naturæ volũtatis, ad quam ſequitur motus in tale bonum. Secundùm poſteriorem verò rationem mouetur in bonum apprehenſum per collationem rationis ad finem volitum, ſeu per deliberationem. Et vtique mouetur à ſeipſa, vt per volitionem finis applicante intellectum ad deliberandum, quid expediat agere propter finem.

Alia doctrina S. Thomæ colenda ad propoſitũ.

1201 27 Ex hoc autem habetur, quòd prædicta propoſitio, terminis explicatis, hunc ſenſum reddit; nempè: *à voluntate, vt à principio libero*, ideſt, *vt à principio ſe mouente per rationis deliberationem prouenit, quòd in hanc potiùs, quàm in illam ſententiam procedat*. In quo ſenſu propoſitio eſt ſuo modo vera; determinataque ſententia rationis practicæ reſoluitur, vt in principium proximum, non in nudam voluntatem, à qua ſic ſumpta procedere minimè poteſt; ſed in voluntatem, vt habentem ſibi coniũ-

Sẽſus propoſitionis aſſumptæ explicatur

Digitized by Google

ctam virtutem deliberatiuam, per quam habet dominium, tùm in proprios actus volendi, & nolendi, tum in ipsam met deliberationem. Sicut enim (vt notauimus §. 23. huius Disp. a num. 66. ad 76.) virtuti corporis cœlestis mouentis per virtutem, quæ est in semine leonis, adiungitur virtus eiusdem seminis, per quam determinatur ad producendum leonem, & non bouem, & artifici vtenti serra adiungitur virtus serræ, per quam motus, & virtus artificis determinatur ad secandum lignum, & non ad ipsum perforandum, ad quod determinatur per aliud instrumentum: ita virtuti voluntatis mouentis se per virtutem collatiuam, & deliberatiuam rationis, adiungitur virtus rationis, per cuius deliberationes determinatur ad volendum hoc potiùs, quàm illud, & etiam per eam habet vim ad deliberandum hoc potiùs, quàm illud.

1202 28 Amplius prædicta instantia in secunda illa propositione assumpta num. 14 puta: *ex alia parte non potest assignari aliquod principium prius voluntate, à quo ipsa voluntas habeat, quòd potiùs in hanc, quàm in illam sententiam procedat per rationis consilium*, petit, vt explicemus qualiter determinata sententia rationis practicæ, determinataque electio, reducitur, vt in primum principium, in Deum, seu eius decreta, quibus illam vult, si est bona; vel illam permittit, si est mala. Quòd quidem nos explicaturi sumus disputatione quarta sequenti; quando (suppositis diuinis decretis, quibus, nulla existente scientia media, vult, vel permittit quemcunque actum liberum faciendum a voluntate creata) explicabimus modum, quo secundùm sententiam S. Thomæ euidenti ratione firmatam, diuina prouidentia per causas defectibiles, & liberas peruenit infallibiliter, ad actiones, & effectus liberè, & defectibiliter faciendos à qualibet voluntate creata.

Eadem instantia petit, vt explicetur qualiter determinata sententia rationis practicæ reducitur in Deũ

Solutio præcedentis instantiæ.

1203 29 QVare prædictis difficultatibus nunc omissis ad prædictam instantiam respondemus, admittendo primã propositionem in sensu explicato num. 26. & 27. proximè præcedentibus, & negando secundam propositionem. Et ad probationem negamus assumptum, illã scilicet propositionem positam num. 15. nempe: *si voluntas haberet ab aliquo principio priori, quod potiùs in hanc, quàm illam sententiam procederet, maximè id haberet à Deo, prout ipse est mouens, & determinans voluntatem in finem.*

1204 30 Dico enim, quòd, licèt Deus per suæ voluntatis decreta (quibus determinatissimè vult, e.g. quòd hic homo deliberans nũc de agendis, in hanc determinatè rectam deliberationem procedat) sit primum principium omnium nostrarum rectarum deliberationum: exequitur tamen per suam prouidentiã idem munus primi principij in ordine ad determinatas deliberationes, non per hoc præcisè, quod in talem effectũ descendit, per hanc solam causarum seriem, secundùm quam, mouendo voluntatem motu volitionis finis, eo mediante mouet rationem practicam ad inueniendum, quid agendum sit propter finem; (si enim hoc solùm haberet Deus, quod habet per talem seriẽ causarum, nec prædictum decretum habere posset, nec ad inducendum liberum arbitrium in determinatam deliberationem per se, & sine casualitate posset peruenire,) sed per hoc, quòd, vt vniuersalissima causa in talem effectum descendit per omnes causarum series, à quibus quomodolibet dependet talis effectus.

Deus est primum principiũ omniũ rectarum deliberationum.

1205 31 Dixi: *est Deus primum principium omnium nostrarum rectarum deliberationum*; quia mala, seu non recta deliberatio, vt talis, non reducitur in Deum, vt in principium, sed in defectum alicuius ex principijs inferioribus concurrentibus ad deliberandum, vt patere potest ex his, quæ 1. p. huius Trac. §. 3. num. 2. & §. 4. num. 12. ex S. Doctore notauimus: *vnde* (concludit S. Doctor hoc vltimo loco relatus) *nullum malum, quòd in defectu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, reducitur in Deum, sicut in causam.*

Deliberatio mala, seu nõ recta nõ reducitur in Deum sicut in principium.

1206 32 Porrò, pro intelligentia prædictæ responsionis, notari debet, quòd Deus non solùm est primum principium mouens voluntatem; sed etiam est primum principium illuminans intellectum; & est etiam primum principium disponens, & moderans omnia intrinseca, & extrinseca, ex quibus quoquo modo ratio monetur ad deliberandum. Mouet autem Deus voluntatem (vt docet D. Th. 1. 2. quæst. 9. ar. 6. ad 3. verbis relatis 1. p. huius Trac. §. 5. num. 8. & ibidem expõsis vsque ad num. 15.) non solùm motu naturali, seu generali, quo *Deus mouet voluntatem hominis, vt vniuersalis motor, ad vniuersale obiectum voluntatis, quòd est bonũ; sed interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum.* Et sic in nostram voluntatem immittit aliquos speciales affectus in quædam particularia bona, & etiam auersiones à quibusdam malis. Quas quidem affectiones in bona specialia, & auersiones à specialibus malis, appellare solent communiter diuinos instinctus, quos quilibet in se experitur, dum percipit se in aliquid inclinari, vel auerti ab aliquo, cuius non cognoscit rationem. Quos sane

Deus est primum principiũ mouẽs voluntatem, illuminans intellectũ, & disponẽs omnia intrinseca, & extrinseca.

Digitized by Google

ſanè inſtinctus cognouit etiam Ariſtoteles relatus à S. Thoma 1.2. quæſt. 68. ar. 1. in fine corp. verbis relatis 1. p. huius Trac. §. 6. num 21.

1207 33 Ampliùs eſt primum principium illuminans intellectum, etiam circa agibilia, non ſolùm inquantùm ab ipſo Deo ſunt lumen intellectuale, & principia vniuerſalia agibilium, ex quibus ratio procedit ad inueniendum, quid ſit in particulari caſu agẽdum; ſed etiam inquantùm quandoque interius inſpirat, vel per ſeipſum immediatè, vel etiam mediantibus Angelis ſpeciales cognitiones, ſeu cogitationes de quibuſdam agibilibus, quibus ſpeciali modo, Deo gubernante, procedit ratio in concludendis rectis conſilijs, ſeu deliberationibus. Infundit etiam quandoque habitus, ſiue naturales, ſiue ſupernaturales ad cognitionem agibilium ſpectantes, & inſuper, ſeruato ordine naturali, agit ad habitus acquirendos.

Deus multis modis eſt primum principiũ illuminans intellectũ circa agibilia.

1208 34 Ampliùs moderatur, ſiue diſponendo, ſiue permittendo, omnes affectus ſenſitiuæ partis, qui ſuo modo indirectè inclinant affectum noſtræ voluntatis, inducunt-que eodem modo rationem, ad ſic, vel aliter, iudicandum de agibilibus: aliquando etiam ligant rationem, ne in hoc, vel illud iudicium prorumpat. Ampliùs moderatur Deus omnes diſpoſitiones corporales, vt ſanitates, & ægritudines, omnes diſpoſitiones ſenſuum internorum, & externorum, omnia extrinſeca occurrentia, & nihil omnino eſt, quod vniuerſaliſſimum ordinem ſuæ prouidentiæ ſubterfugiat.

Moderatur Deus omnia intrinſeca, & extrinſeca.

1209 35 His igitur ſuppoſitis, dicimus in reſponſione, quòd Deus exequitur munus primi principij in ordine ad determinatam deliberationem, ſeu imperium rationis practicæ, non per hoc ſolùm, & præcisè, quòd mouet, & determinat voluntatẽ in finem, & mediante volitione finis mouet ad inquirẽdum, & inueniendum quid ſit agendum pro fine, quippè quia hoc (vt in obijciendo probatur) non ſufficeret ad perueniendum per ſe (ideſt ex expreſſa, & directa intentione) in determinatam deliberationem; ſed tale munus exequitur (vt notauimus §. 2. huius Diſp. nu. 11. circa finem) inquantùm per ſuam prouidentiam eſt vniuerſaliſſimum principium, à quo effluunt, & in quod aſcẽdendo terminantur ſeries omnes cauſarum in effectum aliquem confluentium, habentque actionem in voluntatem, & intellectum ſecundùm modos omnes ſupra recenſitos. Quòd autem res hæc ita ſe habeat, demonſtrabimus diſp. 4. vt eodem loco promiſimus.

Concluditur explicatio ſuperioris dicti, & ſolutio obiectionis.

Proponitur, & ſoluitur alia deductio ad impoſſibile.

1210 36 Secundò ſic poſſumus ex dictis eorundem Recentium argumẽtari. Si motus, ſeu influentia primi, & omnis ſuperioris mouentis, ſeu agentis, eſſet (vt nos diximus, §. 2. huius diſp. num. 11. propè principium, & latè probauimus a §. 9. ad 19.) quantùm eſt de ſe, & vt exit à ſuo principio, indeterminata, & indifferens ad plures effectus ſpecie, & numero diuerſos, determinareturque ad aliquem determinatum eorum per formas inferiorum agentium, ſeu etiam per coniunctionem ad influentiam, eorundem, & inquantùm per ipſa inferiora agentia agit in hanc, vel illam materiam: ſequeretur, quòd cauſa prima, quæ agit per voluntatem, non poſſet determinare ſeipſam ad volendum producere hunc, vel illum determinatum effectum: & ſic non eſſet libera, & habens in ſua poteſtate hunc potiùs, quàm illum effectum producere. Conſequens repugnat libertati primi agentis. Ergò oportet, quòd motus, ſeu influentia primi mouentis ſic ex ſe, & vt exit ex ſuo principio determinata ad producendum aliquem determinatum effectum in individuo. Maiorem credit Aluarez, probari per hoc: quia tunc influentia cauſæ primæ deberet, ſeu eſſet obligata agere illos effectus, ad quos ſunt determinatæ cauſæ inferiores ex neceſſitate naturæ, vel ad quos ſe determinarent ex libero arbitrio, ex quo infert: ergò ipſa cauſa prima non ſe determinaret ad hunc effectũ in particulari. Poſſet antem eadem Maior ſic probari. Nam influentia agentis eſt quædam explicatio, ſeu manifeſtatio inclinationis eiuſdem agẽtis. Si ergò alicuius agentis inclinatio eſt voluntas; influentia talis agentis explicat, ſeu manifeſtat voluntatem talis agentis. Ergò, ſi influentia talis agentis, quantùm eſt de ſe, & vt exit à ſuo principio, eſt indeterminata, & indifferens ad plures effectus ſpecie, & numero diuerſos; inclinatio voluntatis talis agentis eſt etiam indeterminata, & indifferens ad eoſdem effectus. Illud ergò agens, quod habet influentiam, quæ quantùm eſt de ſe, & exit à ſuo principio, eſt indeterminata ad plures effectus, non poteſt habere, ex ſe inclinationem, ſeu voluntatem, quæ tendit determinatè in vnum effectum. Non ergò eſt in poteſtate talis agentis velle producere hunc potiùs, quàm illum effectum.

Aluarez lib. 3. de Auxilijs diſp. 21. num. 5.

Ratio ſatis apparens ad probãdam minorem.

1211 37 Adaptauimus dicta Recentium ſub hac forma contra noſtram, & D. Thomæ ſententiam. Quamuis ipſi reuera, nec noſtræ ſententiæ meminerint, nec eam aliquã do

Recentes non intenderunt im-

pugnare nostram sententiã.

do directè, & expresè impugnauerint. Toti enim fuerunt ad excludendam illam à suis aduersarijs excogitatam indifferentiam in diuina voluntate ad influendum simultaneè & immediatè cum voluntate creata in eius actus, ab ipsa sola voluntate creata determinandos. Ex confutatione deindè prædictæ existimationis intulerunt, influentiam motus primi mouentis, receptam in quacunque causa creata, habere ex se, & vt procedit ab ipsa causa superiori, determinationem ad inducendum ipsam causam inferiorem in determinatum actum, seu effectum. At verò nos, vt motiua horum Recentium, inquantùm contra nostram sententiam trahi possunt, solueremus, ea in prædictam argumentationis formam reduximus. Sicque tibi mirum esse non debet, si eam apud ipsos met Recentes formaliter non inueneris.

1212

Responsio in forma prædictæ obiectionis

38 Respondemus autem negando maiorem. Et ad probationem desumptam ex Aluarez distinguimus assumptum, puta illam propositionem: *Quia tunc influentia causæ primæ deberet, seu teneretur, & esset obligata agere effectus, ad quos sunt determinatæ causæ inferiores ex propria natura* &c. Et quidem si intelligatur, quòd deberet, seu esset obligata ad agendos tales effectus, debito, seu obligatione excogitata & sibi imposita ab alia causa, causa scilicet, quæ haberet ordinem suæ causalitatis extra limites ordinis excogitati à diuina prouidentia, à qua emanat motus primi Mouentis, in hac, vel illa serie causarum receptis negamus assumptum. Sic autem deberet esse verum ad hoc, vt ex eo posset inferri, non esse absolutè, & simpliciter sub diuina electione producere hunc, vel illum effectum. Si verò intelligatur de debito, & obligatione sibi imposita ab excogitatione eiusdem diuinæ prouidentiæ, à qua emanat motus primi Mouentis, in hac vel illa causarum serie recepti, & à qua est omnis causa inferior, & omnis ordo, & modus ordinis, quem habent eædem causæ inferiores ad effectum; concedimus assumptum. Sed inde nullo modo potest inferri illud consequens. Si quidem Deus liberè volens hos, vel illos effectus producere, eas causas liberè produxit, eumque ordinem inter eas liberè excogitauit, quo per motum, quem statuit determinationem ad effectum recipere iuxtà modum determinationis, quem habent formæ causarum inferiorum, determinatissimè deuenit in eos effectus, quos ipsemet liberè per tales causas producere voluit. Sicque Deus ad eos effectus, quos voluit esse contingentes, ordinauit causas defectibiles, & quæ possunt ab alijs causis impediri, ad eos verò, quòs voluit, esse necessarios, ordinauit causas inimpedibiles, & tandè ad eos, quos voluit esse liberos, ordinauit causas, in cuius potestate esset eos facere, vel non facere iuxta proprium iudicium, ab ipsismet excogitatum, & inuentum, etiam supposito motu, quo à Deo mouentur, vt à primo mouente.

Respondetur secundæ probationi minoris & explicatur sensus, quo secundùm sententiam S. Thomæ admitti debet diuina voluntas indifferens, quæ determinatur per voluntatem creatam ad agendum hoc, vel illud, & siue ad influendum in actum bonum moraliter, siue ad solam substantiam actus mali.

1213

39 Secunda eiusdem minoris probatio præbet nobis occasionẽ explicandi modum, quo secundùm aliquem verum sensum cohærentem cum doctrina D. Thomæ admitti possit existimatio P. P. Societatis sentientium cum Suario, Deum influere in actus nostros liberos voluntate, & influentia indifferenti. Potest quidem hoc explicari, si nomine diuinæ voluntatis veniat, non quidem voluntas propriè dicta, sed quod metaphoricè, & symbolicè voluntas diuina nuncupatur, quæ communiter dici solet voluntas signi; & indifferentia voluntatis explicetur iuxta modum expressum in titulo.

Voluntas Diuina propriè dicta, & voluntas signi.

Quid veniat nomine voluntatis signi.

Porrò secundum hunc loquendi modum dicitur voluntas diuina ipsa operatio ad extra, & in casu nostro ipsamet influentia, qua Deus influit in actus nostros liberos. Cùm igitur generalis influentia, qua Deus in dictos actus influit, vt primus motor voluntatis nostræ ad exercitium actus, sit naturalis instinctus eiusdem voluntatis nostræ, seu motus volitionis vltimi finis, secundùm quem voluntas nostra est indifferens ad influendum in hunc, vel illum actum liberum electionis determinati medij ad finem: inde fit, quòd voluntas diuina, secundùm prædictum loquendi modum accepta, est indifferens ad influendum in hunc, vel illum actum electionis determinati medij. Amplius, sicut voluntas nostra, discursu, seu consilio rationis mediante, applicat volitionem finis particularibus agendis, & sic suo modo diuina influentia, quæ est ipsa volitio finis, determinatur à voluntate nostra ad influendum in hunc, vel illum actum electionis, prout electio importat generalem actum liberi arbitrij: ita voluntas diuina, prædicto modo significata, dicitur applicari, & suo modo determinari à voluntate nostra ad influendum in determinatum actum electionis, seu liberi arbitrij. Præterea sicut voluntas nostra, mediante discursu, seu consilio rationis inueniente illud particulare

agen

Digitized by Google

agendum, quod verè est bonum, & conueniens fini rationis, applicat ipsam volitionem finis, eamque determinat ad influendum in electionem veri boni, seu electionem honestam, & moraliter bonam: ita voluntas diuina, in prædicto significatu, dicitur applicari, & suo modo determinari à voluntate nostra ad influendum in actionem moraliter bonam. Adhæc, sicut volitio finis, mediante iudicio rationis accipiente, vt ordinabile in finem rationis id, quòd non est in talem finem ordinabile, applicatur, & determinatur à voluntate nostra ad influendum in actum electionis, quo ipsa voluntas aberrat à vero bono in bonum apparens, solùm quantùm ad substantiam actus, seu quantùm ad id bonitatis, & entitatis, quod est in actu; non autem quantùm ad deuiationem à recto fine rationis. Ita voluntas diuina, secundum dictam metaphoram significata, dicitur determinari à voluntate nostra, mediante prædicto iudicio, ad influendum in actum malum, solùm quantùm ad substantiam actus, non autem quantùm ad malitiam in actu inuentam, quæ radicem habet, non in influentia naturalis instinctus voluntatis nostræ, qui est sine defectu; sed in defectu apprehensionis non rectæ, qua mediante voluntas se mouet in actum, vt probauimus 1. p. huius Tractatus.

1214 40 Ad prædictam autem rationem informa dicendum est, quòd illa propositio: *Influentia agentis manifestat inclinationẽ agentis*, est vera, seruata proportione inter influentiam, & inclinationem agentis. Vnde si influentia agentis sumitur adequatè, ideſt pro omnibus eius quasi partibus, & secundùm omnia, quæ absolutè habet, tam vt procedit à suo principio, quàm vt multifariàm recipitur in omnibus causarum seriebus, & causis serierum contentis sub ordine causalitatis talis agentis, manifestat absolutè, seu adequatè, & simpliciter inclinationem agentis. Si verò sumitur inadequatè, & secundùm ea, quæ habet, vel secundum aliquam specialem rationem considerata, vel prout est recepta in aliqua determinata causarum serie, vel in aliqua determinata causa seriei ex contentis sub ordine causalitatis agentis, manifestat inclinationem agentis; non absolutè, & simpliciter; sed secundùm quid, seu secundùm aliquam specialem rationem.

Explicatur veritas primæ propositionis.

1215 41 Et eodem modo est verum illud cõsequens: *Influentia agentis per voluntatem manifestat voluntatem agentis.* Si enim influentia prædicti agentis sumatur adequatè, & secundum omnia, quæ absolutè habet, non solùm, vt procedit à suo principio, sed etiam in quantùm recipitur diuersimodè in causis subordinatis tali agenti, manifestabit voluntatem agentis absolutam, seu secundùm quod aliquid simpliciter, & absolutè vult. Si verò sumatur inadequatè, & secundùm id quòd influentiæ competit secundùm aliquam determinatam rationem consideratæ, vel prout aliqua eius portio recipitur in aliqua peculiari serie, vel aliqua causa seriei ex contentis sub ordine talis agentis per voluntatem, manifestabit voluntatem agentis secundùm quid, qua scilicet effectum vult secundum aliquam determinatam rationem; non autem voluntatem absolutam, qua aliquid absolutè, & simpliciter vult.

Manifestatur veritas primi consequentis.

42 Ex hoc autem iam patet, qualiter sit concedendum, vel negandum secundum consequens puta: *Ergo si influentia agentis per voluntatem, quantùm est de se vt exit à suo principio, est indeterminata, & indifferẽs ad plures effectus: ins linatio seu voluntas talis agentis, est indeterminata, & indifferens.* Cùm enim in prædicta propositione influentia agẽtis sumatur inadequatè, & secundum vnam specialem rationem: oportet, quòd manifestet voluntatem agentis, non absolutam, secundum quod agens dicitur simpliciter aliquid velle; sed voluntatem secundum quid, qua scilicet, fertur in rem secundum aliquam determinatam rationem; non autem absolutè, & simpliciter.

Explicatur qualiter sit concedendum, vel negandum secundum consequens

1216 1217

43 Et indè patet, qualiter sit concedendum, vel negandum tertium consequens, puta: *Illud ergo agens, quod habet influentiam indeterminatam ad plures effectus, nõ potest habere se voluntatem per quam tendit in vnum determinatum effectũ.* Etenim si agens haberet influentiam, quæ esset indeterminata, & indifferens ad plures effectus, non solùm prout progreditur ab ipso agente vniuersali, & recipitur in aliqua ex causis inferioribus: sed etiam prout diffunditur per omnes causas sibi subordinatas; ita vt nõ reciperet determinationem ad effectum per hoc, quod recipitur in causis inferioribus, seu esset indeterminata, & indifferens adequatè sumpta, non posset tale agens habere absolutam voluntatem per quam tenderet in determinatos effectus. Et indè supra diximus, quòd si Deus per nullam aliam viam descenderet in actum liberum, nisi per eam, qua in eum influit ex vi volitionis finis, non posset habere absolutam voluntatem alicuius actus liberi. At verò si agens haberet influentiam, quæ esset indeterminata, & indifferens secundum aliquam solam rationem, puta, prout habet ordinem ad principium vniuersale, vnde effluit, & prout recipitur in aliqua ex causis sibi subordinatis; non autem prout diffunditur per omnes inferiores, per quas applicatur.

Explicatur qualiter sit concedendum, vel negandum tertiũ consequens.

Digitized by Google

tur ad effectus; sed reciperet per aliquam, vel aliquas ex dictis causis determinationē; ac per hoc esset indeterminata solùm inadequatè sumpta; non autem adequatè: posset habere absolutam voluntatem particularium effectuum ad quos determinatur sua influentia per causas inferiores sibi subordinatas, per quas transmitteitur in effectus.

3218 44 Hinc est, quòd licèt motus Cœli, quantùm est de se, & vt est in ipso corpore cœlesti, & etiam vt exit ab ipso, non habeat determinationem ad aliquem determinatum effectum sublunarium: quia tamen eius influentia recipit determinationem ad effectus per causas inferiores, & materiam, in quam per sibi subordinatas causas agit: potest Intelligentia mouens Cœlos, (quæ benè cognoscit naturam influentiæ, quam habet per motum Cœli) habere absolutam voluntatem causandi per motum Cœli determinatos effectus sublunares. Sicut organedus, qui scit, quòd flatus è follibus emissus causat sonum secundùm mensuram fistulæ, per quam transit, potest habere absolutam voluntatem causandi determinatum sonum fistularum per flatum, qui prout cōtinetur in follibus, & ab ipsis emanat, est indifferens ad inferendum sonum huius vel illius mensuræ.

Præcedens responsio manifestatur duplici exemplo.

3219 45 Et inde tandem patet, quòd vltima consequentia, qua dicitur: *Ergò non est in potestate talis agentis velle producere hunc, vel illum effectum*, est falsa de agente voluntario vniuersalissimo, quod disponit de omnibus causis, quale est Deus. Licèt enim causa voluntaria, quæ habet sibi statutū ab alio ordinem causarum inferiorum (sicut est Intelligentia, quæ præsupponit corpora cœlestia, & causas sublunares; ita vt non possit, nisi per ordinem causarum sibi præfixum a Deo, agere in hæc inferiora) non habeat in potestate sui liberi arbitrij, absolutè loquendo, producere hunc, & non illum effectum ex sublunaribus: solùm enim est in potestate sui arbitrij mouere, vel non mouere Cœlum, cæterum ordo eorum, quæ sequuntur ad motum Cœli, est sibi præfixus ab alio. Et ideo absolutè loquendo non est in sua potestate hunc, & non illum effectum producere. At verò agens vniuersalissimum, quod nullum ordinem causarum habet sibi præfixum ab alio; sed ipsummet disponit causarum ordines, quòd disponit de effectibus earundem causarum, habet absolutè, & simpliciter in sua potestate quemlibet effectum producere. Quamuis verum sit, quòd, facta suppositione ordinis a se statuti, non possit non sequi prædictum ordinem; nisi agendo miraculum; si tamen talis miraculi non agendi non sit facta etiam suppositio. Sed de his omnibus agendum erit diffusè disp. 4. Et hæc satis sint de hac disputatione.

Manifestatur falsitas vltimæ cōsequentiæ.

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA

An dictamen vltimatum rationis practicæ, seu eiusdem rationis imperium, comprehendens apprehensionem rectam, & non rectam, ad quod secundum sententiam S. Thomæ sequitur necessaria, & infallibili consequentia, actus electionis conformis dictamini, repugnet libertati electionis; An verò sit necessarium libertati eiusdem.

1220 PRæcedentem disputationem habuimus præcipuè cum quibusdam recentibus Thomistis, vt defenderemus (sicut aduertimus in proœmio eiusdem disputationis) vnum ex principijs, in quibus resolutionem principalis Dubij huius Tractatus ex doctrina S. Thomæ fundauimus. Sed hanc præcipuè habemus cum eorundem Recentium aduersarijs, vt alterum eiusdem resolutionis fundamentum defendamus, quo stabiliuimus, propriam radicem defectus actionis voluntariæ esse carentiam regulæ rationis, & legis diuinæ, seu apprehensionem non rectam. Cui principio (vt aduertimus in proœmio huius secundæ partis) aduersantur, qui existimant, repugnare libertati electionis vltimatam sententiam de agendis, seu imperium rationis practicæ, inferens per sequelam necessariam actum ipsum electionis. Cogimur autem hanc disputationem excitare; ne contra hos Recentes, (qui multipliciter ex hoc capite argumentantur) indefensa remaneat principalis resolutio Dubij Tractatus huius. Quærimus verò duo. Primò: An prædictum dictamen repugnet libertati. Secundò: An sit eidem libertati necessarium. Vt ita non solùm horum Recentium argumenta soluamus; sed eos etiam conuincamus, adeò à D. Thomæ sententia, & veritate ipsa se absentasse; vt illud existimauerint libertati repugnare, quod libertati ipsi ita est necessarium; vt nulla sine eo consistere possit libertas. Idque non solùm in sententia S. Thomæ; sed etiam in rei veritate, efficaci ratione probata. Hanc igitur disputationem duobus punctis absoluemus; in quorum primo proponemus, & soluemus argumenta Recentium, quibus probari credunt, repugnare libertati imperium, seu dictamen rationis practicæ. In secundo verò prosequemur doctrinam S. Thomæ, & rationes, quibus probatur eidem libertati necessarium. Procedemus autem hoc modo. Cuilibet argumento dabimus proprium paragraphum, eique addemus dubia, quorum decisiones expostulant ea, quæ in argumento assumuntur, vel supponuntur; vt ita vndique aduersarijs satisfaciamus.

PVNCTVS, ET §. I.

Proponitur, & soluitur prima ratio ex Suario, & Requesenio, & ex Suario conuincitur Suarius, & ex Requesenio Requesenius.

1221 1 SVARIVS igitur in sua Metaphy. disp. 19. sec. 6. num. 2. sic credit *P. Ioseph de Vita de Prin. Pece.* probari irrefragabili ratione, imperium rationis, seu iudicium perfectè practicum repugnare libertati electionis. *Si* (inquit) *illud iudicium rationis est ita prærequisitum ad operandum, vt in suo genere sit causa necessaria ad actum liberum voluntatis: & illo iudicio posito, voluntas non potest nõ consentire illi. Ergò voluntas non est talis potentia, quæ positis omnibus absolutè prærequisitis ad operandum, possit velle, & non* *Suarius.*

velle. Ergo non est potentia libera. Hanc rationem communiter inculcant alij eiusdem Societatis Patres, & nouissimè Requesenius 1.2.disp.x.num.46. his verbis. *Nam vel ad operandum est necessariò prærequisitum Imperium, quo posito, nequit voluntas operari oppositum ei, quod imperatur: vel non est prærequisitum. Si primum, vt expressè concedit Medina 1.2.q.9.ar.7. corruit indifferentia, ac proindè libertas in indifferentia consistens. Si secundum: ergo illud Imperium est superfluum, & voluntas potest operari, & aliquando operatur oppositum ei, quod imperatur.* Et addit. *Vrgeo: Imperium non est constitutiuum actus primi potentiæ liberæ: alioquin hæc nunquam posset esse completè potens operari duos actus oppositos ob repugnantem coexistentiam duplicis Imperij oppositi. Ergo absque necessitate ponitur tale Imperium ad operationes voluntatis.*

Requesenius.

Notabile circa propositas, & infra proponendas rationes.

1222

Recentes argumentantur ex falso supposito.

3 ANtequam respondeam, aduerto, quòd Auctores huius, & aliarum infra proponendarum rationum supponunt vnum falsum. Et eo supposito argumentantur, miscendo semper propositionibus assumptis, hoc quod supponunt. Et hinc fit, quod propositiones, quæ aliàs sunt communes, & probatæ, assumant in sensu falso: & inde est, quòd non possunt cõcedi; nisi reiecto eo, quod in ipsis imbibitur ex falso supposito. Falsum autem, quod supponunt est: quòd indifferentia, quam habet voluntas, prout est principium liberum, sit illa, quam habet, inquantùm est principium elicitiuum oppositorum actuum. Est autem hoc falsissimum: quia (vt demonstrabimus in Tractatu de illo principio: *Omne, quòd mouetur, mouetur ab alio,*) talem indifferentiam habet voluntas, vt principium mobile à seipsa. Indifferentia autem, in qua principaliter consistit libertas, licèt requirat prædictam indifferentiam in seipsa, inquantum ipsa debet esse mobilis à seipsa in oppositos actus; importat tamen (vt notauimus, & explicuimus disp. præcedenti §. 23. a num. 64. ad 77.) indifferentiam principij motiui, quæ includit duo principia proxima, vt eodem loco explicuimus. Vnũ est volitio finis, per quam voluntas potest se mouere in oppositos actus circa agenda contingentia, quæ non habent necessariam connexionem cum fine. Alterum est virtus rationis deliberatiuæ, qua voluntas, volens finem, vtitur, vt causa intermedia, seu instrumento, ad se mouendum. Ratio enim deliberans procedit ad deliberandum per consilium. *Consilium autem* (vt inquit S. Doctor quæst. 6. de malo in corp. art. vnici) *est inquisitio quædam non demonstratiua; sed ad opposita viam habens.* Et ideo voluntas, quæ ad se mouendum tali virtute vtitur, potest per illam se mouere in oppositа. Hinc S. Doctor 1.2. quæst. 6. ar. 2. ad 2. habet: *Ex hoc, quòd ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas vtrumque potest.* Et idem habet eadem 1. 2. quæst. 17. ar. 1. ad 2. verbis relatis §. 25. num. 33. præcedentis disp. & quæst. 109. ar. 2. ad 1. verbis relatis §. 26. nu. 18.

Indifferẽtia principij elicitiui, est indifferentia subiecti mobilis, nõ autẽ principij motiui.

1223

Prædictũ suppositũ esse falsum ostenditur ex his, quæ conueniũt appetitui brutorum.

3 Vt autem ex aliquo signo cognoscãt prædicti Recentes, falsum esse hoc, quòd ipsi supponunt, peto ab ipsis: An appetitus purè sensitiuus, qualis est concupiscibilis, & irascibilis in brutis, sit principium elicitiuum oppositorum actuum? Sed quis hoc ignorat? Iam enim notauimus disp. præcedenti §. 21. num. 7. euidens esse, quòd bruta per suum appetitum sensitiuum, & amãt, & oderunt; timent, & audent; sperant, & desperant &c. Ac per hoc appetitus brutorum est principium elicitiuum actus amoris, & odij; audaciæ, & timoris; spei, & desperationis, &c. qui sunt actus oppositi. Et quidem, quantùm est ex vi talis principij, nõ habet, quòd potiùs eliciat vnum, quàm alterum actum oppositum: & ita, quantùm est ex vi principij elicitiui, se habet indifferenter ad oppositos actus, vt ex doctrina S. Thomæ conclusimus loco proximè citato.

1224

Appetitus brutorum determinaret seipsũ ad alteram partem ad missa opinione Recentium.

4 Ampliùs peto: An appetitus brutorum, dum elicit actum aliquem ex illis, quæ potest, mouet seipsum determinatè in prædictum actum? Sed secundùm opinionem horum Recentium certa est responsio affirmatiua. Ipsi quippè volunt, quòd appetitus, per hoc, quod elicit suum proprium actum, mouet seipsum in talem actum; per hoc verò, quod recipit eundem actum elicitum à seipso, mouetur à seipso in eundem actum. Mouet ergo seipsum, & mouetur à seipso in determinatum actum per hoc, quod elicit, & eliciendo, recipit suum proprium actum. Et iam certum est, quòd appetitus brutorum elicit, & recipit suum proprium actum: cum talis actus sit motus vitalis. Est ergo prædictus appetitus principium elicitiuum, quantùm est ex se, indifferens ad oppositos actus; & insuper dum elicit vnum ex oppositis actibus, mouet seipsum determinatè in talem actum.

1225

Inde sequitur, quòd esset liber.

5 Ex his autem sequitur, quòd talis appetitus habet libertatem; si simul supponatur, quòd indifferentia principij liberi sit illa, quam appetitus habet, inquantùm est principium elicitiuum oppositorum actuũ.

Si-

Digitized by Google

Siquidem secundum hos doctores duo requiruntur, & sufficiunt ad libertatem appetitus: nempè quòd sit principium elicitiuū, quod, quantùm est de se, & vt præcedit natura elicientiam sui actus, indifferenter se habeat ad oppositos actus: & quòd moueat, & determinet seipsum in actum per ipsam formalem elicientiam sui proprij actus. Vtrumque autem horum habet appetitus brutorum in prædicta hypothesi, vt declaratum est. Habet ergo in prædicta hypothesi libertatem. Consequens autem est euidenter falsum. Falsa est ergo prædicta hypotesis, ex qua sequitur. Sed de hac re in Trac. supra proximè citato: veniamus ad solutionem rationis propositæ.

Soluitur prædicta ratio secundùm formam propositam à Suario, & vincitur Suarius.

1226 6 AD formam igitur rationis allatæ à Suario, existimante eam irrefragabilem, concedo, quòd prædictum iudicium rationis est necessarium ad illam determinatam electionem liberam, quę eodem iudicio dictatur agenda. Concedo etiam, quòd, tali iudicio posito, non ab alio; sed à seipsa mediantè virtute deliberatiua rationis, non potest voluntas cōponere cum tali iudicio actum oppositum, vel carentiā illius actus, qui iudicatur agendus. Et ad primum consequens, puta: *Ergo voluntas non est talis potentia, quæ positis omnibus absolutè prærequisitis ad operandum possit velle, & nolle*, Dico, quòd per ly *positis omnibus absolutè prærequisitis ad operandū*, vel intelligit solùm requisita, per quæ voluntas potest operari, & non operari; puta requisita, per quæ habet posse se mouere in oppositos actus, siuè contrariè, siue contradictoriè: vel intelligit etiam prærequisita, per quæ, determinando seipsam, mouet se determinatè ad operandum alteram partē ex oppositis. Ad priora spectat tam virtus, quam habet voluntas per actum volitionis finis, quàm virtus, quam habet per virtutem deliberatiuam rationis, per quam potest deliberare vnum, & alterum actum ex oppositis. Ad posteriora præcipuè spectat iudicium practicè practicum, seu deliberatum, quòd idem est, quod imperium de tali determinata actione agenda. Et quidem, si ex concessis propositionibus, arguens intendat inferre: *Ergo voluntas non est talis potentia, quæ positis omnibus absolutè ad operandum prærequisitis*, illis scilicet, per quæ habet posse se mouere in actus oppositos) *possit velle, & non velle*. Negamus consequentiam, quæ non infertur ex propositionibus concessis. Si verò intendat inferre: quòd voluntas non est talis potentia quæ positis omnibus prærequisitis (etiam quibus à seipsa mouetur in vnam determinatam partem ex oppositis) possit velle, & nolle, ideſt possit componere tàm velle, quàm nolle cum prædictis requisitis: concedimus primam consequentiam, quæ vtique infertur ex propositionibus concessis, quibus dicimus, *quòd prædictum iudicium* (puta, quo sententiatur aliquid determinatè hic, & nunc esse agendum) *est necessarium ad illam determinatam actionem liberam, quæ eodē iudicio dictatur agenda: & quòd, tali iudicio posito, non ab alio; sed à seipsa mediante virtute deliberatiua rationis, non potest cum eo ponere actum oppositum, vel carentiam illius actus, qui iudicatur agendus*. Et negamus vltimam consequentiam, qua infertur: Ergo voluntas non est libera. Non enim ad libertatem voluntatis requiritur, quòd cum omnibus prærequisitis, etiam, quibus seipsam mouet determinatè ad *velle*, possit componere *nolle*: vel cum prærequisitis, quibus se mouet determinate ad *nolle*, possit componere *velle*. Solùm enim requiritur, quòd cum, prærequisitis, quibus potest se mouere ad velle, & nolle, possit componere, tam velle, quàm nolle.

Distinguitur primū consequēs; & in vno sensu negatur consequentia; & in altero cōceditur: sed negatur vltima consequentia, assignata euidenti ratione.

1227 7 Hìc autem nota, quod in dicta respōsione, vt vides, non concessimus, neque negauimus propositionem antecedentem assumptam à Suario, illa enim multa confundit ratione sui falsi suppositi. Ideoque nos regulauimus illam ad propositiones, quas nos asserimus; & ex quibus debet aduersarius argumentari contra nostram, & D. Thomæ sententiam.

Propositio Suary regulatur ad propositiones, quas cōcedimus

1228 8 Sed dices: Probo vltimam consequētiam negatam. Quia hæc est, siue diffinitio, siue descriptio potentiæ liberæ: facultas, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum, potest agere, & non agere.

Replica.

9 Respōdemus, quòd, si sermo sit de prærequisitis, per quæ voluntas habet posse se mouere in oppositos actus; & quæ, quantùm ex ipsis est, possunt præcedere tempore motum voluntatis in actum liberum, qualia sunt volitio finis, & virtus deliberatiua rationis; posset prædicta descriptio admitti; licet sit imperfecta. Si verò sermo sit etiā de prærequisitis, quibus voluntas, seipsam determinans, actualiter mouet se determinatè in alteram partem ex oppositis, & quæ non possunt præcedere, nisi sola prioritate naturæ determinatum motum voluntatis in actum liberum; quale præcipuè est iudicium deliberatum, seu imperiū rationis, per quod voluntas actualiter mouetur à seipsa in actum determinatum liberum: talis verborum compositio non solùm non est definitio potentiæ liberæ, sed repugnat potentiæ liberæ

Soluitur, & explicatur sensus, quo posset descriptio admitti, licet sit imperfecta.

Digitized by Google

liberæ, & inuoluit contradictionem, vt notauimus disp. 1. §. xiii. à num. 15. ad 18. & infra in hac eadem disp. probabimus.

1229 10 Interim dicimus, quòd in sensu, quo tali descriptione vtuntur Recentes prædicti, quo scilicet, vel venit excludendum dictamen practicè practicum, seu deliberatum de agendis (quòd idem est materialiter, & identicè quòd rationis imperium) vel cum eo componendus actus oppositus, admitti nequit prædicta descriptio. Et huius signum irrefragabile est: quia tunc oporteret dicere, quòd non solùm D. Th. & Aristoteles: sed etiam ipsemet Suarius, qui est ex primis, & præcipuis, siue inuentoribus, siue defensoribus prædictæ descriptionis, abstulissent liberum arbitrium: sicque tàm insignes viri vno ictu totam scientiam moralẽ destruxissent, quæ omninò periret, si liberum arbitrium non daretur. Quippe quia periret exhortatio, præceptum, virtus, & vitium, laus & vituperium, circa quæ scientia moralis versatur, vt aduertit S. Doctor quæst. 6. de malo in corp. art. vnici post principium.

Signũ irrefragabile non admittendi prædictam descriptionẽ est: quia indè sequitur Arist. D. Th. & Suarium abstuliſſe liberũ Arbitrium.

1230 11 Et quidem, quòd, admisso prædicto sensu descriptionis, sequatur secundum sententiam S. Thomæ, tolli liberum arbitrium; inde euidens est, quòd ipse expressè innumeris in locis, non solùm incidenter: sed etiam ex professo, docet vtramque partem illius propositionis, nempe: quòd dictamen particularis agibilis præexigitur electioni, & illo posito, non potest cum illo componi actus oppositus, vt patet ex locis Aristotelis, & S. Thomæ a nobis relatis disp. 1. § xi. a num. 28. ad 34. & disp. præcedenti §. 23. a num. 85. ad 92.

Manifestatur illatio in sententia S. Thomæ, & Aristotelis.

1231 12 Præterea euidens est, D. Thomam docere, quòd homo imperat sibi suum proprium actum electionis, vt patet 1. 2. quæst. 17. ar. 5. Certum est etiam, quòd cum perfecto imperio rationis non potest voluntas componere actum oppositum, vt hoc eodem loco docet S. Doctor ad. 1. ex doctrina Augustini. Abstulisset ergo D. Thomas liberum arbitrium; si semel subsisteret illa diffinitio liberi arbitrij. Nec sanè credendum est, vel quòd D. Thomas ignorauerit diffinitionem liberi arbitrij: vel quod fuerit ita inexpertus, vt simul cum diffinitione ab ipso cognita, posuerit alia, quæ tam euidenter prædictæ diffinitioni repugnant. Prædicta ergo diffinitio in sententia D. Thomæ non subsistit.

1232 13 Quòd autem etiam idipsum sequatur in sententia Suarij, patet. Nam ipsemet Suarius sibi opposuit obiectionem de imperio, & eam soluit vt infra: *Obijciunt aliqui: quia intellectus per imperium practicum efficaciter mouet voluntatẽ ad opus. Respondetur. Imperium practicum intellectus, quo quis intelligitur sibi ipsi, vel suæ voluntati imperare, non est aliud à iudicio perfectè practico, & omnino diffinito cum omnibus circumstantijs, &c. Hoc iudiciũ ex se solùm mouet ex parte obiecti vt declaratum est. Quòd si interdum videtur efficaciter impellere, solùm est virtute alicuius actus efficacis eiusdem voluntatis, qui præcessit. Nam si voluntas efficaciter proposuit, vel intendit consequi hunc finem; intellectus, nacta occasione hic, & nunc, iudicat, omnino esse hoc faciendum supposita priori voluntate. Et tunc voluntas omninò determinatur, non tam iudicio, quàm à se. Cuius signum est; quia non absolutè; sed quasi conditionatè determinatur, si scilicet, velit in intentione, seu electione facta persistere. Vnde, si à priori voluntate velit retrocedere, potest impedire huiusmodi imperium. Quando autem talis voluntas efficax non præcessit; impossibile est, vt imperium intellectus habeat illam vim impulsiuam: alias destrueret voluntatis libertatem.* Hæc Suarius Disp. 19. suæ Metaph. num. 8.

Eadem illatio manifestatur ex doctrina Suarij.

1233 14 In quibus iam vides, quòd ipse concedit, quòd supposita efficaci voluntate alicuius finis, intellectus, nacta occasione, profert suum iudicium determinatum, iudicãs, omnino hoc esse faciendum; per quæ duo, puta, per volitionem efficacem finis, & per istud iudicium perfectè practicum, seu (vt ipse Suarius dicit) omninò diffinitum cum omnibus circumstantijs, determinatur voluntas ad eligendum hoc ipsum, quod tali iudicio diffinitur. Ex his autem sequitur, quòd, si vera esset prædicta diffinitio potentiæ liberæ, voluntas non esset libera in eligendis medijs propter finem efficaciter volitum. Vnde sic argumentor.

1234 15 Volitio efficax finis, & iudiciũ prædictum omnino determinatum cum omnibus circumstantijs sunt aliquid prærequisitum ad actum electionis imperatũ. Sed voluntas non potest componere cum prædictis actum oppositum. Ergo voluntas non est talis potentia, quæ, positis omnibus prærequisitis ad actum, possit cum eis componere actum oppositum. Ergo non est libera. Vtraque consequentia sequitur ex præmissis secundum Suarium: & vtraque præmissa est Suarij. Ipse quippe docet, quòd imperium importat iudicium perfectè practicum omnino diffinitum cum omnibus circumstantijs, quòd, supposita efficaci voluntate finis, determinat voluntatem omnino. Si ergo voluntas, his duobus positis, puta efficaci voluntate finis, & prædicto iudicio omnino diffinito, est omnino determinata ad id, quod iudicat, omnino esse faciendum (vt

Conuincitur Suarius ex sua propria doctrina.

ipse

ipse loquitur) iam non potest componere cum his duobus prærequisitis oppositũ actum: alias esset indifferens ad vtrumque actum.

1235 16 Dices ex doctrina ipsiusmet Suarij posita in prædicta responsione, quòd illa diffinitio potentiæ liberæ debet sic intelligi, nempe, quòd potentia libera habet posse componere vtrumque actum cum prærequisitis ad actum, quæ non pendent ex libera voluntate. Nam si semel dependent ex libera voluntate, qualis est in isto casu efficax voluntas finis, tunc non posse componere cum prærequisitis vtrumque actum ex oppositis, non repugnat potentiæ liberæ. Est enim non posse conditionatum, dependens ex conditione, qua voluntas libera velit persistere in volitione finis. Si enim vellet desistere à prædicta volitione; iã posset impedire impulsum imperij determinatiui voluntatis. Quatenus igitur ipsa voluntas potest retrocedere à priori intentione, habet in sua potestate actum oppositum; & hoc sufficit libertati.

Responsio, quæ posset afferri ex doctrina Suarij.

1236 17 Verùm si semel hæc exceptio admittitur in prædicta descriptione; ita vt requisita ad actum, cum quibus potentia libera potest componere non solùm vnum; sed etiam alterum actum ex oppositis, sint ea, quæ non dependent ex libera voluntate; tunc tota nostra sententia subsistit, & cogitatio Suarij euertitur; licet etiam verum sit, quòd prædicta descriptio potentiæ liberæ sub prædicta exceptione intellecta absolutè non subsistat. Non enim posset potentia libera benè componi cum diuinis decretis, vt infra explicabimus.

Data prædicta responsione, subsistit nostra sententia, & destruitur cogitatio Suarij.

1237 18 Subsistit quidem tota nostra sententia. Tum quia D. Th & cum eo Thomistæ ponunt, quòd iudicium perfectè practicum, quo determinatur voluntas, & cum quo non potest eadem voluntas componere actum oppositum, est in potestate voluntatis, vt aduertimus disp. præcedenti in resolutione posita § 22. num. 4. ex illis D. Thomæ verbis. *Si iudicium cognitiuum non sit in potestate alicuius, sed aliunde determinatum, nec appetitus erit in potestate eius, & per consequens nec motus, vel operatio absoluti.* Oportet ergo; ad hoc, vt voluntas habeat in sua potestate suum proprium motum, seu actum, quòd etiam habeat in sua potestate iudicium, per quòd ipsa voluntas determinatur. Tum quia nos ponimus, quòd conclusio syllogismi operatiui, quæ importat illud iudicium perfectè practicum, & omnino diffinitum cum omnibus circumstantijs (vt loquitur Suarius) habet præcipere, seu imperare, & efficaciter inducere voluntatem in electionem eorum, quæ sunt ad finem, inquantùm procedit ex efficaci voluntate finis, vt patet ex verbis S. Thomæ relatis disp. præcedenti §. 24. a num. 5. ad 9. inclusiuè & ex alibi sæpè dictis. Cæterùm si non procederet ex efficaci; sed ex inefficaci volitione finis: non haberet rationem imperij perfecti; sed imperfecti. Perfectum enim imperium importat sententiam conclusam intellectus supponentem efficacem actum voluntatis, vt locis loco modò citato relatis docet S. Doctor. Sicut imperfectum imperium, quòd scilicet non est efficax ad inducendum voluntatem in electionem imperatam, importat quendam animi motum agitatum ex diuersis motiuis; vnde non diffinitiuè sententiat, quid est agendum; sed trepidat inter vtrumque: & sic non perfectè imperat, vt docet S Doctor 1. 2. quæst. 17. ar. 5. ad 1. his verbis. *Ad primũ dicendum, quòd sicut Augustinus ibidem dicit: Animus quando perfectè imperat sibi, vt velit: tunc iam vult: sed quòd aliquando imperet, & non velit, hoc contingit ex hoc, quòd non perfectè imperat. Imperfectum verò imperium contingit ex hoc, quòd ratio ex diuersis partibus mouetur ad imperandum, vel non ad imperandum, vnde fluctuat inter duo, & non perfectè imperat.* Et quidem, quòd illa fluctuatio in sententiando, seu imperando de agendis contingat etiam aliquando ex hoc, quòd voluntas non inhæret efficaciter fini, docet S. Doctor in 3. dist. 17. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. in corp. verbis relatis disp. præcedenti § 24. nu. 9. puta illis. *Quando voluntas reducit aliquòd consiliabile in finem, in quo totaliter quieuit, sententialiter acceptat illud; si autem reducat in finem, in quo non totaliter quieuit, trepidat inter vtrunque.* Oportet ergo, quod iudicium perfectè practicum, quòd idem est, quod imperium, procedat ex efficaci voluntate finis secundùm sententiã S. Thomæ.

Thomistæ communiter ponũt imperium supponere efficacem voluntatẽ finis.

1238 19 Atque ex his patet, quòd obiectio posita in principio huius §. non procedit contra nos in sententia Suarij. Siquidem ipse docet illud ipsum, quod nos dicimus circa hunc punctum: puta, quòd voluntas volens efficaciter finem, determinatur ad eligendum hic, & nunc, hoc particulare medium per iudicium perfectè practicũ diffinitum cum omnibus circumstantijs; quòd idem est, quòd imperium rationis.

Concluditur, non procedere contra nos rationem Suarij.

Dices, quòd Suarius, licet admittat, hoc aliquando euenire: non tamen concedit, tale iudicium esse necessariò requisitũ ad omnem electionem, sicut nos ipsum ponimus. Poterit ergo ratio illa propter hoc discrimen habere efficaciam contra nos, non verò contra Suarium.

Responsio.

1239 20 Sed contra est. Tum quia tale discrimen est omninò irrationabile: cum quia esset

Improbatur responsio, quia irrationabilis: quia inutilis.

esset inutile ad propositum. Est quidem irrationabile: nam, cùm omnis electio supponat efficacem voluntatem finis (nullus enim eligit aliquid, vt medium ad finem, quem efficaciter non vult) nulla ratio reddi potest; quare in ordine ad aliquam electionem, intellectus nacta occasione, hìc, & nunc, iudicet, hoc esse faciendum, imperando actum electionis per iudicium perfectè practicum: in ordine verò ad aliam electionem nullum habeat imperium. Esset autem inutile ad propositum: nam ad hoc, quòd tale iudicium non repugnet libertati, sufficit, quòd aliquando præsupponatur electioni, & cum eo non possit componi actus oppositus, seruata libertate electionis. Quòd verò vnus dicat, illud semper requiri: alius autē, non semper requiri; sed quando adest, non repugnat libertati electionis, parùm refert ad propositum.

1240 21 Præterea cogitatio Suarij (vt innuimus præcedenti num. 17.) euertitur. Nam intentio Suarij, & omnium astruentium prædictam diffinitionem, ad hoc tendit, vt probet, quòd voluntas, quæ est indifferens ad oppositos actus, determinatur solùm per ipsammet elicientiam actus; non autem per aliquid naturaliter præcedens ipsam eliciētiam. In isto autem casu res non ita se haberet. Nam voluntas, volens efficaciter finem, est indifferens ad eligendum hoc, vel illud medium; & vnum, & idem mediū potest eligere, & non eligere. Hæc autem indifferentia determinatur per iudicium perfectè practicum, quòd naturaliter præcedit actum electionis. Non ergò voluntas, quæ est indifferens, determinatur tantummodo per ipsam elicientiam actus: sed etiam per aliquid, quòd naturaliter præcedit. Nec refert Suario, quòd huic determinationi præcessit efficax, & libera voluntas finis. Nam hæc relinquit voluntatem indifferentem ad eligendum hoc, vel illud medium; & in hoc vel illa circumstantia; & hoc, vel illo tempore. Et tamen, salua libertate electionis determinati medij in suis circumstantijs, determinatur ad prædicta *per iudicium perfectè practicum omninò diffinitum cum omnibus circumstantijs*, vt loquitur Suarius. Determinatio ergo indifferentiæ voluntatis in ordine ad electionem determinati medij cum suis circumstantijs fit in isto casu salua libertate electionis, non per ipsam elicientiam actus electionis; sed per aliquid præcedens, cum quo non potest componi actus oppositus, puta, per iudicium perfectè practicum omninò diffinitum &c.

Probatur, quòd prædicta responsione euertitur cogitatio ipsius Suarij.

22 Dices, excessisse Suarium; dum ipse admittit iudicium istud sic determinās voluntatem: cæterùm nulla ratio cogit illud admittere. Vnde contra ipsum insurgunt multi ex P.P. Societatis, quos refert, & sequitur Requesenius 1. 2. disp. 12. num. 139. & sequentibus.

1241

Responsio.

Contra responsionē.

Sed verè Suarius non excessit concedens iudicium perfectè practicum, quòd in doctrina Aristotelis, & S. Thomæ euidenter cōtineri prospexit: Sed in hoc satis excessit, quòd, prædicta veritate conspecta, statuit sibi ipsi contrarius prædictam diffinitionem potentiæ liberæ. Magis verò excedunt alij ex aduersarijs, qui vt suas possint opiniones defendere circa multas quæstiones spectantes ad fidem, hoc supponunt fundamentum circa naturam potentiæ liberæ, quòd subsistere minimè potest, nisi reiectis præcipuis philosophiæ cultoribus Aristotele, & D. Thoma. Quarè sicut ipsi dicta Aristotelis, & S. Thomæ negant, vt hanc, quam excogitarunt potentiæ liberæ indifferentiam defendere possent; ita nos negamus, dari posse prædictam indifferentiam in potentia libera, quæ ita expressè repugnat dictis Aristotelis, & D. Thomæ. Quantùm verò ad Requesenium spectat, statim videbimus, an etiam ipse sit pro nobis contra seipsum.

Concedit Requesenius totam nostram sententiam esse sine dubio D. Thomæ: inutiliter tam detorquet à vero sensu: & respondetur formæ sua rationis.

1242

23 POrrò hìc doctor postquam loc. cit. puta Disp. x. num. 46. rationem supra relatam posuit, qua probari existimauit, repugnare libertati imperiū rationis, ponit num. 53. proximè sequenti secundum dictum circa dictamen Prudentiæ: & num. 54. ponit tertium dictum, quo asserit: *Dictamen Prudentiæ posse lato modo appellari imperium; quòd idem valet, ac intimatio seu præscriptum obligans ad aliquid faciendum.* Hunc autem loquendi modum, dicit, probari sequenti doctrina Aristotelis, & D. Thomæ, & sic subdit:

Verba Requesenij, quibus refert, & approbat Aristotelis, & D. Thomæ sententiam.

Moueor primò ad hunc loquendi modum ob auctoritatem Aristotelis 6. Ethic. cap. 10. & 13. & alibi passim docentis, voluntatem prudenter, ac rectè operari dependenter ab imperio rationis, vt ex eodem Aristot. explicat D. Th. 1. 2. quæst. 57. ar. 6. docens, Prudentiam esse virtutem præceptiuam, cuius est per imperium determinare voluntatem ad bonum opus. vtens tum Ebulia, hoc est bona consultatione, quam Aristoteles 6. Ethic. cap. 7. ait, esse maximè necessariam homini prudenti; tam Synesi, hoc est iudicio circa ea, quæ in consultationem veniunt. Siquidē post consultationem, & iudicium circa consultata, sequitur imperium rationis, quòd est actus proprius Prudentiæ; cuius rei ratio est. Ad Prudentiam vltimo spectat

Nota

(Nota) *determinare, & applicare voluntatem proximè ad operandum* (hæc est ipsissima nostra sententia. Sed audi alia: nam sequitur) *quam ob causam Aristoteles modò cit. lib. 6. cap. 8. ait Prudentiam esse vltimi, ac versantem circa singularia. Hæc autem applicatio habetur per actum Imperij. Nã consultatio, seu consilium, & iudicium de consultatis pertinet ad rationem speculatiuam, cuius non est præscribere opus iudicatum, sed rationis practicæ mediante Imperio.* Optimè: hoc est, quod nos dicimus. Sequitur: *Ideoque dicto lib. 6. cap 10. non est idem, inquit, Perspicacia, & Prudentia, nam Prudentia præcipit; non illa: & cap. 12. ait Prudentiam præcipere, imperare, efficere: & cap. 13. præcipere, imperare, & facere, vt faciamus ea, quæ sunt ad finem. Non est ergo dubia in hoc puncto mens, tum Aristotelis, tum D. Thomæ loc. sup. cit. & 2. 2. quæst. 47. ar. 8. 9. & 13. & quæst. 48. art. 1. & quæst. 51. ar. 2. docentium proprium, & præcipuum actum Prudentiæ esse Imperium* Hæc Requesenius optimè, hoc eliter, & verè referens nostram ex Aristotele, & D. Thoma sententiam. Hæc omnia nos asserimus; sic nos dicimus: *Non est dubia in hoc puncto mens Aristotelis, & D. Thomæ.*

1243 24 Sed mira res! ex omnibus his iste doctor deduxit dictamen Prudentiæ posse lato vocabulo appellari Imperium, non autem esse verè & proprie Imperium. Si enim actus verus, & proprius Prudentiæ est Imperium, & dictamen prudentiæ non est verè, & proprie Imperium, dicat quid importat Imperium qui est actus verus, & proprius Prudentiæ? Num dicet, quod verus, & proprius actus Prudentiæ est id, quòd nō est verè & proprie Imperium, sed quòd potest lato vocabulo sic appellari? sed si ita diceret ipse Requesenius, contra seipsum esset. Siquidem nu. sequenti 55. dicit, se moueri secundo quia id *significat etiam diffinitio Imperij allata à S. Thoma* 1. 2. *quæst. 17. ar. 1. ad 1. & ar. 2. in corp. & 2. 2. quæst. 83. ar. 1. & q. 85. art. 5.* Num diffinitio Imperij non significat id, quòd est verè & proprie Imperium, sed quòd sic potest appellari lato vocabulo? quis hoc audiuit vnquam? Quis posset similes glossas imaginari?

Conuincitur Requesenius esse contra seipsum.

1244 25 Sed quidquid sit de hoc: inutiliter etiam, & vanè detorquet doctrinam Aristotelis, & D. Thomæ à suo vero sensu. Nam peto: si in sententia prædictorum (etiam in locis, quæ ipsemet Requesenius citat) cum perfecto Imperio, quòd est proprius actus Prudentiæ, componi possit carentia actus voluntatis imperati, vel actus oppositus; aut etiam actus virtutum moralium prudēter operati, quibus eliguntur media in finē earundem virtutum, non sint liberi? Prædictos actus non esse liberos, nec dicit, nec dicere potest Requesenius: tolleretur enim omne meritum operationum nostrarū, quæ omnes per Prudentiam supernaturalē sunt directæ. Dicit tamen, quòd cum Imperio, quòd ipse ponit, esse proprium actum Prudentiæ, componi possit carentia actus imperati, actusque oppositus. Hinc eadem disp. num. 58. inquit: *certum esse, in omni peccato præcedere hoc iudicium: non est exē. pli gratia, furandum, quòd diximus habere rationem imperij.*

Conuincitur etiam inutiliter detorquere doctrinam S. Doctoris à vero sensu

Verùm S. Thomas expressè docet oppositum ijsdem locis, quæ ipsemet citat, puta 1. 2. quæst. 17. ar. 5. ad 1. verbis supra in hoc eodem §. relatis puta. *Dicendum, quòd sicut Augustinus ibidem dicit, animus, quando perfectè imperat sibi vt velit, tunc iam vult; sed quòd aliquando imperet, & non velit, hoc contingit ex hoc, quòd non perfectè imperat.* Non potest ergo componi negatio actus voluntatis imperati cum perfecto Imperio. Constat etiam, quòd secundum Aristotelem, & S. Thomam, actus proprius virtutis Prudentiæ est perfectè, & efficaciter præcipere, seu imperare, vt docet §. Doctor 2. 2. quæst. 77. ar. 13. in corp. quem locum (vt patet) citat ipsemet Requesenius. Non potest igitur cum perfecto Imperio, quòd est proprius actus Prudentiæ, componi carentia actus imperati, vel actus oppositus, in sententia S. Thomæ.

1245 26 Hinc Capreolus in 3. dist. 34. & 35. quæst. vnica ar. 3. ad primum Scoti postquā multa loca D. Thomæ adduxit concludit propè finem responsionis per hæc verba. *Ex quibus, & multis alijs,* (scilicet locis S. Thomæ) *quæ recitare longum esset, & in 2. sent. diffusè recitata sunt, apparet. Tertiò quòd impossibile est, aliquem rectè æstimare de agendis actu in vniuersali, & in particulari, & simul cum hoc peruersè eligere, vel peccare. Quartò quòd impossibile est, aliquem habere perfectum actū Prudentiæ, & vltimatum, & simul cum hoc malè eligendo peccare. Perfectus autem actus Prudentiæ est, rectè iudicare, rectè præcipere, de particulari agibili secundùm quòd agendū est hic, & nunc, & secundùm omnes circumstantias. Quintò quòd nunquam voluntas peccat in hoc, quòd discordat ab vltimato iudicio, & actu rationis, vel Prudentiæ. Sextò, quòd nunquam aliquis appetitus animalis, vel rationalis, aut intelligibilis tendit in oppositum illius quòd vltimatè sibi proponitur, & præcipitur* &c. Et parùm infra in responsione ad secundum eiusdem Scoti; *dicimus*, inquit, *quòd peruersa electio non stat cum perfecto actu Prudentiæ, nec cum omnimoda rectitudine*

Confirmantur prædicta ex his, quæ colligit Capreolus ex doctrina S. Thomæ.

Digitized by Google

tudine rationis. Item dicimus, quòd semper, & necessariò ad rectum præceptum rationis sequitur recta electio: & quòd ad omne præceptum sequitur electio; non autem ad omne consilium, vel iudicium.

Concluditur intentum cõtra Requesenium.

Si igitur ex vna parte, *Prudentia* (vt inquit Requesenius) *est virtus præceptiua, cuius est per Imperium determinare voluntatem ad bonum opus, & ad Prudentiam vltimò spectat determinare, & applicare, per Imperiũ voluntatem proximè ad operandum*; ac etiam, *Prudentiam præcipere imperare, & facere, vt prosequamur ea, quæ sunt ad finem*. Et ex alia parte cum actu perfecti Imperij, seu præcepto Prudẽtiæ non potet simul stare carentia actus imperati, aut actus oppositus voluntatis: iam inde habetur tota nostra sententia, & fundamentalis euersio dictorum Requesenij, quæ in diffinitione potentiæ liberæ cui omnia prædicta repugnant, fundantur.

1246 27 Quare ad formam rationis relatæ num. 1. huius § ex Requesenio, concedimus, quòd ad liberè volendum, vel nolendum est necessariò prærequisitum Imperiũ rationis, quo posito, non potest voluntas pro tunc non liberè velle, vel nolle illud ipsum, quod ipsamet tunc per rationis Imperiũ sibi ipsi imperat volendum, vel nolendum. Ad id autem quod infert: *Ergo corruit indifferentia*, dico, quòd si loquitur de indifferentia, quam verè expoſcit voluntas, vt libera, & quæ consistit in indeterminatione, quam habet, vt volens finem, in ordine ad ea, quæ sunt ad finem, & in indeterminatione, quam habet ratione principiorum vniuersalium Synderesis in ordine ad conclusiones singulares, ac etiam in indeterminatione, quam habet ratione virtutis deliberatiuæ procedentis ad deliberãdum per consilium rationis, quòd viam habet ad oppoſita: nego consequentiam. Si verò loquitur de indifferentia ab ipso existimata, secundùm quam credit, quòd à principio indifferenti, inquantùm huiusmodi, procedit aliquis determinatus actus, nullo existente determinante, concedimus illã corruisse, quia scilicet nec datur, nec est dabilis potentia indifferens ad oppoſita, quæ procedit in alteram determinatam partem, nullo eam mouente determinatè in talem partem. Vt enim probauimus disputatione prima, & sumus demonstraturi in secũdo puncto huius disp. ab eo quod est ad vtrumlibet, inquantum huiusmodi, nullus est possibilis processus in actum. Ad id verò, quòd secundo loco infert dicens: *ac proinde corruit libertas in indifferentia consistens*, dico, quòd corruit, & re vera nec fuit, nec est possibilis, siue in creaturis, siue in Deo libertas in dicta indifferentia consistens. Implicat enim contradictionem potentia indifferens ad oppoſita, quæ, inquãtum huiusmodi, & nullo eam mouente (siue realiter, vt in creatis, siue secundum modum nostrum concipiendi, vt in Deo) determinatè in alterã partem, exeat in determinatum actum: ac per hoc implicat contradictionem libertas, quæ existimatur consistere in prædicta indifferentia potentiæ.

Soluitur ratio Requesenij.

28 Et per hæc patet etiam ad confirmationem, qua prædictam rationem dicit vrgere. Supponit enim falsum, puta, quòd detur, aut etiam quòd sit dabilis potentia indifferens ad oppoſita, quæ, inquantùm huiusmodi, & nullo eam mouente determinatè in alteram partem, sit per seipsam cõpletè potens exire in actus oppoſitos. Vnde concedimus, quòd potentia indifferens ad oppoſita nunquam potest esse, inquantùm huiusmodi, completè, ideſt, ex seipsa, & præciso omni determinante, potens exire in aliquem actum. Habet enim secundùm prædictam rationem dispositionem mobilis, seu materiæ: ac proinde non potest ex se, seu per seipsam exire in determinatum actum: vnde non exit in actum, nisi per aliquid ipsam mouens determinatè in vnum, vt probauimus disp. prima, Vide verba D. Thomæ relata §. 9. dictæ disp. nu. 5. & deinceps expensa. Et tandem concludimus, quòd voluntas potest indifferenter se mouere in oppoſitos actus, inquantùm ratio vniuersalis finis, per quam voluntas se mouet ad eligenda singularia agẽda propter finem (per hoc ipsum, quòd est vniuersalis) se habet indifferenter ad omnia singularia agenda: vnde potest applicari per virtutem collatiuam rationis, seu rationis consilium (quòd habet viam ad oppoſita) cuilibet singulari agendo, vt docet S. Doctor lib. 2. cont. gent. cap. 48. ratione quarta: vnde per prædicta principia est proximè potens se mouere in oppoſitos actus. Mouet verò se, & seipsam determinat ad vnum per hoc, quòd per consilium, seu etiam collationem rationis, eam applicat determinatè ad vnum per syllogismum operatiũ, in quo in Maiori assumitur ratio vniuersalis, & in Minori applicatur ad singularẽ actionem, & inde concluditur agenda, vel non agenda singularis actio. Recole igitur verba S. Doctoris ex loco proximè citato, nam sic habet.

1247 *Respondetur confirmationi eiusque responsio cõfirmatur doctrina D. Th.*

Quid tandem sit cõcludẽdũ explicatur

1248 29 *A conceptione vniuersali non sequitur motus, & actio, nisi mediante particulari apprehensione: eo quòd motus, & actio erga particularia est. Intellectus autem naturaliter est vniuersalium apprehensiuus: ad hoc igitur, quòd ex apprehensione intellectus sequatur motus, aut quæcunque actio, oportet, quòd vniuersalis intellectus concep-*

Doctrina S. Thomæ confirmãs prædicta.

Digitized by Google

conceptio applicetur ad particularia. Sed vniuersale continet in potentia multa particularia. Potest igitur applicatio cōceptionis intellectualis fieri ad plura, & diuersa. Iudicium igitur intellectus de agibilibus non est determinatum ad vnum tātùm. Habent igitur omnia intellectualia liberum arbitrium. In quibus, vt vides, ad probandum, esse liberum arbitrium in omnibus habentibus intellectum, vtitur prædicta doctrina. Verùm de hoc infrà diffusè agemus: interim lege ea, quæ ex S. Doctore, & ex Aristotele notauimus Disp. 5. S. 11. à num. 22. ad 28.

§. II.

Proponitur secunda ratio Suarij; soluitur, ostenditur inutilis, & in multis deficiens.

1249 1 ALiam rationem proponit Suarius eadem disp. 19. Metaph. sec. 6. num. 3. vbi, *Interrogo*, inquit, *si iudicium sit absolutè, & simpliciter necessarium: ita vt feratur ab intellectu ex vi solius obiecti, & medij euidentis: An verò sit actus simpliciter liber? Si primum, tollitur libertas. Si secundum, vt tandem post inutiles, & obscuras distinctiones concedit Iauellus 9 Metaphy. q. 4 interrogo rursus: An illud iudicium sit liberum elicitiuè ex vi intellectus: vel imperatiuè à voluntate. Primum dici non potest: quia intellectus non est potentia formaliter libera. Si verò dicatur secundum: vel proceditur in infinitum: vel omninò destruitur illa sententia. Nam de illo actu voluntatis, qui determinat intellectum ad tale iudicium, inquiro: An determinetur ex alio iudicio intellectus, & de illo redibit idem argumentum, & sic proceditur in infinitum. Si verò ille actus voluntatis non est ex determinatione similis iudicij prioris, inferuntur duo illi sententia contraria. Primum est: voluntatem non determinari in omnibus suis actibus à iudicio intellectus. Secundò nunquam sit determinari, nisi in virtute alicuius volitionis liberæ, ex vi cuius cætera sequuntur, & ab ea participant libertatem.* Hæc Suarius.

Verba, quibus proponit Suarius suam rationem.

1250 2 Qui deindè numero quarto impugnat quasdam responsiones ab ipso excogitatas, & tandem. Sic subdit: *Alia præterea euasio, quæ ex Iauello supra sumi potest, non euacuat vim argumenti. Ait enim, iudicium illud esse liberum radicaliter, quod habet ab intellectu, & non à voluntate. Sed hoc non est respondere ad illud dilemma factum; sed illud eludere. Quia esse liberum radicaliter, non est aliud, quàm esse radicem libertatis, quæ est in voluntate, de quo non inquiritur; sed de libertate formali.* Ita Suarius ex quibus concludit inquiens: *Atq; ita concluditur, primam determinationem liberā voluntatis fieri sine tali iudicio: nullumque esse iudicium omninò determinans voluntatem ad aliquem actū; nisi in virtute prioris voluntatis liberæ.*

Impugnatio responsionis desumptæ ex Iauello.

3 Verùm hæc ratio, quam multipliciter inculcant assectæ Suarij deficit tàm in interrogatione primi dilemmatis, quàm in interrogatione secundi, etiam in sententia ipsiusmet Suarij, vnde (vt modò infrà ostēdemus) ad eadem interrogata tenetur respondere ipsemet Suarius, in cuius sententia omninò impossibile est inuenire responsum. 1251

Solutio prædictæ rationis.

1252

4 DIcendum est igitur, quòd iudicium perfectè practicum (de quo loquimur) est liberum eò modo, quo est liberum iudicium, quòd est in potestate iudicantis: cui quidem (vt infrà demonstrabimus, præsertim dubio quinto ad sextam) duplex ad minus ratio libertatis conuenit; altera secundum propriam lineam virtutis iudicatiuæ, ratione cuius est radix libertatis inuentæ in actu volūtatis, ita vt actus voluntatis sit liber per hoc, quòd sequitur ad iudicium habens secundum propriam lineam specialem rationem libertatis: altera verò participata, non per se ab actu voluntatis libero præcedente, sed ab actu voluntatis libero coexistente, & suo modo consequente ad prædictum iudicium, vt etiam loco proximè citato demonstrabimus. *Responsio ad interrogationem Suarij.*

1253

5 Interim pro priori ratione libertatis prædicti iudicij considerari debet, quòd virtuti iudicatiuæ, considerata secundum propriam lineam virtutis iudicatiuæ, conuenit quædam specialis indeterminatio, & indifferentia in iudicando de singularibus contingentibus agendis per voluntatem, ratione cuius verè dicitur, quòd in iudicando de prædictis agendis, est suo modo libera, & nō determinata ad vnum, vt optimè aduertit Ferrariensis loco, & verbis modò infrà referendis. Idque sic breuiter ostenditur, & declaratur. Nā, vt docet S. Doctor opusc. 2. seu 3. in compendio scilicet Theologiæ cap. 76. ratione secunda. liberam formaliter dicimus illam virtutem, quæ non est ligata ex principio per quòd agit ad vnum determinatè faciendum. Ex quo est, quòd virtus iudicatiua formaliter, vt talis, illa debet dici suo modo libera, quæ ex natura, vel alio principio non est ligata, & determinata ad ferendum determinatum iudicium de aliquo suo obiecto. Et ex opposito, illa quæ ex natura sua, vel alio princi- *Probatur ex doctrina D. Thomæ, iudicium de agēdis esse liberum secundum propriam lineam in intellectualibus.*

Digitized by Google

pio, est ligata, & determinata ad ferendum determinatum iudicium, non est libera in iudicando. Hoc posito, differentia est inter virtutem iudicatiuam brutorum, quæ est naturalis æstimatiua, & inter virtutem iudicatiuam humanam in ordine ad singularia appetibilia, de quibus habent tales virtutes iudicare. Æstimatiua enim naturalis in brutis, quæ non apprehendit; nisi singulare, est ex natura sua ligata, & determinata ad ferendum determinatum iudicium de illo singulari. At verò virtus iudicatiua humana, quæ etiam apprehendit rationem vniuersalem, non est ex natura sua ligata ad ferendum aliquod determinatum iudicium de singularibus agendis, vt concludit S. Doctor lib. 2. contra gen cap. 48. ratione 4. relata §. præcedenti num. 29. inquiens: *Iudicium igitur intellectus de agibilibus non est determinatum ad vnum tantùm*: & idem repetit ratione quinta sequenti. Idque concludit ex eo, quòd virtus intellectiua est apprehensiua rationis vniuersalis boni, quæ est forma, per quam potest iudicare de quibusuis particularibus bonis, in ordine ad quæ illa cõmunis forma est indifferens, quæ quidem indifferentia est secundùm lineam virtutis intellectiuæ. Et inde est, quòd virtus intellectiua secundum ea, quæ ei conueniunt ex propria linea, non est determinata ad ferendum aliquod determinatum iudicium circa singularia agenda; & sic est suo modo libera, & viam apertam habens ad iudicandum opposita de singularibus agẽdis: vnde de quolibet tali, conferendo ad diuersos fines, & ad diuersas circumstantias, & ex diuersis principijs iudicare potest, & quòd sit bonum, & quòd non sit bonum. Idem docet S. D. 1. p. quæst. 59. ar. 3. in corp. inquiens. *Quis fugit lupum ex quodam iudicio quo existimat eum sibi nociuũ. Sed hoc iudicium non est liberum: sed à natura inditum: sed solum id quòd habet intellectum potest agere iudicio libero, inquantùm cognoscit ipsam rationem boni, ex qua potest iudicare hoc, vel illud esse bonum.* Hæc S. Doctor in quibus vt videre est ex eo probat, quòd iudicium, quo agunt intellectualia, est liberum, quia applicatur à voluntate libera; sed quia *cognoscit ipsam rationem boni, ex qua potest iudicare hoc, vel illud esse bonum*, quòd quidem ad puram lineam intellectus pertinet: & sic probat, iudicium intellectuale de agendis esse liberum secundùm propriam lineam.

Confirmatur prædicta pluribus locis S. Thomæ.

1254

6 Cæterum, si homo consideretur præcisè, inquantùm habet virtutem istam iudicatiuam sic formaliter liberam; vt non sit obligata ex suis naturalibus principijs ad ferendum determinatum iudicium de singularibus agibilibus; non potest dici absolutè, & simpliciter, formaliter liber, sed solùm ratione principij formalis, & radicaliter. Ratio est. Nam agens aliquod dicitur absolutè, & simpliciter liberum, inquantùm habet principium agendi, seu actiuum, & motiuum principium non obligatum ad vnum. Principium autem actiuum in homine est intellectus, & voluntas. Inquit enim D. Thomas quæst. 6. de Malo in corp. art. vnici: *Considerandum, quòd sicut in alijs rebus est aliquod principium propriorum actuum; ita etiam in hominibus. Hoc autem actiuum, siue motiuum principium in hominibus est intellectus, & voluntas, vt dicitur 3. de Anima.* Verùm inter intellectum, & voluntatem, inquantùm sunt in homine principium mouens, est differentia, vt loco modò cit. parum infra, & 1. 2. quæst. 9. ar. 1. adnotat diligentissimè S. Doctor, quòd voluntas, cuius obiectum est finis, mouet ad exercitium actus, faciens potentiam agere, vel non agere: at verò intellectus mouet, vt apprehendens obiectum, ac per hoc motio intellectus se tenet ex parte obiecti, & principij formalis specificantis actum. Et inde fit, quòd homo, inquantùm habet præcisè intellectum liberum, seu non obligatum ad sic, vel aliter, iudicandam de singularibus agendis, habet quandam libertatem se tenentem ex parte principij formalis, & obiecti specificantis actum. Et quoniam forma apprehensa boni, ratione cuius intellectus mouet voluntatem, illam proportionem habet ad motum eiusdem voluntatis, quam habet forma naturalis ad motum sequentem eandem formam, vt adnotat S. Doctor loco proximè citato, & alijs locis à nobis relatis Disp. præcedenti §. 23. nu. 90. & hæc habet rationem radicis in ordine ad motum, qui ipsam sequitur: ideo est, quòd libertas illa, quam habet intellectus, inquantùm iudicat de agibilibus, radicalis est in ordine ad libertatem voluntatis, vt dubio quinto ad sextam obiectionem diffusè probabimus.

tis conuenientis virtuti iudicatiuæ non est simpliciter formaliter liber, sed secundùm quid, & radicaliter.

1255

7 Denique quoniam voluntas est principium, quo homo se mouet ad exercitium actus, quod absolutè, & simpliciter est mouere, & agere; ideo est, quòd homo, quatenus est agens, & mouens se, dicitur absolutè, & simpliciter liber, inquantùm habet principium illud mouens ad exercitium actus, puta, voluntatem non obligatam ad vnam determinatam actionem.

1256

8 Et hic aduerto, quòd Suarius motiuum suæ rationis desumpsit ex Scoto. Scoti autem argumenta inter alios affert Ferrariensis lib. 3. contra gent. cap. 73. & ea soluit per doctrinam nostræ responsionis.

Proponitur ratio, ob quam homo ratione voluta-

Sciendum est igitur, quòd Ferrariensis hoc loco, ad explicandam secundam rationem

Locus Ferrariensis, satis euidens, quo docet tuta nostræ sententiam.

nem S. Thomæ si habet. *Ad euidentiam huius rationis considerandum est ex doctrina S. Thoma de Verit. quæst. 24. ar. 2. quòd cum appetitus cognitionem sequatur (bonum enim apprehensum, seu bonum cognitum, est eius obiectum) tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet. Vnde si iudicium virtutis cognoscitiuæ non sit in potestate alicuius; sed sit aliundè determinatum, nec appetitus liber erit, & indifferens; sed erit ad vnum determinatus, sicut in brutis accidit. Quia enim ouis videns lupū, non potest iudicare ipsum non inimicum: sed est sibi naturaliter inditum iudicium, quo ipsum inimicum, & esse fugiendum iudicat: ideo non potest ipsum non fugere. Si autem iudicium non sit naturaliter ad vnum determinatum; sed sit in potestate iudicantis, vt hoc iudicet, vel oppositum: etiam appetitus cognoscitiuam talem virtutem consequens, indeterminatus erit, & liber. Sicut videmus in hominibus esse. Quia enim homo videns lupum, potest iudicare, lupum esse fugiendum; & potest iudicare ipsum non fugiendum. Vnde in potestate voluntatis est eligere fugam, & eligere permanentiam*, nota præcedenter fæpius toties supra ex doctrina S. Th. inculcatam. Sequitur. *Propter hoc inquit S. Thomas in hac ratione, quòd voluntas potest multiformes effectus producere: quia forma, per quam voluntas agens agit, non est determinata*, &c. In quibus, vt vides, affert Ferrariensis ex S. Doctore doctrinam, qua respondemus interrogationi Suarij.

1257 9 Verùm post hæc statim subiungit dubium, & sic habet. *Sed occurrit dubium ex Scoto in 1. dist. 38. Nullus enim actus præuenies actum voluntatis potest esse liber, sed est naturalis: cum liberum arbitrium nihil aliud sit, quàm voluntas. Ergo actus intellectus præueniens actum voluntatis non est liber; sed naturalis. Ergo falsum est, quòd voluntas possit in multiplices effectus: quia forma intellecta sit indeterminata. Et potest confirmari ista ratio sic. Quia à potentia indeterminata non potest prouenire actio, nisi ipsa potentia ab aliquo determinetur, vt dicit Commentator 2. Physicorum comm. 48. Ergo oportet inuenire aliquid aliud, à quo intellectus ad hoc iudicium determinetur: istud autem non apparet quid sit ante omnem actum voluntatis.* Hæc dubitando Ferrariensis. In quibus affert mentem Scoti, coincidens cum illo Suarij. Et addit confirmationem, quam sumus infra diligenter prosecuturi, & ex eius solutione apparet, falsum esse vtrumque dilemma Suarij.

Dubiū propositum à Ferrariēsi.

10 Solvit tandem dubium, & sic habet.

1258 *Ad huius euidentiam considerandum est, quòd dupliciter potest dici aliqua operatio libera. Vno modo, quia est operatio per electionem voluntatis producta, & elicita: alio modo, quia est operatio procedens à potentia non magis determinata ad hoc particulare obiectum, quàm ad illud; nec magis ad hoc iudicium, quàm ad illud. Operatio primo modo libera, dicitur propriè, & formaliter libera; quia, vt dicitur 1. p. quæst. 83. art. 3. proprium liberi arbitrij est electio: cum ex hoc dicamur liberi arbitrij, quòd possumus vnum recipere, alio recusato. Secundo autem modo operatio libera non dicitur propriè, & formaliter libera; sed tantùm originaliter, & radicaliter, inquantùm ex tali operatione habet appetitus ipsa sequens, quòd vnum alteri possit præferre, & non sit determinatus ad vnum. Primo igitur modo operatio intellectus, præueniens omnem actum voluntatis (scilicet liberum) non est libera. Repugnat enim, quòd omnem actum voluntatis præueniat, & quòd sit per electionem elicita, cum electio sit actus voluntatis. Sed benè potest esse libera secundo modo: quia est aliqua operatio intellectus, cuius oppositum potuisset intellectus elicere. Intellectus enim iudicat aliquid esse prosequendum, quod potuisset iudicare fugiendum esse. Ex quo etiam apparet, quòd si actus dicatur naturalis, vt naturale opponitur libero, primo modo sumpto; actus præueniens omnem actum voluntatis, est naturalis. Si autem accipiatur, prout opponitur libero, secundo modo sumpto, vt naturalis operatio dicatur, quæ prouenit à potentia ad vnum determinata: sic non omnis talis actus est naturalis. Vnde in primo sensu, admissis omnibus præmissis, negatur consequentia obiectionis facta: in secundo verò sensu negatur antecedens.*

Solutio dubij secundùm nostrā & D. Thomæ sententiam.

1259 11 *Ad confirmationem dicitur, quòd intellectus ad vnum iudicium determinatur magis, quàm ad aliud, per consilium, & discursum rationis à sensu originatum, ex quo per resolutionem ad aliqua principia nota ad tale iudicium peruenit; eum tamen posset per alium discursum, & aliam rationem aliud iudicium facere. E.g. Si ante oculos alicuius ponatur panis & ferrum, iste famescens, cognoscens illum esse panem, & illud esse ferrum, considerat panem esse conuenientem cibum humanæ naturæ, & argumentatur ipsum magis esse pro nunc eligendum, quàm ferrum: ex eo, quòd nouit, hominem non posse viuere, nisi conuenienti cibo nutriatur. Potuisset tamen ex alio principio iudicare, esse pro tunc præeligendum ferrum, puta si cuperet domum ædificare, & cognosceret, ad ædificationem domus necesse esse, vt ferro compaginentur ligna, aut quòd per ipsum parietes reddantur*

Solutio cōfirmationis, circa quam dicemus alibi.

uæ stabiles, & firmæ. Et sic patet, quòd non deest intellectui, secundùm se indeterminato, aliquid ad certum iudicium determinans ante omnem actum voluntatis circa id de quo iudicatur. Ita Ferrariensis, in quibus affert doctrinam à nobis probatam, & explicatam ex dictis S. Doctoris.

Redditur ad Suarium, & manifestatur defectus suæ rationis.

1260 14 REdeamus modò ad Suarium. Et in primis ex prædicta responsione apparet esse falsum dilemma suæ primæ interrogationis. Siquidem iudicium de agibilibus ab homine, nec est absolutè, & simpliciter necessarium, nec est actus simpliciter liber, sicut dicitur liber actus electionis, sed est iudicium liberum, inquantùm est à virtute iudicatiua iudicante, non ex instinctu naturæ, sicut iudicant bruta: sed per discursum consilij, quòd habet viam ad opposita, & conferendo vnum ad aliud, & ad finem, ac etiam applicando rationem vniuersalem, quæ se habet indifferenter ad multa, singularibus agendis. Ac per hoc est liberum ex vi eorum, quæ habet ex propria linea virtutis iudicatiuæ, quæ potest apprehendere plura, & diuersa, & conferre ad plura, & diuersa, iudicatque per principia vniuersalia, quæ possunt applicari ad plura & diuersa, & sic potest inferre oppositas cõclusiones de eodem agibili, ac de eo habere opposita iudicia, secundùm, quòd potest ipsum cõferre ad oppositos fines, diuersasq; circumstantias. Quid habet contra hæc Suarius? Num dicet, virtutem iudicatiuam humanam non conferre, nec consiliari de agendis, nec habere principia vniuersalia, sed esse determinatam ad vnum, iudicareque de agẽdis ex instinctu naturæ, sicut bruta? Sed si hoc diceret, se, & alios homines cum bestijs cõputaret, nullũq; deberemus illi exhibere responsum. Si autem confert ad plura, & diuersa; non potest esse determinata ad vnum: & si iudicat per discursum consilij; iam certum est, quòd talis discursus non est demonstratiuus, nec de necessarijs; sed de contingentibus, & de his, quæ sunt in nostra potestate. Iudicium ergò, ad quod peruenitur per consilium, non potest esse necessarium; sed contingens, & existens in potestate iudicantis, vt probat Aristoteles 3. Ethic apud D. Thomam lec. 9. lit. tex. de verbis referendis dubio 4. ad quintam: Amplius si forma, per quam iudicat est vniuersalis, qualis est ipsa ratio boni, & malitiæ principium, per quòd iudicat, non est determinatum ad vnum. Habet ergo ex propria linea iudicium humanum aliquam rationem libertatis.

Probatur, quòd Iudicium de agibilibus in homine, nec est actus simpliciter necessarius, nec simpliciter liber.

13 Patet etiam ex eadem responsione, quòd secundum dilemma supponit falsum. Nam cum interrogat: An tale iudicium sit liberum elicitiuè ex vi intellectus, vel imperatiuè à voluntate, supponit, iudicium de agendis dici liberum, vt mouens se ad exercitium actus, seu ad eliciendum hunc, vel illum actum: cum tamen sit liberum, vt mouens se ad inueniendum, seu proponendum obiectum eligibile à volũtate. Amplius supponit falsum, existimans libertatem voluntatis consistere in indifferentia principij elicitiui, vt præcedenti §. num. 2. aduertimus. Itaque negamus tale dilemma in sensu, quo assumitur à Suario. Primum enim imperiũ, seu prima deliberatio rationis, qua voluntas de actu necessario se primò mouet in actum liberum, est libera, & suo modo existens in potestate nostræ rationis, & voluntatis, vt demonstrabimus à dubio tertio ad sextam vsque per totum dubium quintum; & tamen nec est liberè elicita ab intellectu in sensu, quo loquitur Suarius; nec est imperata à voluntate. 1261

Probatur falsum esse secundum dilemma assumptum à Suario.

15 Idque est verum etiam in sententia ipsiusmet Suarij. Nam ipse admittit iudicium istud perfectè practicum, quod est Imperium, vt patet ex verbis eius relatis §. præcedenti nu. 13. Peto ergo à Suario: Istud iudicium perfectè practicum omnino diffinitum &c. est ne actus liber: an necessarius? Si necessarius; tollet libertatem: si liber: est ne elicitiuè ex vi intellectus: an imperatiuè à voluntate? Non primum, quia talis libertas non datur. Non secundum, quia non potest explicari, qualiter voluntas libera finis, quæ secundùm ipsummet Suarium præcedit istum actum intellectus, qui est iudiciũ perfectè practicum, imperet ipsi intellectui, vt ferat tale iudicium. Nam si voluntas illa finis imperaret intellectui, vt proferret istud iudicium perfectè practicum, vel hoc faceret per seipsam, quasi ipsamet volitio finis sit Imperium, quo applicatur intellectus ad ferendum tale determinatum iudicium; vel hoc faceret mediante aliquo alio actu voluntatis, vel intellectus. Primum dici non potest. Quia volitio non imperat, nisi volendo: si ergo volitio finis per seipsũ imperaret intellectui, vt proferret hoc determinatum iudicium circa tale determinatum medium, oporteret, quòd talis volitio, non solùm esset volitio, qua voluntas vult finem, sed etiam, qua vult, vt intellectus ferat hoc determinatum iudicium circa tale determinatum medium: Et sic voluntas per ipsam volitionem finis determinaretur ad vnum determinatum medium, sicut per ipsam determinatur ad iudicium perfectè practicum de tali determinato medio: quòd est omnino falsum, & repugnans 1262

Probatur id esse verum, etiam in sententia ipsius Suarij.

liber-

libertati electionis mediorum ad finem tolleretque consilium de agendis ad finem. Quæ enim necessitas potest esse consiliandi de agendis ad finem volitum; quando ipsamet volitio finis per seipsam imperat iudicium de vno determinato medio? Quæ etiã libertas eligendi hoc, vel illud pro fine volito; quando ipsa volitio finis imperat vnũ?

1263 16 Secundum etiam dici non potest. Non enim sunt assignabiles isti actus, quibus mediantibus libera voluntas finis imperaret intellectui, vt proferret istud iudicium perfectè practicum. Nam dici non potest, quòd hoc faceret mediante aliquo alio actu voluntatis libero; quia etiam secundùm ipsum Suarium, sola libera voluntas finis præcedit hunc actum iudicij perfectè practici. Nec etiam dici potest, quòd hoc faceret mediãte aliquo alio actu intellectus. Nã talis actus non posset esse, nisi aliquod iudicium practicum dictãs vt intellectus proferat illud iudicium perfectè practicum. Tale autem iudicium deberet etiam esse imperium, de quo posset fieri similis interrogatio in infinitum. Oportet igitur, quòd fiat status in primo actu imperij, qui sit suo modo liber, & in potestate nostræ rationis, & voluntatis: & tamen non sit formaliter imperatus, nisi vt quo voluntas liberè imperat, vt disp. 2. §. 26. diximus, & infra lato calamo demonstrabimus, quando materiam præcedentium rationum sub alia forma propositam à Ruizio, & Arriaga iterum examinabimus excitatis specialibus dubijs.

§. III.

Tertia ratio proponitur ex Suario, solvitur, & redarguitur Suarius.

1264 1 TErtiò sic ad idem probandum discurrit Suarius eadẽ disp. Metaphy. num 7. *Iudicium intellectus non mouet voluntatem; nisi mediante obiecto, quòd proponit. Sed obiectum propositum non semper infert necessitatem voluntati, aut determinat illam ad vnum; neque hoc est necessarium, vt voluntas possit in obiectum tendere. Ergo nec est necessaria; immo nec possibilis talis determinatio. Maior probatur, quia vel iudicium mouet tantùm ratione obiecti; vel ipsummet ratione sui habet peculiarem efficaciam ad determinandam voluntatem: hoc posterius dici non potest: tum quia talis efficacia repugnat libertati voluntatis: tum quia talis mouendi modus est alienus à munere intellectus, quòd est illuminare, dirigere, ac regulare voluntatis operationes. Tum denique, quia ille mouendi modus est proprius voluntatis, quæ in hunc finem peculiariter data est, vt aliis potentijs efficienter moueat ad exercitium actus. Ergo non potest fieri, vt intellectus, qui à voluntate efficienter mouetur vicissim eodem modo illam moueat.* Ita Suarius, quibus infra num. 9. probat minorem ex eo, quòd solus Deus clarè visus mouet voluntatem necessariò ad exercitium actus, & bonum in communi, quoad specificationem.

Verba Suarij.

Dictum primum, quo redarguitur Suarius.

2 ADuerto, quòd, vt patet ex verbis modò relatis, Suarius existimat se prædicto discursu probare à priori, non esse necessarium ad liberam electionem iudicium perfectè practicum, seu Imperium, quo voluntas determinatur ad eligendum illud ipsum, quòd imperatur, & iudicatur agendum: quin immò existimat probare, talem determinationem non esse possibilem. 1265 *Notabile.*

Hoc posito dico primò, quòd hoc secundum contra seipsum posuit Suarius, sicut etiam contra seipsum vrgeret suum proprium argumentum, si valeret. Et quidem, quòd contra seipsum existimat impossibilem prædictam determinationem patet. Nam ipsemet verbis relatis §. 1. num. 13. huius disp. iam concedit, quòd aliquando datur iudicium perfectè practicum, quo (vt ipsemet ait) voluntas omninò determinatur ad illam determinatam actionem, quæ tali iudicio iudicatur, & imperatur, vt fiat. Contra seipsum ergo existimat probari, talem determinationem non esse possibilem. *Suarius cõtradicit sibi ipsi.* *Probatur.*

3 Dices, ipsum Suarium existimasse, prædicta ratione probari, non esse possibile, voluntatem determinari per iudicium, nulla supposita voluntate finis. 1266 *Responsio.*

Sed contra est. Nam præter quam quòd (vt notauimus §. 1. huius disp. num. 18, & 19.) argumentum Suarij etiam in ipsiusmet sententia non procederet contra nos; iam tamen, si argumentum valeret, euerteret hoc ipsum assertum ab ipsomet, si formaretur sub sequenti forma, puta. Iudicium intellectus non mouet voluntatem, nisi medio obiecto, quòd proponit, Sed, posito, quòd voluntas velit finem, obiectum propositum, vt ad finem, non semper infert necessitatem voluntati volenti finem, aut determinat illam ad vnum, neque hoc est necessarium, vt voluntas possit tendere in aliquod medium propter finem. Ergò, nec est necessaria, immo nec possibilis talis determinatio, etiam posito, quòd voluntas velit finem. Quid ad hæc respondebit Suarius? Maiorem vtique non negabit; quia *Vrgetur Suarius sua propria ratione.*

est

est iua. Minorem verò quis negabit? quis dicet, quòd supposita voluntate finis, medium ad finem semper infert necessitatem voluntati? quis dicet, quòd determinat illam ad vnum, quando possunt esse plura media? quis dicet, hoc esse necessarium, vt possit voluntas tẽdere in aliquod mediũ propter finem? Erit ergo Suario inuitabilis cõsequentia contra seipsum.

Dictum secundum, quo inefficacia, & falsitas sententiæ in discursu Suarij euidenter manifestatur.

1267 4 DIco secundò. Prædictus discursus nihil potest probare contra nostram sententiam; proceditque, vel ex euidenter falsis, vel ex quibus nostra sententia confirmatur; ac etiam multa, quæ sunt distincta confundit, ob quæ ipse suo argumento confunditur.

Manifestatur, quòd ex principio assumpto à Suario non potest inferri conclusio repugnans nostræ sententiæ.

Dictum hoc fiet manifestum, si expendamus, tam conclusionem per aduersarium illatam, quàm præmissas, ex quibus eam intulit. Peto igitur circa conclusionem, puta: *ergo non est necessaria talis determinatio*. Peto, inquam, quæ determinatio non est necessaria? Si aduersarius, sicut debet, respondeat, puta, quòd non est necessaria illa, quam nos dicimus necessariam, quæ scilicet habetur per iudicium deliberatum, seu Imperium, quo scilicet hic, & nunc singularis actio dictatur, & imperatur agenda: tunc dico, quòd ex principio assumpto à Suario non potest inferri talis conclusio. Ratio est: quia prædicta determinatio ex duobus dependet, nempe ex eo, quòd voluntas est determinata in finem, & ex eo, quòd hic, & nunc actus occurrens iudicatur conueniens fini. Quia enim ex vna parte voluntas per suam tendentiam, & inclinationem ad finem impetum facit ad tendendum per aliquam actionem in finem; & ex alia parte, iudicium directiuum voluntatis quo ipsa voluntas inquirit, quid sit agendũ propter finem, diffinita sententia iudicat, quòd hæc actio collata ad circũstantias occurrentes, tàm ex partè dispositionis appetentis, quàm ex parte aliorum appetibiliũ sibi tunc occurrentium, est conueniens fini. Ideo impetus voluntatis cadit determinatè in actionem iudicatam, & sequitur adhæsio voluntatis, quæ adhæsio est formalissimè electio actionis iudicatæ. In quo quidem facto determinatio ad exercitium actus, sic in confuso, primordialiter est in ipsa voluntate, quæ inuenitur determinata, & in actuali exercitio tendens in finem, ac etiam inquirens oculo intellectus sui, quid tunc expedit agere propter finem. Determinatio verò ad talem determinatam actionem, quę se tenet ex parte obiecti iudicati per iudicium, est à voluntate mediante ratione sic per discursum sententiante, & vltimatè, seu deliberatè iudicante. Ex quo apparet, quòd talis determinatio non prouenit ex ipso obiecto considerato absolutè, & secundùm se, ex quo procedit argumentum Suarij. Et indè fit, quòd ex eo quòd nullum obiectum absolutè consideratum determinat voluntatem ad actum electionis suæ, non potest inferri, quòd voluntas non determinatur per iudicium deliberatum, seu per Imperiũ, per quòd voluntas ipsa determinat seipsam, & sibi ipsi, deliberando, imperat actũ ipsum electionis.

Expenditur maior propositio assumpta in discursu Suarij.

1268 5 EXpendantur igitur propositiones assumptas, an intentũ probare possint, & maior quidem est. *Iudicium intellectus non mouet voluntatem, nisi mediante obiecta, quòd proponit*. Circa quam peto, vt Suarius explicet ista duo, qualiter iudicium proponat voluntati suum obiectum, & qualiter mouet voluntatem mediante obiecto, quòd proponit. Volo discere primò; si iudicium proponit obiectum voluntati per hoc, quòd iudicat, aliquid esse bonum, vel malum; vtile, vel inutile appetenti; conueniens, vel nocuum, &c. ita vt nihil aliud sit, intellectum per suum iudicium proponere obiectum voluntati, quàm habere similes apprehensiones, quibus siuè verè, siue apparenter aliquid apprehẽdit esse bonum, vel malum; vtile, vel inutile; conuenrens, vel nocuum appetenti; An verò talis propositio fiat aliquo alio modo, puta, per simplicem apprehensionem rei, & sine iudicio affirmante, vel negante, eam esse bonam, vel malam appetenti. Si hoc secundum diceret; haberet Suarius contra se Aristotelem, aliosque Peripateticos cum Diuo Thoma, qui perpetuò docent, quòd simplex apprehensio rei sine existimatione, qua affirmatur, vel negatur esse, vel non esse bona, vel mala, non mouet appetitum. Ita Aristoteles lib. 2. & 3. de anima locis modo infra referendis. Ita etiam citato ipso Aristotele Diuus Thomas infinitis penè locis, vt 1. 2. quæst. 9. ar. 1. ad 2. & in 2. dist. 24. quæst. 2. ar. 1. in corp. vbi sic habet.

Quid restat explicandũ Suario pro sua Maiori propositione.

1269 6 *Sicut est in intelligibilibus, quòd illud, quòd est apprehensum non mouet voluntatem, nisi apprehendatur sub ratione boni, vel mali: propter, quòd intellectus speculatiuus nihil dicit de imitando, vel fugiendo, vt in 3. de Anima dicitur. Ita etiam est in parte sensitiua: quòd apprehensio sensibilis*

Verba S. Doctoris ad propositum.

Digitized by Google

*sibilis non causat motum aliquem, nisi apprehendatur sub ratione conuenientis, vel inconuenientis, & ideo dicitur in 2. de Anima (*scilicet tex. 154.*) quòd ad ea, quæ sunt in imaginatione, hoc modo nos habemus; ac si essemus considerantes aliqua terribilia in picturis, quæ passionem non excitarent, vel timoris, vel alicuius huiusmodi.*

1270 7 Hoc autem loco, scilicet, tex. 154. lib. 2. de Anima, & apud D. Thomam (qui sequitur textum grecum) lib. 3. lec. 4. lit. tex. K. sic habet Aristoteles, secundùm versionem Sophiani allatam ab eodem S. Thoma, quæ est clarior. *Cum opinamur rem aliquam atrocem, aut formidolosam statim commouemur: itemque si quid fuerit, quòd fiduciam afferat. At ex phantasia perinde afficimur, atque qui spectant in picturis terribilia, & fiduciam afferentia.* Quæ verba sic explicat S. Doctor. *Secundam ratio nem ponit, quæ talis est. Opinionem statim sequitur passio in appetitu: quia cùm opinamur, aliquid* (scilicet occurens nobis.) *esse graue, vel terribile, statim compatimur tristando, vel timendo. Et similiter si sit aliquid confidendum, idest, de quo aliquis debeat confidere, statim sequitur spes, vel gaudium. Sed ad phantasiam non sequitur passio in appetitu: quia dum aliquid apparet nobis secundum phantasiam, nos habemus, ac si consideremus in picturis aliqua terribilia, vel sperabilia &c. Huius autem differentiæ ratio est. Quia appetitus non mouetur, neque mouetur ad simplicem apprehensionem rei, qualem proponit phantasia. Sed oportet, quòd apprehendatur sub ratione boni, vel mali, conuenientis, vel nociui. Et hoc facit opinio in hominibus componendo, & diuidendo, dum opinamur, hoc esse terribile, vel malum: illud autem esse sperabile, vel bonum. Phantasia autem non componit, neque diuidit. Patitur autem appetitus animalium ab æstimatione naturali, quæ hoc operatur in eis, quòd opinio in hominibus.* Hæc Doctor valdè notanda.

1271 8 Nam habes primò, quòd simplex apprehensio rei non proponit rem sub ratione boni, vel mali; & quod propterea non mouet appetitum.

1272 9 Habes secundò, quòd opinio proponit in hominibus appetitui rem apprehensam sub ratione boni, vel mali, conuenientis, & nociui: & quòd proponit sub ratione boni, dum iudicans, affirmat, esse bonam, vel negat, esse malam: proponit verò sub ratione mali, dum iudicans, affirmat, esse malam, vel negat, esse bonam.

1273 10 Habes tertiò, quòd ad opinionem, qua affirmatur, aliquid esse bonum, vel conueniens, statim sequitur motus prosecutionis in appetitu, sicut ad opinionem, qua affirmatur, aliquid esse malum, seu nociuum statim sequitur fuga. *sequitur appetitus.*

1274 11 Habes quartò, quòd id, quòd propriè mouet appetitum, est res, vt apprehensa sub ratione boni, vel mali; conuenientis, vel nociui: seu res, prout est opinata bona, vel mala; conuenientes, vel nociua. Vnde bonum, & malum apprehensum, seu opinatum, formaliter, vt tale, est proprium mouens in ordine ad appetitum. Et inde est, quòd, eo posito, statim sequitur motus in appetitu. *Bonum, vel malum opinatum est proprium mouens voluntatem.*

1275 12 Habes quintò, quòd licèt in brutis animalibus iudicium mouens appetitum nõ sit formaliter, & propriè opinio pronuncias componendo, vel diuidendo, aliquid esse, vel non esse bonum, vel malum: æquiualenter tamen facit illud ipsum, quòd opinio in hominibus: vnde est in illis aliquid, quòd æquiualet nostræ simplici apprehensioni, & illud non mouet appetitum; & aliquid, quòd correspondet opinioni nostræ, certificans, rem apprehensam esse, vel conuenientem, vel nociuam animali, non secus ac si affirmaret, vel negaret, ita esse, vel non esse: & hoc iudicium est mouens appetitum animalium brutorum. *Iudicium brutorum, proponens obiectum appetitui, æquiualẽter affirmat, vel negat.*

1276 13 Expressit hoc Aristoteles lib. 3. de Anima tex. 29. apud D. Th. lec. 12. lit. tex. b vbi sic habet secundùm versionem Sophiani. *Sentire igitur simile est ipsi dicere solùm, & intelligere: cùm autem iucundum, aut molestum iudicauerit, nõ secus, ac affirmasset, vel negasset, prosequitur; aut fugit:* Quæ verba sic explicat S. Doctor. *Dicit, quòd cùm sensibile reducat in actum sensitiuum sine passione, & alteratione, sicut de intellectu supra dictum est: manifestum est ex dictis, quòd ipsum sentire est simile ei, quòd est intelligere; ita tamen, quòd quando est solùm sentire, idest apprehendere, & iudicare secundum sensum hoc est simile ei, quòd est solùm dicere, & intelligere; quando scilicet intellectus iudicat aliquid, & apprehendit. Quòd est dicere: quia simplex apprehensio, & iudicare sensus assimilãtur speculationi intellectus. Sed quãdo sensus sentit aliquid delectabile aut triste, quasi affirmans, vel negans id, quòd sensu percipitur, tunc prosequitur per appetitum: idest, desiderat, aut fugit. Et dicit signanter (aut affirmans, aut negans) quia facere affirmationem, & negationem est proprium intellectus, vt supra dictum est. Sed sensus facit aliquid simile huic, quando apprehendit aliquid, vt delectabile, & triste.* *Locus Aristotelis ad propositum.* *Expositio S. Thomæ.*

1277 14 Ampliùs tex. 30. sequenti apud D. Th. eadem lec. 12. lit. tex. c. sic habet Aristoteles. *Intellectiua autem anima phantasmata, vt sensibilia sunt. Cùm autem bonum,* *Alius locus Aristotelis.*

Locus Aristotelis citatus a S. Th.

Explicatio S. Thomæ eiusdem loci.

Simplex apprehensio non proponit obiectũ voluntati.

Sola opinio in hominibus proponit obiectum voluntati.

Ad opinionem statim

num, aut malum affirmat, aut negat; & fugit, aut prosequitur: seu (vt transfert Sophianus) *cum autem bonum, aut malum affirmauerit, vel negauerit: tunc fugit, aut prosequitur.* Sanctus Thomas verò sic explicat. *Dicit, quòd phantasmata se habent ad intellectiuam partem anima sicut sensibilia ad sensum. Vnde sicut sensus mouetur à sensibilibus; ita intellectus à phantasmatibus. Et sicut; cum sensus apprehendit aliquid sicut delectabile, vel triste, prosequitur illud, aut fugit: ita etiam, cùm intellectus apprehendit aliquid affirmans, vel negans, esse bonum, vel malum, fugit, aut prosequitur.*

Explicatio S. Thomæ.

1278 15 Præterea tex. 33. apud D. Thomam eadem lectione lit. tex. e, sic eandem materiam prosequitur Aristoteles. *Species quidem igitur intellectiuum in phantasmatibus intelligit. Et sicut in illis determinatum est ipsi imitabile, & fugiendum: sic & extra sensum, cum in phantasmatibus fuerint, mouetur. Vt sentiens, quòd fugibile est; quia ignis, communi cognoscit, videns id quòd mouetur: quoniam impugnans est. Aliquando autem ijs, quæ sunt in anima phantasmatibus, aut intellectibus, tanquã videns ratiocinatur, & deliberat futura, aut præsentia. Et cùm dixerit, esse ibi latum, aut triste: tunc fugit, aut imitatur.* Seu, vt vertit Sophianus, *tunc fugit, aut prosequitur.*

Alius textus Aristotelis.

1279 16 Quæ verba sic exponit S. Doctor: *Cùm dicit species quidem igitur &c. manifestat, quod dixerat supra, quòd cùm intellectus affirmat, vel negat bonum, aut malum, fugit aut prosequitur; concludens ex prædictis, quòd pars anima intellectiua intelligit species à phantasmatibus abstractas. Et sicut intellectus determinatur aliquid imitabile aut fugiendum in illis, scilicet in sensibilibus, cum præsentia fuerint: ita & modò ad imitandum, vel fugiendũ, cùm fiunt à phantasmatibus extra sensum, idest, cùm representantur phantasmata in absentia sensibilium Et ponit exemplum de vtroque. Et primò quando mouetur ad præsentiam sensibilitũ. Sicut homo, sentiens aliquid quòd fugiendum est, idest, aliquid terribile, puta, fremitum aliquem: sicut cum videt, quòd ignis est accensus in ciuitate, videns, ignem moueri, cognoscit, quoniam sunt prælia, vel quoniam est aliquid pugnans. Et sic mouetur aliquando intellectu ad fugiendum, vel imitandum ex sensibili præsente. Aliquando autem ex phantasmatibus, aut intelligibilibus, quæ sunt in anima, ratiocinatur, & deliberat futura, aut præsentia, tanquam si actu videret. Et cum iudicat aliquid esse latum, vel triste, fugit hoc, aut imitatur, vt ibi, quando mouebatur à præsenti sensibili.*

Explicatio S. Thomæ.

Colligitur verus sensus maioris assumpta à Suario; probatur vera, tam dum voluntas mouetur in actus indeliberatos, quàm dum mouetur in liberos; & excluditur falsus sensus eiusdem.

1280 17 PAtet modò ex relatis auctoritatibus, qualiter iudicium intellectiuum proponit voluntati obiectum. Est enim obiectum voluntatis bonũ, & malum: Bonum quidem ad prosequendum; malum verò ad fugiendum. Iudicium igitur proponit voluntati obiectum suum, dum iudicans, affirmat, vel negat, aliquid esse, vel non esse bonum, vel malum, vt appetatur, vel fugiatur. Ita quidem, vt si affirmat, esse bonum, seu negat, esse malum, proponat obiectum sub ratione boni, seu obiectum illud, quod est bonum, & prosequendum: si verò affirmat, esse malum, seu negat, esse bonum, proponat obiectum sub ratione mali, seu non boni, idest illud obiectum, quod est malum, & fugiendum.

Iudicium proponens voluntati obiectum explicatur.

1281 18 Et hinc etiam modò apparet, qualiter, & in quo sensu sit vera maior propositio assumpta à Suario, puta, *Iudicium non mouet voluntatem, nisi mediante obiecto, quòd proponit.* Designat enim, quòd non mouet voluntatem, nisi mediante ratione boni, & mali; seu mediante bono, & malo; quòd proponit; dum iudicans, affirmat, vel negat, hoc esse, vel non esse bonum: hoc esse, vel non esse malum. Vnde non mouet voluntatem in motum prosecutionis, seu ad prosequendum, nisi mediante bono, seu ratione boni, dum iudicans, affirmat, esse bonum, seu negat, esse malum; nec eam mouet in motum fugæ, seu ad fugiendum, nisi mediante malo, seu ratione mali, dum iudicans, affirmat, esse malum, seu negat, esse bonum. Idque nos concedimus: imo existimamus, esse ab Aristotele, & D. Thoma demonstratum: fuitque ab vtroque in auctoritatibus vltimo loco relatis verificatum, tam de eo iudicio, quod voluntatem mouet in actus indeliberatos, quàm de eo, quod illam mouet in actus liberos. Si quidem iudicium, quod, proponens obiectum voluntati, affirmat, vel negat, aliquid esse, vel non esse bonum, vel malum; facta collatione ad finem, & ad alias circumstantias, est formalissimè deliberatio, & mouet voluntatem in actum deliberatũ, seu liberum. Iudicium verò, quod, nulla facta collatione, & inquisitione, iudicans dicit, absolutè affirmat, vel negat, esse bonam, vel malam, proponit voluntati obiectum naturaliter cognitum, quod ipsa voluntas prosequitur, vel fugit, vt natura.

Verus sensus propositionis Suarij explicatur.

1281

1282

1283

Quare

Digitized by Google

1282

Loca D. Thomæ ad propositū recensentur.

19 Quare recolenda sunt hic verba S. Thomæ relata disp. 1. §. x1. num. 18. ex lib. 1. sent. dist. 48. q. 1. ar. 4. in corp. & ex 2. dist. 24. qu. 3. ar. 1. in corp. & adde sequentia quæ docet in eodem 2. dist. 39 q. 2. ar. 2. ad 2. inquiens. *Dicendum, quòd voluntas, vt deliberata, & vt natura, non differunt secundum essentiam potentiæ: quia naturale, & deliberatorium non sunt differentiæ voluntatis secundùm se, sed secundùm quod sequitur iudicium rationis. Quia in ratione est, aliquid naturaliter cognitum, quasi principium indemonstrabile in operabilibus, quod se habet per modum finis: quia in operabilibus finis habet locum principij, vt in 6. Ethic. dicitur. Vnde illud, quod finis est hominis, est naturaliter in ratione cognitum esse bonum, & appetendum, & voluntas consequens istam cognitionem, dicitur voluntas, vt natura. Aliquid vero est cognitum in ratione per inquisitionem, ita in operatiuis sicut in speculatiuis &c. Vnde voluntas, quæ talem cognitionem rationis sequitur, deliberata dicitur.* Adde etiam locum eiusdem S. Doctoris relatum disp. præcedenti §. 22. num. 6.

Itaque concedimus, quòd iudicium non mouet voluntatem, siue in actus indeliberatos, siue in liberos; nisi mediante ratione boni, vel mali; seu mediante bono, & malo, quod est obiectum voluntatis, quòd proponit; dum affirmat vel negat, aliquid esse, vel non esse bonum, vel malum.

1283

Falsus sēsus propositionis Suarij explicatur.

20 Verùm si propositionem obiecti, factam per iudicium, intelligeret Suarius alio modo, & nomine obiecti, mediante quo iudicium mouet voluntatem, nō intelligeret rationem boni, vel mali, affirmatam, vel negatam esse, vel non esse &c. sed ipsam rem exteriorem materialiter sumptam; propositio esset falsissima. Vt si iudicium, proponens voluntati meæ Deū, diceretur esse cognitio manifestans, & representans ipsum Deum cognitum per creaturas, dicereturque mouere voluntatem meam mediante Deo, inquantùm Deus ipse, qui aliàs est voluntati meæ manifestatus per cognitionem, moueret voluntatem meam, vel ad amorem, vel ad odium. Et simili modo, quo, si quis approximaret mihi ignem, vel niuem, diceretur mouere me ad calorem, vel frigiditatem, mediante igne, vel niue: non quia approximatio moueret: sed quia ignis, vel nix propria virtute intrinseca, & existente in niue, & igne, moueret. Ita Suarius crederet, quòd iudicium mouet voluntatem mediante obiecto, pura Deo, vel aliqua alia re, quam proponit, manifestando ipsam sua apprehensione; non quia apprehensio de re mouet: sed quia res ipsa, secundùm bonitatem, vel malitiam, quam in se habet mouet.

21 Et quidem, si hoc intenderet sua maiori propositione Suarius; falsum (vt dixi) euidenter assumeret. Propositio enim opposita est vera, nempe: Nulla res mouet voluntatem; nisi mediante apprehensione boni, vel mali, quam habet de ea intellectus. Vnde qualitercumque sit res in se; siue omnino mala homini, vt mors; siue omnino bona, vt Deus, & suum proprium esse; non mouebit voluntatem: nisi provt fuerit apprehensa (siuè verè, siue apparenter,) iudicio affirmante, vel negante, rem esse bonam, vel malam. Hinc D. Thomas 1. 2. qu. 8. art. 1. in corp. sic habet. *Considerandum est, quòd cū omnis inclinatio consequatur aliquam formam, appetitus naturalis consequitur formam in natura existentem: appetitus autem sensitiuus, vel etiam intellectiuus, seu rationalis, qui dicitur voluntas, sequitur formam apprehensam. Sicut igitur id, in quod tendit appetitus naturalis, est bonum existens in re; ita id, in quod tendit appetitus animalis, vel voluntarius, est bonum apprehensum. Ad hoc igitur, quòd voluntas in aliquid tendat non requiritur, quod sit bonum in rei veritate; sed quòd apprehendatur in ratione boni. Et propter hoc philosophus dicit in 2. physicorum quòd finis est bonum, vel apparens bonum.*

1284

Probatur falsitas propositionis Suarij.

1285

Confirmātur prædicta auctoritate D. Thomæ.

22 Et inde est, quòd idem S. Doctor docet, quòd appetibili, seu obiecto appetitus, non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum; sed conuenit ei per se: taliter vt differentia specificatiua appetitus desumatur ab appetibili, vt apprehenso, & hoc inquantùm appetibile, vt apprehensum mouet appetitum. Ita 1. p. qu. 80. ar. 2. ad 1. inquiens. *Dicendum, quòd appetibili non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum; sed per se ei conuenit. Nam appetibile non mouet appetentum; nisi inquantùm est apprehensum: vnde differentiæ apprehensi sunt per se differentiæ appetibilis. Vnde potentia appetitiua distinguitur secundùm differentiam apprehensorum sicut secundùm propria obiecta.* Vbi aduerte, quòd parùm ad propositū nostrum refert scire, qualiter prædicta doctrina rectè cohæreat cum alia eiusdē S. Doctoris quam habet quæst. 22. de Veritate art. 4. ad primum, circa quod videri potest Bergomensis dub. 228. Sufficit enim nobis, quòd non bonitas ipsa, vel malitia, quam res realiter habet; sed quam habet in apprehensione affirmante, vel negante, siue verè, siue falsò, mouet voluntatem.

Digitized by Google

Examinatur minor rationis Suarij: probatur, vel quòd est sumpta sub maiori in sensu falso, vel quòd est secundùm omnes partes falsa, & contra Aristotelem, & D. Thomam in relatis auctoritatibus.

1286 23 EXamina ta maiori, cuius sensum verum concessimus, & negauimus falsum; examinanda est minor, puta: *Sed obiectum propositum voluntati non semper infert necessitatem voluntati, aut determinat illam ad vnum; neque hoc est necessarium, vt voluntas possit in obiectum tendere.* Et circa eam peto: An illi termini, *Obiectum propositum voluntati* (qui tenent locum subiecti in dicta propositione) sumantur secundùm sensum propositionis concessæ: An secundum sensum propositionis negatæ. Si hoc secundum diceret, quod planè videtur intendisse Suarius; tunc nil concluderet, existente falsa Maiori. Si verò diceret primum; tunc sensus prædictæ propositionis esset; *Sed bonum, vel malum, conueniens, vel nocium propositum voluntati, dum affirmatur, vel negatur, aliquid esse bonum, vel malum, conueniens, vel nocium appetenti, non semper infert necessitatem voluntati, aut determinat illam ad vnum; neque hoc est necessarium, vt voluntas possit in obiectum tendere.* Et quidem si in hoc significato talem propositionem assumeret, & insuper per ly *non semper infert necessitatem voluntati* intelligeret hoc, nempè, non semper per necessariam sequelam infert voluntatem in actum prosecutionis, vel fugæ proportionatum obiecto, per iudicium; propositio, est falsa, & contraria Aristotelis, & D. Thomæ quantùm ad omnes partes, in quorum sententia propositio vera, & asserenda est sequens.

Sensus minoris propositionis assumptæ à Suario explicatur

Propositio asserenda in sententia Aristotelis, & D. Thomæ.

Bonum, vel malum, conueniens, vel nocium propositum voluntati per hoc, quod aliquid affirmatur, vel negatur, esse, vel non esse bonum vel malum &c. infallibiliter, & per sequelam physicè necessariam infert voluntatem in actum, siue prosecutionis, siue fugæ, semperque determinat voluntatem ad vnum: ac etiam id est necessarium, vt voluntas possit in obiectum tendere.

1287 24 PRobatur quantùm ad singulas partes ex relatis auctoritatibus. Et quantùm quidem ad primam, puta: *quòd prædictum voluntatis obiectum, præfato modo propositum eidem voluntati, eam inferat per sequelam physicè necessariam in actum conformem obiecto proposito*, patet ex verbis Arist; & D. Thomæ relatis num. 7. huius §. Id enim, quòd ita sequitur ad aliud, quòd, eo posito, statim ponitur, sequitur ad illud per sequelam physicè necessariam. Sed ad bonum, vel malum propositum voluntati per opinionem affirmantem, vel negantem aliquid esse, vel non esse bonum, vel malum; statim sequitur affectus, seu motus voluntatis, siue prosecutionis, siue fugæ conformis obiecto proposito. Ergo &c. Maior est euidens. Sequela enim physicè necessaria per hoc explicatur, quod vnum statim sequitur posito alio. Minor verò expressè asseritur ab Arist; & D. Thoma verbis prædicto loco relatis. Recole igitur illa verba Aristotelis. *Cum opinamur rem aliquam atrocem, aut formidolosam, statim commouemur; itemque si aliquid fuerit, quod fiduciam afferat.* Et illa D. Th; *Opinionem statim sequitur passio in appetitu; quia cum opinamur, aliquid esse graue, vel terribile, statim commouemur tristando, vel timendo. Et similiter si sit aliquid confidendum, idest, de quo aliquid debeat confidere, statim sequitur spes, vel gaudium.* Quid clarius?

Probatur præfatum dictũ quãtũ ad primam partem.

1288 25 Idem habet Arist. verbis relatis num. 14. puta illis. *Cum pars animæ intellectiua bonum, vel malum affirmauerit, vel negauerit, tunc fugit, aut prosequitur.* Et D. Thomas illis aliis: *Sicut cum sensus apprehendit aliquid vt delectabile, vel triste prosequitur illud, aut fugit; ita etiam, cum intellectus apprehendit aliquid affirmans, vel negans, esse bonum, vel malum, fugit, aut prosequitur.* Certum est autem, quòd appetitus sensitiuus sequitur apprehensionem sensus sequela physicè necessaria. Ita ergo, secundùm D. Thomam, sequitur fuga, vel prosecutio voluntatis apprehensionem intellectus affirmantem, vel negantem, aliquid esse bonum, vel malum.

Eadẽ pars confirmatur alio loco S. Doctoris.

1289 26 Idem tandem vterque docet expressè de motibus liberis nostræ voluntatis verbis relatis num. 15. Et notanda sunt præsertim illa S.D. verba: *Aliquando autem ex phantasmatibus, aut intelligibilibus, quæ sunt in anima, ratiocinatur, & deliberat futura, & præsentia tanquam si actu videret.* Nota hìc ly *deliberat*, & inde accipe primò, S. Doctorem loqui de motibus voluntatis consequentibus deliberationẽ, seu de liberis; deinde considera quæ subdit, puta: *Et cum iudicat, aliquid esse lætum, vel triste, fugit hoc, aut imitatur, vt ibi, quando mouebatur à præsenti sensibili.* Sic ergo appetitus humanus statim liberè mouetur ad prosequendum, vel fugiendũ, cum intellectus ratiocinando, & deliberando iudicat, aliquid esse lætum, vel triste

Eadẽ pars probatur quantùm ad actus deliberatos.

Digitized by Google

triste, sicut quando mouetur à præsenti sensibili. His adde omnia loca Aristotelis, & S. D. quibus, quantùm ad motus voluntatis liberos, eandem conclusionem probauimus Disp. præcedenti §. 23. à num. 77. ad 93. vbi num. 92. ex euidenti doctrina D. Th. soluimus instantiā,
1290 quæ posset in hac materia afferre difficultatem.

Probatur secunda pars.

27 Quantùm verò ad reliquas partes, puta: *quòd prædictum obiectum semper determinat voluntatem ad vnum: & quòd hoc est necessarium, vt voluntas possit in obiectum tendere*: patet ex præcedenti. Si enim, ex vna parte, obiectum mouens voluntatem, est bonum, vel malum apprehensum ab intellectu sententiante, seu affirmante, vel negante, aliquid esse, vel non esse bonum, vel malum: & ex alia parte, obiectum sic sententiatum, seu affirmatum, vel negatum, esse, vel non esse bonum &c. non potest esse, nisi determinatum: cum sententia quæ explicatur per hoc, quod dico: hoc est bonum: hoc non est bonum, non possit esse, nisi determinatissima: inde est, quòd obiectum, sic per sententiā apprehensum, non possit mouere voluntatē; nisi determinatè in vnum. Et sic voluntas, inquantùm seipsam mouet per talem motorem, seu tali motore mediante, dicitur esse determinata ad mouendum seipsam in vnum vt explicuimus Disp. 1. §. 9. num. 4. Et ad hoc propositum faciunt verba S. Thomæ, quæ ibidem num. 5. sequenti retulimus, putà: *Ea, quæ sunt ad vtrumlibet, non habent aliquam formam, ex qua inclinentur ad vnum determinatè; sed à proprio mouente determinantur ad aliquid vnum. &c.*

1291 28 Atque ex his etiam patet, *quòd hoc est necessarium, vt voluntas possit in obiectum tendere*; vt probat expresè S. Doctor lib. 6. Metaphy. lec. 2. verbis relatis disp. 1. §. 1. num. 4. & repetitis §. 2. eiusdem disp. num. 3. & disp. 2. §. 23. num. 79. nempe: *Oportet, quòd causa, quæ est ad vtrumlibet, vt voluntas, ad hoc, quòd agat, inclinetur magis in vnam partem per hoc, quod mouetur ab appetibili*, scilicet, apprehenso, vt iam diximus: quia (vt inquit S. Doctor ibidem relatus) *Bonum apprehensum voluntatem vt proprium obiectum determinat*. Idque probatum est tota disp. prima.

Probatur tertia pars

1292 29 Dixi num. 23. *Et insuper, per hoc non semper infert necessitatem voluntati intelligeret hoc, nempe: non semper per necessariam sequelam infert voluntatem in actum prosecutionis, vel fugæ proportionatum obiecto proposito per iudicium*; quia hoc solùm esset contra nos, deberetque Suarius, in nos agens probare. Cœterùm si per hoc *non semper infert necessitatem voluntati*, intelligeret necessitatem absolutam: intenderetque asserere, quòd voluntas non habet necessitatem absolutam in ordine ad omne obiectum; verum quidem assumeret Suarius quantùm ad hunc punctum: sed non esset ad propositum, nec contra nos, qui prædictam necessitatem non imponimus voluntati; sed solam necessitatem ex suppositione. Hanc autem expresè in terminis præsentis difficultatis concedit S. Doctor 1. 2. quæst. 13. vbi corpus art. primi sic incepit. *Dicendum, quòd, sicut iam dictum est, electio consequitur sententiam, vel iudicium, quod est sicut conclusio syllogismi operatiui*; quibus verbis expressit nostram sententiam. Deinde verò art. 6. quæsiuit. *Vtrum homo ex necessitate eligat*, & secundo loco argumentum in contrarium proposuit in hunc modum: *Sicut dictum est, electio consequitur iudicium rationis de agendis. Sed ratio de necessitate iudicat de aliquibus propter necessitatem præmissorum. Ergo videtur, quòd electio de necessitate sequitur*. Ecce difficultatem. Respondit denique inquiens: *Ad secundum dicendum, quòd sententia, siue iudicium rationis de agendis est circa contingentia in quibus conclusiones non ex necessitate sequuntur ex principijs necessarijs absoluta necessitate; sed necessarijs solùm ex conditione, vt si curritur, mouetur*. Hæc S. Doctor. In quibus, vt vides, defendit manifestè, hominem non eligere ex necessitate, facta suppositione, quod electio consequitur sententiā, seu iudicium rationis de agendis, quòd est sicut conclusio syllogismi operatiui; idque defendit per hoc, quod sententia, quam electio consequitur, non habet necessitatem absolutam, sed solùm ex conditione; ex quo sequitur, quòd similem necessitatem habeat ipsa electio; non verò absolutam. Sed redeamus ad Suarium probantem præmissas suæ rationis.

Declaratur quid esset contra nostram sententiā, & quid D. Tho-mas expresse concedit actibus nostris liberis necessitatem ex suppositione.

Suarius conuincitur defeciſſe circa probationem Maioris.

1293 30 Porrò (vt retulimus num. 1. huius §.) probat Suarius suā maiorem inquiens: *Maior probatur: quia vel iudicium mouet tantùm ratione obiecti; vel ipsummet ratione sui habet peculiarem efficaciam ad determinandam voluntatem: hoc posterius dici non potest: tum quia talis efficacia repugnat libertati voluntatis: tum quia talis mouendi modus est alienus à munere intellectus, quod est illuminare, dirigere, ac regulare voluntatis operationes. Tum denique, quia*

Discursus Suarij, quo probat maiorem.

Digitized by Google

illo mouendi modus est proprius voluntatis, quæ in hunc finem peculiariter data est vt alias potentias efficienter moueat ad exercitium actus. Ergo non potest fieri, vt intellectus, qui à voluntate efficienter mouetur, vicissim eodem modo illam moueat.

1294

Declaratur defectus Suarij in prædicta probatione.

31 Verùm hic doctor in prædicto discursu reliquit improbatam propositionem disiunctiuam, habentem locum maioris; quæ tamen, non solùm in sententia nostra, & D. Thomæ: sed etiam ipsiusmet Suarij, est euidenter falsa. Hoc autem sic apparet. Nam per secundam partem prædictæ propositionis, puta, *vel ipsummet iudicium ratione sui habet peculiarem efficaciam ad determinandam voluntatem*, intelligit idem significare, quod. *Vel ipsummet iudicium ratione sui habet peculiarem efficaciam ad mouendam voluntatem efficienter, & ad exercitium actus*: vt patet ex tertia probatione minoris, & conclusione, quibus excludit dictam secundam partem disiunctiuæ, dicens: *Hoc posterius dici non potest, &c. quia ille modus mouendi est proprius voluntatis, quæ in hunc finem peculiariter data est, vt alias potentias efficienter moueat ad exercitium actus, Ergo non potest fieri* &c. Ac per hoc prædicta propositio, terminis explicatis, est sequens, nempe: *vel iudicium* (seu imperium) *mouet voluntatem tantùm ratione obiecti, vel ipsummet ratione sui habet peculiarem efficaciam ad mouendam voluntatem efficienter ad exercitium actus*: cui propositioni subest deinde minor cum sua probatione, puta: *Sed hoc posterius dici non potest &c. quia ille mouendi modus est proprius voluntatis, quæ in hunc finem peculiariter data est, vt alias potentias efficienter moueat ad exercitium actus. Ergo fieri non potest*, &c. At verò prædicta propositio disiunctiua euidenter falsa est, tam in sententia D. Thomæ, quàm ipsiusmet Suarij. Si quidem S. Doctor 1. 2. quæst. 17. ar. 1. in corp. verbis relatis Disp. præcedenti §. 24. num. 5. & alibi sæpè docet, quòd iudicium rationis (quod est imperium) vim habet ad mouendam voluntatem, & alias potentias animæ efficienter ad exercitium actus, non ex se, & propria virtute; sed ex virtute participata ab eadem voluntate, cui (vt priori & per se mouenti) seipsam, & alias potentias animæ ad exercitium actus, subordinatur iudicium rationis, vt posterius, & secundum mouens, quod mouet in virtute eiusdem voluntatis prioris mouentis, siue ipsammet voluntatem, siue alias potentias ad exercitium actus. Suarius etiam hanc ipsam doctrinam sequitur verbis relatis in hac disp. §. 1. num. 13. Falsa est ergò; non solùm in sententia S. Thomæ: sed etiam ipsius Suarij illa disiunctiua: *vel iudicium mouet tantùm ratione obiecti, vel ipsummet ratione sui habet peculiarem efficaciam ad mouendam voluntatem efficienter ad exercitium actus*. Si quidem datur medium, scilicet: Aliquod iudicium habet efficaciam ad mouendam voluntatem efficienter ad exercitium actus; non quidem ratione sui, & virtute propria; sed virtute participata ab eadē voluntate ratione actus præcedentis; inquantùm per tale iudicium, tanquam per causam mediam, ipsa voluntas ex volitione finis mouet, & determinat seipsam ad volendum, & eligendum ea, quæ sunt ad finem.

1295

Iudicium mouens voluntatem est duplicis modi secundùm sententiā S. Thomæ.

32 Certum sanè est in sententia S. Thomæ quòd non omne iudicium mouens voluntatem eam mouet eodē modo. Porrò (vt patet ex locis citatis, & relatis num. 19. huius §.) iudicium mouens voluntatem est duplicis modi. Aliquod enim est absolutum: aliquod verò collatiuum, quod in nobis sequitur discursum consilij. Hoc secundum præsupponit volitionem finis, ex qua ipsa voluntas, seu volens finem, per rationis sententiam de agendis ad finem (in quam peruenitur discussa causa per discursum consilij) mouet seipsam ad eligendum id, quod sententiatum est agendum esse. Primum verò nullam per se præsupponit volitionem finis; sed iudicatum proponit tanquam finem: vnde ipsa voluntas fertur motu naturali in eē iudicatam sicut in finem, vt docet S. Doctor a nobis relatus Disp. præcedenti §. 24. num. 9. Et inde est, quòd iudicium secundi modi, non solùm mouet voluntatem, vt virtute propria determinans obiectum eligendum: sed etiam ad exercitium actus virtute actus præcedentis voluntatis, quem præsupponit. At verò iudicium primi modi mouet voluntatem solùm virtute propria, vt proponens scilicet obiectum: cum non supponat actum voluntatis, in cuius virtute possit mouere ad exercitium actus. Et inde est, quòd in actus à supponentes iudicium huius primi modi, voluntas non mouet seipsam ad exercitiū actus, sed in tale exercitium mouetur ab auctore naturæ; sunt enim actus sequentes tale iudicium indeliberati, & naturales, in eosque fertur voluntas vt natura, vt patet ex locis S. Doctoris citatis, & relatis num. 19. huius §. Motus autem naturales procedunt, vt à mouente ad exercitium actus, ab auctore naturæ.

1296

Probatio Suarij de-

33 Atq; ex his modò apparet, quod prædicta Suarij probatio; non solùm deficit,

ficit; tum quia assumit propositionem falsam, ipsamque improbatam relinquit: sed etiam quia eius argumentatio fallit fallacia *secundùm plures interrogationes, vt vnã*, cuius meminit D. Thomas Opus. 39. cap. 8. inquiens, eam accipi secundùm conditionem entis, prout diuiditur per vnum, & multa. Et quam explicauit cap. 15. sequenti. Cùm enim (vt modo dixi) iudicia mouentia voluntatem sint multorum modorum; Et quædam sint absoluta, mouentia tantùm ex parte obiecti, ad quæ sequuntur actus indeliberati, in quos fertur voluntas vt natura: quædam verò collatiua, voluntatẽ mouentia, non solùm ex parte obiecti: sed etiam ad exercitium actus virtute volitionis præcedentis, ad quæ sequuntur actus deliberati, in quos fertur voluntas vt libera; Suarius argumentatur, non secus ac omnia iudicia essent vnius modi. Et sic in interrogatione sui dilemmatis interrogat quasi de vno, quod pluribus diuersimodè conuenit; ideoque fallitur, incurrens defectum prædictæ fallaciæ.

ficit; tum quia assumit propositionẽ falsum; tum quia fallit fallacia secundùm plures interrogationes vt vnam.

1297

34 Denique concedimus, quòd si iudicium rationis moueret voluntatem ad exercitium actus, non ita, vt nos dicimus, scilicet, in virtute eiusdem voluntatis mouentis seipsam ex volitione finis; sed alio modo, scilicet, ratione sui, & propria virtute; repugnaret vtique libertati.

Quid concedendum Suario.

1298

35 Dices, Medinam 1. 2. quæst. 9. ar. 1. dubio, seu quæstione 2. post conclusionem secundam, quem citat Suarius num. 2. sectionis 6. quæst. 19. Mediphs sæpè citatus, docuisse imperium rationis habere virtutem mouendi efficiẽter, & efficaciter voluntatem, non solùm ex vi voluntatis præsuppositæ; sed etiam ex se. Et hoc ideo: quia ne detur processus in infinitum, deueniendum est ad primum imperium quod nullus præcedit actus voluntatis.

Refertur dictum Medinæ.

1299

Respondeo: hunc Doctorem circa istum punctum etiam docuisse, doctrinam contradictoriam ei, quam circa eundem punctum docuit D. Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 1. ad 3. Eundem ex eo sum habito Aluarez, quem retulimus & impugnauimus disp. præcedenti §. 23. num. 4. vide hunc locum, vbi immutes verba D. Thomæ, quibus Aluarez ipse, contradicens sibipsi, euertit cogitationem Medinæ, & ex quibus habetur, quòd ne detur processus in infinitum, deueniendum est, non ad imperium, quod nullus præcedit actus voluntatis; sed ad actum voluntatis, quem nullum præcedit imperium, & in quem mouetur voluntas, non ex imperio; sed ex instinctu naturæ. Sed de hac re diffusè agemus infra in hac disp. vt notauimus loco proximè cit. num. 57. Veniamus ad aliam probationem Suarij.

Excessit Medina cõtra doctrinam S. Thomæ.

Explicatur doctrina S. Thomæ citata à Suario in probatione minoris. Probatur, eam illi non suffragari; illumque concludere contra dictorum eiusdem doctrina, quam pro se citat.

1299

36 Deum probat hic doctor minorem suæ tertiæ rationis, & sic scribit num. 9. sectionis 6. citatæ. *Superest probanda altera pars, ideſt quòd voluntas ab obiecto proposito non semper determinatur ad vnum, quæ certa est, & recepta ab omnibus; eamque ex professo probat D. Thomas 1. 2. q. 10. art. 2. Nam perinde est, voluntatem non necessitari ab alio, quod non determinari ad vnum ab illo. Sed est certum non necessitari ab omnibus obiectis: ergo nec determinari ad vnum. Igitur, quoad exercitium actus, solùm in patria ab infinita voluntate Dei, (legendum puto) ab infinita bonitate Dei, clarè visi determinatur ad vnum: quoad specificationem verò à bono in communi, aut aliis similibus obiectis.*

Discursus Suarij probantis minorem.

1300

37 Verùm nec doctrina citata S. Thomæ intentioni Suarii suffragatur; quamuis sit vniuersalior ea, quam prætendit ipse Suarius. Vt hoc ostendam noto, quòd inter ea, quæ per intellectus iudicium obiiciuntur voluntati, inuenitur differentia. Nam aliquod est talis naturæ, & rationis, quod tùm absolutè tùm collatum ad alia, non potest iudicari, nisi bonum, nec per hoc non potest apprehendi, nisi sub ratione boni. Aliquod verò talis naturæ, quod non potest apprehendi nisi sub ratione mali. Aliquod denique, quod contingit apprehendere sub ratione boni, & contingit etiam apprehendere sub ratione mali. Res primæ conditionis est ipsa felicitas, seu beatitudo, & etiam ipse Deus, prout apprehenditur clara visione: vnde nullus potest existimare malum, se esse felicem seu esse beatum; similiter non potest ab aliquo videri Deus, & existimari non sibi. Res secundæ conditionis est ipsa infelicitas, seu miseria. Hinc nullus potest existimare bonum, se esse infelicem seu miserum. Tertiæ demum conditionis sunt omnia alia particularia bona, inter quæ etiam ipse Deus, prout cognoscitur per creaturas in via. Et licet inter hæc sit differentia, quam non oportet hic explicare; omnia tamen conueniũt in hoc, quòd saltem collata ad alia, possunt apprehendi

Doctrina S Thomæ non suffragatur Suario.

Digitized by Google

prehendi siue verè, siue apparenter, etiã ut mala: Vnde Deum ipsum bonitatis fontem existimat sibi malum, eumque odit peccator; inquantùm vel prohibet, quæ desiderat; uel punit actiones, quas amat.

1301

Quæ obiecta sunt necessitate absoluta determinata ad mouendam voluntatem ad vnum; & quæ non, ex doctrina S. Thomæ explicatur.

38 Hinc sequitur, quòd res illa, quæ est, siue primæ, siue secundæ conditionis, quæ scilicet necessitate proueniente ex propria natura, non potest apprehendi; nisi sub una sola ratione, puta, uel sub sola ratione boni, uel sub sola ratione mali, sit ex necessitate absoluta determinata ad mouendam uoluntatem in unum, quantùm ad speciem actus, puta, uel ad solam speciem prosecutionis, uel ad solam speciem actus fugæ. Et similiter uoluntas, quæ nata est moueri ab apprehenso, in ordine ad talem rem, quæ non potest apprehendi nisi sub una ratione; est necessitate absoluta determinata ad unum quantùm ad speciem actus. Necessitas namque absoluta in rebus creatis est (ut docet elegãtissimè S. Doctor lib. 2. con. gen. cap. 29. uersu. *Tertio in vnaquoque*) *quæ dependet ex causis prioribus in esse, sicut ex principijs essentialibus, & ex causis efficientibus, siue mouentibus*, scilicet creatis, ut explicat eodem loco ipse S. Doctor. *At* uerò illud, quod potest obijci per intellectus iudicium uoluntati, quandoque quidem sub ratione boni: quandoque uerò sub ratione mali, non est ex necessitate absoluta determinatũ ad mouendam uoluntatem in unum. Et similiter uoluntas, in quantùm potest moueri à tali motiuo ex parte obiecti, non est ex necessitate absoluta determinata ad unum quantùm ad speciem actus.

1302

Doctrina S. Thomæ ad idẽ propositum.

39 Docet modò S. Doctor in art. quem pro se citat Suarius, quòd, quantùm ad exercitium actus, *voluntas à nullo obiecto ex necessitate mouetur*; quantùm uerò ad specificationem actus, quæ est ex obiecto, *voluntas ab aliquo obiecto ex necessitate mouetur; ab aliquo autem non*. Ex necessitate quidem ab eo, quod nullum potest habere rationem mali. Non ex necessitate uerò ab alijs particularibus bonis, quæ possunt apprehendi, & sub ratione boni, & sub ratione mali. Et hic nota quòd S. Doctor loquitur de uoluntate prout importat appetitum rationalem in bonum, & prout eam accepit in articulo primo quæstionis octauæ eiusdem 1. 2. in principio corporis. Secundùm enim hanc rationẽ appellatur uoluntas. Non autem loquitur de eodem appetitu, prout importat recessum à malo, seu eius fugam, secundùm quam rationem appellatur propriè noluntas, ut notat ipsemet S. Doctor eodem art. 1. q. 8. ad 1. Noluntas enim ex necessitate ab eo malo recedit, & fugit, seu mouetur ad fugam, quantùm ad speciem actus, quod nullam potest habere rationẽ boni, ut per se patet.

Appetitus rationalis sumitur quandoque à S Thoma pro voluntate prout distinguitur a noluntate.

1303

Discursus Suarij.

40 Veniamus nunc ad Suarium, ipsumque interrogemus: An suæ intentioni faueat prædicta S. Thomæ doctrina? *Affirmabit* utique: quia perinde est uoluntatem nõ necessitari ab alio, quod non determinari ad unum ab illo. Sed S. Doctor docet uoluntatẽ à nullo obiecto moueri ex necessitate, quantùm ad exercitium actus: & quantùm ad specificationem actus, solùm ab aliquo, non ab omni; ergo docet uoluntatem à nullo obiecto determinari ad unum, quantùm ad exercitium actus: & solùm determinari ad unum ab aliquo obiecto, non autem ab omni, quantùm ad specificationem.

Probatur quòd Doctrina S. Thomæ nõ suffragatur Suario.

Sed defectu huius argumentationis omisso, iterum interrogo: An S. Doctor in prædicta doctrina loquatur solùm de obiecto uoluntatis, absolutè sumpto, ac etiam de sola necessitate absoluta; quæ pendent ex ipsa natura obiecti, & potentiæ: an etiam loquatur de eodem obiecto facta aliqua suppositione circa ipsum; ac etiam de necessitate, quæ oritur ex suppositione? Et quidem si primum eligit; inde euidenter sequitur, doctrinam S. Thomæ minimè suffragari intentioni Suarij disputanti contra Thomistas. Quippè quia Thomistæ loquũtur de sola necessitate suppositionis, dũ cum suo Sancto Præceptore docent, imperium, seu iudicium, & sententiam illatam, per syllogismum operatiuum, repræsentatiuam agendorum ad finem; *inferre* ex necessitate determinatum actum electionis, ad quam producendum uoluntatem determinat.

1304

Cohærentiæ doctrinæ Thomistarum cõtra Suarium explicatur

41 Volunt enim cũ S. Thoma, quòd uoluntas nostra à nullo obiecto mouetur ad exercitium actus, *so multominus* ex necessitate absoluta, quæ pendet ex naturali ordine mouentis & mobilis, absolutè sumptorum. Et quòd, licet Deus, qui etiam est obiectum uoluntatis, moueat eam ad exercitium actus; hoc ideo est, quia ipse non est tantum obiectum, sed etiam supremum agens, efficiens, & mouens eandem uoluntatem. Vnde cũ mouet ad exercitium actus, non inquantùm est eius obiectum: sed inquantùm eius causa effectiua, ut optimè aduertit Caietanus hoc eodem loco 1. 2. uerbis infra nu. 48. referendis, quem citat Suarius.

Digitized by Google

rius. Dicunt etiam, quod quantùm ad ſpeciem actus mouetur uoluntas neceſſitate abſoluta, non ab omni obiecto, ſeu bono, ſed tantum ab eo quod in apprehenſione nullam poteſt habere rationē mali. Cum his deinde simul ponunt & optimè, aliam eiuſdem S. Thomæ doctrinam, nempe, quòd, facta ſuppoſitione alicuius determinatæ apprehenſionis circa bona non mouentia uoluntatem neceſſitate abſoluta, mouetur uoluntas neceſſitate ſuppoſitionis, tam quantùm ad ſpeciem, quàm quantùm ad uſum actus; quantùm ad ſpeciem quidem ex ui obiecti aliquò modo apprehenſionis repræſentati; quantùm uerò ad uſum, uel ex ui uolitionis finis, ex qua eadem uoluntas per apprehenſionem particularium bonorum conuenientium fini mouet ſeipſam in eadem particularia bona apprehenſa, ut accidit in actibus liberis; uel ex ui naturæ ipſius uoluntatis motæ ab auctore naturæ, ut accidit in actibus indeliberatis, quando apprehenſio obiecti mouēs uoluntatem eſt abſoluta. Hæc autem omnia benè cohærent: quia neceſſitas ſuppoſitionis poteſt conuenire non habenti neceſſitatem abſolutam, ut per ſe patet.

1305

42 Si uerò Suarius ſecundum eligit, nempe, loqui S. D. in art. citato etiam de neceſſitate ſuppoſitionis; tunc præterquam quod nullum habet in doctrina prædicti articuli fundamentum; habet etiam contra ſeipſum S. Doctorem relatum in hoc §. à num. 6. ad 17. & diſp. 1, §. 11. a num. 28. ad 34. ac etiam omnia, quæ ex eodem S. Doctore, retulimus, & citauimus diſp. præcedenti §. 23. à nu. 77. ad 94. quibus probauimus, quòd ad ultimatam ſententiam rationis practicæ, ſeu cōclusionem ſyllogiſmi practici deductam ex ui uolitionis finis, ſequitur ex neceſſitate motus, ſeu actus uoluntatis, ſiue proſecutionis, ſiue fugæ, in illud obiectum, quod per talem ſententiam iudicatur proſequendum, uel fugiendum propter finem. Conuincitur-que Suarius euidenter in actibus ſubitis, ſeu indeliberatis uoluntatis. Sunt enim tales actus naturales; prout naturale diſtinguitur contra liberum: ac per hoc procedunt à uoluntate, non ut à principio determinante ſeipſam in tales actus; ſed ut a principio determinato ad unum ab alio, ſicut & omnis motus naturalis. Prorumpit autem uoluntas naturaliter in tales motus, ſeu actus habita repræſentatione obiecti ſub quodam ſpeciali modo apprehenſionis, quam D. Thomas appellat apprehenſionem abſolutam, ut patet ex locis relatis Diſp. prima §. x1. nu. 19. Suarius uerò, & alij communiter repræſentationem obiecti ſine debita aduertentia. Poſita ergo tali repræſentatione obiecti, ex neceſſitate ſequitur motus, & actus uoluntatis indeliberatus; ſicut omnis motus naturalis ſequitur ex neceſſitate, poſitis ſuis principijs naturalibus. Et inde eſt, quòd obiectum repreſentatum per talem modum apprehēſionis, ex neceſſitate mouet uoluntatem neceſſitate ſuppoſitionis, ſaltem quantùm ad ſpeciem actus indeliberati. 1306

43 Et quidem ſi Suarius diceret, actum uoluntatis indeliberatum non ſequi ex neceſſitate poſita repreſentatione obiecti ſine debita aduertentia, ſed aliquando ſequi, & aliquando non ſequi; tunc oporteret Suarium aſſerere, uel eoſdem actus eſſe in poteſtate uoluntatis; & ſic eos eſſe ſimul liberos, & non liberos, ſeu ſimul procedere à principio determinato ad unum, & ſe habente ad utrumlibet, quod eſt impoſſibile: uel eos aliquando impediri poſſe per uolentiam ab extrinſeco; ſicut cum impeditur motus deorſum grauis a retinente illud in manu, quod etiam eſt impoſſibile. Et conſequentia eſt euidens. Nam ſi prædicti actus qui, poſita repræſentatione obiecti ſine debita aduertentia, aliquando ſequuntur, aliquando non ſequerentur, etiam poſita eadem repreſentatione obiecti, id eſſe non poſſet, niſi, uel quia poſſet impediri per uiolentiam ab aliquo extrinſeco, ut accidit in omnibus motibus naturalibus, ſeu procedentibus à cauſis determinatis ad unum, cū contingit eos impediri. Vel quia uoluntas, etiam poſita tali repræſentatione obiecti ſine aduertentia non eſt determinata, ut natura ad unum ad procedendum in tales motus; ſed eſt adhuc indifferens, & habens in ſua poteſtate determinare ſe ad procedendum, & determinare ſe ad non procedendum in eos. Hoc ſecundum poneret actus uoluntatis, qui ſupponuntur indeliberati, eſſe liberos. Primum uerò poneret uiolentiam in actus uoluntatis. Et utrumque eſt impoſſibile, ut per ſe conſtat. 1307

44 Demum aduerto, Suarium adeò contrariam intelligentiam habuiſſe de doctrina S. Thomæ, quam citat; ut ex ea deduxerit, uel eidem compoſuerit expreſſum contradictorium eiuſdem doctrinæ. Quandoquidem doctrina S. Thomæ eſt (ut notauimus num 38.) *Quantùm ad exercitium actus voluntas à nullo obiecto ex neceſſitate mouetur*. Ex ea uerò infert Suarius; *Igitur quoad exercitium actus ſolùm*

Suarius eligens ſecundi partem dilemmatis, habet contra ſe D. Tho. & conuincitur ex his, qui ſūt euidentia in actibus indeliberatis.

Afferens Suarius doctrinam S. Thomæ pro ſua sētentia, ponit expreſsè contradictorium eiuſdē doctrinæ.

Digitized by Google

solùm in patria ab infinita bonitate Dei clarè visi determinatur ad vnum. Quod perinde est (secundùm ipsiusmet *Suarij* mentem, ab ipso expressam) quòd, *Igitur quoad exercitium actus solùm in patria ab infinita bonitate Dei ex necessitate mouetur.* In quibus, ut uides, D. Thoma docente, quòd uoluntas nostra quantùm ad exercitium actus, à nullo obiecto ex necessitate mouetur, *Suarius* infert, quòd ab aliquo, obiecto, nempe, ab infinita bonitate Dei in patria ex necessitate mouetur, quæ euidenter sibi inuicem contradicunt.

1308 45 Dices cum *Suario* prædicta disp. 19. Metaph. sec. 8. num. 10. Propositionẽ *S.* Thomæ uniuersalem negatiuam nempe: Nullum obiectum mouet ex necessitate uoluntatem, quantùm ad exercitium actus, intelligendam esse de uoluntate nostra in statu præsentis uitæ; ac per hoc propositionem particularem affirmatiuam *Suarij*, puta: aliquòd obiectũ, scilicet infinita bonitas Dei, mouet ex necessitate uoluntatem in patria, quantùm ad exercitium actus, non contradicere propositioni D. Thomæ. Verùm hoc est unum, in quo *Suarius* errat, & non benè intelligit *S.* Thomam, ac etiam malè impugnat Caietanum, rectè doctrinam *S.* Thomæ intelligentem.

1309 46 Vnde peto à *Suario*: *An* prædictam *S.* Thomæ explicationem collegit ex doctrina eiusdem *S. D. An* uerò nullo habito fundamento in S. Thoma ipse ex suo mero placito confinxit? Si hoc secũdum dicit, fatetur quod nos de ipso sentimus, contradictionemque uitare minimè ualet. Si uerò dicit primum, necesse est, ut fundamentum promat, quod in S. Doctore se habere existimat: quod si non prodit; destitutum se tali fundamento fatetur. Et quidem, quod non habet fundamentum in doctrina eiusdẽ articuli, patet. Si quidem D. Thomas eo articulo inquirit absolutè: *An voluntas moueatur à suo obiecto*: & respondet absolutè, *quòd quantùm ad exercitium actus à nullo obiecto ex necessitate mouetur*. Si autem uera esset glossa *Suarij*, debuisset S. Doctor distinguere, dicens, quòd uoluntas in præsenti statu à nullo obiecto ex necessitate mouetur ad exercitium actus: non autem absolutè, & sine aliqua additione. Doctrina igitur articuli excludit potiùs, quàm fundamentum præbeat glossæ *Suarij*,

Vrgetur Suarius.

1310 47 Dices cum *Suario* Disp. 19. Metaph. sec. 8. num. 10. habere fundamentum in doctrina S. Thomæ 1. p. q. 82. ar. 2. dicentis: *Voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhæret Deo; sicut nunc ex necessitate volumus esse beati.* Eo enim ipso, quòd docet, quòd uoluntas uidentis Deum, ex necessitate inhæret Deo; uidetur docere, quod uoluntas ab obiecto, puta, à Deo uiso mouetur ex necessitate ad exercitiũ actus inhærendi Deo. Ideoque ne D. Thomas sit sibi ipsi contrarius, dum docet quòd voluntas a nullo obiecto ex necessitate mouetur; oportet hoc secundum dictum intelligere de uoluntate in statu præsentis uitæ. *Sed* quis non miretur hunc *Suarij* discursũ? Et sanè quid posset respondere *Suarius*, si quis contra ipsum sic argumẽtaretur. *Voluntas videntis Deum ex necessitate inhæret Deo sicut nunc ex necessitate volumus esse beati*: Sed nunc quantùm ad exercitium actus uolendi, nos esse beatos non mouetur uoluntas nostra ex necessitate ab obiecto, puta, à beatitudine: cum (ut dicit ipse Suarius doceri à S. Thoma) nunc in statu præsentis uitæ uolũtas nostra a nullo obiecto mouetur ex necessitate, quãtùm ad exercitium actus. Ergo nec uoluntas uidentis Deum, quantùm ad exercitium actus inhærendi Deo, mouetur ex necessitate ab obiecto, puta, à Deo uiso. Ideoque, ne uideatur D. Thomas sibi ipsi contrarius, oportet dicere, quòd in loco primæ partis non loquitur de necessitate inhærendi Deo quantùm ad exercitium actus, proueniente ab ipso obiecto, seu à Deo, ut uiso. Quid ad hæc respondebit Suarius?

Responsio Suarij, eiusque impugnatio.

1311 48 Porrò sicut contingit, intellectũ humanum aliquando non uidere Deũ; ut dum est uiator: & aliquando Deum uidere; ut dum est comprehensor in Patria: ita contingit aliquando, eum non cogitare cogitatione, seu apprehensione practica, de beatitudine; ut dum homo dormit, uel est ad alia cogitanda conuersus: & aliquando contingit eadem cogitatione cogitare de beatitudine. Et sicut, dum contingit, intellectum non uidere Deum, non ex necessitate uoluntas habentis talem intellectum adhæret Deo; & dum contingit Deum uidere, ex necessitate Deo adhæret uoluntas talem intellectum habentis: ita dum contingit intellectum non cogitare de beatitudine non ex necessitate uoluntas affectu indeliberato fertur in beatitudinem: & dum contingit, cogitatione practica de beatitudine cogitare; fertur in eam affectu indeliberato, & naturali ex necessitate; sicut hoc contingit in omnibus actibus indeliberatis, & naturalibus circa alia quædam bona. Sicut igitur, posita cogitatione practica beatitudinis, uoluntas fertur actuali affectu indeliberato in ipsam beatitudi-

Exemplo confutatur Suarius, & euincitur de mala consequentia.

Digitized by Google

tudinem, vt in obiectum, Mota tamen quantùm ad exercitium actus; non ab obiecto, puta, beatitudine; sed ex ipsa voluntatis natura, seu à dante naturam, sicut id contingit in omnibus motibus naturalibus cuiuscunque creaturæ: Ita, posita visione Dei, fertur voluntas videntis Deum affectu necessario, & naturali supernaturali charitati existenti in vidente Deum: voluntas tamen charitatem habentis mouebitur quantùm ad exercitiū actus, non ab obiecto, seu Deo, vt viso: sed ex natura charitatis, seu à dante charitatem, seu ab auctore naturæ charitatis, sicut contingit in moribus naturalibus aliarum rerum.

Et inde est, quòd ex hoc dicto S. Thomæ *voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhæret Deo; sicut nunc ex necessitate volumus esse beati*, malè, & sine vllo fundamento in S. Thoma; collegit Suarius, voluntatem videntis Deum moueri ad inhærendum Deo ab obiecto viso, quantùm ad exercitium actus. Sicut ex hoc, quòd quis diceret: voluntas cogitantis de beatitudine ex necessitate inhæret affectu indeliberato beatitudini; minimè posset colligi, voluntatem nostram in hoc statu moueri ex necessitate ad exercitium actus ab obiecto. Et inde tandem fit, Suarium intulisse ex doctrina S. Thomæ, eidēque composuisse expressum contradictorium, nullo habito in eodem D. Thom. fundamento.

Caietani responsionem verissimam conformemque Doctrinæ D. Thomæ: Suarij verò redargutionem nullam, sibique repugnantem esse ostenditur.

1312

Verba Caietani ex loco citato à Suario.

49 ATque etiam ex dictis constare potest, verissimam esse, conformemque D. Thomæ, doctrinam adnotatam à Caietano, qua difficultates propositas resoluit 1.2. q. x. ar. 2. dum inquit. *Ad quorum euidentiam opus est distinctione, scilicet, quòd aliud est dicere: voluntas necessariò mouetur ab obiecto ad exercitium actus: & dicere: voluntas sic dispposita necessariò mouetur ad exercitium actus. Primum enim denotat efficaciam obiecti supra voluntatem; quòd scilicet talis, & sic efficacis est naturæ, quòd potest voluntatem ad exercitium actus necessariò ducere. Et hoc negatur in præsenti conclusione, dum asseritur, quòd nullum obiectum, vt sic, & quantùm est ex sua efficacia potest naturali necessitate compellere voluntatem ad exercitium actus. Secundum verò denotat naturam voluntatis, de qua dictum est* (scilicet art. præcedenti ad secundum) *quòd habet quendam motum naturalem, & quòd non habet semper illum in actu; sed quando est in certa dispositione: & hoc prædictum est, & verè. Et ex hoc prouenit, quòd voluntas Deum clarè visum necessariò amat: est enim tunc in dispositione tali, quòd ex natura sua actu prouenit amor, & delectatio talis obiecti. Et similiter in primo actu voluntatis, quem habemus naturaliter, velle illud non habet necessitatem exercitij ab obiecto; sed à natura voluntatis existente in tali dispositione, quòd ad eam naturali necessitate sequatur velle. Vnde quandocunque voluntas necessariò mouetur ad exercitium, necessitas illa numquam est ab obiecto; sed à natura, & naturæ datore.* Hæc Caietanus, quæ hactenus contra Suariū inculcauimus, quæque existimamus per experientiam manifesta, & expresè, vel dicta, & demonstrata à S. Thoma, vel ex eius doctrina euidenter illata loco ab ipsomet Caietano citato, scilicet, art. p. q. x. 1. 2. ad secundum. 1313

50 Erat enim argumentum. *Id quòd est naturale, inest alicui semper; sicut igni esse calidum. Sed nullus actus inest voluntati semper. Ergo nullus motus est naturalis voluntati.* *Verba D. Thomę loci à Caietano citati.*

Respondet verò. *Ad secundum dicendum, quòd in rebus naturalibus id, quod est naturale, quasi consequens formam tantùm, semper actu inest, sicut calor igni. Quòd autem est naturale sicut consequens materiam, non semper actu inest; sed quandoque secundùm potentiam tantùm. Nam forma est actus, materia verò potentia. Motus autem est actus existentis in potentia; & ideo illa, quæ pertinent ad motum, vel quæ sequuntur motum in rebus naturalibus, non semper insunt: sicut ignis non semper mouetur sursum, sed quando est extra locum suum. Et similiter non oportet, quòd voluntas, quæ de potentia in actum reducitur, dum aliquid vult, semper actu velit; sed solùm quando est in aliqua dispositione determinata. Voluntas autem Dei, quæ est actus purus, semper est in actu volendi.* 1314

51 In quibus, vt vides, euidenter docet fundamentum doctrinæ allatæ à Caietano, nempe, quòd voluntas habet aliquem motum naturalem, licet non semper ei insit; sed solùm quando est in aliqua dispositione determinata: & hoc illo simili modo, quo grauia & leuia habent motum naturalem; licet non semper eis insit: sed tantùm quando sunt extra proprium locum, & non impedita. Et circa hanc doctrinam aduerti debet, quòd S. Doctor nomine motus, seu actus naturalis voluntatis, intelligit actum contradistinctum ab actu libero, secundùm quem est domina sui actus, vt patet ex responsione ad primum eiusdem articuli. Posset etiam circa eandem doctrinam aliquis interrogare: Quæ est ista determinata dispositio voluntatis, qua posita, debet ei

Digitized by Google

ineſſe motus, ſeu actus aliquis naturalis? Verùm reſponſio eſt per experientiam manifeſta in omnibus actibus noſtræ voluntatis indeliberatis, qui, inquantùm indeliberati ſunt, dicuntur naturales, prout naturale diſtinguitur contra liberum.

1315 52 Hi enim noſtræ voluntatis motus, ſeu actus, tunc eidem voluntati inſunt, quando nos aliquid apprehendimus, eſſe nobis bonum, vel malum apprehenſione abſoluta, vt patet ex locis S. D. relatis diſp. 1. §. xi. num. 19. quorum recole verba illa ex 1. diſt. 48. qu. 1. art. 4. in corp. *Eſt autem quædam voluntas in nobis naturalis, qua appetimus id, quod ſecundùm ſe bonum eſt homini, inquantùm eſt homo, & hæc ſequitur apprehenſionem rationis, prout eſt aliquid abſolutè conſiderans, ſicut vult homo ſcientiam virtutem, ſanitatem, & huiuſmodi.* Et illa alia ex 2. diſt. 24. q. 3. ar. 1. in cor. *Rationis apprehenſio dupliciter eſſe poteſt: vna ſimplex, & abſoluta; quando ſcilicet ſtatim ſine diſcuſſione apprehenſum diiudicat: & hanc apprehenſionem ſequitur voluntas, quæ dicitur indeliberata.* Expende etiam verba prioris auctoritatis, eaque compone cum aliis eiuſdem S. Doctoris quæ habet 1. 2. quæſt. 1. ar. 1. in corp. puta. *Principium motuum voluntariorum oportet eſſe aliquid naturaliter volitum. Hoc autem eſt bonum in communi, in quod voluntas naturaliter tendit: ſicut etiam quælibet potentia in ſuum obiectum, & etiam ipſe finis vltimus, qui hoc modo ſe habet in appetibilibus, ſicut prima principia demonſtrationum in intelligibilibus. Et vniuerſaliter omnia illa, quæ conueniunt volenti ſecundùm ſuam naturam. Non enim per voluntatem appetimus ſolùm ea, quæ pertinent ad potentiam voluntatis: ſed etiam ea quæ pertinent ad ſingulas potentias, & ad totum hominem. Vnde naturaliter homo vult, non ſolùm obiectum voluntatis, ſed etiam alia, quæ conueniunt aliis potentijs, vt cognitionem veri, quæ conuenit intellectui: & eſſe, & viuere, & huiuſmodi alia, quæ reſpiciunt conſiſtentiam naturalem: quæ omnia comprehenduntur ſub obiecto voluntatis, ſicut quædam particularia bona.*

Actus indeliberati inſunt nobis cum aliquid apprehendimus apprehenſione abſoluta.

Determinata diſpoſitio voluntatis ad actus naturales exercendos habetur per apprehenſionem abſolutam boni.

Ex collatione enim doctrinæ vtriuſque loci apparet, quòd motus, ſeu actus naturalis voluntatis noſtræ, quo naturaliter appetimus, ſiue bonum commune, ſiue vltimum finem naturaliter agnitum, ſiue alia particularia bona ſpectantia ad alias potentias humanas, ſiue ad conſiſtentiam naturalem, ſeu (vt loquitur S. Doctor in priori auctoritate) *quo appetimus id, quod ſecundùm ſe bonum eſt homini; inquantùm eſt bonum*, tunc noſtræ voluntati ineſt; quando aliquod ex prædictis bonis apprehenditur eſſe nobis bonum apprehenſione abſoluta. Iſti enim motus, ſeu actus naturales, & indeliberati noſtræ voluntatis ſequuntur apprehenſionem abſolutã. Tunc ergo voluntas noſtra eſt in determinata diſpoſitione ad hoc, vt prodeat in motũ, ſeu actum naturalẽ circa aliquod ex prædictis obiectis; quando tale obiectum eſt à nobis apprehenſum apprehenſione abſoluta.

1316 53 Et hìc nota, quòd; quoniam quodlibet ex prædictis bonis nos poſſumus apprehendere, non ſolùm apprehenſione abſoluta, qua naturaliter exiſtimamus; quòd talia ſecundum ſe, & abſolutè conſiderata, ſunt nobis bona: ſed etiam apprehenſione deliberatiua, qua aliquando facta collatione ad aliquem finem exiſtimamus, aliquod illorum eſſe, vel non eſſe, vt nunc, nobis bonum pro tali fine: ideo eſt, quod non ſolùm circa prædicta obiecta poſſumus habere actum naturalem, & indeliberatum; ſed etiam actum liberum, ſeu deliberatum, immò quandoque ſimul cum actu naturali, quo e. g. naturaliter amamus vitam, eamque vellemus ſeruare, poſſumus habere actum liberum oppoſitum, quo nolumus viuere, mortemque voluntariè ſubimus. Vt patet in oratione Chriſti Domini, qua oſtendit, ſe velle mori, & quòd voluiſſet, non mori; dum inquit: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Et circa hoc vide doctrinam S. Thomæ à nobis allatam diſp. præcedenti §. 14. num. 9. vide etiam D. Th. in 2. diſt. 39. quæſt. 2. ar. 2. ad 2. vbi inuenies, per quid differt voluntas naturalis à voluntate deliberata. Et inde accipies, quòd apprehenſiones abſolutæ, ad quas ſequitur voluntas naturalis, ſunt ſuo modo naturales, quomodo non ſunt naturales apprehenſiones deliberatiuæ; ſed per diſcurſum practicæ rationis inuentæ.

Vnde eſt, quòd circa quædã bona poſſumus habere, tam actus naturales, quàm liberos.

1317 54 Ex his modò apparet, quòd adnotata, & reſoluta à Caietano verbis num. 48. relatis ſint, vel à D. Thom. expreſsè aſſerta, vel ex eius dictis euidenter illata. Siquidem, ex eo, quòd voluntas noſtra habet aliquos actus naturales, qui tunc ſolùm ei inſunt, quando eſt in aliqua determinata diſpoſitione, (quod expreſsè aſſeritur à S. Doctore) infert, quòd, ſi poſita determinata aliqua cogitatione alicuius boni, ſeu obiecti, voluntas noſtra mouetur, actu exercito in tale obiectum, inde non ſequitur, tunc voluntatem moueri ad exercitium actus ab obiecto. Nam ſi talis motus eſt naturalis, procedet, vt à mouente ad exercitium actus, ab auctore naturæ ipſius voluntatis, à qua, exiſtẽte in illa determinata diſpoſitione, qua ei repræſentatur apprehenſione abſoluta aliquod ſuum naturale obiectum, natura-

Explicatur, & defenditur Caietanus.

Digitized by Google

raliter prodit talis actus, seu motus naturalis. Sicut motus grauis; quo emanante ex ipsius grauitate, naturaliter mouetur deorsum, dum reperitur extra centrum, & non impeditum, procedit, vt à mouente, ab auctore naturæ ipsius grauis, seu à generante. Et inde dicit, quòd *in primo actu voluntatis, quem habemus naturaliter, velle illud non habet necessitatem exercitij ab obiecto, sed ex natura, existente in tali dispositione, quòd ad eam naturali necessitate sequitur velle.* Præterea, quia voluntas videntis Deum *est in dispositione tali, quòd ex natura sua actu prouenit amor, & delectatio* bonitatis Dei; ideo ex consequenti dicit, quòd prædicta voluntas mouetur ex necessitate quantùm ad exercitium actus in tale obiectum, non ab obiecto, formaliter loquendo, sed ab auctore naturæ ipsius voluntatis. Et quidem, quòd voluntas videntis Deum sit in prædicta dispositione, patet ex auctoritatibus D. Th. relatis num. 52. huius §. Si quidem visio beatifica non est dicta nec a beatis inuētum ex collatione ad finem; sed est absoluta apprehensio qua cognoscum, infinitū bonū à se visum, secundum se, & absolutè sumptum, esse sibi bonum, & amandum &c. Ad apprehensionem autem obiecti secūdùm bonitatem absolutam, quam ab ipso nos absolutè habemus, sequitur in nostra voluntate appetitus naturalis talis obiecti, prout naturalis appetitus distinguitur contra liberum. Vnde (vt supra notauimus) per similem apprehensionem habet voluntas dispositionem requisitā ad hoc, vt prodeat in appetitum naturalem circa tale obiectum apprehensum.

1318

55 Et tandem ex dictis patet, irrationabilem esse, nullam, ac euidenter contra ipsam experientiam, redargutionem qua Suarius Disp. 19. Metaph. sec. 8. num. 10. impugnat Caietani interpretationem, quā refert num. 9. his verbis: *D. Thomas ait,* (scilicet Caietanus) *non simpliciter negat, habere voluntatem aliquem actum necessarium quoad exercitium; sed negat pati illam necessitatem ab obiecto, quod verum est: quia prouenit solùm à naturali conditione, & propensione ipsius voluntatis:* Eamque redarguit cit. num. x. inquiens. *Ego autem in primis existimo, interpretationem esse contrariam D. Thomæ, & veritati. Primum patet. Nam D. Th. 1. p. quæst. 82. art. 2. absolutè negat, necessitatem quoad exercitium actus in nostra voluntate extra visionem beatam, & non loquitur tantùm ex parte obiecti, sed absolutè de ipsa.*

Irrationabiliter Suarius reprehendit Caietanum.

Primum, ex quo reprehendit Suarius Caietanū.

1319

56 *Secundum patet: quia sicut voluntas nullum actum habet, nisi concurrente obiecto in suo genere: ita nullam necessitatem patitur in suo actu* (loquor *de intrinseca & naturali necessitate*) *quæ non causetur ab obiecto in suo genere, scilicet in ratione causæ finalis allicientis & mouentis metaphoricè. Vnde etiam in statu beatitudinis, Deus clarè visus ita mouet voluntatem; vt in ratione obiecti, & vltimi finis illam ex necessitate determinet ad vnum &c.* 1320

Secundum Suarij motiuum.

57 *Quin etiam hæc doctrina sumitur ex eodem D. Thoma 1. p. q. 82. ar. 2. argumento 2. cum solutione. Erat enim argumentum: Obiectum comparari ad voluntatem, vt mouens ad mobile: motum autem necessariò consequi in mobili ex mouente. Respondet autem; quòd mobile tunc ex necessitate causat motum in mobili, cum potestas mouentis excedit mobile; ita vt tota eius possibilitas mouenti subdatur. Cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni vniuersalis, & perfecti; non subijcitur eius possibilitas tota alicui particulari bono; & ideo non ex necessitate mouetur ab illo. Ergo clarè sensit D. Thomas, totam possibilitatem voluntatis subijci bono vniuersali & perfecto: & ideo ex necessitate moueri ab illo.* Hæc Suarius. 1321

Confirmatio Suarij contra Caietanum.

58 Sed in primis non possum de tam egregio doctore non mirari, quòd tribuat D. Thomæ repugnantia eisdem locis, quæ pro se citat. Vnde peto ab eo, vt dicat: ex quibus verbis art. 2. quæstionis 82. primæ partis didicit primum illud tam patens, nempe, *quòd absolutè negat necessitatem quoad exercitium actus in nostra voluntate extra visionem beatam: & quòd non loquitur tantùm ex parte obiecti, sed absolutè de ipsa.* Dic mi Suarez ex quibus verbis prædicti art. hæc didicisti? 1322

Suarius tribuit D. Th. repugnantia eisdem locis, quæ citat.

59 Porrò S. Doctor in eo art. post allatum exemplum de his, quæ conueniunt intellectui circa proprium obiectum, sic rem prosequitur circa voluntatem: *Similiter etiam ex parte voluntatis sunt quædam particularia bona, quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem: quia sine his potest aliquis esse beatus, & huiusmodi voluntas non de necessitate inhæret. Sunt autem quædam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhæret, in quo solo vera beatitudo consistit: sed tamen antequā per certitudinem diuinæ visionis necessitas huiusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhæret, nec his, quæ Dei sunt. Sed voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhæret Deo; sicut nunc ex necessitate volumus esse beati. Patet ergo quòd voluntas non de necessitate vult, quæcūque vult.* Hæc S. Doctor, & nihil aliud in corp. art. 1323

Refertur doctrina S. Thomæ citata à Suario.

60 Dicat modò Suarius: vnde ex prædictis verbis habet, quòd S. Doctor negat voluntati necessitatem exercitij actus præter visionē beatam. Iam enim nec vllum verbum habet de distinctione illa necessitatis, quantùm ad exercitium actus, & quantùm ad specificationem. Et quidem si

Ex verbis D. Thomæ citatis à Suario demōstratur imposuisse Suarium

Digitized by Google

D. Thomæ contradictoriū eiusdem doctrinę.

si Suarius illa verba: *Sunt autem quædam habentia necessariam connexionem cum beatitudine, quibus scilicet homo Deo inhæret in quo sola vera beatitudo consistit; sed tamen, antequā per certitudinem diuinæ visionis necessitas huiusmodi connexionis demonstretur, voluntas non de necessitate Deo iuberet, nec his, quæ Dei sunt. Sed voluntas videntis per essentiam de necessitate inhæret Deo*; præter im hæc vltima contenderet, intelligi debere de necessitate quantùm ad exercitium actus: ii D. Thomas adiunxit: *sicut nunc ex necessitate volumus esse beati*: & sic extra visionem beatam, nunc scilicet, concedit eandem necessitatem voluntati circa actum, quo volumus nunc esse beati. Et hoc sanè includit cōtradictorium propositionis Suarii. Doctrina etiam S. Thomæ est euidens: nam, sicut, suppositā visione beata, voluntas de necessitate inhæret Deo per actum indeliberatum amoris, & complacentiæ; ita, suppositā naturali apprehensione, qua absolutè ipsa beatitudo repræsentatur vt bona; ex necessitate voluntas prorumpit in actum indeliberatum appetendi beatitudinem.

1324

Impugnatur iterum Suarius.

61 Ampliùs si D. Thomas extra visionem beatam negat necessitatem adhærendi his, quæ ad veram & supernaturalem beatitudinem sunt connexa: num propter hoc negat necessitatem adhærendi his, quæ beatitudini ipsi naturaliter cognitæ, sunt naturaliter connexa? quis hoc dicet? Oppositum enim docet euidenter D. Thomas, qui sicut verbis proximè relatis docet, quòd *nunc ex necessitate volumus esse beati*; ita verbis relatis num. 51. huius §. concludit: *Vnde naturaliter homo vult, non solùm obiectum voluntatis* (scilicet bonum commune, seu beatitudinem) *sed etiam alia, quæ conueniunt aliis potentijs, vt cognitionem veri, esse, viuere, & huiusmodi alia*. Et quidem, si naturaliter talia vult, vtique ex necessitate. Nunc ergo quis patienter ferat audire, quòd dictum Suarij sit patens in D. Thoma; quando ipse S. Doctor docet contradictorium?

1325

Impugnatur tertiò.

62 Et hic nota: quòd licet in sententia S. Thomæ sit verum, quòd voluntas nostra nullum habet actum necessarium simpliciter, quantùm ad exercitium, qui scilicet semper voluntati ineat: non tamen est verum; sed falsissimum in eius sententia, quòd, quantùm ad exercitium, nullum habet actum necessarium secundum quid, seu dum existit in aliqua determinata dispositione, vt patet verbis relatis num. 50. sicut enim cum priori propositione ita, quòd voluntas videntis Deum habet necessitatem exercitij actus in ipsum Deum; ita voluntas cogitantis, seu apprehendentis apprehensione absoluta aliquid, quod homini naturaliter est bonum, habet necessitatem exercitij actus circa tale bonū. Nec sane hoc est disputabile: cum euidens sit in omnibus actibus voluntatis indeliberatis, de quibus sæpissimè S. Doctor agit.

1326

Manifestatur quarto defectus Suarij arguentis Caietanū.

63 Sed nunc manifestem s, qualiter Suarius secundo loco deficiat, dum credit, se patenter probare, interpretationem Caietani esse contrariam veritati. Porrò id probat; *quia sicut voluntas nullum actum habet; nisi concurrente obiecto in suo genere; ita nullam necessitatem intrinsecam, & naturalem patitur in suo actu, quæ non causetur ab obiecto in suo genere, scilicet causæ finalis mouentis metaphoricè*. Sed quid inde? num propter hoc interpretatio Caietani erit contraria veritati? Num Caietanus negat, quòd necessitas, quam habet voluntas circa actus suos naturales, quando est in determinata dispositione, in qua naturaliter prorumpit in illos, non est ab obiecto, vt fine, qui metaphoricè mouet agens ad mouendam voluntatem ad exercitium actus: an verò quòd non est ab obiecto, et à termino, & vt à mouente effectiuè, & vt agens verè, & propriè ad exercitium actus? Caietanus non negat primum, quod assumit Suarius; sed hoc secundum, vt per se patet. Ampliùs, obiectum potest comparari ad actum voluntatis, vt terminus, à quo specificatur actus; & sic habet rationem mouentis, vt mouet obiectum; & potest comparari ad agens, quod mouet voluntatem ad exercitium actus; & sic habet rationem finis, in quem agens, seu mouens effectiuè voluntatem, ordinat motum eiusdem voluntatis. Sicut centrum potest comparari ad motum grauis, vt terminus, ad quē terminatur motus, & à quo sumit speciem motus deorsum; Et potest comparari ad generans, quod inferendo graui grauitatem, illud ordinat per motum ad quiescendum in centro. Et secundùm hanc considerationem centrum habet rationē finis mouentis metaphoricè generans. Sic igitur suo modo verum est, quòd, quando motus voluntatis est naturalis, quo mouetur voluntas à generante, seu creante, obiectum habet rationem finis mouentis metaphoricè ipsum generans, seu creans ad mouendum effectiuè ipsam voluntatem ad exercitium actus. Sed hoc quomodo reddet interpretationem Caietani veritati contrariam?

1327

Radix defectus Suarij manifestatur.

64 Scio, deceptum fuisse Suarium in eo, quòd existimauit, quòd obiectum, in quod tendit voluntas nostra per motū, seu actum sibi naturalem, exerceat causalitatem causæ finalis, seu motionem metapho-

Digitized by Google

taphoricam in ordine ad voluntatem nostram, quæ motu naturali mouetur; cum tamen non in ordine ad voluntatem, quæ naturali motu mouetur; sed in ordine ad agens, seu causam efficientem, quæ voluntatem nostram effectiuè mouet in actum naturalem, prædictam causalitatem, seu motionem metaphoricam exerceat. Sicut enim signum in quod mouetur sagitta à sagittario, non allicit, seu metaphoricè mouet sagittam ad hoc vt tendat, & mouentur in signum; sed allicit, & metaphoricè mouet sagittarium, quod mouet sagittam in signum. Ita in motibus naturalibus, quibus res mouentur à generante in determinatum signum, seu finem, finis, seu id in quod res naturali motu mouentur à generante, allicit, & metaphoricè mouet ipsum generans ad mouendum res naturales in finem; non autem allicit ipsas res, quæ mouentur effectiuè a generante in finem. Et licet hoc ipsum, in quod tendunt res naturales per motus naturales, sit finis, quem assequuntur per tales motus; allicientiam tamen, & motionem metaphoricam exercet proximè in ordine ad agens, vt per se patet.

1328

65 Apparet igitur ex dictis, quòd motus indeliberati, seu actus voluntatis naturales, in quos prorumpit, voluntas ex necessitate naturæ determinata ad vnū, & vt mota à generante, dependent quidem ab obiectis, vt à quibus desumunt specificationem; non autem, vt ab allicientibus, seu metaphoricè mouentibus ipsammet voluntatem in eosdem actus, vt putat in sua vniuersali propositione Suarius. Et cum toto hoc deinde verum est, quòd in ordine ad actus liberos, quibus voluntas ex volitione finis per consilium rationis se mouet ad eligēda ea, quæ sunt ad finem, obiectum illud, quod in tali processu habet rationem finis allicit, & metaphoricè mouet voluntatem, vt alio loco Deo dante explicabimus, rationemque dabimus à priori. Et hinc demū concludo, quòd ratio, quam, ad reuincendum Caietanum esse veritati contrarium, patentem existimat Suarius, & falsum assumit, & est inutilis ad propositum. Assumit quidem falsum: dum dicit, quòd obiectum actus, in quem prorumpit voluntas ex necessitate intrinseca, & naturali, causet actum alliciendo, & mouendo metaphoricè voluntatem, vt mouet finis causam efficienter mouentem. Est verò inutilis ad propositum: quia, esto assumptum esset verum; non posset tamen ex eo inferri, esse veritati contrariam propositionem Caietani, qua de obiecto negat, non motionem metaphoricam, sed veram & effectiuam, qua mouet agens suum mobile ad exercitium actus, de qua loquitur S. Doctor in principio corp. articuli secundi q. x. 1, 2. dum inquit, *quòd voluntas mouetur dupliciter; vno modo, quantùm ad exercitium actus; alio modo quantùm ad specificationem actus, quæ est ex obiecto.* Agens enim de hac distinctione S. Doctor eadem prima 1. 2. q. 9. præcedenti art. 1. docet, quòd motio, quantùm ad exercitium actus *est ex agente*, illo scilicet, quod agit propter finem. Hanc ergo motionem, quæ est ex agente, negat Caietanus obiecto; non autem illam, quæ est ex fine, qui mouet metaphoricè ipsum agens, quod mouet efficienter propter finem.

1329

66 Sed videamus; an saltem confirmatio, desumpta ex D. Thoma verbis relatis num. 57. huius §. sit intentioni Suarij vtilis. Verùm inutilem, & temerè de motione ad exercitium actus intellectam cōuincit ipsemet D. Thomas, qui idem omnino argumentum eandemque responsionem, loquens expresè de obiecto voluntatis, affert illo eodem loco 1. 2. quem pro se citauit Suarius. *Art.* enim 2. quæst. x. proponit primum argumentum, & soluit, vt infra. *Obiectum voluntatis comparatur ad ipsam, sicut motiuum ad mobile, vt patet in 3. de Anima. Sed motiuum, si sit sufficiens, ex necessitate mouet mobile. Ergo voluntas ex necessitate potest moueri à suo obiecto*, Hæc in argumento. Respondet. *Ad primum dicendum, quòd sufficiens motiuum voluntatis, est obiectum, quod totaliter habet rationem motiui; si autem in aliquo deficiat, non ex necessitate mouebit, vt dictum est*, scilicet in corp. eiusdem articuli. Nunc peto à Suario, si agnoscit discrimen inter responsionem & argumentum modò allatum, & inter allatum ab ipso. Et quidē si aliquod agnoscit; promat illud. Si verò nullum; peto. An in prædicto argumento, & responsione sermo sit de obiecto mouente voluntatem ad solam speciem actus, An etiam de mouente ad exercitium actus. Ita vt sensus argumenti sit: Obiectum voluntatis comparatur ad ipsam, vt motiuum ad mobile, tùm quantùm ad speciem, tùm quantùm ad exercitium, seu vsum actus. Sed motiuum, si sit sufficiens, ex necessitate mouet mobile. Ergo voluntas ex necessitate potest moueri à suo obiecto tùm quantùm ad speciem, tùm quantùm ad exercitium actus. Responsio verò sit: *Ad primum dicendum, quòd sufficiens motiuum voluntatis*, tùm quantùm ad speciem, tùm quantùm ad exercitium, seu vsum actus, *est obiectum, quod totaliter habet rationem motiui: si autem in aliquo deficiet, non ex necessitate mouebit, vt dictum est.* in corp. 5. articuli.

Et

Motus indeliberati voluntatis dependent ab obiectis, non vt à mouentibus voluntatem, sicut finis mouet metaphoricè causam efficientē. Oppositum accidit in actibus liberis.

Ratio Suarij contra Caietanū assumit falsum, & est inutilis ad propositū.

Ex ipsomet S. Thoma conuincitur Suarius, inutiliter & temere confirmasse intentionem suam verbis S. Doctoris.

Digitized by Google

1330 67 Et quidem si primum eligit; tunc euidenter continetur malè voluisse doctrina prædicta; responsionis probare contra Caietanum, voluntatem videntis Deum moueri ex necessitate quantùm ad exercitium actus ab obiecto viso, seu bono vniuersali. Si verò eligit secundum; tunc tenetur doctrinam proximè relatæ responsionis ad primum inuenire in corpore articuli. Si quidem responsionem concluſit, per ly, *vt dictum est*. in corpore autem articuli docuit S. Doctor totum oppositum, nempe, *quòd quantum ad exercitium actus voluntas à nullo obiecto ex necessitate mouetur*; & quòd in *obiectum, quod est vniuersaliter bonum, & secundùm omnem considerationem ex necessitate voluntas tendit in illud, si aliquid velit, non enim potest velle oppositum*; quod idem est (vt parum supra S. Doctor seipsum explicuit) quòd voluntas solum quantùm ad speciem actus mouetur ex necessitate ab obiecto, quod est vniuersaliter, & secundum omnem rationem bonum: non autem ab alijs particularibus bonis quæ inquantùm deficiunt ab aliquo bono, possunt apprehendi, vt non bona. Et sic responsio contradiceret euidenter doctrinæ corporis articuli, si secundam partem dilemmatis eligeret Suarius. Et hæc satis sint ad redarguendum Suarium in his, quæ affert in tertia obiectione.

Vrgetur eadem ratio.

§. IV.

Obiecto quarta ex P. Roderico de Arriaga, Vasquez, & alijs P.P. Societatis, soluitur; eiusque auctores de mala consequentia conuincuntur.

1331 1 OBijcies 4. ex P. Arriaga, qui disp. 2. de Anima, postquam posuit ex Suario, Vasquez, & aliis suæ familiæ, imperium rationis, seu iudicium practicum singularis agibilis, non requiri ad liberam electionem voluntatis, affert secundam rationem his verbis: *Secundò, quia hoc imperium tollit manifestè libertatem. Nam, illo posito voluntas non potest resistere: ergo cedit illi necessariò*. Et inde credit inferri. Ergo manifestè tollit libertatem. Idem motiuum attulit prius Vasquez. 1. p. quæst. 23. ar. 3. disp. 98. cap. 5. nu. 31. & idem inuenies apud alios.

Discursus Arriagæ.

2 Circa modum proponendi hanc rationem aduerto, mirum non esse, hos doctores existimasse, imperium rationis, seu vltimatum iudicium rationis practicæ manifestè tollere libertatem. Ipsi enim existimarunt (vt notauimus §. 1. huius disp. num. 9. soluentes primam rationem Suarij, & num. 27. soluentes rationem Requesenij.) libertatem esse quoddam implicans contradictionem, & manifestè repugnans ei, per quod agens liberum habet dominium suarum actionum, eique in quo consistit vera ratio libertatis. Et inde est, quòd sicut libertati excogitatæ ab his doctoribus repugnat manifestè id, in quo consistit vera ratio libertatis explicatæ ab Aristotele, & S. Thoma, vt notauimus disp. præcedenti §. 22. num. 26. ita eidem manifestè repugnat imperium rationis, per quod secundùm D. Thomam verbis relatis disp. 1. §. XII. num. 18. & alijs infra referendis, agens liberum habet dominium suarum actionum. Valde tamen mirum esse existimo, potuisse hos doctores suam quasi supponere existimationem, ex eaque suppositè argumentari; quando non videtur probabile, latuisse eos, manifestè repugnare dictis D. Thomæ, & Aristotelis talem excogitationem.

Excusatur modus arguendi ad uersariorũ

Vide etiã disp. præcedenti §. 25. nu. 33.

1332 3 Quare respondens, vtique concedo, imperium rationis tollere, seu excludere eam libertatem consistentem in illa indifferentia, quam §. 1. huius disputationis num. 27. diximus ex doctrina S. Th. contradictionem inuoluere, inuenirique minimè posse, siue in increata, siue in creata voluntate; nego tamen illud excludere veram libertatẽ toties a D. Thoma, & ab Aristotele explicatam. Et ad probationem concedo, quòd voluntas non potest resistere rationis imperio. Nego deinde, ex hoc inferri posse, excludi libertatẽ à voluntate. Immo assero (quod supra etiam sæpius dixi) quòd ex hoc voluntas habet actiones liberas, & existentes in suo dominio, & potestate, quod eas habet imperio rationis obsequentes, vt physicè, & per necessariam consequentiam illatas ab eodem imperio, cui voluntas ipsa nullam habet potentiam resistendi; sicut omne proportionatum mobile eam non habet in ordine ad suum connaturalem motorem. Ad hanc autem responsionem explicandam excitamus.

Respondetur obiectioni.

DVBIVM VNICVM ad quartam obiectionem.

An excludatur libertas à voluntate propter hoc, quod ponitur subordinata rationis imperio, non valens illi resistere.

1333 4 VT aduersarius ipse responsionem acceptet, ipsoque suo argumento conuincatur, peto ab ipso, vt sequentem, suæ rationi similem, soluat. Voluntas non potest sibi ipsi resistere: ergo cedit sibi necessariò: ergo non est

Non requiritur ad libertatem voluntatis vt possit sibi ipsi resistere.

Digitized by Google

est libera. Quis non videt, ad libertatem voluntatis non requiri, vt ipsa possit sibi resistere? Licèt enim repugnet libertati voluntatis, ipsam non posse resistere alteri agenti creato impellenti ipsam in actum; ac per hoc spectet ad voluntatis libertatē habere potentiam resistendi alijs, quibuscuis creatis agentibus; non tamen pertinet, ad libertatem voluntatis habere potentiā resistendi sibi ipsi. Vnde sicut includitur in ratione cuiuscunque entis, quòd non sit sibi ipsi repugnans, sed necessariò sit vnumquodque ipsum, quod est, & ex consequenti repugnat, quòd aliquid sibi ipsi resistat; ita includitur in ipsa ratione potentiæ liberæ, non posse sibi ipsi repugnare, & ex consequenti non posse sibi ipsi resistere. In quibus enim nulla est repugnantia, nulla resistentia intelligi potest. Licèt etiam cum toto hoc deinde verum sit, quòd si aliquid sit compositum ex partibus contrarijs, possit ratione vnius partis sibi esistere quantùm ad aliam partem: secundùm quem modum dicimus, quòd ratio resistit sensui, & sensus rationi, iuxta illud Apostoli Ro. 6. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

1334 5 Hoc posito iterum ab aduersario inquiro: An hoc iudicium perfectè practicum, seu imperium, siue etiam deliberatio rationis (hæc, vt sæpè diximus, in idem incidunt) moueat voluntatem ad exercitium actus virtute propria, an virtute voluntatis præsuppositæ? Respondet S. Doctor 1.2.q.17.ar.1. in corp. verbis relatis disp. præcedenti §. 24. nu. 5. quòd non mouet virtute propria; sed virtute voluntatis præsuppositæ, vt mouet secundum mouens in virtute primi mouentis. Si ergo imperium rationis non mouet, nisi in virtute voluntatis, vt primi mouentis, voluntas est illa, quæ principaliter mouet per rationis imperium, vt per secundum, & sibi subordinatum mouens. Sicut; quia serra non secat; nisi virtute fabri, faber est qui principaliter per serram secat. Et similiter in moralibus; quia carnifex non punit reos; nisi virtute iudicis, impellentis ipsum carnificem ad puniendum, iudex est, qui punit reos per carnificem. Sicut ergo est impossibile, quòd faber resistat serræ, dum per serram secat, & Rex ministro, dum per ministrum agit; ita est impossibile, quòd voluntas resistat imperio, dum ipsa est, quæ per imperium mouet seipsam. Et sicut non pertinet ad libertatem, quòd voluntas sibi ipsi possit resistere; ita nec ad libertatem pertinet, quòd possit resistere rationis imperio.

Imperium rationis non mouet voluntatem; nisi virtute eiusdem voluntatis; ac per hoc voluntas est, quæ principaliter mouet seipsam per imperium. Vt exemplis explicatur.

1335 6 Quin immo ex hoc volūtas est magis libera, & magis habens actum suum sub potestate sua: quia habet suum actum sub potestate rationis, per quam sibi imperat actum suum. Sicut homo magis liberè percutit illum, quem habet sub potestate gladij sui, & cuius gladio non posset resistere, quàm qui gladio resistere posset: & Iudex magis liberè puniret reū, quem haberet sub potestate carnificis, quàm qui posset carnifici resistere, & repugnare. Porrò intellectus, quantùm ad hoc, quòd per imperium mouet voluntatem ad exercitium actus, minister est voluntatis; nullam ad hoc habens potestatem; nisi quam ab ipsamet voluntate accipit. Per hoc ergo voluntas magis habet sub potestate sua suos proprios actus, quòd eos habet magis obsequentes, & minimè repugnantes imperio rationis, qua vtitur, vt ministro ad se mouendum; sicut & Rex eos magis habet suæ potestati subiectos, quos magis habet obsequentes, & minimè repugnantes ministris, qui regia virtute operantur. Et inde est, quòd sicut idem esset resistere gladio, & resistere ferienti: & idem resistere ministris regijs, & resistere Regi: ita idem esset resistere imperio rationis, per quod voluntas ipsa seipsam mouet, & resistere voluntati. Sicut ergo non requiritur libertati voluntatis, vt possit sibi resistere, & repugnare; ita non requiritur, vt possit voluntas resistere imperio rationis, per quod voluntas ipsa mouet seipsam.

Voluntas ex hoc est magis libera, quod habet actiones sub potestate rationis imperātis.

§. V.

Obiectio quinta ex Ruiz, Arriaga, & alijs soluitur, ipsismet obijcientibus conuictis.

1 OBijcies quinto ex Ruiz Disp. 54. de Scientia sec. 6. num. 21. vbi quartam rationem pro sua sententia sic proponit. 1336

Discursus Ruiz.

Quarto probatur: quia homini docto erit impossibile, nisi admittendo hæresim, habere in mente errorem, quem fingit opposita sententia, videlicet, quòd iudicat adulterium hìc, & tali personæ, nunc, omnibus pensatis esse castitati præferendum. Impossibilitatis huius ratio est. Quoniam hæc propositio: Hoc adulterium hìc, & nunc, & tali personæ omnibus pensatis, præferendum est castitati, infert euidenter hanc propositionem: Aliquod adulterium alicubi, aut aliquando, aut comparatione alicuius personæ, omnibus pensatis, præferendum est castitati. Hæc autem propositio est directè contradictoria huius propositionis, quæ fide supernaturali, & euidentissima ratione naturali perspicua est, videlicet, Quodlibet adulterium vbique, & semper, & compara-

Nota quod iudicium excogitauit, & imposuit Thomistis.

Digitized by Google

paratione cuiuslibet personæ, omnibus pensatis, nō est præferendum castitati.

1337 2 Hanc ipsam rationem, quibusdam variatis & additis, proponit P. Arriaga disp. 8. de Anima sec. & subsec. prima nu. 16. & sic habet: *Si tale iudicium requireretur ex parte intellectus; nullus posset peccare, qui prius non esset hæreticus: hoc autem dicere plane est hæreticum. Diffinitum est enim in Concilio Tridentino non quolibet peccato, etiam mortali, amitti fidem. Sequela probatur; quia illud iudicium, quo quis diceret: hic, & nunc absolutè tibi est magis expediens actus peccati, vel necessarium est vt actum peccati facias opponitur veritati catholicæ, quæ docet, nec hominem teneri ad peccandum, & absolutè melius esse non peccare, quàm peccare. Ergo si illud requireretur ad quemlibet actum peccaminosum, requireretur hæresis ad peccandum. Immò etiam quando homo aliàs bene operatur, erraret contra fidem in eo iudicio; quia diceret, se teneri physicè hic & nunc ad bene operandum, quod etiam est contra fidem. Sicut enim non est necessitas ad peccandum, ita nec ad bene operandum.* Ita Arriaga. Et nota quòd non immeritò verba retuli, quibus vterque auctor eamdem rationem proponit. Quilibet enim aliquid adiungit proprium, quo errat circa sensum iudicij vltimati de singularibus agendis; ac per hoc oportuit vtriusque verba transcribere, vt proprios vtriusque defectus manifestaremus.

Discursus Arriagæ.

Expende quod iudicium excogitauit, vt contra D. Thomæ, & Aristotelis sententiam sub pretextu prædicti iudicij posset argumentari.

Responsio prædictæ obiectionis.

1338 3 ET ad Ruiz quidem respondens, in primis aduerto, quòd nimis licenter loquitur, dum dicit, quòd sententia agnoscens vltimatum iudiciū practicum, fingit errorem. Itaque Aristoteles & D. Thomas, qui toties, & tam multa de conclusione, & sententia illata per syllogismum practicū, inferentē illatione necessaria liberum actum electionis, finxerunt errorem? Excessit procul dubio: sed excusatione dignus hic auctor; ipse enim habuit in mente figmentum. Dico igitur, quòd non est Aristotelis, & D. Thomæ fictio iudicium practicum singularis agibilis, seu conclusio, & sententia illata per syllogismum operatiuum, inferens illatione necessaria actum liberum electionis; sed est mera fictio, & purum figmentum ipsius Aduersarij hoc puta, quòd iudicium practicum ad quòd sequitur electio adulterij, siue in catholico adulterante, siue in quouis hæretico habituali debeat esse istud, nempe: *Hoc adulterium hic, & nunc, & tali personæ præferendum est castitati.* Et similiter dico Arriagæ, quòd, non solùm verbis inordinatis, æquiuocis, & improprijs; sed etiam in falso sensu dicit, quòd iudicium practicum hominis peccantis, quocumque actu peccati debeat esse istud, scilicet, *hic, & nunc absolutè tibi est magis conueniens actus peccati, vel necessarium est, vt actum peccati facias.* Sicut etiam falsum est, quòd iudicium practicum hominis operantis bonū sit istud: *se teneri physicè hic, & nunc ad bene operandum.*

Ruiz nimis licenter loquitur.

Excessit, sed excusandus; quia habuit in sua mente figmentum.

Quid dicendum Ruizio.

Quid dicēdum Arriagæ.

4 Dixi, *debeat esse*: quia non negamus, adulterantem hæreticum habere quandoque simile dictamen. Ille enim, qui ad se inducendum in actualem commissionem adulterij, applicaret hanc determinatam hæresim, qua crederet, adulterium esse præferendum castitati, erraret etiam in singulari dictamine, quo iudicaret, hic, & nunc sibi adulterandum esse, posset que habere illud iudicium excogitatū à Ruiz. *Hic, & nunc adulterium præferendum est castitati.* Id quod negamus est, quòd nostra sententia aserat, prædictum iudicium, vel dari in catholico adulterante, vel esse debere in quocunque adulterante, etiam hæretico infecto hac determinata hæresi, qua existimaret adulterium præferendum esse castitati. Non enim oportet, quòd iste talis, quoties sibi insurgit occasio ad adulterium committendum, cogitet de castitate, vel de sua hæresi, ipsamque applicet ad sententiam concludendam de committendo adulterio. Posset enim discurrere ex alijs principijs. Vt si sic syllogizaret. Non est omittenda occasio sumendi delectationem, quando prompta est, secura, facilis, & non potest aliàs haberi. Sed hic, & nunc, data est mihi occasio sumendi delectationem cū hac muliere: quia incidimus soli in locum in quo seipsam mihi negare non potest, & negotium sciri nequit, & hanc occasionē ampliùs nō habebo. Ergo hic, & nunc sumēda est delectatio cum hac muliere; & sic committere adulterium, vel incestum, vel aliud enormius crimen. Hoc autem dictamen, quo iste talis iudicaret hic & nunc sibi sumendam esse delectationem cum hac muliere; licet falsum esset falsitate practica, dum iudicatum non esset conueniens appetitui recto, secundùm ea, quæ cum Aristotele docet S. Doctor lib. 6. Ethi. lec. 2. litera textuali, f: non tamen processisset ex illa hæresi, tamquam ex principio applicato ad deducendum tale dictamen; neque etiam ex cogitatione castitatis, vel adulterij.

1339 *Nec in Catholico, nec in hæretico adulterante est necessariū iudicium excogitatū a Ruiz.*

Exemplo manifestatur.

Falsum rationis practicæ in difformitate ad appetitum rectum consistit.

5 Similiter diximus Arriagæ, *quòd non solùm verbis inordinatis, æquiuocis, improprijs; sed etiam in falso sensu &c.* Quia iste Doctor, non solùm imponit nostræ, & D. Thomæ

Quid dicēdum Arriagæ.

Digitized by Google

mæ sententiæ iudicium, ad quod sequitur electio, esse id, quod nec somniauimus, estque merum figmentum; sed etiam vt posset facilè sua conficere argumenta cum tali industria composuit, & formauit; vt vitia, verbis modò relatis expressata, includat. Sed agè iam excitatis specialibus dubijs, videamus hæc ipsa, quæ in responsione diximus.

DVBIVM PRIMVM ad quintam obiectionem.

An iudicium de hoc particulari operabili, vt nunc, ad quod secundum Aristotelem, & D. Thomam sequitur ex necessitate actus electionis conformis iudicio, & quod nunquam potest esse contrarium appetitui, sit ab Aristotele, & D. Thoma confictum.

1340 6 Disputatione prima huius Tract. §. 11. a num. 28. ad 34. & Disp. præcedenti §. 23. a num. 85. ad 92. & in præsenti disp. §. 2. à num. 7. ad 19. & a 24. ad 29. retulimus loca quædam Aristotelis, & S. Doctoris, quibus docent, ad iudicium conclusionis syllogismi operatiui, seu determinatæ per rationis consilium, sequi ex necessitate actum electionis conformè iudicio. Et *quod, iudicium de hoc particulari operabili, vt nunc, nunquam potest esse contrarium appetitui*. Dubitamus modò occasione nobis data à Ruizio verbis in obiectione relatis: An prædictum iudicium sit merum figmentum à D. Thoma, & ab Aristotele confictum.

Ratio dubitandi explicatur.

Ridiculum prima facie dubium hoc videri posset. Quis enim, Aristotelem in explicandis rerum naturis, dicet, figmentorum inuentorem? quis D. Thomam Aristotelem sequentem, explicantem, defendentem? Verùm, non immeritò excitatum dubium, demonstrat Ruizius supra relatus, alijque omnes, qui cum Suario, Arriaga, & cæteris eiusdem familiæ existimant, tale iudicium impossibile, & repugnans naturæ voluntatis liberæ. Asserere enim dari in rerum natura id, quod est impossibile, & repugnans dari, plane est figmentum, & confictum.

Resolutio dubij.

1341 7 Dicendum est autem prædictum iudicium non esse fictitium, sed experientiâ, manifestum, & euidenti ratione demonstratum. Ita colligitur ex locis Aristotelis, & D. Thomæ num. præcedenti citatis remissiuè, & alijs infra referendis.

Rationem

Resolutio trib habet partes, quarum

practicè am discurrere est experientia manifestum.

prima, qua negamus prædictum iudicium esse fictitium, dependet ex duobus posterioribus, quibus asserimus esse experientia manifestum, & euidenti ratione probatum. Has igitur posteriores vt manifestemus, supponimus, quòd homo experitur, se per rationem practicam discurrere, & per discursum inquirere de operabilibus à se, quid sit agendum. Non enim ob aliud virtus nostra intellectiua dicitur ratio, nisi quia est discursiua: nec ob aliud dicitur practica; nisi quia est de operandis, & agendis à nobis. Est enim ratio practica operatiua, sicut habitus practicus, est operatiuus. Vnde consueuit distingui ratio practica cum Augustino 12. de Trinit. in superiorem, quæ in suo discursu procedit tanquam ex regulis agendorum ex rationibus æternis: & inferiorem, quæ, vt ex regulis agendorum, procedit ex rationibus temporalibus, vt videre est apud D. Thomam 1. p. qu. 79. ar. 9. & alibi sæpissimè.

1342

Hominem discursu practico concludere, & inuenire, est etiam experientia manifestum.

8 Ex hoc deinde sequitur, non esse minori experientia manifestum, quòd homo quãdoque per discursum rationis practicæ perueniat ad conclusionem, seu inuentionem eius, quòd tali discursu intendit inuenire circa operanda, & agenda. Oportet enim, quòd homo per motus sibi connaturales (qualis est discursus rationis practicæ, quo consiliatur de operabilibus, seu agibilibus, & applicat consiliata ad opus) quandoque perueniat ad terminum, in quem per se tendunt tales motus. Terminus autem, in quem per se tendit motus discursus nostræ rationis, est conclusio, qua de quæstionibus sibi propositis concludendo definit, dicens: ergo ita est, vel non est, vt si inquirat: An homo sit risibilis; terminus talis inquisitionis, seu discursus est conclusio, qua ex principijs definiendo concludit: ergo homo est, vel non est risibilis. Et ita fit quòd terminus discursus rationis practicæ inquirentis de operabilibus, seu agibilibus ab homine: an hoc, vel illud sit nunc agendum, vel non agendum, sit conclusio, qua ex principijs agibilium concludendo diffinit, dicens, hoc esse, vel non esse nunc agendum. Est ergo ipsa experientia, & euidenti ratione manifestum, habere hominem istas conclusiones, seu decisiones, rationis practicæ, quibus concludendo definit, determinat, dictat, &c. quòd hoc nunc sit, vel non sit agendum. Hæc autem conclusio seu quæstionis agendorum decisio, est iudicium practicũ, seu imperium, quòd nos ponimus, & ad quod sequitur ex necessitate actus liber electionis nostræ voluntatis secundum D.

Terminus cuiuslibet discursus rationis est propositio, qua pronuncia tur, aliquid esse, vel non esse.

Digitized by Google

1343 Thomæ, & Aristotelis sententiam.

Responsio, quæ posset dari ab Aduersarijs.

9 Dices, non tantùm desipere aduersarios, vt negent prædictas conclusiones rationis practicæ quas dari, experientia ipsa conuincit. Quis enim negabit consiliari nos de operabilibus à nobis, seu de his, quæ sunt in nostra potestate? quis negabit, rationis consilium importare in nobis inquisitionem, seu discursum? quis negabit, per talē discursum peruenirī quandoque ad conclusionem, quam intendit humanum consilium inuenire, qua scilicet pronunciatur, quod nunc agere, vel non agere hoc, est conueniens, vel non conueniens fini intento; ac per hoc, quòd nunc est agendum, vel non agendum pro fine. Id quòd negant est, quòd iudicium sic per rationem practicā pronunciatum, conclusum, & sententiatum, inferat ex necessitate actum voluntatis salua libertate actus. Volunt enim primò Aduersarij, quòd, quamuis intellectus per suam sententiam dictet, aliquam actionem nunc esse agendā pro fine volito: voluntas tamē quandoq; agit oppositum talis dictaminis, ipso dictamine existente; ac per hoc volunt, quòd voluntas possit componere cū dictamine vltimato practicè practico actum voluntatis oppositum. Hinc Ruiz de Scientia disp. 54. sec. 6. num. 34. in fine sententiam suam concluſit his verbis. *Vnde generaliter concludo, contingere posse, vt voluntas operetur contra quodcumque dictamen aut iudicium rationis, tam vniuersale, quam particulare, & vltimatè practicum.*

Quid negant, quidque asserūt Aduersarij.

1344 10 Existimant secundò, quòd dictamen practicum, seu imperium rationis inferens per physicam, & necessariam consequentiam actum, & operationem voluntatis conformem dictamini, assertum à Thomistis, non importet istas conclusiones, quas verè, sicut nos experimur, deducit ratio practica, sed importat quoddam iudicium erroneum, repugnans naturæ voluntatis, & confictū ab ipsis Thomistis, puta, iudicium, quo iudicatur, aliquid esse omnino necessarium, vt fiat, vt videre est apud Suarium Disp. 19. Metaphy. sec. 6. nu. x. & apud Arriagam verbis relatis in hoc §. num. 2. vel quo iudicatur (vt loquitur ipse Arriaga, quòd *hic & nunc absolutè tibi est magis conueniens actum peccati, vel necessarium est, vt actum peccati facias.* Vel (vt loquitur Ruiz.) *Non adulterium hic, & nunc, & tali personæ, omnibus pensatis, præferendum est castitati.*

Forundem alia excogitatio explicatur.

1345 11 Sed contra est. Nam iudicium ad quod (secundùm Aristotelis & D. Thomæ sententiam, quam sequuntur Thomistæ) per physicam, & necessariam sequelam sequitur actus liber voluntatis, pertinens, siue ad aliquod vitium, siue ad aliquam virtutem aliud esse non potest, quàm aliqua conclusio rationis practicæ deducta per syllogismum operatiuum, vt patet ex locis Aristotelis, & D. Thomæ à nobis relatis Disp. prima §. xi. a num. 28. ad 33. & repetitis Disp. præcedenti §. 22. à num. 85. & 86. præsertim relatis in priori loco nu. 29. & 31. & adde doctrinam S. Thomæ, quam habet. Quæst. 3. de Malo ar. 9. ad 7. quàm dubio sequenti verbotenus referemus. Et ex hoc deinde apparet esse falsum, & merè inuentum, & confictum ab aduersarijs Thomistarum, D. Thomæ, & Aristotelis, docuisse Thomistas iudicium vltimatum practicè practicum, seu rationis imperium consistere in aliquo ex iudicijs à prædictis Recentioribus recensitis, vt in dubijs sequentibus demonstrabimus, explicantes verum sensum conclusionis syllogismi operatiui, qua ratio practica applicat ad opus, & importat iudicium sententiatum finali sententia, estque imperium inferens necessaria illatione actum liberum voluntatis.

1346 12 Supposito ergò, quòd non ita desipiunt aduersarij, vt negent nostram rationem practicam discurrere de agendis à nobis, & quæ sunt in nostra potestate; ita vt concedant, quòd ex aliquo principio vniuersali, quo e.g. pronūciat Omne adulterium non esse agendum, seu vitandum, & ex aliquo principio singulari sumpto sub vniuersali, quo e.g. pronūciat: Hæc actio quæ nunc mihi occurrit cum hac muliere, est adulterium, infert; Ergo hæc actio nunc mihi non est agenda, seu vitanda: hoc solum nobis restat probandū, ad eosdem aduersarios conuincendos; nempe, dari aliquem discursum rationis practicæ, qui concludens, non solum pronunciat, singularem actionem esse, vel non esse agendam, sed etiam applicat ad opus, infertque efficaciter ipsam operationem: Ita vt conclusio talis discursus non solùm sit pronunciatio sententiæ de agenda, vel nō agenda singulari actione, sed etiam ipsa singularis operatio in exercitio.

Quid restat nobis probandū ad vincendos aduersarios.

1347 13 Et quidem quòd ita res se habeat in sententia Aristotelis & D. Thomæ patet ex locis relatis à nobis disp. prima §. xi. nu. 25. 26. 27. 28. & 29. legantur loca, & considera. Ponunt enim pro conclusione syllogismi operatiui, non solum dictum, seu prolationem sententiæ, sed etiam ipsam operationem voluntatis, seu electionem imo & operationem extremam, quando sententia est de tali operatione, & nullum adest impedimentum.

Est sententia S. Thomæ & Aristotelis.

1348 14 Quòd autem re vera ita res se habeat; & experientia constat, & euidenti ratio-

Probatur, esse mani-

Digitized by Google

festum experientia in consuetis locutionibus.

ratione desumpta ex doctrina Aristotelis, & Diui Thomæ in recensitis locis probari potest. Constat quidem experientia. Nam quod ab omnibus siue doctis, siue indoctis communibus locutionibus affirmatur, nec potest esse falsum, nec potest non esse experientia manifestum. *Atqui* omnes communibus locutionibus affirmant, vnumquemque in volendo, & operando sequi sententiam sui proprij iudicij. Hoc ergo non potest esse falsum, sed erit experientia manifestum. Sint huius veritatis iudices ipsi Aduersarij. Vnde peto ab ipsis, si interrogatis an hoc, vel illud essent facturi, aliquando non responderint, *se mi parerà, di farlo; lo farò: se mi parerà, di non farlo; non lo farò:* si iudicauero, faciendum; faciam: sin minus; non faciam? Dicant, si interrogati: *An* hoc, vel illud sit facturus princeps, vel superior: non responderint aliquando: *farà quel, che li parerà:* faciet, quòd sibi videbitur, faciendum? Dicant; si ipsimet, vt ostendant, se esse liberos, aliquando non dixerint: *facciamo quel che pare a noi: faccio quel, che mi pare:* facio, quod mihi videtur, faciendum? Dicant; si de nolente acquiescere consilijs alienis sæpè non dixerint: *questo a niuno ascolta: fà quel, che pare a lui:* hic nullius acquiescit consilijs: operatur secundùm proprium iudicium? Est ergo ipsa experientia manifestum, operari quemlibet secundum sententiam sui proprij iudicij. Num audebis dicere falsum, fictitium, vel figmentum hoc, quod in ore omnium ita versatur? Cur non dices potiùs, falsam, chimericam, & experientiæ ipsi repugnantem cogitationẽ istam, qua cum Ruizio relato num. 9. huius §. Aduersarij dicunt, voluntatem operari contra quodcunque dictamen, tam vniuersale, quàm particulare, & vltimatè practicum?

1349

Proponitur prima ratio.

15 Ratio verò, ex doctrina Aristotelis, & S. Thomæ desumpta, potest proponi dupliciter. Primò supponendo id, quod est euidentissimum, nempe, finem, in quem intendit peruenire ratio practica, vt talis, esse applicationem ad opus, de quo ipsa discurrit, & concludit, seu inuenit proprias rationes. Hinc S. Doctor 2. 2. qu. 47. art. 1. ad 3. loquens de prudentia, sic habet: *Laus prudentiæ non consistit in sola consideratione; sed in applicatione ad opus, quod est finis practicæ rationis.* & art. 3. eiusdem quæstionis in principio cor. sic habet: *Ad prudentiam pertinet non solùm consideratio rationis; sed etiam applicatio ad opus, quod est finis practicæ rationis.* Posito ergo quòd finis practicæ rationis est applicatio ad opus; sic primo potest proponi ratio. Si nostra ratio practica, discurrens de agibilibus à nobis, non haberet aliquem discursum, cuius conclusione induceret in opera, quæ sunt ipsa agibilia a nobis; ratio practica nõ haberet motum, seu processum, quo perueniret ad suum proprium proportionatum finem, puta, ad applicationem ad opus. Consequens autem est falsum: cum nulla res careat via, seu processu attingente suum proportionatum finem. Ergo falsum est antecedens, & ex consequenti oportet, quòd ratio practica habeat aliquẽ discursum, cuius conclusione simul inducit in opera, quæ sunt ipsa agibilia a nobis. Sequela maioris videtur manifesta. Nam progressus, seu processus, & motus rationis est ipsa ratiocinatio, seu discursus, quo ratio ex principijs progreditur in conclusionem. Si ergo ratio practica progrediendo in conclusionem, nullam talem haberet, quæ simul induceret in opus; sed omnis sisteret in mero, & simplici dicto: nullum haberet progressum, quo attingeret applicationem ad opus, quæ est proprius finis rationis practicæ. Sicque non differret ratio, seu intellectus noster practicus à speculatiuo. Porrò per hoc differt practicus à speculatiuo intellectu: quod iste habet pro fine conclusionem sistentem in pura speculatione: ille verò habet pro fine conclusionẽ, non in pura speculatione sistentem; sed in applicatione ad opus. 1350

Quid aduertẽdum circa prædicta.

16 *Aduerte* hic, quòd benè scimus, & fatemur, quòd ratio practica non habet efficaciam perueniendi in applicationem ad opus ex vi eorum, quæ conueniunt puro intellectui, sed ex vi participata à voluntate ratione volitionis finis, qui est principium, ex quo ratio practica procedit ad iudicandum de his, quæ sunt ad finem, seu de agendis propter finem. Ex eo enim quod voluntas firmiter adhæret fini, ex cuius volitione ratio practica est applicata ad inueniendum per suum discursum id, quod est agendum propter finem; habet ipsa ratio practica, quòd sua conclusione, & sententia applicet ad opus, seu inferat voluntatẽ in ipsa agibilia propter finem, seu etiam habet vim præceptiuam de agendis ad finem: vnde concludendo præcipit, & inducit in ipsa agibilia propter finem. Et inde est, quòd præceptum rationis practicæ secundùm mentem Aristotelis, & D. Thomæ nihil aliud importat, nisi ipsam conclusionem syllogismi practici, inquantùm habet vim applicandi ad opus transfusam in ipsam conclusionem ab ipsa volitione finis, à qua applicatur ratio ad inueniendum per suum discursum, quid sit agendum pro fine volito. Et hoc obitèr benè nota, ne decipiaris circa sententiam S. Thomæ in ma-

Digitized by Google

teria de Prudentia.

1351 17 Secundò potest ratio sic proponi. Nam (vt inquit D. Thom. libr. 3. contra gen. cap. 85. ratione 9.) *Nulla virtus datur alicui frustra; homo autem habet virtutem iudicandi, consiliandi*, & adde, sententiandi, seu concludendi, & dandi suam vltimatam, & diffinitiuam sententiam *de omnibus, quæ per ipsum operabilia sunt. Quod frustra esset*, si intendens operationem, (prout intendit per omnem discursum rationis practicè practicum) & pronuncians conclusiuè suam finalem sententiam, qua diceret, hanc actionem voluntatis esse nūc agendam, non induceret voluntatem in operationem sententiatam; sed ipsa voluntas, supposita tali sententia, quando ei placet, ageret; quando ei non placet, non ageret operationem sententiatam. Ergo oportet, ne talis virtus sit frustra, vt data finali sententia de hac vel illa operatione voluntatis, pronunciante, quòd nunc sit agenda, inducatur voluntas in operationem sententiatam: Maior quantùm ad hoc, quòd nulla virtus datur alicui frustra, est euidens: quantùm verò ad reliquum, puta, quòd homo habet virtutem consiliandi, concludendi, & dandi vltimatam sententiam, experientia ipsa esse manifestum, supra probauimus. Minor tandem ex ipsis aduersarijs patet. Dicat Ruizius quid in eius sententia deseruit voluntati existenti cum indifferentia ad operandum, & ad non operandum, diffinitiua sententia rationis practicæ, qua per rationem finis voliti pronunciat, quòd altera pars determinatè, nunc eligenda est propter finem? Cur laborat ratio in inueniendo & concludendo hoc esse nunc eligendum? Iā enim dicunt aduersarij, quòd sine tali labore, inuentione, & sententia, suppositā sola propositione obiecti, cum indifferentia, voluntas, & eligit, & refutat secūdum suum placitum, & hoc ipsum facit, etiam data finali sententia, siue de agendo, siue de non agendo. Cur ergo laborat homo, ratione inquirendo, vt inueniat, & sententiando dictet, quod voluntas eligat, vel non eligat nunc hanc actionem? Quid prodest voluntati diffinita, & concluſa sententia de agendo nūc hoc, quando nunc agit oppositum. Quid prodest voluntati talis inuentio, & sententia, quando siue talis sententia sit, siue non sit, si ei placet, eligit; & si ei placet, non eligit?

Proponitur ratio alio modo.

1352 18 Adde, quòd non solùm esset inutilis voluntati; sed etiam nocua; & sic homo laboraret consiliando, discurrendo, inueniendo, & concludendo, quid agendum sic, vt suæ voluntati noceret; quo quid absurdius? Patet consequentia. Nam sententia seu conclusio rationis, quę determinatè dictat, e.g. hoc nunc esse agēdum, repugnat secundùm aduersarios iudicio indifferenti quod secundùm eosdem est necessarium libertati: repugnaret ergo suo modo libertati talis sententia; & sic homo consiliaretur, concluderetque consilium per sententiam; non solùm vanè, & inutiliter: sed etiam nocenter. Quare vel dicendum esset, quòd ratio nostra practica, quæ suas cōceptiones ordinat ad opus, non inquirit discurrendo, & consilliando, nec concludit proferendo sententiam, & dictamen de agendo, vel non agendo nūc id, quod est in potestate nostra agere propter finem, Vel quòd si discurrit, concludit, & finali sententia dictat, esse nunc hoc agendum, pro fine volito; non sit tota eius operatio nocua inutilis, & vana, sed necessaria ad perueniendum in finem, in quem sunt suæ cōceptiones ordinatæ, puta ad applicandum ad opus. Primum horum quadrat quidem cogitationi aduersariorum; sed est contra experientiam manifestam; ponit enim rationē nostrā practicam sine operatione sufficiente ad perueniendum in suum proportionatum finem: redditque; non solùm vanum, & inutilem: sed etiam nocuum libertati laborem rationis, quo per discursum concludit, quid nunc sit agendum. Et ex consequenti reddit inutiles, vanas, & libertati nocuas, exhortationes, prædicationes, & similia, quæ ad hoc valent, vt per modum magisterij iuuent rationem practicam audientis ad hoc, vt per suum discursum cōsilij perueniat ad conclusionem, & sententiam, per quam iudicat, vel desistere à malo, vel perseuerare in bono, vel agere operationem, quam pius, vel malus hortator intendit. Secundum verò est sententia D. Thomæ, quam sequuntur Thomistæ.

Non inutilis dumtaxat: sed etiam esset nocua volūtati sententia cōclusa per discursum practicum

DVBIVM SECVNDVM
ad quintam obiectionem,

An iudicium, quo, dum quis fornicatur, existimat bonum sibi, vt nunc, fornicari, repugnet contradictoriè propositioni, qua Fides vniuersaliter credit, fornicationem esse malam.

DVbij huius resolutio iam pateret ex his, quæ diximus Disp. præcedenti §. 24. à num. 17. ad 21. Verùm quoniam hoc est, quod in hac obiectione vim facit aduersarijs: ideo nunc diligentiùs, relatis S. Doctoris testimonijs, eandem reso-

Digitized by Google

resolutionem prosequemur.

Resolutio dubij, eiusque probatio.

19 DIcendum igitur est; quod iudicium necessariò requisitum in fornicante, quo existimat, esse bonum sibi, vt nunc, fornicari, non opponitur contradictoriè propositioni fidei, qua vniuersaliter credimus, fornicari non esse bonum; potestque simul esse cum fide informi.

1354 20 Resolutionẽ hãc, quantùm ad hoc secundum docet expresè S. Doctor sæpissimè. Ita 2. 2. q. 20. art. 2. in corp. vbi sic habet. *Contingit autem, aliquem, habentem rectam existimationem in vniuersali, circa motum appetitiuum non rectè se habere, corrupta eius existimatione in particulari; quia necesse est quòd ab æstimatione in vniuersali ad appetitum rei particularis perueniatur mediante æstimatione particulari, vt dicitur in 3. de Anima. Sicut ex propositione vniuersali non infertur conclusio particularis; nisi assumendo particularem. Et inde est, quòd aliquis, habens rectam fidem in vniuersali deficit in motu appetitiuo circa particulare, corrupta particulari eius æstimatione per habitum, vel per passionem. Sicuti ille, qui fornicatur, eligendo fornicationem, vt bonam sibi, vt nunc, habet corruptam æstimationem in particulari; cum tamen teneat vniuersalem propositionem veram secundùm fidem, scilicet, quòd fornicatio sit mortale peccatum. Et similiter aliquis, retinendo in vniuersali veram æstimationem fidei, quòd scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest tamen pati motum desperationis, quòd scilicet sibi, in tali statu existenti, non sit sperandum de venia, corrupta æstimatione eius circa particulare. Et per hunc modum potest esse desperatio siue infidelitate, sicut & alia peccata mortalia.*

Euidens locus S. Thomæ pro resolutione.

Eligẽs fornicationẽ, vt bonam, retinet veram propositionẽ de fide, corrupta sola æstimatione singulari.

1355 21 Et quæst. 162. art. 4. ad 2. eiusdẽ 2. 2. sic habet. *Ad primum dicendum, quòd vera æstimatio potest corrumpi dupliciter; vno modo in vniuersali, & sic in his, quæ ad fidem pertinent, corrumpitur vera æstimatio per infidelitatem. Alio modo in aliquo particulari eligibili, & hoc non facit infidelitatem. Sicut ille, qui fornicatur, æstimat pro tempore illo bonum esse sibi fornicari. Nec tamen est infidelis, sicut esset, si in vniuersali diceret: fornicationem esse bonam. Et ita est in proposito. Nam dicere in vniuersali, aliquod bonum esse, quod non est à Deo, & gratiam hominibus pro meritis dari, pertinet ad infidelitatem. Sed quòd aliquis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ, ita de bonis suis glorietur, ac si ea ex se haberet, vel ex meritis proprijs, pertinet ad superbiam, & non ad infidelitatem, propriè loquendo.* Ita S.D.

Alius locus S.D. euidentissimus ad idẽ

Ex verbis S.D. vtraque pars resolutionis habetur.

Ex quibus apparet, quòd in sententia S. Thomæ, quam communiter sequuntur Thomistæ, iudicium de particulari, eligibili, vt nunc, quo quis æstimat sibi, vt nunc, bonum agere, quod in vniuersali secundùm fidem æstimat esse malum, stat simul cum fide: nec constituit hominem infidelem, seu hæreticum. Ex quo deinde sequitur, quòd in sententia S. Thomæ prædictum iudicium non opponitur contradictoriè iudicio fidei, vt cum Caietano, nu. 27. referendo, colligunt communiter ex relata doctrina Thomistæ. Nam si iudicium de particulari eligibili contradiceret, seu opponeretur contradictoriè iudicio fidei, excluderet fidem, vt per se cõstat.

Explicatur resolutio.

1356 22 DIxi in resolutione; *iudicium necessariò requisitum*, &c. tum vt excluderem iudicia illa excogitata, & cõficta ab aduersarijs, quæ (vt sæpe diximus) non sunt necessaria in peccante; tum vt significarem, talia iudicia non esse in omni peccante eiusdem sensus; ideoque posse contingere, aliquem peccantem habere iudicium contradictorium, siue formaliter, siue virtualiter iudicio fidei, essèque hereticũ. Verũtamen huiusmodi iudicium non est necessarium in omni peccante.

Aduertẽdum pro resolutione.

1357 23 Pro huius rei explicatione considerandã est primò doctrina à nobis allata disp. præcedenti. §. 24. num. 20. vbi in fine in hunc locum remisimus lectores pro eiusdem doctrinæ maiori explicatione. Considera igitur, quòd bonum importat rationem conuenientis. Conueniens autem dicitur aliquid per ordinem ad aliud, cui conuenit, & ad finem, propter quem conuenit. Et inde est, quòd; sicut vna, & eadem res est similis vni, & dissimilis alteri; ita vna, & eadem res, est conueniens vni, & disconueniens alteri, & conueniens vni in vna dispositione existenti, & disconueniens eidem, in alia dispositione existenti; & conueniens in ordine ad vnum finem, & disconueniens in ordine ad alium finem. Et ex consequenti potest iudicari agenda, & non agenda, vel in ordine ad diuersos fines, vel diuersas dispositiones, vel diuersas personas.

Primum considerãdum.

Bonum importat rationem cõuenientis; & ideo dicit ordinẽ ad aliud.

1358 24 Considerandum est 2, quòd iudicium practicum, ad quod sequitur electio voluntatis est (vt sæpè diximus, ex S. Doctore) conclusio syllogismi operatiui. Syllogismus autem operatiuus (qui scilicet concludendo simul inducit operationem) procedit, vt ex principio maiori, ex fine, cui voluntas inhæret. Si quidem assumit in maiori finem, quem in minori applicat singulari actioni, quam in conclusione pronunciat agendam, vel non agen-

Secundum considerãdum circa discursum syllogismi operabilium.

Digitized by Google

agendam pro fine.e.g qui suo discursu inducitur in fornicationem, sic, saltem virtualiter, discurrit: Omne bonum est agendum. Sed fornicari nunc cum hac muliere mihi est bonum, vt pote delectabile, Ergo mihi nunc est fornicandum. Et statim inducitur in fornicationem. Qui verò suo syllogismo operatiuo inducitur in fugam fornicationis, discurrit sic. Omne malum est vitandum. Sed fornicari nunc cum hac muliere est mihi malum, vt pote contra rectam rationem, diuinumque præceptum. Ergo mihi nunc non est fornicandum. Et statim inducitur in fugam, seu vitationem fornicationis. Et quidem in priori exemplo assumitur pro fine bonum delectabile, ex adhæsione ad quem finem inducitur in fornicationem; in secundo verò malum vitandum propter bonum rationis, & obseruantiam diuini præcepti, ex adhæsione ad quem finem inducitur in fugam. Vbi etiam aduertendum est, quòd licèt prædictæ conclusiones de eadem actione singulari pronuncient opposita; cum vna dicat fornicationem agẽdam; alia verò dicat, eam non agendam; id tamen pronunciant non in ordine ad eundem, sed ad diuersos fines, vt per se constat.

1359

Habens scientiam in vniuersali, potest multipliciter syllogizare.

25 Præterea considerandum est quòd qui habet scientiam in vniuersali, & errat tantùm circa particulare eligibile concludens agendam operationem contrariam scientiæ, syllogizat quandoque alio modo ab eo, quo syllogizat, qui non errat circa particulare operabile. Vnde notanda est hic doctrina Aristotelis lib. 7. Ethic. apud D. Thom. lec. 3. litera textus 1. quam ipsemet S. Doctor refert 1. 2. q. 77. ar. 2. ad 4. & diffusiùs q. 3. de Malo ar. 9. ad 7. vbi sic habet. *Ad 7. dicendum, quòd cum actus peccati, & virtutis sit secundùm electionem; electio autem est appetitus præconsiliati; consilium verò est quædam inquisitio; necesse est, quòd in quolibet actu virtutis, vel peccati, sit quædam deductio, quasi syllogistica. Sed tamen aliter syllogizat temperatus, aliter intemperatus; aliter continens, aliter incontinens. Temperatus enim mouetur tantum secundùm iudicium rationis: vnde vtitur syllogismo trium propositionum, quasi sic deducens. Nulla fornicatio est committenda; hic actus est fornicatio: ergo non est faciendus. Intemperatus verò totaliter sequitur concupiscentiam; & ideo etiam ipse vtitur syllogismo trium propositionum, quasi sic deducens. Omni delectabili est fruendum; hic actus est delectabilis: ergo hoc est fruendum. Sed tam continens, quam incontinens dupliciter mouentur: secundùm rationem quidem, ad vitandum peccatum: secundùm concupiscentiam verò ad committendum. Sed in continente vincit iudicium rationis; in incontinente verò motus concupiscentiæ. Vnde vterque vtitur syllogismo quattuor propositionum, sed ad contrarias conclusiones. Continens enim sic syllogizat. Nullum peccatum est faciendum; & hoc proponit secundùm iudicium rationis; secundùm verò motum concupiscentiæ versatur in corde eius, quòd omne delectabile est prosequendum. Sed quia iudicium rationis in eo vincit, assumit, & concludit sub primo; hoc est peccatum; ergo non est faciendum. Incontinens verò, in quo vincit motus concupiscentiæ, assumit, & concludit sub secundo: hoc est delectabile, ergo est sequendum. Talis propriè est, qui peccat ex infirmitate. Et ideo patet, quòd licèt sciat in vniuersali, non tamen scit in particulari: quia non assumit secundùm rationem; sed secundùm concupiscentiam.* Hæc S. Doctor, valdè considerandа, præcipuè ab aduersarijs.

Locus D. Thomæ ad propositũ.

Per hoc, quod quis non applicat scientiam vniuersalem particulari, dicitur nescire in particulari

1360

Consideratio cogens Aduersarios ad veritatem cognoscendã.

26 Per ea sanè, non solùm habemus diuersos syllogizandi modos, quibus vtitur habens scientiam in vniuersali; sed etiã vnde possent Aduersarij ad semetipsos redire si vellent. Secundùm eos enim, vel tota prædicta doctrina falsa est, ex quo sequitur Aristotelem, & D. Thomam ignorasse rationes importatas per prædictas virtutes, & vitia, puta, temperantiam, intemperantiam, continentiam, & incontinentiam. Diffinitiones enim seu etiam descriptiones, quibus omnia prædicta explicant, nulli habitui morali conuenire possent; immo, & repugnarent omni morali habitui (sed quis non existimabit potiùs, se errare quam stolidos, & ignaros esse Peripateticorum principem, & Diuũ Thomam virtutum vitiorumque moralium diligentissimos scrutatores?) Vel si ve a est, oportet quod temperatus ille sit, qui in abstinentiam ab illicitis ducitur ex iudicio deducto per syllogismum notatũ à S. Doctore in recitata doctrina. Sicut ille sciens dicitur, qui in assensum conclusionum ducitur per syllogismum demonstratiuum. Et idem dicendum de Intemperato, Continente, & Incontinente. Et si ita est tota nostra doctrina vera est, & tota ruit Aduersariorum machina, vt per se constat.

1361

Obseruandum circa verba S. Doctoris.

27 Amplius considera, quod prædicti quattuor syllogizantes, puta Temperatus, Intemperatus, Continens, & Incontinens, supponuntur ab Aristotele & Sancto Doctore habere scientiam in vniuersali. Et quidem Temperatus, Continens, & Incontinens eam habent in actu: vnde syllogizant considerantes actu propositionem dictatam per scientiam. At verò Intemperatus eam habet solùm in habitu: vnde syllogizat nullam habens in actu cõsiderationem scientiæ, vt patet in exemplo

plo allato à S. Doctore. Cœterum certum est, quòd ille, qui caret scientia etiam in habitu, habetque errorem circa id, de quo habetur scientia, simili etiam modo syllogizat. Vnde hæreticus credens, vsum venereorum præceptum fuisse à Deo illis verbis: *Crescite, multiplicamini, & replete terram*, sic syllogizando præceps ruit in fornicationem. Omnis fornicatio est agenda, vt potè, præcepta à Deo: sed hic actus est fornicatio: ergo est agendus, sicque indicitur in fornicationem, agens ex conscientia errante. Et hic nec esset temperatus, nec intemperatus, nec continens, nec incontinens. Hi enim supponuntur habere scientiam, vt diximus. 1362

28 Ex his modò apparet veritas nostræ resolutionis. Habet enim duas partes, quarum posterior in primis constat ex locis S. Doctoris relatis num. 20. 21. & 25. Et ex eisdē deducitur prior, vt notauimus in fine num. 21. huius §. Et quantùm ad hoc considerari debet notabile Caietani 1. 2. q. 77. ar. 2. circa finem commentarij. Vbi in responsione ad 4. & 5. in quibus S. Doctor repetit doctrinam relatam num. 25. sic scribit. *In eodem articulo notato singularissimè vltimas responsiones, & memorata prædicta distinctione, considerato semper, quòd propositiones scitæ, & ignoratæ in particulari, in actu practico non sunt contradictoriæ. Licèt enim existens in passione, credat, hanc nunc fornicationem secundùm se non esse faciendam: credit tamen omnibus concurrentibus, nunc hanc fornicationem esse committendam. Nisi enim hoc animo sentiret, non faceret eam. Constat autem non esse contradictorias eas, quæ non sunt ad idem similiter &c. Et si ille in malitia, vel passione existens, dicat, se sentire contradictionem, mentitur.*

Colligitur veritas resolutionis quantum ad vtramque partē.

Obseruanda ex Caietano.

29 Deinde vtraque pars demonstratur ratione defumpta ex adnotatis num. 23. & 24. Nam non est contradictio, quæ non pronunciat de eodem secundùm idē. Sed non oportet, vt iudicium conclusum per syllogismum operatiuum, quo quis iudicat, fornicationem hanc esse sibi nunc bonam, & agendam, (quod est iudicium necessariò requisitum in fornicante) pronunciet de eodem, secundùm idem, cum eo iudicio, quo ipsemet per fidem credit, nullam fornicationem esse bonam, & agēdam. Ergo non oportet, vt iudicium necessariò requisitum in fornicante opponatur contradictoriè iudicio, quo credit per fidem &c. Maior est euidens. Minor constat ex adnotatis prædictis num. 23. & 24. ac etiam ex exemplis adnotatis à D. Tho. verbis relatis num. 25. Et potest sic formari ratio. Ad hoc, vt iudicium conclusum per syllogismum operatiuum, quod pronunciat, hanc fornicationem esse huic personæ nunc bonam, & agendam, esset de eodem secundùm idem, cum eo iudicio, quo eadem persona vniuersaliter credit, nullam fornicationem esse bonam & agēdam; oporteret, vt diceret, fornicationem esse bonam, & agendam secundùm illam rationem, & in ordine ad illum finem, secundum quam, & in ordine ad quem per fidem credit vniuersaliter nō esse bonam, & agendam. At verò non oportet vt eam dicat bonam, & agendam secundùm eandem rationem, & in ordine ad eundem finem. Ergo &c. Maior est manifesta. Minor etiam constat. Nam fides pronunciat, nullam fornicationem esse bonam, seu cōuenientem rectæ rationi, & legi diuinæ, & non esse agendam ad finem rectæ rationis, & legis diuinæ habendum, cuius verum contradictorium esset: Aliqua, seu hæc fornicatio est conueniens rationi, & legi diuinæ &c. Iudicium verò conclusum per syllogismum operatiuum quandoque pronunciat, fornicationem esse quoddam bonum delectabile, & agendum ad delectationem explendam, vt patet in iudicio cōcluso per syllogismum, quo vtitur Intemperatus, & Incontinens. Nam hi (vt ex verbis S. Doctoris relatis num. 25. patet) dum pro maiori, explicante finem, assumunt illud principium: Omne delectabile est prosequendum, & sub eo subsumunt, quod hic actus fornicationis est delectabilis; iam concludunt talem actum esse agēdum inquantùm est delectabilis, & ad finem delectationis. Hæc autem iudicia nō sunt de eodem secundùm idem. 1364

Probatur resolutio ratione. 1363

30 Dices: hæ duæ propositiones singulares: Hic actus fornicationis est bonus, seu agendus: Hic actus fornicationis non est bonus, seu non est agendus, inuoluunt aliquam oppositionem, quæ non est, vel contraria, vel subcontraria, vel subalterna; ergo contradictoria. Et idem dicendū de his propositionibus. Nulla fornicatio est bona Petro, seu alicui personæ determinatæ; Hæc fornicatio est bona hic, & nunc Petro. &c. *Instantia*

Solutio præcedentis instantiæ.

Respondeo, prædictas propositiones posse accipi multipliciter. Primo secundum illud significatum, quod præseferunt absolutè prolatæ. Secundo: secundùm illud, quod significāt, & habent, prout anbæ, vel altera earum, concluditur per syllogismum operatiuum, quo assumitur pro principio finis, cui voluntas inhæret. Tertio secundùm id, quod significant præcisè, nulla facta suppositione adhæsionis voluntatis ad finem assumptum in maiori syllogismi speculatiuè practici; & prout significant iudicium dictaminis spectantis

ad

ad conscientiam, de quo egimus Disp. 2. §. 24. num. 10. & a num. 14. vsque ad 21. inclusiuè. Si sumantur primo modo, opponuntur contradictoriè; sic enim habent totū id, quod requiritur ad veram contradictionem. Si verò sumantur tertio modo; sunt suo modo disparatæ: nam vna dicit quòd est bonum delectabile, & agendum propter hunc finem: alia verò quòd non est bonum conueniens rationi & non agendum propter hunc alium finem: sicque possunt simul esse in eodem intellectu. Si tandem sumantur secundo modo, inuolnunt oppositionem quasi contrariam ratione adhæsionis voluntatis ad oppositos fines, ex quorum virtute habent inferre oppositas operationes. Sicque non possunt esse simul, inquantùm non potest poni quòd volūtas adhæreat simul bono delectabili, & bono rationis vt fini. Cæterum si supponamus, voluntatem solùm adhærere, vt fini, bono delectabili; non autem bono rationis, vel è conuerso; tūc possunt esse simul iudicia singularia, quorum vnum pronunciat fornicationem agendam absolutè, seu quibuscunque in contrarium non obstantibus; alterum verò pronunciat conditionatè, quòd scilicet non est agenda pro fine rationis, vt diximus proximè citata disp. 2. §. 24. à num. 15. vsque ad 20. in cuius fine ad ea quæ hactenus in hoc dubio scripsimus lectores remisimus.

1365

Probatur, iudicium fornicantis posse simul esse cum fide.

31 Et tandē ex dictis constat id, quod spectat ad secundam partem nostræ resolutionis, nempe, quòd iudicium fornicātis potest simul esse cum fide informi, seu destituta charitate, per quā voluntas adhæret bono diuino, & rectæ rationis, vt fini. Nam (vt proximè diximus) hæc iudicia sunt speculatiuè disparata, nempe: Nulla fornicatio est conueniens, seu agenda, ad bonum rationis, seu diuinum assequendum quòd est iudicium fidei: Hæc fornicatio est conueniens, & agenda ad delectationem explendam; quod est iudicium fornicantis; & quod non opponuntur, nisi ratione adhæsionis voluntatis ad finem si supponatur esse. Si ergo non supponatur esse adhæsio voluntatis ad finem rectæ rationis sicut non supponitur in habente fidē informē, & supponatur esse adhæsio voluntatis ad bonum delectabile, vt ad finem (vt supponitur in eo, qui sequens passiones, per syllogismum operatiuū concludit fornicationem esse sibi conuenientem, & agendam; ad quod iudicium sequitur electio fornicationis) iam tunc hoc iudicium non habet, vnde excludat iudicium fidei. Si quidem non potest illud excludere ratione adhæsionis ad bonum delectabile, vt ad finem; quia ratione huius solùm excludit adhæsionem voluntatis ad bonum rationis, seu diuinum, quam fides informis non habet: nec ratione iudicij; quia hoc se habet disparatè in ordine ad illud: possunt ergo esse simul.

1366

Confirmātur prædicta ex cōmuni voto Qualificatorum S. Inquisitionis.

32 Quòd autē sensus propositionis de fide, eiusq; vera contradictoria sit, quam nos diximus num. 29. huius §. & similiter, quòd iudicium catholici fornicantis, deductum ex syllogismis relatis a D. Thoma verbis cit. num. 25. quo pronunciat, fornicationem esse sibi, vt nunc, bonam, seu conuenientem, & agendam non contradicat propositioni de fide, constare potest ex communi voto qualificantium propositiones in Tribunali S. Officij. Nam si quis diceret: Hæc fornicatio est mihi bona, & agenda: quia est conformis rectæ rationi, & legi diuinæ dicenti: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, existimaretur hæreticus, vt pote, dicens propositionem contradictoriam propositioni de fide. Si verò diceret: Hæc fornicatio est mihi conueniens, & agenda: vel quia est delectabilis: vel quia deseruit ad seruandā sanitatem, ad exonerandam naturam, ad sedandum impetum possionis, ad complacendum petenti, ad expellendum semen corruptum, & similia; à nemine æstimaretur hæreticus, & vt asserens propositionē contradictoriam fidei. Tale autem est iudicium catholici fornicantis: cum ex similibus principiis illud deducat. Ad hoc autem melius explicandum, & vt Aduersariorum extortos sensus excludamus, subiungimus sequens dubium.

DVBIVM TERTIVM
ad quintam obiectionem.

An ratio concludens, hoc esse, vel non esse nunc agendum, significet esse necesse omnino, vt hoc nunc faciat, vel non faciat; vel teneris physicè ad hoc agendum.

1367

33 SVarius, & cum eo alij, vt excludant rationis imperium, seu iudicium rationis, quo per discursum finali, & vltimata sententia iudicatur, aliquid agendum, vel non agendum, ad quod iuxta Aristotelis, D. Thomæ, Thomistarūq; sententiam sequitur per sequelam necessariam actus voluntatis libere, conantur inuolucre in sensu talis iudicij necessitatem, cuius expers est ipsa libertas. Hinc ipse Suarius disp. 19. Metaphy. sec. 6. num. 10. respondens obiicientibus, quòd ad hoc, vt voluntas eligat, necesse est, vt prius intellectus iudicet, quid eligendum sit, dicit

Suarius conatur inuoluere necessitatē in sensu iudicij operabilium.

Digitized by Google

verba Sua rij.

dicit, propositionem esse ambiguam: *Et si sensus sit* (inquit) *intellectum prius iudicare, quid bonitatis, & vtilitatis habet medium eligendum, & ipsa electio; vera est propositio: si verò sit sensus, prius esse iudicandum absolutè, & omnino hoc esse eligendum; falsa est propositio. Nam reddit hunc sensum: quod pensatis, & consideratis omnibus, iam hìc, & nunc est sub aliqua ratione necessarium, hoc eligere: & ideo esse omnino eligendum, quod repugnat libertati electionis.* Arriaga etiam, verbis in hac obiectione relatis, in eodem iudicio maiorem necessitatem inuoluit. Hinc loco in obiectione cit. sensum talis iudicij concludit esse, *Hic, & nunc necessariò amandum esse*, & subdit: *Et hoc est propriè imperium, de quo in præsenti.*

Conclusio Arriagæ.

Resolutio dubij.

1368 34 DIcendum est tamen, quòd iudicium sententiatum, & cõclusum per discursum syllogismi operatiui, quo ratio, sententiando, imperat, hoc, hìc, & nunc esse, vel non esse agendum, nec apud Aristotelem, nec apud D. Thomam, nec aliquem ex Thomistis antiquis, vt Capreolum, Caietanum, Conradum, Ferrariensem &c. nec aliquem ex Modernis (quẽ viderim) significat: *hoc hìc, & nunc, esse omnino, & ex necessitate agendum: vel tenuis physicè, ad hoc agendum.* Nec hoc requiritur ad hoc, vt ad prædictum iudiciũ sequatur per necessariam consequentiam actus voluntatis conformis iudicio. Immò talis sensus, tùm in sententia Aristotelis D. Thomæ, & Thomistarum; tum secundùm veritatem demonstratam, implicat contradictionem, seu euidenter repugnat conclusioni discursus consilij, seu syllogismi operatiui. Sed sensus iudicij, quo discursu consilij seu syllogismo operatiuo concluditur, per ly, ergo hìc, & nunc, hoc est mihi agendum ad assequendum finem, quem intendo, benè explicatur verbis italicis: *Dunque quest'è quel che hora hò da fare per il fine, ch'intendo.* Et idem est, quod, concludo, & determino, hoc esse, quod est bonum, seu melius me nunc facere pro fine, seu hoc esse, quod hìc & nunc, expedit, vel conuenit agere.

1369 35 Resolutionis huius quattuor sunt partes. Prima est: sensum aduersariorum non inueniri apud Aristotelem, & alios citatos. Secunda est; talem sensum non esse necessarium ad hoc, vt ad tale iudicium sequatur necessaria sequela, voluntatem operari conformiter ad iudicium. Tertia est: talem sensum implicare contradictionem, ac repugnare prædicto iudicio, tam secundùm sententiam Aristotelis, & D. Thomæ, quàm secundùm veritatem. Et tandem quarta explicat verũ sensum prædicti iudicij.

Resolutio habet quatuor partes

1370

36 Et quidem prima pars, quoniam negatiua est, constare posset ex ipsis aduersarijs, quibus incumbit loca afferre, siue Aristotelis, siue D. Thomæ, & Thomistarum (quorum sententiam de imperio, seu iudicio practico impugnare intendunt) ex quibus constare posset, eos, quos impugnant, talem sensum intendere circa iudicium conclusionis discursus consilij, seu syllogismi operatiui, habentis vim imperandi, seu applicandi voluntatem ad actum iudicatum agendum. Siquidem ipsi, nec Aristotelem, nec D. Thomam, aut aliquem ex Thomistis referunt, talem sensum prædicto iudicio tribuentem. Vnde supra benè nos dixisse arbitramur, talem sensum non à D. Thoma, & Thomistis assertum, sed ab aduersarijs ipsis fuisse adinuentum. Cœterum eadem prima pars constabit ex tertia, qua talem sensum contradictionem inuoluere, ac repugnare prædicto iudicio diximus in sententia Aristotelis, & D. Thomæ. Quocirca probanda est primo loco tertia resolutionis pars; deinde reliquæ, quæ ex illa manifestè dependent.

Prima cõstat primò ex ipsis aduersarijs.

Recensentur loca Aristotelis, & D. Thomæ demonstrantia, sensum aduersariorum inuoluere contradictionem, ac repugnare iudicio conclusionis consilij, & syllogismi operatiui.

1371

37 POrrò (vt sæpe diximus) iudicium istud, vim habens imperij, seu vim applicandi voluntatem ad exercitium actus electionis, seu cuiuslibet operationis liberæ, est conclusio, seu determinatio consilij, & syllogismi operatiui: de ea autem agunt Aristoteles, & D. Thomas lib. 3. Ethicorum lec. 7. 8. 9. 10. & 11. optaremque, vt eas Aduersarij legerent. Inde enim facile dignoscerent, se circa sensum prædicti iudicij fuisse deceptos. Itaque lec. 9. lit. textus, a, b, c, & d, docet Aristoteles, quòd electio sequitur iudicium, conclusum, & determinatum per discursum consilij, ita vt illud voluntas eligat, quod est prænudicatum, seu conclusum, & determinatum per consilium quodque id est, quod est in nostra potestate. Aliqua huius lectionis verba, tum ex tex. Aristo. tum ex com. D. Thomæ retulimus Disp. 1. §. 11. num. 30. Sed, & hìc ea oportet repetere simul cum alijs, vt tota eorum sententia præ oculis habita, Aduersarios euidentius conuincamus.

Recensentur loca Arist. de consilio, quæ legenda sũt ab aduersarijs, vt agnoscãt se deceptos.

Vide etiam Caietanum infra num. 27.

Digitized by Google

1372

28 Verba igitur Aristotelis sunt. *Consiliabile, & eligibile idem. Verùmtamen determinatum est iam eligibile. Quod enim ex consilio præiudicatum est, eligibile est: quiescit enim vnusquisque quærens, qualiter operabitur, quando in seipsum reducet principium, & ipsum in antecedens, hoc enim est, quod eligitur. Manifestum autem hoc est ex antiquis vrbanitatibus, quas Homerus imitatus est. Reges enim, quæ eligebant annunciabant plebi. Existente autem eligibili consiliabili desiderabili eorum, quæ in nobis; & electio vtique erit, consiliabile desiderium eorum, quæ in nobis. Ex consiliari enim iudicantes, desideramus secundùm consilium.* Ita in antiqua translatione. Sed Argiropolus sic vertit.

Verba Aristo. explicantis, electionem se qui determinationē consilij.

Quia consilium est de ijs, quę sunt in nostra potestate, electio est de ijs, quę sunt in nostra potestate.

1373

39 *Consultabile autem, & eligibile idem est. Ipsum autem eligibile definitum iam est. Quòd enim cæteris ex consultatione prætulimus, id eligibile est. Desinit enim tunc demum vnusquisque perquirere, quo nam ager modo; cum in seipsum principium redegerit, & in idipsum quod antecedit. Hoc est enim, quod eligit. Patet, hoc ita esse ex vetustissimis rebuspub. quas imitabatur Homerus. Quæ namque Reges eligerent, ea populo renunciabant. Cum igitur ipsũ eligibile sit consultabile appetibile ex ijs, quæ in nostra sunt potestate, & ipsa electio deliberatiua appetitus rerum erit earum, quæ in nostra sunt potestate. Nam simulatque diiudicamus ex consultatione, affectamus deliberationem.*

Translatio Argiropoli clarior.

1374

40 Sanctus verò Thomas sic explicat. *Comparat ergo primò consilium ad electionem dupliciter: vno quidem modo quantùm ad obiectum, siue materiam vtriusque, in quo conueniunt. Et quantùm ad hoc dicit, quòd idem est consiliabile, & eligibile; quia videlicet, tam consilium, quàm electio est de his, quæ operantur propter finem. Alio autem modo quantùm ad ordinem vtriusque. Et quantùm ad hoc dicit, quòd quando iam determinatum est aliquid per consilium, tunc primo eligitur, quasi consilio precedente electionem. Deinde cum dicit, quod enim &c. Manifestat quod dixerat. Et primo per rationem sumptam ex his, quæ supra dicta sunt de consilio. Et dicit quòd ideo determinatio consilij præcedit electionem; quia oportet, quòd post inquisitionem consilij sequatur iudiciũ de inuentis per consilium, & tunc primò eligitur id, quod prius est iudicatum. Et quòd iudicium rationis consequatur inquisitionem consilij, manifestat per hoc, quod vnusquisque, qui inquirit consiliando, qualiter debeat operari, desistit à consiliando, quando inquisitionem suam resoluendo, perducit ad id, quod ipse potest operari. Et si plura potest operari, quando reduxit in antecedens, idest, in id quod ei primo operandum occurrit. Et hoc est quod eligitur, scilicet quod primo operandum occurrit. Vnde relinquitur, quod electio sequitur determinationem consilij.*

Explicatio S. Thomæ.

1375

41 *Deinde ibi; Manifestum, &c. probat quod dixerat per exemplum. Et dicit, quòd hoc, scilicet, quòd electio debet sequi determinationem consilij, patet ex antiquis vrbanitatibus, idest ex consuetudine antiquarum ciuilitatum, secundùm quas Reges non habebant dominatiuam potestatem in multitudinem, vt facerent omnia, prout eis videretur: sed erant rectores multitudinis, ad quam pertinebat eligere ea, quæ a principibus consilio determinata erant. Et ideo dicit, quòd antiquitùs Reges annnnciabant plebi ea, quæ ipsi elegerant per determinationem sui consilij: vt sic plebs eligeret, quod ab eis determinatum erat. Deinde cum dicit Existente, &c.*

1376

42 *Ostendit ex præmissis, quid sit electio. Et dicit, quòd cum eligibile nihil aliud sit, quàm quidam de numero eorum, quæ sunt in nostra potestate, quod ex consilio consideratur, consequens est, quòd electio nihil aliud sit, quàm desiderium eorum, quæ sunt in nostra potestate ex consilio proueniens. Est enim electio actus appetitus rationalis, qui dicitur voluntas.* Hæc D. Thomas.

Explicatur quid sit electio.

1377

43 In quibus, vt vides, cum Aristotele docet, quòd electio sequitur determinationem consilij (quod sequitur S. D. locis a nobis relatis disp. 1. §. xi. num. 31. & 32. & commemoratis disp. præcedenti §. 23. num. 86.) Ita quidem, vt illud sit eligibile, quod est consultabile, & illud eligatur, quod est prius determinatum, & definitum per consilium; ac etiam eligatur, statim ac determinatum, & definitum est per consilium. Et inde, ex eo quod consilium est de his, quæ sunt in nostra potestate, infert, quòd electio etiam est de his, quæ sunt in nostra potestate. Vt ita *electio nil aliud sit, quàm desiderium eorum, quæ sunt in nostra potestate, ex consilio proueniens.*

Epilogus explicationis S. D.

1378

44 Idque est, quod valdè expendendum, & considerandum est, ad rem, de qua agimus demonstrandam. Nam si secundùm Aristotelem, & D. Thomam ex eo habet electio, quod sit de his, quæ sunt in nostra potestate; quia consiliũ, eiusque determinatio, seu definitio, & conclusio, ad quam sequitur electio, est de his, quæ sunt in nostra potestate; & hæc illa sunt, quæ non aguntur ex necessitate (vt statim ex ipso Aristotele dicemus) iam inde clarè habetur, quòd repugnat conclusioni, & determinationi consilij dictare, & iudicare, quòd illa, de quibus iudicat, sint agenda ex necessitate. Siquidem talis conclusio est de his, quæ sunt in nostra potestate, non autem de his, quæ aguntur ex necessitate. Et sic in sententia Aristotelis, & D. Thomæ, si illud iudicium, excogitatum à Ruiz, pertineret ad conclusionem consilij, seu syllogismi operabilium à nobis, inuolueret contradictoria simul. Nam diceret, & ex hoc ipso, quòd diceret, esset

Ex locis recensitis probatur resolutio.

Digitized by Google

sèt ex necessitate illud, quod, ex hoc ipso, quod sequitur ad terminationem consilij, est sine necessitate, & in nostra potestate.

1379

45 Et quidem, quòd rationis nostræ consilium sit de his, quæ sunt in nostra potestate, & quę aguntur sine necessitate, probat Aristoteles eodem libr. 3. Ethicorũ apud D.Th. lec.7.præcedenti. Vbi inquirit, de quibus est consilium. Et postquàm docuit, consilium non esse de æternis, neque de his, quæ sunt ex necessitate, à natura, sicut à fortuna, & casu, concludit ex sufficienti enumeratione eorum, de quibus non est consilium, quòd solùm remanet, ipsum esse de his, quę sunt in nostra potestate, vnde littera textus, h, & l, sic habet secundùm versionem Argiropoli, quæ est clarior. *Consultamus autem de ijs rebus agendis, quæ in nostra sunt potestate. Hæ enim, & restant. Causæ namque videntur esse, natura, necessitas, fortuna, & mens insuper, ac omne quod per hominem efficit. Quisque autem de his consiliatur, quæ agi per ipsum possunt.*

Aristoteles probat, consilium esse de ijs, quæ non sunt ex necessitate.

1380

46 Quòd autem ex hoc, quod consilium rationis est de his, quæ sunt in nostra potestate; sequatur, quòd omnes actus liberi nostrę voluntatis, quales sunt actus virtutum, & vitiorum, sint etiam in nostra libera potestate, expressit Aristoteles non solùm verbis relatis num. 38. & 39. huius §. sed etiam eodem lib. 3. Ethic. apud D. Thomam lec. 11. in cuius lectionis textu probat, quòd actus virtutum, & vitiorum, hoc ipso, quod ab electione, & cõsilio proficiscuntur, sunt voluntarij, & existentes in nostra libera potestate. Itaque prædicta lectione sic dicit lit. tex. a, b, &, c.

Ex eo, quòd consiliũ est de ijs, quæ sũt in nostra potestate, infert Aristoteles, virtutes, & vitia esse in nostra potestate.

1381

67 *Cum igitur finis* (versio est Argiropoli) *sit affectabilis voluntate; ea verò quibus tur ad finem, consultabilia sint, atque eligibilia, sit, vt actus ij, qui circa hæc versantur, ab electione proficiscantur, nostraq; spante fiant: at operationes virtutum circa hæc ipsa versantur. Nostra igitur in potestate ipsæ virtutes, & identidem vitia collocantur. Quibus enim in rebus nostra in potestate situm est agere, in ijs, & non agere: Et in quibus non agere, in ijs est agere. Quare si agere bonum, quod honestum est, in nobis est situm; & non agere, quod est turpe, in nobis est collocatum. Et si non agere malum, quod est honestum, in nostra est potestate, & agere, quòd est turpe, in nobis est situm. Quòd si in nobis est situm tam honesta, quàm turpia agere, & simili modo non agere. Hoc autem erat bonos, & malos esse. In nobis ergò est situm, nos probos, & improbos esse:* Hæc Aristoteles. Et quoniam clara sunt, D.Thomæ expositionem prætermittimus.

Locus Aristotelis ad idem.

1382

68 Clarè enim in dictis verbis probat, actus nostros, siue virtutum, siue vitiorum, & tam quantùm ad agere, quàm quantùm ad nõ agere, esse voluntarios, & in nostra libera potestate: idque ex eo quia oportet, tales actus procedere ex electione, & consilio, quæ sunt in nostra potestate. Et hoc quidem, nempè, quòd electio sit actus voluntarius, & existens in nostra potestate, sicut & consilium, ex cuius determinatione procedit ipsa electio, infert, vt conclusum ex antecedentibus, puta verbis relatis num. 45. scilicet *Cum igitur ipsum eligibile sit consultabile appetibile ex ijs, quæ in nostra sunt potestate, & ipsa electio deliberatiua appetitus rerum erit earum, quæ in nostra sunt potestate*, & illis alijs relatis num. 45. *Consultamus autem, de ijs rebus agendis, quæ in nostra sunt potestate.* Itaque ex eo, quod consilium est de ijs, quæ sunt in nostra potestate, & idem est consultabile, & eligibile, infert, electionem esse ex ijs, quæ sunt in nostra potestate. Ex eo verò, quod actus virtutum, & vitiorum procedunt, vt ex principijs, ex electione, & consilio; infert, eos esse, tàm quoad agere, quàm quoad non agere, in nostra libera potestate. Idque magis patet ex ijs, quæ ad probandum ea, quæ dixerat verbis relatis num. præcedenti adiungit, puta.

Confirmantur prædicta.

1383

69 *Vel in nunc dictis dubitandum, & hominem non dicendum principium esse, neque genitorem operationum, quemadmodum, & natorum? Si autem hæc videntur, & non habemus alia principia reducere, præter ea, quæ in nobis; quorum principia in nobis, & hæc in nobis & voluntaria.* Quæ verba sic explicat S. Doctor *Si verum est, quod actiones virtutum, & vitiorum sunt voluntariæ, & per consequens virtus, & malitia; planum est, verum esse, quod nunc dictum est. Sed numquid est aliquis, qui credat, esse dubitandum de prædictis: ita quod dicat, hominem non esse principium suarum operationum? quasi dicat mirum est, si aliquis hoc dicat. Et confirmat veritatem per rationem, & dicit, quòd si hoc scilicet consilium, & electio, & voluntas, quæ sunt in potestate nostra, videntur esse principia operationum nostrarum; & non possumus reducere operationes nostras in alia principia, nisi in ea, quæ sunt in potestate nostra, scilicet consilium, & electionem; consequens est, quòd operationes nostræ bonæ, vel malæ, sint in potestate nostra. Quia illa, quorum principia sunt in potestate nostra, & ipsa sunt in potestate nostra, & sunt voluntaria.* Hæc S. Doctor.

Egregius locus Aristotelis ad idem.

Expositio S. Thomæ

Si ergo secundùm Aristotelem, alioſque Peripateticos cum S. Doctore, consilium rationis non est de ijs, quæ eueniũt ex necessitate, sed dumtaxat de ijs, quæ sunt in nostra libera potestate; & propter hoc etiam electio, quæ secundùm eundem Aristotelem, eiusque sectatores, sequitur determinationem consilij, est in nostra po-

Ex dictis nostra resolutio cõfirmatur.

Digitized by Google

testate, quis dicet, quòd, cum homo per rationis consilium concludit, & determinat, hoc esse, vel non esse nunc agendum, significet, id esse agendum ex necessitate, & non esse in nostra potestate? Quis non videt, sensum istum repugnare determinationi consilij, seu conclusioni de rebus agendis à nobis, de qua docet Aristoteles quòd ad ipsam sequitur electio existens in nostra potestate?

Probatur eadem resolutionis pars ratione.

1384 70 Dicat quæso Aduersarius, quid est, quod inquirit quæstio cõsilij? nonne quid est nunc mihi agendum ex his, quæ sunt in mea potestate agere, vel non agere? Nam si non esset in mea potestate agere vnum, vel alterum, vt quid inquirerem: An hoc, vel illud expediat nunc me agere, vel non agere? Si autem prædicta est quæstio; determinatio, & conclusio quæstionis hæc erit, nempe: hoc est nunc mihi agendum ex illis, quæ sunt in mea potestate. Cui quidem, non solùm non quadrat; sed contra dicit sensus Aduersarij, puta: hoc est nunc mihi agendum ex necessitate, & non est in mea potestate illud agere, & non agere.

Euidẽs ratio per resolutione.

1385 71 Idque ex principijs dialecticis sic demonstratur. Nam sensus terminorum conclusionis est omnino vnus, & idem cũ eo, quem iidem termini habent in præmissis. Conclusio enim constat ex maiori, & minori extremitate in eodem sensu accepta: sed ille terminus, *agendum* (quando concluditur: hoc nunc mihi est agendum) in præmissis, ex quibus talis conclusio deducitur, non significat agendum ex necessitate excludente libertatem, ex qua fit, rem agendam nõ esse in nostra potestate. Ergo non significabit hoc ipsum in conclusione. Maior est euidens. Minor verò manifestatur exemplo, quo vtitur S. Doctor in syllogismo temperati verbis relatis num. 25. huius §. puta: *Nulla fornicatio est committenda: Hic actus est fornicatio. Ergo non est committendus.* Dicat modò Aduersarius; terminus ille in maiori positus, committenda, dum dicitur, *nulla fornicatio est committenda*, designat ne, non esse fornicationem committendam ex necessitate excludente libertatem, seu faciente, actum fornicationis non esse in nostra potestate? Et quidem si hoc diceret, se ipsum hæreticum fateretur. Quippe quia ipse, vel crederet, nullam fornicationem esse committendam, vel non: si non; iam esset hæreticus, non credens propositionem de fide, si sic; iam etiam esset hæreticus; quia crederet, fornicationem non esse committendam ex necessitate excludente libertatem in uitando actum fornicationis, quòd etiam est hæreticum. Oportet ergo eum respondere, quòd non significat, non esse committendam necessitate excludente libertatem. Si ergo id non significat in maiori, vbi tenet locum maioris extremi, neque id significabit in cõclusione, quæ constat, non ex alio; sed ex eodem maiori extremo.

Idẽ demonstratur ex principijs dialecticis.

1386 72 Ampliùs falsa essent prima principia vniuersalia rationis practicæ, puta: Bonum est prosequendum. Malum est vitandum: quæ ita se habent in ratione practica, sicut in speculatiua: Impossibile est idem simul esse, & non esse, vt probat S. Doctor 1. 2. quæst. 94. ar. 2. in corp. circa medium. Designarent enim, bonum esse prosequendum ex necessitate, & malum vitandum ex necessitate excludente libertatem in uitando, & prosequendo, quo quid absurdius? Nec sane aliquis vnquam fuit, qui, audiens, Deum esse amandum, colendum, venerandum &c. vt dicebat Beata Agnes, concepit istum sensum, nẽpe, Deum esse amandum &c. ex necessitate excludente libertatem ab actu amoris &c. Si ergo hoc non significat in propositionibus vniuersalibus, obtinentibus in syllogismo operabilium locum maioris, cuius est maius extremum; neque hoc ipsum significabit in conclusione, cuius prædicatum est idem maius extremum applicatũ singulari actioni hìc, & nunc, de qua concludit dictus syllogismus operabilium a nobis. Et sic patet tertia pars nostræ resolutionis; simul cum prima.

Confirmatur eadem ratio.

1387 73 Dices primò: Dictum istud, scilicet, hoc est agendum, & similia, explicari communiter terminis importãtibus necessitatem, nempe: hoc fieri debet: hoc fieri oportet. Hinc ipsemet Aristoteles 6. Ethicorum apud D. Thomam lec. 9. lit. tex. d, loquens de iudicio, quo prudentia habet præcipere, & in quod tẽdit ipsa prudentia, vt ad proprium finem, docet, quòd finis ipsius est determinare, quid oporteat agere, & sic habet: *Prudentia præceptiua est, quid etiam oportet agere, vel non, finis ipsius est.* Quæ verba sic vertit Argiropolus. *Prudentia namque præceptiua est. Finis enim ipsius est, quidnam sit agendum, aut non agendum præcipere.* Ex quibus patet, quòd idem est, præcipere, quid sit agendum, & quid oportet agere. Vnde D. Thomas verba prædicta sic explicat. *Dicit, quòd prudentia est præceptiua, inquantùm scilicet est finis ipsius, determinare, quid oporteat agere.* Cum igitur hæ dictiones, *oportet, debet*, significent idem, quod necesse est; videtur, quòd, dum ratio practi-

Instantia, desũpta ex significato verbi, oportet.

Digitized by Google

practica concludit, quòd hoc est nunc agendum, ideſt, quòd hoc nunc oportet, & debet fieri, concludat idem, quod neceſſe eſt, vt hoc fiat, ſeu hoc eſt neceſſariò faciendum.

1388

74 Reſpondeo, prædicta verba, debet, & oportet, in moralibus, quando agitur de operabilibus ad finem, ſignificare idem, quod expedit, & conuenit fini, non autem neceſſitatem ſimpliciter, ſeu abſolutam excludentem libertatem. Hinc volentes dicere, quòd ad virtutem pertinet agere, quando conuenit, & expedit, vbi conuenit, &c. dicimus, quòd ad virtutem pertinet agere, quando oportet, vel quis debet, vbi oportet, &c. Vnde Ariſtoteles lib. 3. Ethicorum, loquens de virtute fortitudinis, ſic dicit apud D. Th. lec. 15. lit. tex. c. *Qui igitur, & ea, quæ oportet, & gratia cuius oportet, & vt oportet, & quando oportet, fert, & metuit, & confidit, is homo fortis eſt.* Quibus verbis non ſignificat: Qui ea, ad quæ neceſſitatur, gratia cuius neceſſitatur, & vt neceſſitatur, & quando neceſſitatur, fert, & metuit, & confidit, is homo fortis eſt. In iis enim, in quibus neceſſitamur, agimuſque ſine libertate, nullam virtutem, aut vitium habemus; ſed ſolùm in iis, quæ ſunt in noſtra poteſtate ſiue agere, ſiue non agere, vt patet ex eodem Ariſtotele verbis relatis num. 67. huius §.

Reſpondetur, quòd ly oportet, ſignificat idem, quod expedit, ſeu conueniens eſt.

1389

75 Inſtabis, ſeu dices ſecundò. Si tale iudicium non concludit, hoc, vel illud, eſſe nunc neceſſariò agendum; ſed ſolùm, tale nunc eſſe expediens, vel conueniens, vt agatur; non poſſet inducere efficaciter, & per ſequelam neceſſariam in actum cōformem iudicio. Ergò, dum in noſtra ſententia ad tale iudicium ſequitur efficaciter, & per ſequelam neceſſariam actus cōformis iudicio, ſignum eſt, illud concludere, hoc eſſe neceſſariò agendum. Sequela antecedentis, ſeu maioris videtur perſpicua. Nam iudicium non impellit in actum agendum propter finem, niſi iudicando. Si ergo hic, & nunc impellit in actum efficaciter, & per ſequelam phyſicam neceſſariò conſequentem, idem iudiciū videtur, quòd id faciat, iudicando, eum eſſe hic, & nunc neceſſariò agendum, & quòd, ſi non iudicat, eum hic, & nunc neceſſariò agendum, non impellat in actum efficaciter, & per conſequentiam neceſſariam.

Inſtantia contra reſponſionē.

1390

76 Reſpondeo, quòd propter hanc inſtantiam in ſecunda parte reſolutionis dixi, ſenſum Aduerſariorum non eſſe neceſſarium ad hoc, vt ad iudicium ſequatur per neceſſariam ſequelam actus conformis iudicio. Quare nego ſequelam antecedentis, ſeu maioris; & aſſero, quòd ad hoc, vt per ſequelam neceſſariam ſequatur ad iudicium actus electionis conformis iudicio, ſolùm requiritur, quòd talis actus hic, & nunc iudicetur conueniens, ſeu expediens fini efficaciter volito. Ratio eſt: Quia obiectum, eligibile à nobis propter finem, eſt, quod à ratione noſtra per ſententiam ſui conſilij de agendis poteſt apprehendi, ſeu iudicari, eſſe conueniens, & expediens fini; non autem quòd eſt omnino neceſſarium fini. Idem enim eſt conſiliabile, & eligibile; ac per hoc, quod non poteſt cadere ſub conſilio, vt eſt, quod eſt omnino neceſſarium fini, non poteſt cadere ſub libera electione. Ergo illud, quod hic, & nunc actu eligitur, eſt, quod à noſtra ratione per ſententiam ſui conſilij hic, & nunc iudicatur cōueniens fini; non autem quod iudicatur, eſſe hic, & nunc omnino neceſſarium fini. Hoc enim (vt dixi) non cadit ſub electione. Et conſequentia hæc valet. Nam, ſicut id, quod eſt eligibile, ſeu quod poteſt eligi, ad hoc, vt ſit tale, exigit, quòd poſſit apprehendi, ſeu iudicari, eſſe conueniens; non autem quòd ſit, & poſſit iudicari, eſſe omnino neceſſarium: ita id, quod eligitur, ad hoc, vt ſit tale, expoſcit, quòd actu apprehēdatur, ſeu iudicetur, eſſe hic, & nunc conueniens fini; non autē quòd ſit, & apprehendatur eſſe hic, & nunc omnino neceſſarium. Sicut enim ſe habet potentia ad potentiam; ita actus ad actum.

Ratio oſtēdens propoſitū à priori.

1391

77 Quòd ſi inquiras; vnde prouenit illa neceſſaria ſequela, per quam fit, quòd ſtatim ac ratio noſtra per ſuam ſententiam iudicat, aliquid eſſe conueniens fini; voluntas efficaciter impellitur in electionem eius, quod iudicatum eſt conueniens fini? Reſpondeo, id prouenire (vt ſæpe dixi) ex impulſu efficacis volitionis finis, ex qua voluntas per rationis conſilium, completum, ſeu concluſum per ſententiam, mouet ſeipſam in actum eligendi id, quòd eſt concluſum, eſſe conueniens fini. Voluntas enim volēs efficaciter finem, hoc ipſo, quod finem efficaciter vult, eſt inclinata ad inquirendum per rationem (quam habet vt inſtrumentum ſibi coniunctum) id, quod eſt conueniens ad acquirendum finem, vt illud accipiat, & sic pergat in dictam acquisitionem finis. Ipſa igitur voluntas hac inclinatione applicat, ſeu impellit intellectum, vt per eius diſcurſum inueniat, quod expedit, ſe accipere, vt eo pergat in finem. Et inde eſt, quòd, concluſo conſilio, & data per rationem finali ſententia, qua pronunciatur, quòd hic, & nunc, hoc agere, eſt conueniens fini, ſeu, quòd hoc eſt agendum, ex ipſa inclinatione,

Explicatur radix ex qua prouenit neceſſaria ſequela; qua actus electionis ſequitur iudicium determinatū per conſilium.

Digitized by Google

tione, qua ipsa voluntas vult finem, impellitur, seu seipsam impellit ad accipiendum id, quod est sententiatum conueniẽs fini. Et hæc ipsa acceptio, qua voluntas accipit id, quod est sententiatum conueniens fini, est formalissimè actus electionis, in quem voluntas, mediante rationis consilio, mouet seipsam ex volitione finis. Necessaria igitur sequela, qua ad finalem sententiam, pronunciatam à ratione post inquisitionem consilij, sequitur acceptio, qua voluntas accipit, quòd est sententiatum conueniens fini, seu sequitur actus electionis, quo voluntas eligit, quòd sententiatum est, ex ipsa efficaci volitione finis prouenit, ex qua fuit ratio applicata ad inueniendũ per inquisitionem sui consilij id, quod conuenit agere, seu quòd est agendum pro fine.

1392

Respondetur in forma ad probationem sequelæ maioris

78 Quare in forma ad id, quo in præsenti instantia probatur, sequela Maioris negata, respondeo, concedendo antecedens illud: iudicium non impellit in actum agendum propter finem; nisi iudicando: sed negando consequentiam. Et claritatis gratia distinguo antecedens: iudicium non impellit in actum agendum propter finẽ; nisi iudicando, idest ferendo iudicium improportionatum. & repugnans rebus eligibilibus propter finem, nego antecedens: ferendo iudicium proportionatum rebus eligibilibus propter finem, concedo. Sed inde sequitur oppositum eius, quod in probatione, cui respondemus, infertur. Si quidem iudicium, proportionatum rei eligibili propter finem, est, quo res iudicatur, esse conueniens fini: illud autem, quo iudicatur, esse omnino necessarium fini, est improportionatum, & repugnans ei, quod eligendum est, cum necessarium non cadat sub electione. Et inde sequitur, quòd iudicium, ad quod per necessariam consequentiam sequitur actus electionis eius, quod iudicatum est, aliud esse non potest; nisi quo iudicatur, aliquid hic, & nunc esse conueniens fini,

Probatur secunda pars resolutionis experientia.

1393

Probatur resolutio ex iis, quæ experimur si e in appetitu brutorum, sive in actibus nostris indeliberatis

79 EX dictis duobus numeris proximè præcedentibus probata manet ratione fundamentali, & à priori, secunda nostræ resolutionis pars, qua dicimus, quòd ad hoc, vt actus voluntatis sequatur iudicium conclusionis syllogismi operatiui necessaria sequela, non requiritur, vt eo iudicetur, talem actum hic, & nunc, esse necessario agendum. Verùm hoc constat etiam experientia. Nam actus appetitus in brutis sequitur sequela necessaria iudicium æstimatiuæ, quo apprehenditur aliquid esse conueniens, vel nociuum; ita vt ad talem sequelam non requiratur iudicium æstimans, obiectum esse necessariò prosequendum, vel fugiendum. Ergo simili modo non requiritur tale iudicium ad hoc, vt ad ipsum sequatur eodẽ modo actus appetitus humani. Et quidem si negaretur antecedens propter hoc quod nobis non cõstat, quale sit iudicium brutorum; iam nos ipsi experimur in actibus indeliberatis nostræ voluntatis, quòd ad solam apprehensionẽ absolutam conueniẽtis, vel nociui, sequitur in nobis necessariò actus appetitus indeliberatus, vt ad apprehensionem subitam mali imminentis timemus, absque eo quod iudicemus, esse necessariò timendum. Et vniuersaliter id experimur circa nostros actus appetitus sensitiui prævenientes vsum rationis: sequuntur enim necessaria sequela apprehensionem sensus, idest virtutis imaginatiuæ absque eo, quod per eam iudicemus, aliquid esse necessariò appetẽdum, vel fugiendum.

1394

Responsio.

80 Nec dicas, experientiam istam circa actus indeliberatos esse inutilem ad idẽ probandum circa actus liberos. Quia scilicet actus indeliberati non sunt in nostra potestate, ac per hoc sequuntur ex necessitate, posito iudicio apprehendente obiectum determinatè, vel vt conueniens, vel vt nociuum. At verò actus liberi sunt in nostra potestate, & propter hoc non possunt sequi necessariò ex suppositione obiecti apprehensi. Et inde est, quòd ad hoc vt sequantur necessariò ex suppositione obiecti apprehensi, oportet, vt apprehendantur, vt agendi ex necessitate.

1395

Reiicitur præcedens responsio: quia assumit falsum discrimen.

81 Non dicas hoc, inquam: Nam experientia prædicta euidenter probat, quòd ad hoc, vt actus appetitus sequatur ex necessitate iudicium, non requiritur, vt obiectum iudicetur, appetendum ex necessitate. Differentia deinde in proxima responsione allata falsa est tàm in sentẽtia S. Thomæ, & Aristotelis, vt patet ex locis relatis in hoc dubio, n. 38. & 39. & in hac disp. §. 3. n. 15. & 16. & expensis à nu. 24. ad 27. quàm secundùm veritatem probatam num. 76. & 77. huius dubij. Non enim est verum quòd actus liber non sequitur ex necessitate ex suppositione obiecti apprehensi per iudicium deliberatum. Est enim actus liber, & in potestate voluntatis existens, non ex eo, quòd potest eligere, & non eligere, supposito iudicio, quo, homo deliberatè, & vltimatè per sententiam conclusam per consilium seu syllogismũ operatiuum iudicat, aliquid esse eligendum, seu conueniens fini, vt eligatur; sed ex hoc, quod

Digitized by Google

quòd in potestate voluntatis fuit, & est habere tale iudicium. Et hoc inquantùm habet altissimam formam, puta apprehensionem boni communis, per quam potest de suo iudicio iudicare, & per quam, sicut conclusit, bonum esse habere tale iudiciũ, poterat concludere oppositum: secundùm quem modum iudicium deliberatũ semper est in potestate iudicantis, seu etiam voluntatis: itaut si non esset in potestate voluntatis habere tale iudicium, nec esset in eius potestate proprius actus electionis. Et inde est, quòd Aristoteles verbis relatis in hoc §. num. 39. ex eo probat actum electionis esse in nostra potestate; quia procedit ex rationis iudicio consilij, quod est sub nostra potestate. Lege verba S. D. a nobis relata disp. præcedenti §. 23. num. 87. & ea, quæ diximus num. 88. 89. & 92. sequentibus, eaque compone cum verbis eiusdem S. Doctoris relatis in hac disp. §. 3. num. 28. & 29. Sed de his diffusiùs in dubijs ad sequentem obiectionem.

Ostenditur haberi ex dictis, vltimam resolutionis partem esse probatam.

1396 TAndem apparet ex dictis, verum sensum conclusionis syllogismi operabilium, qua pronunciatur, quòd hoc hic, & nunc est agendum, eum esse, quem diximus, eam habere in vltima resolutionis parte puta quòd hic, & nunc, hoc conuenit; seu expedit agere ad habendum finem. Cum enim tale dictum sit determinatio quæstionis inquisitæ per rationis consilium; necesse est, quòd illud determinat, quod quæstio consilij inquirit. Consilium autem dum inquirit, quid agendum est in ordine ad aliquem finem, nil aliud quærit, quàm, quid sit illud, quod hic, & nunc conuenit agere propter finem ex illis, quæ sunt in nostra potestate. Hoc ergo est illud, quod determinat consiliũ, nempe: hoc est, quod ex illis, quæ sunt in nostra potestate, hic, & nunc conuenit agere propter finem. Huius discursus maior est euidens. Minor etiam est experientia manifesta.

Ex dictis breuiter probatur resolutio.

§. VI.

Proponitur sexta obiectio cõtinens præcipuum difficultatis punctum: Ostenditur soluta: & excitantur, ac resoluũtur sex dubia ad excludendum Veterum, ac Recentium adinuenta: dilucidandamque veritatem.

1397 1 OBIICIES 6. Videtur sequi ex dictis, vel nullam dari voluntatis libertatem, vel voluntatem non determinari per iudicium proprium; sed iuxta modum Aduersariorum. Nam voluntas nostra non eligit liberè, & vt habens in sua potestate proprium actum, si non habet in sua potestate iudicium, quo, quod eligitur, iudicatur eligendum, vt ex doctrina S. Thomæ notauimus proximè num. 81. præcedentis §. Ergo, si voluntas liberè eligit aliquid: oportet, quod iudicium, quo fuit iudicatum eligendum, fuerit in voluntatis nostræ potestate; & ex consequenti oportet, quòd liberè fuerit iudicatum, esse eligendum. Sed si fuit liberè sic iudicatum, id fuit, inquantùm per liberum actum voluntatis fuit priùs volitum, vt sic iudicaretur. Ergo si voluntas liberè eligit aliquid, oportet, id esse; inquantùm per actum liberum voluntatis fuit priùs liberè volitum, vt sic iudicaretur. 1398

2 Hoc posito peto: qualiter homo, qui sua voluntate erat indifferens ad volendũ, & non volendum sic iudicare, procedit in actum, quo vult sic iudicare. Et quidem si dicatur, quòd voluntas se determinat ad hoc, nullo ipsam determinante iudicio, vera erit Aduersariorum sententia. Iam enim voluntas indifferens, & indeterminata existens ad volendum, & non volendum sic iudicare, procederet in actum volendi sic iudicare, nullo eam determinante, rueretque nostræ sententiæ fundamentum. Si verò dicatur, quòd voluntas se determinat ad volendum sic iudicare per aliud iudicium; peto iterum: hoc aliud iudicium est in potestate voluntatis, vel non; si non; sequitur, non fuisse in potestate voluntatis actũs illũ, quo voluit sic iudicare, & ex consequenti tale iudicium non fuisse liberè volitum, quod est contradictorium illius, quod conclusum est superiori discursu ex suppositione, quòd voluntas liberè eligit. Si verò dicas quòd istud aliud iudicium est etiam in potestate voluntatis; inde sequitur, (vt priùs inferebamus) quòd præcessisset alia volitio libera, de qua potest fieri eadem petitio, & sic in infinitum. Quare ad vitandũ processum in infinitum, vel deueniendum est ad iudicium, quod non est in nostra potestate, ex quo sequitur non esse in nostra potestate actus voluntatis sequentes, & sic periret libertas: vel asserendum, quòd voluntas indifferens, & indeterminata ad volendum, & non volendum sic iudicare, procedat in actum volendi sic iudicare, seu in alteram partem ex oppositis, nulla habita determinatione per iudicium; & sic perit tota nostra, D. Thomæ, & Aristotelis sententia in illo principio fundata: Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nullus procedit actus,

actus, nisi per aliquid, quod determinat ad vnum.

1399 *Discursus Ruiz afferens precedentem rationem.*

3 Hanc ipsam rationem prosequitur Ruiz. de Voluntate Dei disp. 7. sec. 6. nu. 16. vt probet, diuinam voluntatem non determinari per iudicium intellectus diuini (quod quidem est contra expressam doctrinam S. Thomæ, à nobis allatam disp. precedenti §. 22. à num. 16. ad 26.) & sic habet. *Si iudicium intellectus est liberum propter liberam motionem voluntatis, peto: quodnam iudicium intellectus determinauit Dei voluntatem ad illam priorem motionem liberam, quæ liberum iudicium præcessit. Nam aut infinitus erit processus inter motionem voluntatis, & iudicia diuina, quæ voluntatem determinant ad illas actiones, vel necessariò veniendum erit ad aliquam volitionem primam, quæ libera sit, quamuis non supponat iudicium intellectus liberum, sed merè necessarium, & naturale.* Et inde, ex eo, quod processus in infinitum est impossibilis, & simul etiam est impossibile, actum liberum voluntatis sequi per necessitatiam consequentiam ex iudicio necessario, & merè naturali (vt probat ipsemet Ruiz parùm infra, videlicet, num. 20. & 21.) infert, falsam esse sententiam, asserentem, diuinam voluntatem determinari ad suas actiones liberas per diuinum iudicium,

1400 quæ (vt diximus) est expresse D. Thomæ.

Discursus Arriagæ ad idem.

4 Sed breuius eandem rationem proponit Arriaga disp. 8. de Anima sec. 2. subsec. 1. num. 8. dicens. *Dices, illud imperium fuisse sub potestate nostræ voluntatis. Contra: ergo præcessit in voluntate aliquis actus, à quo tale imperium dimanuit. Ergo talis actus factus est sine imperio. Ergo hoc non requiritur ad omnes actus voluntatis. Quod si semel dicimus, ad vnum non requiri; dicendum est, nec ad alios.*

Ratio hæc ostenditur soluta, & proponuntur dubia ad excludenda, siue Veterum, siue Recentium falsa adinuenta; ad defendendum D. Thomam à violentis, & suæ doctrinæ repugnantibus imposturis: ac ad veritatem, iuxta eiusdem S. Doctoris, & Aristotelis sententiam, declarandam.

1401 5 HAEC ratio iam à nobis soluta fuit §. 2. huius disp. à nu. 4. ad 26. inclusiuè. Non enim aliam, sed hanc ipsam proposuit Suarius verbis relatis nu. 1. dicti §. quibus ibi respondimus. Verùm; quoniam, ne detur processus in infinitum in actibus voluntatis imperatis, seu liberis, (quem hæc inculcat obiectio) oportet deuenire, vt ad primum, ad actum necessarium, seu non liberum eiusdem voluntatis, ex quo voluntas, se mouens, procedit in liberum; ideo ad resoluendam difficultatem, quam parit obiectio, cogimur explicare istum processum voluntatis, quo de actu naturali, & necessario procedit in liberum; ac etiam veram radicem, ex qua oritur in actu isto libertas. Quæ quidem; quia soluentes hanc rationem, vt à Suario propositam, non explicuimus, quantùm rei arduitas exposcit, remisimusque lectores pro hac re in hunc locum; ideo iterum vrgentioribus terminis illam proposuimus, & addidimus verba Ruizii, & Arriagæ, vt simul, & argumentorum pandamus defectus, & difficultates omnes enodemus. Accedit, quòd tam Veteres, quam Recentes, in vitando processum in infinitum, quem præsens inculcat obiectio, aliqua excogitarunt, imposueruntque D. Thomæ, & Aristoteli, quæ eisdem euidentissimè contradicunt; ac per hoc oportet (vt hac occasione defendamus D. Thomam, & vt veritas eluceat magis) huiusmodi imposturas excludere. Quarè vt hæc omnia præstemus, sex excitamus dubia.

Primum. An, dum aliquis liberè iudicat, aliquid esse hìc, & nunc eligendum, voluntas determinet intellectum ad hoc, vt sic determinatè iudicet; itaut electio præcedat iudicium.

Secundum. An ex quo ad omnem electionem præcedit deliberatio, seu iudicium practicum imperij, cogamur admittere processum in infinitum.

Tertium. An sit libera illa deliberatio, in quam mouetur ratio à Deo exteriori principio, estque prima in ordine ordinatarum deliberationum.

Quartum. An prima deliberatio sit sub libera potestate voluntatis, inquantùm uoluntas applicat intellectum ad deliberandum.

Quintum. Quæ quotuplex, & qualis sit ratio libertatis primæ deliberationis, seu primi imperij precedentis primum actum electionis, seu primum actum liberum voluntatis.

Sextum. An ex dictis rectè occurratur sextæ obiectioni.

DVBIVM PRIMVM, ad sextam.

An, dum aliquis liberè iudicat, aliquid esse hìc, & nunc eligendum, voluntas determinet intellectum ad hoc, vt sic determinatè iudicet, ita vt electio præcedat iudicium.

1402 *Explicatur punctus difficultatis.*

6 PVnctus difficultatis circa iudicium electionis (quod liberum iudicium dicimus, & in potestate uoluntatis existens) est, An libertas talis iudicij procedat ex aliquo actu voluntatis præceden-

cedente; ita ut voluntas per suum actum liberum, quo vult, vt intellectus ferat hoc determinatum iudicium, determinet, & inclinet ipsum ad sic determinatè iudicandum. Id enim videtur supponere Ruiz in suo argumento, dum inquit: *si iudicium intellectus est liberum propter liberam motionem voluntatis; peto: quodnam iudicium intellectus determinauit Dei voluntatem ad illam priorem motionem liberam?*

Opinio Caietani proponitur.

1403 7 PVnctum istum difficillimum superlatiuè censuit Caietanus, illumque (ni fallor) resoluit, sibi ipsi, & D. Thomæ contradicens, ac Aduersarijs fauens in singulari fundamento excogitationis eorum. Porrò 1.2.q.77. ar.2. agens illam quæstionem; An malam electionem debeat præcedere iudicium errans, obijcit contra doctrinam articuli sequentem rationem, inquiens. *Arguo ad idem: quia fiat quòd ratio ostendat vtrumque oppositorum, secundùm quod est, puta, furari, & non furari; est enim oppositorum: & quòd voluntas determinet se ad vnum, quod vult. Et quòd hoc sic fit, testatur Aristoteles 9. Metaphy. vbi vult, quòd scientia sit oppositorum, sed à proæresi,* ideſt, electione *determinatur ad vnum. Non igitur oportet, intellectum errare, vel ignorare, ad hoc, vt voluntas malè velit.* Hæc Caietanus sibi ipsi proponens difficultatem, quæ penitus illud ipsum petit, quod hoc dubio inquirimus. Et quidem si semel, posito solo illo iudicio, quo ostenditur indifferenter vtraque pars contradictionis, voluntas posset (vt in hac proponitur ratione) se inclinare in alteram partē ex hoc solo, quia vult: & ex hoc ipso quòd sic eligit, seu ex sua proæresi inclinaret intellectum ad iudicandum alteram partem ex oppositis; iam electio præcederet iudicium & sic sententia D. Thomæ & Aristotelis fundata in isto principio, *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, nulla sequitur actio, nisi per aliquod, quod determinat ad vnum*, ruęret, & simul tota nostra sententia.

Verba Caietani obijcientis cōtra doctrinā D. Thomæ.

1404 8 Respondet verò Caietanus prædictę rationi, & ait: *Ad rationem aliam, quę est omnium difficillima; quoniam tangit primam rationem dicitur, quòd ex hoc ipso quod voluntas determinat se, & intellectum ad alterum oppositorum, quod est malum, inuenitur ignorantia aliqua. Oportet enim, voluntate aliquid appetente, illud iudicari appetendum nunc, hic, &c. & cum in veritate nō sit appetendum: patet ignorantia aliqua. Sed an ignorantia sit priùs natura, quàm appetitus, difficile est videre. Ex eo namque quod obiectum est voluntatis illud, sic iudicatum, priùs natura videtur: ex eo verò, quod effectus voluntatis videtur, determinantis intellectum, iuxta doctrinam Aristotelis, posterius natura videtur.* In quibus nota primò; quòd prædictam rationem appellat difficillimā. 2. quòd credit, voluntatem determinare tū se, tum intellectum ad alteram partem: ex quo sequitur, quòd voluntas, solo posito illo iudicio ostendente vtrumque oppositum, determinaret, tum se, tum intellectum ad alteram partem, & sic ipsa, se sola, tolleret tam sui, quàm intellectus indifferentiam. Sed audiamus qualiter proximè positæ difficultati respondeat: nam sequitur.

Nota quid videtur cōcedere.

Respōsio, qua Caietanus respōdet præcedenti obiectioni.

1405 9 *Ad hoc dicitur; quòd determinatio intellectus ad alteram partem in moralibus; cum contingentia sint; quando ex passione prouenit, præuenit manifestè electionem, vt patet ex supra declaratis. Sed quoniam hoc est per accidens, absolutè loquendo de determinatione intellectus; dicendum est, quòd voluntas determinat intellectum ad iudicandum iterum oppositorum faciendum; sed diuersimodè in bonis, & in malis; quia cum neutrum oppositorum habet rationem mali moraliter, voluntas ex se sola flectit iudicium, quo vult: ad alterum verò oppositorum moraliter malum, voluntas ipsa flectit iudicium; sed non nisi concurrente ad hanc aliquo defectu intellectus, saltem non consideratione omnium considerandorum, quæ sufficit ad hoc, quod omnis malus ignorans sit, vt de peccato Angeli dictum fuit. Iudicium igitur de agendo, vel appetendo moraliter malo; cum in ratione propositi, sit priùs natura voluntate mala, & in ratione acceptati sit posterius natura eadem, & acceptetur ex aliquo defectu intellectus: quia malum secundùm se non est acceptabile: resoluendum est in tria, in ipsum iudicium, seu iudicatum, quòd acceptatur; & in defectum intellectus, vnde quodam modo acceptatur; & ipsam passiuè acceptionem à mala voluntate illatam: & quoad duo prima præuenit voluntatem malam, vt obiectum, & conditio nonnulla eius; siue ex parte intelligentis: quoad tertium autem est effectus voluntatis.*

Verba Caietani, quibus respondet præcedenti difficultati.

1406 10 Itaque ad propositum difficultatis propositæ videtur Caietanus admittere totam doctrinam, ex qua procedit obiectio. Et primò, quòd stet, quòd ratio ostendit vtrumque oppositum, puta furari & non furari, & quòd voluntas determinet se ad vnum; quia vult. Si enim hoc antecedens non concederet; sed negaret; nulla opus esset responsione. Negato enim hoc antecedente, ratio illa omninò nulla esset. Secundò quòd hoc ipsum colligitur ex Aristotelis doctrina 9. Metaphy. qua docet, scientiam esse oppositorum & determinari ad vnum à proæresi, seu electione. Tertiò secundùm prædictam Aristotelis doctrinam determinat, quòd proæresis, seu electio voluntatis, simpliciter loquendo,

Tria videtur concedere Caietanus in præcedenti responsione. Concedit antecedēs: illud colligit ex doctrina Aristotelis: & quòd electio simpliciter præcedit iudicium de agendis.

Digitized by Google

præcedit iudicium illud, quo ratio in particulari iudicat, aliquid hic, & nunc esse eligendum: vult enim, quòd; quia scientia in iudicando, hoc, vel illud esse eligendum, se habet ad opposita, determinetur ad iudicandum, alteram partem esse eligendam, a proæresi: idque quando neutrum oppositorum est malum morale, vt patet illis verbis. *Absolutè loquendo de determinatione intellectus dicendum simpliciter est, quòd voluntas determinat intellectum ad iudicandum alterum oppositorum faciendum.* Hancque esse suam intentionem demonstrat terminis valde explicitis, dum inquit, quòd *voluntas, se sola flectit iudicium* ad iudicandum alteram partem oppositorum. Vnde subdit. *Cum neutrum oppositorum habet rationem mali moraliter, voluntas ex se sola vertit iudicium, quò vult.* Immò idipsum verificat, quando alterum oppositorũ est moraliter malum; cum hac sola differentia, quòd cum flectit iudicium ad iudicandum, faciendum esse actum moraliter malum, supponit precedentem intellectus inaduertentiam in non considerando ea, quæ sibi tunc essent consideranda, quam inaduertentiam non supponit, dum flectit iudicium ad iudicandum, esse faciendum alterum oppositorũ moraliter bonum, vt patet verbis illis: *Ad alterum verò oppositorum moraliter malum, voluntas ipsa flectit iudicium: sed non nisi concurrente ad hoc aliquo alio defectu intellectus, saltem non consideratione omnium considerandorũ,* &c. Denique expende illas dictiones, *ex se sola*, cum dixit, *cum neutrum oppositorum est moraliter malum, voluntas ex se sola vertit iudicium, quò vult* designat enim idem, quod, non alio concurrente ex parte intellectus. Nam quando voluntas non ex se sola flectit iudicium ad iudicandum, agendum esse actum moraliter malum, hoc ideo est; quia concurrit ad actum electionis defectus intellectus. Ergo quando voluntas ex se sola flectit iudicium, id erit, non aliquo concurrente ex parte intellectus, solitudo enim uoluntatis, quantùm ad hunc effectum flectendi iudicium, ad iudicandum alteram partem ex oppositis, non potest intelligi, nisi per exclusionem consortij alterius concurrentis ab eodem effectu.

Resolutio dubij.

1407 11 VEruntamen dicendũ est, quòd non solùm secundùm sententiam Aristotelis, D. Thomæ, & ueritatem ipsam; sed etiam ipsiusmet Caietani, impossibile est, quòd stet, rationem ostendere dumtaxat utrumque oppositum, secundùm quod est, puta furari, & non furari; & quòd uoluntas, ex se sola, (ideſt precisso omni alio iudicio, quo posset determinari ad unum) determinet se ad alteram partem, solùm per hoc, quod uult. Et adhuc impossibilius est, quòd uoluntas, sub tali dispositione existens, ex se sola flectat rationem ad iudicandum, alteram partem oppositorum esse agendam: quasi quòd detur aliquis actus electionis, quem nulla præcessit sententia rationis dictans, talem actum agendum esse: Et hunc istum esse, qui solùm supponit ostensionem utriusque oppositi, Nec Aristoteles 9. Metaphy. fauet prædictæ cogitationi. Et inde est, quòd, cum nos concludendo, & sententiando de agibilibus a nobis per discursum consilij, & syllogismi operatiui, liberè iudicamus, aliquid hic, & nunc nobis agendum esse, non ex eo tale iudicium est liberum; quia antequam sic iudicamus, habemus electionem talis determinati iudicij, qua inclinamus rationem nostram ad sic determinatè iudicandum; sed ex alijs capitibus, partim quidem explicatis §. 2. huius disp. à num. 5. ad 14. partim infra explicandis.

Probatur resolutio; & ex Caietano refellitur Caietanus.

1408

12 REsolutio hæc, quantùm ad id, quod profert, esse de sententia Aristotelis D. Th. & de ueritate ipsa, iam patet ex ijs, quæ latè diximus tota disputatione prima. Quantùm uerò ad id, quod profert de Caietano contra eundem Caietanum, nunc probanda est. *Prior pars resolutionis constat ex dictis.*

Itaque quòd impossibile sit in sententia Caietani *quòd stet, rationem ostendere utrumque oppositum, secundùm quod est, puta furari, & non furari; & quòd voluntas, ex se sola determinet se ad vnum, solùm per hoc, quod vult*, constare potest ex ijs, quæ docet eodem omnino art. Nam cùm contra doctrinã Articuli proposuisset duo argumenta ex Scoto, & addidisset tertium ex ratione, cui respondet uerbis relatis num. 8. & 9. posuit antecedenter ad dictam responsionem duo aduertenda, ut respondeat argumentis Scoti; secundum autem his uerbis scilicet, *Aduertendum est secundò, quòd apprehensio requisita ad hoc, quòd voluntas appetat aliquid (non enim ferri potest; nisi in apprehensum) non est quæcunque cognitio; alioquin intellectio speculatiua sufficeret, cuius oppositum habetur in 2. de Anima; sed est cognitio iudicans, & præcipiens, hoc esse appetendum. Nunquam enim aliquis aliquid appetit, quod non iudicat appetendum iudicio subito, vel deliberato, expedito, vel impedito: nunquam etiam aliquis iudicata, appetenda esse, eliget; nisi imperet sibi ipsi animus, appetendum esse.* Hæc Caietanus, quæ euiden- *Notanda doctrina Caietani pro nostra resolutione*

Digitized by Google

euidenter repugnant excogitationi eiusdẽ Caietani, quam impugnamus.

1409 13 Nam si *apprehensio requisita ad hoc, quod voluntas appetat aliquid, non est quæcunque cognitio; sed solùm cognitio iudicans, & præcipiens, hoc esse agendum*; quonam modo verificari poterit: *stare quòd ratio ostendat vtrũque oppositum, secundùm quod est, puta furari, & non furari, & quòd voluntas determinet se ad vnum, quia vult*? quæ est propositio admissa, vel concessa à Caietano. Quomodo voluntas appetet hoc vnum, nulla præcedente apprehensione, seu cognitione iudicante, & præcipiente, hoc vnum esse volendum, seu appetendum; si apprehensio requisita ad hoc, quòd voluntas appetat aliquid, est cognitio iudicans, & præcipiens, hoc esse appetendum? Et si *voluntas non appetit, quod non iudicat, appetendum iudicio subito, vel deliberato* &c. Et si *non eligit iudicata; nisi imperet sibi ipsi animus, appetendum esse*, vt habet Caietanus, quo modo voluntas determinabit se ad vnum, volendo, nullo præcedente iudicio, nec subito, nec deliberato, iudicante, & præcipiente, illud vnum esse volendum? Nũ dicet quòd cognitio illa, qua ratio ostendit vtrumque oppositum, secundùm quod est, & prout scientia est oppositorum, est cognitio iudicans, & præcipiens, agendum esse vnum ex oppositis? sed quis hoc, dicet? Et quidem si hoc diceret; nullo modo posset inferri, quòd non oporteret intellectum errare ad hoc, quod voluntas malè velit illud vnum, quod prædicta cognitio iudicaret, siue subitò, siue deliberatè, agendum esse. Siquidem si illa cognitio iudicaret, & præciperet, agendum esse furari, quod est malum; iam euidenter erraret, & non ostenderet solùm vtrunque oppositum, secundùm quod est, & prout scientia se habet ad opposita, puta ad furari, & non furari: sed etiam ostenderet, agendum esse vnum ex oppositis. Et sic euidenter contradictionem inuolueret.

Discursus probans resolutionem ex verbis Caietani.

Inanis responsio. Præcluditur euidenter.

1410 14 Præterea ex eisdem verbis Caietani, proximè relatis, sequitur, impossibile esse, quòd voluntas secundùm illam dispositionem, quam habet per hoc, quod ratio ostendit vtrumque oppositum, sicuti est, flectat, & determinet ex se sola intellectum ad iudicandum, faciendum esse alterum oppositorum. Nam ratio secundùm dictam dispositionem non habet apprehensionem, qua subitò, vel deliberatè iudicet, & imperet, vt voluntas velit flectere, & determinare intellectum ad iudicandum, agendum esse vnum ex oppositis. Ergo voluntas secundùm prædictam dispositionem non potest ex se sola velle flectere, & determinare intellectum ad habendum prædictum iudicium. Ergo impossibile est, quòd voluntas ex se sola flectat intellectum ad habendum dictum iudicium.

Eadem ratio inculcatur ad propositũ.

1411 15 Primum antecedens supponitur in isto modo dicendi, quem impugnamus. Ponitur enim, quòd ratio solùm ostendat utrumque oppositum, & quòd uoluntas ex se sola inclinat intellectum ad iudicandum, agendum esse unum ex oppositis: quod quidem non esset, si simul intellectus iudicaret, & imperaret, inclinandum, & determinandum esse eundem intellectum ad iudicandum, agendum esse alterũ ex oppositis. Tunc enim nec uoluntas ex se sola; sed determinata per iudicium, & imperium rationis determinaret intellectum ad iudicandum: nec intellectus solùm ostenderet utrumque oppositùm: siquidem etiam ostenderet, esse iudicandum, agendum esse alterum ex oppositis.

Ostenditur primũ antecedens supponi à Caietano.

Prima verò consequentia euidenter sequitur ex notabili Caietani. Nam impossibile est, quòd voluntas velit, & appetat, quod non est apprehensum iudicio, siue subito, siue deliberato, appetendum esse: sed secundùm dictam dispositionem non est apprehensum aliquo tali iudicio, flectendum, & determinandum esse intellectum ad iudicandum, agendum esse vnum ex oppositis. Ergo impossibile est, quòd voluntas secundùm dictam dispositionem ex se sola velit flectere intellectum ad iudicandum esse agendum vnum.

Probatur prima cõsequentia.

Vltima denique consequentia sequitur ex priori. Nam voluntas non potest determinare intellectum ad iudicandum, nisi per hoc, quod vult vt intellectus sic iudicet: sed voluntas secundùm illam dispositionem non potest velle, vt intellectus iudicet, agendum alterum ex oppositis. Ergo voluntas secundùm dictam dispositionem non potest determinare intellectum ad iudicandum agendũ esse &c. Hactenus impugnauimus Caietanum ex Caietano. Sed rationem euidenter demonstrãtem, esse impossibile, quòd voluntas determinet intellectum, ad habendum illud iudicium, ad quod sequitur electio, subijciemus in calce huius dubij.

Probatur vltima cõsequentia.

Examinatur: An locus Aristotelis ex lib. 9. Metaphy. citatus à Caietano faueat illi cogitationi: Probatur, illi eum non suffragari: sed potiùs afferre contrarium fundamentum.

1412 16 SED nunc probandum est, locum Aristotelis, à Caietano citatum, cogitationi illi minimè suffragari, quod

Recensetur doctrina Aristotelis citata à Caietano

Digitized by Google

quod in nostra resolutione posuimus. Porrò hoc loco Aristoteles assignat discrimen inter potētias actiuas irrationales, per quas agunt agentia, quorum actiones sequuntur formam merè naturalem, per quam habent esse, vt notauimus disp. 2. §. xi. num. 26. vnde agunt inquantùm sunt, sicut est virtus calefactiua in igne, nutritiua in viuentibus, &c. & inter potentias actiuas rationales, per quas agunt agentia, quorum actiones sequūtur formas apprehensas; vnde dicuntur agere, inquantùm apprehendunt, vt est virtus, locomotiua in animalibus; virtus, quam habet artifex ad producendum opera artis; virtus, quam habet Medicus ad sanandum, &c. Atque docet, quòd si potentiæ actiuæ primi generis, ponantur in debita approximatione ad passum; illæ ex necessitate agunt, & istud ex necessitate patitur. At verò potentiæ rationales non sic se habent in ordine ad suum passum. Nam quantumcumque medicus appropinquet infirmo; nec oportet, vt medicus sanet, nec vt infirmus sanetur. Huius autem discriminis rationem docet esse; quia potentiæ actiuæ irrationales sunt determinatæ ad vnum: & ideo necesse est, vt cum fuerint in debita proportione ad suum proportionatū passiuum, inducant in illud suum effectum, ad quem sunt determinatæ. At vero potentiæ actiuæ rationales se habent ad opposita; & ideo si oporteret, eas agere, præsente passiuo, agerent in illud oppositum. Vt ergo tales potentiæ agant, oportet, vt per aliquid aliud determinentur ad vnum. Dicit deinde, quòd id, per quod prædictæ potentiæ determinantur ad vnum, ad hoc, vt in suum passiuum agant, est proæresis, seu electio, vel appetitus. Vt ita tales potentiæ illud agant, quod desiderat appetitus. Doctrinam hanc Aristotelis retulimus disp. 2. §. xi. num. 28. Sed oportet hìc iterum eam repetere cum toto commentario S. Thomæ, vt euidentiùs resolutionē nostram demonstremus.

1413 17 Itaque 9. Metaphy. apud D. Thomam lec. 4. litera tex. c, d, & e sic habet Arist: secundùm translationem antiquam. *Tales quidem potentiæ*, (idest irrationales) *quando, vt possunt, actiuum, & passiuum appropinquant, hoc quidem facere; illud verò pati: Illas verò* (idest rationales) *non necesse. Hæ quidem omnes vna vnius factiua: illæ autem contrariorum. Quare simul facient contraria, scilicet, si agerent approximata passiuo sine aliquo determinante. Hoc autem impossibile. Necesse ergo, alterum aliquid esse, quod proprium est. Dico autem hoc appetitum, aut proæresim. Quod enim desiderabit principaliter, hoc faciet, quando vt possit extiterit, & appropinquauerit passiuo. Quare potest secundùm rationem omne necesse, quando desiderat cuius habet potentiam, vt habet hoc facere. Habet autem præsente passiuo, & ita se habente facere. Si autem non, facere non poterit.*

Verba Aristotelis secundùm translationem antiquam.

18 Quæ verba sic explicat S. Doctor *Secundò ponit differentiam prædictarum potentiarum, dicens, quòd in potentijs irrationalibus necesse est; quando passiuum appropinquat actiuo in illa dispositione, qua passiuum potest pati, & actiuum potest agere, necesse est, quòd vnum patiatur, & alterum agat, vt patet, quando combustibile applicatur igni. In potentijs verò rationalibus non est necessarium. Non enim necesse est, edificatorem ædificare, quantumcumque sibi materia appropinquaret. Tertio assignat causam prædictæ differentiæ, dicens, quòd potentiæ irrationales ita se habent, quòd vna est factiua tantùm vnius: & ideo, præsente passiuo, necesse est, quòd faciat illud vnum, cuius est factiua. Sed vna, & eadem potentia rationalis est factiua contrariorum, vt superiùs habitum est. Si igitur necessarium esset, quòd, præsente passiuo, faceret illud, cuius est factiua, sequeretur, quòd simul faceret contraria, quòd est impossibile: sicut si medicus induceret sanitatem, & ægritudinem. Deinde ostendit, quid requiratur ad hoc, quod potentiæ rationales exeant in actū, ex quo non sufficit propinquitas passi. Et circa hoc tria facit. Primò ostendit, per quid potentia rationalis reducatur in actum; concludens ex dictis, quòd cùm potentia rationalis se habeat communiter ad duo contraria: & ita cum à causa communi non procedat effectus determinatus; nisi sit aliquid proprium, quod causam communem ad hunc effectum magis determinet, quàm ad illum; sequitur quòd necesse est, præter potentiam rationalem, quæ est communis ad duo contraria, poni aliquid, quod appropriet eam ad alterum faciendum, ad hoc quòd exeat in actum. Hoc autem est appetitus, aut proæresis, idest, electio, quorumcunque, idest electio, quæ pertinet ad rationem. Quod enim aliquis desiderat, hoc facit. Ita tamen si existit in dispositione, qua est potens agere, & passiuum adsit. Vnde sicut potens potentia irrationali necessariò agit, passiuo appropinquante: ita omne potens secundùm rationem, necesse est, quòd faciat, quando desiderat illud, cuius habet potentiam, & eo modo, quo habet. Habet autem potentiam faciendi, cum passum præsens fuerit, & ita se habet, quòd possit pati: aliter facere non posset.*

1414 *Explicatio Sancti Thomæ.*

1415 19 Hæc autem doctrina nihil penitùs cogitationi Caietani fauet, Vnde non immeritò integrum textum, tum Aristotelis, tum commentarij S. Thomæ transcripsimus; quia scilicet veritas hæc, quæ fundamentum est nostræ sententiæ, ex huius textus consideratione, & expensione dependet.

Vt ergò appareat, nihil esse in prædicta doctri-

Digitized by Google

Considerā dū, seu supponendum pro nostra resolutione.

doctrina vel leuiter fauens prædictæ cogitioni; suppono, loqui Aristotelem de potentijs actiuis, seu factiuis propriè talibus, quæ scilicet habent immutare aliquid extra; vnde passiuum à talibus potentijs est talis conditionis, quòd potest esse proximum quandoque, & quandoque remotum. Idque patet in textu. De his ergo potentijs docet, quòd quędam sunt rationales, & quędam irrationales, & quòd istę ab illis distinguuntur: quia hę in ordine, ad suum passum sunt determinatę ad vnū: vnde, & agunt ex necessitate in passiuum sibi proximum. Illę verò se habent ad oppositа: vnde & non agunt in suum passiuum, quantumcunque sibi proximum; nisi posito determinato actu appetitus, vel electionis, quo prædictæ potentiæ applicantur ad illud determinatè agendum, quod desideratur per actum appetitus, vel electionis.

1416

Considerā dum secundum.

20 Deinde expendo verba illa Aristotelis. *Dico autem hoc appetitum, aut proæresim.* Expendo, inquam, quòd non solùm proæresim, sed etiam appetitum, pro vt importat actum distinctum à proæresi, posuit id, quo potentię rationales appropriantur ad agendum vnū. Et inde est, quòd ad hoc, vt aliqua potentia rationalis, illa scilicet, quę in animali se habet ad oppositа, determinetur ad agendum vnum, non requiritur actus liber electionis, qui propriè appellatur proæresis: quia sufficit actus appetitus, etiam si non sit actus liber. Idque patet tum in brutis, tum in hominibus. In brutis quidem: nam in ipsis potentia loco motiua se habet, ad oppositа, non minus, quàm potētia locomotiua humana, vt docet D. Thomas quæst: 24. de Verit. ar. 2. ad 2. & 3. ac per hoc est potentia actiua rationalis. Certum est autem, quòd talis potentia mouet secūdùm quod appetit brutum, cuius actus appetitus non est proęresis, seu libera electio. Similiter in homine idem accidit in motibus repentinis: mouetur enim manus quandoque ad fricandam barbam a potentia motiua determinata ex solo appetitu sēsitiuo moto ab imaginatione, vt habes ex S. Thom. 1. 2. quæst. 1. ar. 1. ad 3.

1417

Inutilis cō sequentia demōstratur.

21 His positis (quæ sunt euidentia) peto à Caietano: ex quibus verbis relatæ doctrinæ Aristotelis collegit illud suum dictum, nempe stat, *quòd ratio ostendat vtrumque oppositum, secundùm quod est, puta furari, & non furari, & quòd voluntas determinat se ad vnum; quia vult*; ita vt (vt ipse in respōsione se explicat) *quando neutrum oppositorum habet rationem mali moraliter, voluntas ex se sola flectat iudicium, quò vult*? Si respondeat verbis relatis num. 7. quia ex eo quod Arist: vult, *quòd scientia sit oppositorum, sed à proæresi, ideſt, ab electione determinatur ad vnum*, infertur, quòd iudicium directiuum voluntatis ostendit oppositа, prout sunt, pura furari, & non furari, & quòd voluntas eligit ex se ipsa vnum ex oppositis, determinando intellectum ad iudicandum vnum, nullo præsuppositо iudicio determinante voluntatem ad eligendum. Sed quis non mirabitur hanc inductionem? Num propter hoc, quod scientia medicinalis, e.g. vel etiam domificatiua (de his enim scientijs loquitur, Aristoteles, quæ habent efficere aliquid extra, vt patet ex tex. & ex primo suppositо) non agit, seu non efficit, applicando actiua passiuis, huius vel illius morbi sanitatem, vel huius vel illius speciem ædificij, nisi determinata ad vnum per electionem, inferri potest, quòd voluntas medici, vel ædificatoris, quæ etiam se habet ad vtrumlibet ad volendum sanare hanc, vel illam speciem morbi, vel volendum construere hanc, vel illam speciem ædificij, eligit vnum, nō determinata ab aliquo alio, seu per suum proprium iudicium ad volendum vnum, vel alterum, & quòd ipsa ex se ipsa, ideſt nullo alio suppositо iudicio, sed suppositа sola arte medicinali, vel ædificatoria, quæ indifferenter demonstrat sanationē cuiuslibet infirmitatis, vel constructionem cuiuslibet ædificij? quis ita desipiet? Num confundemus iudicium harum scientiarū, seu artium, cum iudicio prudentiæ; itaut dicamus, quòd, posito recto iudicio artis repręsentante diuersos rectos effectus artis, non requiratur deinde iudicium prudentiæ, præcedens rectam electionem, ad hoc, vt rectè velit, vel nolit, consideratis debitis circumstantijs, siue medicus sanare, siue ædificator ædificare? quis hoc dicet? Num propter hoc, quod docuit, potentias actiuas rationales (inter quas possuit scientias seu artes, quæ sunt virtutes actiuæ immutantes aliquod passiuum extra ipsum agens, cuius sunt virtutes) non agere; nisi sint determinatæ per appetitum, vel electionem, seu proæresim: ideo etiam docuit, voluntatem, vel virtutem appetitiuam, etiam brutorum non debere determinari per aliquid aliud ad hoc, vt appetat, vel eligat? Iam enim potentia loco motiua, quæ in brutis se habet ad oppositа, determinatur ad mouendum, secundùm hanc, vel illam partem, per actum appetitus; ita ut in illam partem moueat (siue seipsum, siue aliud extra se) quam desiderat animal; num ergo docuit Aristoteles, quòd appetitus brutorum non determinatur ad vnum per proprium iudicium naturale? Quare remanet, quòd Aristote-

Non est cō fundēdum iudicium artium cū iudicio prudentiæ.

Digitized by Google

ſtoteles non propter hoc, quòd docuit, potentias actiuas rationales determinari ad vnum per actum appetitus, vel proæreſis; ideo etiam docuit, vel voluntatem, vel appetitum ſenſitiuum non determinari ad vnum, ſiue per iudicium naturale, ſiue per iudicium deliberatum. Ex hoc autem habetur, nihil eſſe in citata doctrina Ariſtotelis, fauens illi cogitationi Caietani.

1418

22 Ampliùs, ſuppoſita (ſi tamen eſt dabilis) illa oſtensione vtriuſque oppoſiti, ad hoc, vt voluntas eligat alteram partem ex illis, ac etiam intellectum impellat per electionem ad iudicandum alteram partem; oportet, quòd ex volitione finis ſe moueat in eam partem. Ex volitione autem finis non ſe mouet voluntas ad eligẽdum medium pro tali fine; niſi mediante conſilio, quo per diſcurſum inuenitur, talem partem eſſe medium conueniens fini, vt docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 9. ar. 4. in corp. Quam quidem doctrinam ita approbat Caietanus in commentario eiuſdem art: vt rationem eiuſdem S. D. qua id probatur, dicat, procedere ex communibus animi conceptionibus, vt patet ex verbis eius relatis diſp. præcedenti §. 23. num. 37. *Inquantùm ſcilicet* (verba ſunt Caietani) *agere ex præuolitione finis, & mediante conſilio idem ſunt: ſicut cognoſcere ex principijs, & mediante ſyllogiſmo idem eſt.* Poſita ergo, (ſeu admiſſa, & non conceſſa) illa oſtensione vtriuſque oppoſiti, vt eſt; non poteſt voluntas eligere, ſeu velle alteram partem, & per talem volitionem flectere intellectum ad iudicandum &c. niſi mediante cõſilio, quo per diſcurſum inuenitur, electionem, ſeu volitionem talis partis eſſe cõuenientem fini.

Doctrina D. Thomæ, ex qua reijcitur exiſtimatio Caietani, approbatur ab eodem Caietano, vt ſuidens ex communibus animi conceptionibus.

1419

23 Hoc poſito, peto à Caietano: ſi propter hoc, quòd Ariſtoteles docuit ſciẽtiam, ſe habentem ad oppoſitos effectus, determinari ad vnum efficiendum ab electione, voluit docere (idque contra illud, quod ipſemet Ariſtoteles docuit libr. 3. Ethi: apud D. Th. lec. V. lit. tex. m, & lec. 6. litt. h, & lec. 9. lit. d,) actum electionis non eſſe de his, quæ ſunt ad finem? ſed quis hoc dicet? quo diſcurſu id deducet? Verùm ex illo ſequitur, quòd voluntas non eligat, vnum ex oppoſitis, poſita ſola oſtẽſione vtriuſque oppoſiti. Siquidem (vt modo deduximus) oportet præſupponi etiam conſilium, inueniens per diſcurſum, ſeu concludens, electionem, ſeu volitionem talis partis eſſe conuenientem fini.

Expenditur doctrina Ariſtotelis cõtra Caietanũ.

1420

24 Et inde apparet, deduxiſſe Caietanum ex verbis Ariſtotelis contradictoriũ eius, quod deducendum eſſet in ſententia eiuſdem Ariſtotelis. Idque apparet, ſi pro Maiori aſſumatur doctrina Ariſtotelis, citata à Caietano, & pro minori alia eiuſdem Ariſtotelis doctrina, quam habet de electione, & inferatur conclusio in hunc modum. *Potentiæ rationales actiuæ* (inter quas ſcientiæ aliquæ ſeu artes) *ſunt oppoſitorum; ſed a proæreſi, ideſt ab electione determinantur ad efficiendum vnum.* Hæc ſit maior: & pro minori ſubiungatur: Sed electio (vt docet ipſe Ariſtoteles, relatus num. 38. & 39. §. præcedentis) eſt appetitus præconſiliati; ſequens determinationem, ſeu conclusionem conſilij: ita vt conſilium, eiuſque determinatio præcedant electionem; & ipſa *electio nihil aliud ſit* (verba ſunt D. Th. exponentis Ariſto: relata num. 42. §. præcedentis) *quàm deſiderium eorum, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ex conſilio prouenions.* Ex quibus infertur. Ergo potentiæ actiuæ rationales, ſe habentes ad oppoſita, determinantur ad efficiendum vnum ab appetitu præconſiliati, ſequente determinationem, ſeu conclusionem conſilij, ſeu proueniente ex ipſo conſilio, inquantum eſt deſiderium prouenions ex conſilio. Cùm igitur iſta conclusio repugnet contradictoriè illi exiſtimationi, quam ex doctrina, aſsumpta in maiori, concepit Caietanus, proponendo dubium, & quam (vt ſupra notauimus) concedit in ſua reſponsione, nempe: *ſtat quòd ratio oſtendat vtrumque oppoſitum, ſecundùm quòd eſt, & quòd voluntas determinet ſe ad vnum; quia vult*: ita vt, (ſicut ſubdit in reſponsione) *cùm neutrum oppoſitorum eſt moraliter malum, voluntas ex ſe ſola* (ideſt nulla præcedente determinatione, ſeu conclusione conſilij) *flectat iudicium, quò vult*: iam Caietanus intulit contradictorium eius, quod ex eiſdem verbis Ariſtotelis deducendum eſſet.

traditorij illius, quod deducendum erat.

1421

25 Dices: ratio noſtra, prout eſt virtus iudicatiua de agendis à nobis, ac etiam ſcientia exiſtens in tali virtute, per quam habet, quòd ex principijs naturalibus Synderesis prontè, & faciliter deducit conclusiones de agendis, ſeu appetendis à nobis propter finem, ſunt potentiæ actiuæ rationales; vt pote quia per eas poſſumus iudicare oppoſita. Ergo non procedent ad iudicandum, eſſe agendum, ſeu appetendum vnum potiùs, quàm aliud ex oppoſitis; niſi ſint determinatæ ad illud iudicandum à proæreſi, ſeu ab electione. Ergo oportet, quòd electio, ſeu deſiderium iudicandi vnum potiùs, quàm aliud ex oppoſitis, præcedat tale iudicium: ſicut electio, ſeu deſiderium medici, quo determinatur ſcientia medicinalis ad efficiendam ſanitatem potiùs, quàm ægritudinem; ſeu ad ſanandum potiùs dolorẽ capitis, quàm dolorem ventris, præcedit productionem effectus, inquantùm talis effectus non procedit

Diſcurſus vltro apparens, ex quo ductus fuit Caietanus in exiſtimationem hactenùs reiectam.

Digitized by Google

cedit à scientia; nisi determinata per desiderium. Si ergo iudicium, quo iudicatur agenda, seu appetenda vna potiùs, quàm altera pars ex oppositis, non procedit à scientia, seu virtute iudicatiua de agendis, nisi determinata per actum electionis; oportet quod iudicium illud scientiæ, quod præcedit actum electionis, proponat vtrumque oppositum, sicuti est. Nam, si poneretur, esse iudicium, quò iudicatur agenda vna potiùs pars, quàm altera ex oppositis, oporteret etiam ponere, quòd in tale iudicium virtus iudicatiua, seu scientia non processisset; nisi determinata, per aliquem alium actum electionis, & procederetur in infinitum.

1422 26 Hoc discursu fortè ductus fuit Caietanus in illam excogitationem, sibi ipsi, & D. Thomæ repugnantem. Sed inaduertenter. Non enim considerauit, quòd nostra ratio practica, siue scientia, in tali ratione existens, prout habent iudicare de agendis per nostrum appetitum, seu volũtatem, non sunt propriè loquendo potentiæ actiuæ, de quibus loquitur *Aristoteles*, dum docet, potentias actiuas rationales determinari ad agendum vnum ex oppositis per electionem, seu desiderium: loquitur enim (vt in primo notabili aduertimus) de potentijs actiuis, quæ habent immutare, seu mouere aliquod corpus extra agẽs, & pro vt sub talibus potentijs comprehenduntur solæ scientiæ, quæ sunt recta ratio factibilium, & solent approximari, & fieri remotæ à suo passiuo: non autem scientiæ, quæ sunt propriè recta ratio agibiliũ, qualis est prudentia, cuius conclusio deducta per discursum recti consilij, est propriè actualis recta ratio agibilium, seu actualis prudentia, habens vim præcipiendi, & inducendi voluntatem in actum electionis, vt docet ex euidenti doctrina S. Thomæ ipsemet Caietanus 1. 2. quæst. 58. ar. 4. §. *Ad euidentiam horum*: ita vt electio procedat, vt effectus à suo proprio principio, à recta ratione prudentiæ; & ex consequenti sit impossibile, quòd electio ipsa præcedat, vt determinans intellectum, & vt id, sine quo non procederet intellectus in dictam rectam rationem. Et notanda est hìc doctrina, quam ex *Aristotele*, & D. Thoma docet hoc loco Caietanus: sic enim habet.

Manifestatur propria radix, ex cuius inaduertẽtia processit falsa existimatio Caietani.

Explicatur Aristoteles.

1423 27 *Nunc, supponendo doctrinam Auctoris, declarandum inferiùs, scito, quòd, sicut in intellectu speculatiuo sunt duo habitus, scilicet intellectus, & scientia; & scientia, vtens propositionibus pertinentibus ad intellectum, demonstrat ex euidentia illarum propositionum, & discursu syllogistico: ita est in intellectu practico, etiam in materia agibilium, si in puro intellectu statur. Ex synderesi enim, qui est habitus principiorum in intellectu practico respectu agibilium, & recta ratione, infra limites intellectus, syllogizando, concluditur verum. Sed quoniam iudicium tale, non nisi de vniuersalibus haberi posset; singularia enim variabilia, & incerta sunt, iudiciumque infallibile non suscipiunt, & prudentia circa singularia semper recta est ratio, alioquin virtus non esset; ideo intellectus practicus circa agibilia, licèt, habere possit scientiam moralem infra limites intellectus consistens; tamen nunquam habebit rectam rationem agibilium in particulari hìc, & nunc, &c. quod est habere prudentiã, nisi in ordine ad appetitum, vt superiùs dictum fuit. Est autem ordo talis in huiusmodi agibilibus. Primò est synderesis in intellectu dictans, & præstituens virtuti morali suum obiectum, quod est finis: propositiones enim, quæ sunt principia in agibilibus, ex fine, qui habet rationem principij in operabilibus, configuntur. Et sic virtus moralis, ad quam spectat tendere in finem præcognitum, ad finem præstitutum sibi à synderesi tendit actu, qui vocatur velle, vel intentio in voluntate, & in appetitu sensitiuo, appetitus per modum intentionis. Tertio loco venit prudentia, habens se ad synderesim sicut scientia ad intellectum. Prudentia autem; cum sit recta ratio, cuius est discurrere, vtitur duabus præmissis, quæ sunt principia conclusionis. Prima præmissa est propositio spectans ad synderesim; Verbi gratia: bonum rationis, tam in passionibus, quàm operationibus, est prosequendum. Secunda verò præmissa est particulariſſima, scilicet: bonum rationis nunc, hìc, saluatur in tali, tanta, &c. audacia, vel ira. Et tunc sequitur conclusio præceptiua, non in actu signato: ergo hoc est mihi nunc præcipiendum, eligendum, prosequendum; sed in actu exercito, ergo actualiter sum in exercitio iudicij, præcepti, electionis, prosecutionis. Hoc enim est, quod multos decipit in hac materia: quoniam propositiones istæ, tam synderesis, quàm prudentiæ in actu signato disputantur. Et tamen oportet intueri naturam, & vim earum in actu exercito. A prima autem præmissa ad secundam non est ordo immediatus in istis, sicut in speculatiuis; sed à propositione, quæ est prima præmissa prouenit in appetitu motus eius rectus in finem: & sic ab appetitu, & præmissa illa prouenit veritas secundæ præmissæ, quæ est particulariſſima; quoniam ex dispositione mea secundùm appetitum prouenit, quòd mihi consonet talis finis in particulari, puta, tale bonum, hìc, nunc, &c. Et de hac præmissa intelligitur illud 3. Ethicorum: Qualis vnusquisque est, talis finis ei videtur. Et sequitur conclusio conformis minori propositioni, scilicet consistens in actu intellectus ab appetitu, scilicet iudicium de his, quæ sunt ad finem, puta tanta ira, nunc præcipiens illam; & deinde actus appetitus in ordine ad intellectum, scilicet electio. In hoc autem ordine si quis inspiciat, & vnicuique*

Doctrina Caietani ex Aristotele, & D. Thoma desumpta, ex qua ostenditur impossibilis existimatio eiusdẽ Caietani.

Nota diligenter sequentia.

Digitized by Google

que propria tantùm tribuere velit, dicet, quòd, quia prudentia attenditur secundùm suum proprium, & præcipuam actum, qui est præcipere, & ipsum est principium rectæ electionis; ideo virtus moralis, cui attribuitur electio pro proprio actu, vt patet ex sua diffinitione, pendet necessario à prudentia. Hæc & alia Caietanus.

1424 28 Ex quibus apparet, esse omnino impossibile, intellectũ determinari ad procedendum in iudicium illud, quod est conclusio syllogismi operabilium, per actum electionis, qui in ordine est vltimus, & consequens ipsum iudicium conclusionis; sicut impossibile esset, scientiam medicinalem determinari ad producendum hanc potiùs, quam illam sanitatem, per id, quòd sequitur ad ipsam sanitatem. Et quidem verum est, quòd intellectus practicus determinatur ad producendum opus externum, puta, motionem membrorum, vel aliquod opus artificiosum, per actum electionis, & est hoc possibile, quia actus electionis præcedit opus externum. At verò iudicium conclusionis de agendis, præcedit, sicut præcedit principium id, quod est ex principio, actum electionis. Non ergo est possibile, quòd actus ipse electionis sit id, quo determinatur intellectus ad procedendum in iudicium conclusionis. Sic ergo doctrina Aristotelis docentis, sciẽtiam determinari per actum electionis ad producendum effectum, intelligitur de scientia quantùm ad determinationem, quam exigit in ordine ad effectum externum, non autem de scientia, quantùm ad determinationem, quam exigit in ordine ad ipsummet actum electionis. De hac enim determinatione, quæ peculiarem difficultatem habet, agemus nos in dubijs ad septimam obiectionem, quibus explicabimus modum, quo, in iudicando de agibilibus, determinatur intellectus tùm humanus, tùm Angelicus, & Diuinus.

Concluditur propositum. Exemplo probatur.

Concluditur verus sensus doctrinæ Aristotelis allatæ à Caietano.

1425 29 Apparet etiam ex relata doctrina, (quam ex D. Thoma, & Aristotele didicit Caietanus) impossibilitas illius æstimationis, qua dicitur, *stare quòd ratio ostendat vtrumque oppositum, secundùm quod est, & quod voluntas determinet se ad vnum; quia vult.* Hac enim admissa æstimatione, qua ponitur electio vnius partis, nullo prærequisito rationis practicæ discursu, nulla requisita sententia concluſa per syllogismum operabilium, tota perit illa doctrina, & vim habet consequentia Arriagæ relati num. 4. huius §. scilicet: *quòd si semel dicimus, ad vnum actũ imperium non requiri; dicendum est, nec ad alios.*

1426 30 Tandem aduerto, quòd illa eadem doctrina Aristotelis ex 9. Metaph. quam affert ad prædictam excogitationem confirmandam Caietanus, excludit efficaciter eandem excogitationem, Siquidem, ex eo probat Aristoteles, quòd à potentia rationali non procedit effectus, nisi determinetur ad vnum; quia (vt refert rationem Aristotelis D. Thomas relatus num. 18. huius §.) *à causa communi non procedit effectus determinatus; nisi sit aliquid proprium, quod causam communem ad hunc effectum magis determinet, quàm ad illum.* At verò hæc ratio euidenter excludit illam existimationem. Siquidem tùm intellectus, vt proponens, seu ostendens vtrumque oppositum, secundùm quòd est, tùm voluntas, prout est in tali dispositione, qua ei per intellectum ostenditur vtrumque oppositum, (siue singiliatim sumantur, siue cõiunctim) sunt causæ communes, à quibus scilicet possunt procedere oppositi actus, tùm scilicet ille, quo eligitur vna pars oppositorum, tum ille, quo eligitur altera pars. Non procedet ergo voluntas in actum volendi vnius partis potiùs, quàm alterius; nisi sit aliquid proprium, quòd tùm voluntatem, tùm intellectum, ad hunc actum volitionis inferendum magis determinet, quàm ad illum. Non ergo voluntas determinabit se ad vnum; quia vult, excluso alio, quòd est proprium, & voluntatem ad hunc actum magis determinat, quam ad alterum. Sed de hac re iam egimus disp. 1. §. x. num. 13. & deinceps vbi §. xi. exclusimus ex doctrina S. D. responsionem Suarij. Aduerto etiam in calce huius dubij quòd ex dicendis dubio 4. huius §. quando agemus contra quandam excogitationem Salmaticensium, excludetur magis, & rationibus ostensiuis, prædicta existimatio Caietani. Sufficiat in hoc dubio ostendisse, in verbis Aristotelis ab ipso citatis minimè contineri, potiùsque haberi principium eiusdem existimationis exclusiuum. Transeamus ad secundùm dubium.

Ipsamet doctrina Aristotelis citata à Caietano pro sua existimatione conuincit euidenter, talem existimationem esse falsam.

DVBIVM II.
ad sextam.

An, ex quo ad omnem electionem præcedit deliberatio, seu iudicium practicum imperij, cogamur admittere processum in infinitum.

1427 31 PArtem affirmatiuam tenent omnes, qui hac sexta obiectione vtuntur contra nostram, & D. Thomæ sententiam.

(†)

Reso-

Digitized by Google

Resolutio Dubij.

DIcendum est tamen, quòd ex hoc capite nõ cogimur admittere processum in infinitum; sed habemus necessariam rationem perueniendi ad primam deliberationem, seu primum iudicium, in quod ratio deliberatiua, seu liberum arbitriũ mouetur ab exteriori principio, puta, à Deo.

Explicatur resolutio, & Probatur auctoritatibus expressis S. Doctoris, & Aristo.

1428

32 EXplicatur. Sicut ex eo, quòd damus illud principium. *Omne, quod mouetur, ab alio mouetur*; non cogimur admittere processum in infinitũ, si quòd mouet, mouetur; sed ex tali principio desumitur necessaria ratio perueniendi ad primum mouens immobile, seu ad vnum primum, quod mouet, & non mouetur: ita nos in resolutione dicimus, quòd, ex eo, quòd ad omnem electionem debet præcedere deliberatio, & ad deliberationem debet præcedere actus voluntatis, dũ voluntas ad deliberandum se mouet; necessitatem habemus, non quidem procedendi in infinitum; sed perueniendi ad aliquam primam deliberationem, in quam mouetur ratio deliberatiua, non à voluntate, mouente seipsam ex deliberatione præcedente; sed à voluntate mota ab exteriori principio.

Exemplo resolutio explicatur

1429

33 Resolutionem hanc, sic intellectã, docuit perpetuò S. Doctor ex Aristotele cap. 15. Ethicorum ad Eudemum, quòd est de bona fortuna. Plura autem eiusdem S. Doctoris loca retulimus sparsim in hoc nostro Tractatu, quibus hoc, quod desideramus, docet, sed præstantiora hìc repetemus, & alia addemus. Egregius est 1. 2. quæst. 109. ar. 2. ad primum, quem retulimus disp. 2. §. 26. num. 18. & expendimus vsque per totum num. 23. Quare ex hoc loco nota sequentia. *Homo est dominus suorum actuum, & volendi, & nolendi propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad vnã partem, vel ad alteram; sed quòd deliberet, vel non deliberet, & si huiusmodi etiam sit dominus, oportet, quòd hoc sit per deliberationem præcedentem, & cum hoc non procedat in infinitum, oportet, quòd finaliter deueniatur ad hoc, quòd liberum arbitrium hominis moueatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet à Deo, vt etiam Philosophus probat in capitulo de bona fortuna. Vnde mens hominis etiam sani, non ita habet dominium sui actus; quin indigeat moueri à Deo.*

Probatur primò egregio loco S. Doctoris.

34 Idẽ docet Quodlib. 1. ar. 7. in corp. vbi refert hæresim Pelagij, & impugnat vt infra. *In hac quæstione cauendus est error Pelagij, qui posuit, quòd per liberum arbitrium homo poterat adimplere legem, & vitam æternam mereri, nec indigebat auxilio diuino, nisi quantùm ad hoc, quod sciret, quid facere deberet secundùm illud psal. 142. Doce me facere voluntatem tuam: sed quia hoc nimis parum videbatur, vt solam scientiam haberemus à Deo, claritatem autem, qua præcepta legis implentur haberemus à nobis; ideo postea Pelagiani posuerunt, quod initium boni operis est homini ex seipso, dum consentit fidei per liberum arbitrium; sed cõsummatio est homini à Deo; præparatio autem ad initium boni operis pertinet. Vnde ad errorem Pelagianum pertinet dicere, quòd homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio gratiæ. Et est contra Apostolum, qui dixit ad Phil. 1. qui cæpit in vobis opus bonum, ipse perficiet. Dicendum est ergo, quòd homo indiget auxilio gratiæ, non solùm ad merendum; sed etiam ad hoc, quod se ad gratiam præparat; aliter tamen, & aliter. Nam meretur homo per actum virtutis; cum non solùm bonum agit; sed benè, ad quòd requiritur habitus, vt dicitur in 2. Ethic: & ideo ad merendum requiritur habitualiter gratia. Sed ad hoc, quòd homo præparet se ad habitum consequendum, non indiget alio habitu, quia sic esset procedere in infinitum. Indiget tamen diuino auxilio, non solùm quantùm ad exteriora mouentia, prout scilicet ex diuina prouidentia procurantur homini occasiones salutis, puta, prædicationes exempla, & interdum ægritudines, & flagella; sed etiam quantùm ad interiorem motum, prout Deus cor hominis interiùs mouet ad bonum, secundùm illud Proverbiorum 21. Cor Regis in manu domini, quocunque voluerit, vertet illud* (nunc nota vnde oritur necessitas huius diuini auxilij, quo vltimus status erroris Pelagij ratione necessaria subuertitur; nam subdit) *Et quòd hoc necessarium sit, probat Philosophus in quodam capite de bona fortuna. Homo enim agit voluntate; voluntatis autem principium est electio, & electionis, consilium. Si quis autem quæratur, qualiter consiliari incipiat, non potest dici quòd ex consilio consiliari inceperit; quia sic esset in infinitum procedere. Vnde oportet aliquod exterius principium esse, quod moueat mentem humanam ad consiliandum de agendis. Hoc autem oportet esse aliquod melius humana mente: non ergo est corpus cœleste, quod est infra intellectualem virtutem, sed Deus, vt Philosophus ibidem concludit. Sicut ergo omnis motus inferiorum corporum, quæ non semper mouentur, principium est motus cœli, ita omnium motuum interiorum mentium principium est à Deo mouente. Sic ergo nullus potest se ad gratiam præparare, nec aliquid boni facere; nisi per diuinum auxilium.* Hæc S. Doctor.

1430

Alius locus S. Doctoris ad idem:

Nota ad quem articulum reducitur error Pelagij.

Necessaria ratio ad cõuincẽdum Pelagium errasse, ex impossibilitate processus in infinitum in humanis consilijs desumitur à S. Thoma.

Digitized by Google

1432

Non cogimur admittere processum in infinitum.

35 Itaque compone ea, quæ S. Doctor docet verbis præcedenti nu. 33. cit. ex 1. 2. cũ iis, quæ circa principalem conclusionem articuli modò relati recenset ipsemet S. Doctor ex vna, eademque doctrina Aristotelis; & videbis primò, quòd, ex eo, quòd actus voluntatis nostræ est in nostro dominio, & potestate propter rationis consilium, seu deliberationem (idem enim est deliberatio rationis, & consilium completè sumptum) & quòd etiam ipsa deliberatio, seu consilium est in nostro dominio, & potestate, non cogimur admittere processum in infinitum inter deliberationes & actus voluntatis ordinatos; sed, negato processu in infinitum, ipsoque rejecto, vt impossibili, habemus necessariam rationem, qua cogimur asserere, Deum esse primum principium, à quo procedũt omnes bonæ deliberationes, seu consilia, & bonæ volitiones, seu voluntates, quæ existunt in nostra potestate, & dominio.

Negato processu in infinitum, habemus necessariã rationem perueniendi ad Deũ.

1433

Aduertentia consideranda pro dicendis.

36 Et hic aduerto, quòd non immeritò integrum corpus articuli proximè trãscripsimus. Id enim fecimus, vt attentiùs dicendis attendas, quibus, & processum in infinitum vitare, perueniendo ad primam deliberationem, & libertatem eiusdem primæ deliberationis, procedentis ab exteriori principio Deo, explicare intendimus. Porrò in recitato articulo experientia dignosces, laborem nostrum non esse inanem; quippe quia S. Doctor existimat, ex prædicta doctrina desumi necessariam rationem ad excludendum articulum illum erroris Pelagianorum, asserentium, *quòd initium boni operis sit homini ex se ipso, dũ consentit fidei per liberum arbitrium*, (circa quem se etiam errasse fatetur Augustinus à nobis relatus disp. 2. §. 26. num. 4.) Ac etiam ad probandum, indigere nos diuino auxilio *quantùm ad interiorem motum, prout Deus cor hominis interiùs mouet ad bonũ.* Quæ quidem omnia magni sunt momẽti in re theologica. Et maximè, quia ex discursu S. Doctoris apparet, quid importat diuinum auxilium, ex fide confitẽdum, ad euitandum prædictum articulum Pelagiani erroris, quando, tale auxilium esse necessarium, concluserit Aristoteles suo discursu, quo ex impossibilitate processus in infinitum in deliberationibus, seu consilijs ordinatis, concluserit, deueniendum esse ad cõsilium, quod sit nobis non ab alio consilio, & deliberatione; sed à Deo, vt à principio. Quare expende verba illa S. Thomæ. *Indiget tamen diuino auxilio, &c. quantùm ad interiorem motum, prout Deus cor hominis interiùs mouet ad bonum secundùm illud Prouerb. 21. Cor Regis in manu domini, quocunque voluerit, vertet illud. Et quòd hoc necessarium sit, probat Philosophus in quodam capite de bona fortuna.* Et inde accipies, quòd secundùm sententiam S. Thomæ, id negarunt Pelagiani in prædicto sui erroris articulo, quod probauit Aristoteles suo discursu, procedente ex impossibilitate processus in infinitum in humanis consilijs.

conser locum Augustini hic citatum cum dicto Pelagianorum impugnata à S. Doctore.

Nota id negasse Pelagianos, quod conclusit Aristoteles ex impossibilitate processus in infinitum.

1434

Considerandа est doctrina S. Thomæ, qua docet, Aristotelẽ agnouisse, & probasse, dari illud diuinũ adiutoriũ, quod, errãdo, negauerunt Pelagiani.

37 Eandem rationem prosequitur ad idem propositum S. Doctor cap. 3. 2. ad Corinth. lec. 1. propè finem, vbi postquam explicuit illa verba Apostoli; *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*; ac etiam docuit, agi in tali loco cõtra Pelagianos, inquiens; *Et hoc est contra Pelagianos dicentes, quòd inchoatio boni operis est ex nobis, sed perfectio est à Deo. Esaiæ 26. Omnia opera nostra, &c. Sed ex hoc, ne videatur tollere libertatem arbitrij dicit [à nobis, quasi ex nobis] quasi dicat, possum quidem aliquid facere, quod est liberi arbitrij; sed hoc, quod facio, non est ex me, sed à Deo, qui hoc ipsum posse confert; vt sic, & libertatem hominis defendat, cum dicit [à nobis] ideſt, à nostra parte, & diuinam gratiam commendet, dum dicit [quasi ex nobis] scilicet, procedat, sed a Deo:* postquam, inquam, prædicta docuit contra Pelagianos, sic subiungit. *Hoc etiam Philosophus vult, quòd nunquam homo per liberum arbitrium potest quoddam bonum facere, sine adiutorio Dei. Et ratio sua est; quia in his, quæ facimus, quærendum est illud, propter quod facimus. Non est autem procedere in infinitum, sed est deuenire ad aliquid primum, puta ad consilium. Sic ergo bonum facio; quia consilium mihi ineſt ad hoc, & hoc est a Deo. Vnde dicit quòd consilium boni est ab aliquo, quod est supra hominem, mouens eum ad bene operandum. Et hoc est Deus.* Et hìc obiter considera hoc, quòd docet S. Doctor, nempe, diuinum adiutorium, necessariò confitendum contra dictum articulum Pelagiani erroris, positum fuisse ab Aristotele, & probatum supradicta ratione. Indè enim fit, quòd, saltem in sententia S. Thomæ, qui negaret hoc, quod Aristoteles concluſit suo discursu, id negaret, quod est necessariò cõfitendum aduersus Pelagium: & similiter, qui hoc ipsum confiteretur, Pelagiano errori se opponeret, quantùm ad istum articulum confitendi diuinum adiutoriũ, sine quo aliquod bonum facere non possumus. Sequitur etiam, quòd hoc diuinum adiutorium, non sit aliquid supernaturale impressum menti humanæ, & vanè ad illud dumtaxat recurreretur, ad euadendum hunc articulum erroris Pelagianorum. Si quidem hoc, nec potuit ab Aristotele poni, nec prædicta ratione probari; ac per hoc oportet fateri, Pelagianos etiam errasse circa aliquid naturaliter cognitum, & probatum, dum dixerunt *quòd inchoa-*

Digitized by Google

incboatio boni operis est ex nobis: sicut erraret, qui negaret, Deum habere prouidentiam de rebus. Hic enim negaret, quod fide tenemus, & quòd ratione naturali demonstratur.

1435 38 Amplius eãdem efficaciam ad nostram resolutionem confirmandam habet discursus S. Doctoris, quo cap. 9. Epist: ad Romanos lec. 3. verbis relatis disp. 1. §. 2. num: 1. & 2. probat ex doctrina Aristotelis, vsum gratiæ esse in nobis à Deo. Quare recole illa verba.

Locus S. Doctoris considerãdus, quo ratione Aristotelis probat, vsum gratiæ esse à Deo.

Diuinum beneficium non solùm extendit se ad infusionem gratiæ, qua homo iustificatur; sed etiam ad gratiæ vsum: sicut etiam in rebus naturalibus non solùm Deus causat ipsas formas in rebus; sed etiam ipsos motus, & operationes formarum; eo quod Deus est principium omnis motus, cuius operatione cessante a mouendo, ex formis nullus motus, vel operatio sequitur. Sicut autem se habet habitus gratiæ, vel virtutis in anima ad vsum ipsius, sic se habet forma naturalis ad suam operationem. Et ideo dicitur Esa: 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Probat autem hoc speciali ratione Aristoteles de operibus voluntatis humanæ: Cum enim homo habeat potentiam ad oppositа, puta ad sedendum, vel non sedendum, oportet; quòd reducatur in actum per aliquid aliud. Reducitur autem in actum alterius horum per consilium, ex quo vnum oppositorum præeligit alteri. Sed cum iterum homo habet potentiam consiliandi, vel non consiliandi, oportebit esse aliquid, per quod reducatur in actum consilij. Et cum in hoc non sit procedere in infinitum, oportet esse aliquod principium extrinsecum superius homine, quod ipsum moueat ad consiliandum, & hoc non est aliud, quàm Deus. Sic igitur ipse vsus gratiæ est a Deo. In quibus, vt vides, ex doctrina Aristotelis qua, nè detur processus in infinitum in humanis consilijs, docet, perueniendum esse ad Deum, vt ad primum principium, a quo procedit humanum consilium, infert S. Doctor, vsum gratiæ esse in nobis à Deo. Inquantùm, scilicet, vsus gratiæ in nobis est per aliquam operationem voluntatis, quæ debet procedere ex aliquo cõsilio, cuius secundùm doctrinam Aristotelis primum principium est Deus.

Epilogus rationis S. Doctoris.

1436 39 Scio (nec hoc est contra nostram resolutionem; sed cum ea valdè cohærens, eamque probans, vt ex dicendis maximè in sequentibus dubijs, constabit) quòd S. Doctor propter eandem rationem, ex Aristotele desumptam, qua probatur, quòd, nè detur processus in infinitum in consilijs, seu deliberationibus, perueniendum est ad primum consilium, seu deliberationem, in quã mouetur ratio nostra à Deo, asserit etiam, perueniendum esse ad primũ actum voluntatis, in quem voluntas mouetur à Deo. Ita 1. 2. quæst. 9. art. 4. in corp. cuius doctrinam retulimus 1. parte huius Tractatus §. V. num. 2. & expendimus disp. præcedenti §. 23. à nu. 34. ad 38. Ita etiam quæst. 6. de Malo in corp. ar. vnici, vbi post verba à nobis relata eodem §. 23. disp. præcedentis num. 61. sic subdit. *Sic ergo voluntatem accipiendi potionem præcedit consilium, quod quidem procedit ex voluntate volentis consiliari. Cum ergo voluntas se consilio moueat: consilium autem est inquisitio quædam non demonstratiua, sed ad oppositа vim habens, non ex necessitate voluntas seipsam mouet. Sed cum voluntas non semper voluerit consiliari, necesse est quod ab aliquo moueatur ad hoc, quod velit consiliari: & siquidem a seipsa, necesse est iterum, quòd motum voluntatis præcedat consilium, & consilium præcedat actus voluntatis: & cum hoc in infinitum procedere non possit; necesse est ponere, quòd quantùm ad primum motum voluntatis moueatur voluntas cuiuscunque, non semper actu volentis, ab aliquo exteriori, cuius instinctu voluntas velle incipiat.* Et parùm infra, scilicet, post quam impugnauit dicentes, talem instinctum esse à corpore cœlesti, sic subiungit. *Relinquitur ergo, sicut concludit Aristoteles in cap. de Bona fortuna, quòd id, quod primò mouet voluntatem & intellectum, sit aliquid supra voluntatem, & intellectum, scilicet Deus: qui cùm omnia moueat secundùm rationem mobilium, vt leuia sursum, & grauia deorsum; etiam voluntatem mouet secundùm eius conditionem, non vt ex necessitate; sed vt indeterminatè se habentem ad multa.* Hæc S. Doctor, quibus euidenter nostra resolutio confirmatur, non solùm ratione primi consilij; sed etiam primi actus voluntatis nostræ.

Ex eodem principio probat S. Doctor, perueniẽdum esse ad primum actũ voluntatis

1437 40 Amplius eundem discursum Aristotelis affert S. Doctor lib. 3. contra gen: cap. 89. vbi primò refert errorem Origenis, inquiens. *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præiudicio libertatis voluntatis, conati sunt has authoritates malè exponere; vt scilicet dicerent, quòd Deus causat in nobis velle, & perficere, inquantùm dat nobis virtutem volendi; non autem fit, quòd faciat nos velle hoc, vel illud, sicut Origenes exponit in 3. Periarcon; liberum arbitrium defendens contra authoritates prædictas.* Deinde hanc conclusionem, nempe, *Deus causat in nobis velle, & perficere sic, quòd faciat nos velle hoc, vel illud*, probat auctoritatibus Scripturæ, & rationibus; harum vero coronidem posuit istam ex Aristotele, & sic habet.

Verba S. Thomæ referentis errorem Origenis.

Nota pũctum erroris.

1438 41 *Item arguit Aristoteles in 8.* (legendum est 7.) *Eudemica Ethica per hunc modũ. Huius, quòd aliquis intelligat, consilietur, & velit,*

Verba S. Thomæ re

Digitized by Google

ferentis rationem Aristotelis, qua refellitur error Origenis.

velit, oportet aliquem esse causam; quia omne nouum oportet, quod habeat aliquam causam. Si autem est causa eius aliud consilium, & alia voluntas præcedens; cum non sit procedere in infinitum, oportet deuenire ad aliquod primum. Huiusmodi autem primum oportet esse aliquid, quod est melius ratione, nihil autem est melius intellectu, & ratione, nisi Deus: est igitur Deus primum principium nostrorum consiliorum, & voluntatum.

Cupis fortè hic audire verba Aristotelis, quibus prædictam rationem proponit: ea referam, & sunt planè admiranda. Itaque in libris Ethicorum, quos scripsit ad Eudemum, & *Moralium Eudemiorum* inscribuntur, extat in 7. libro caput decimum octauum tituli, & tenoris sequentis.

An fortuna causa sit, vt concupiscamus, & quid sit motus in anima principium cap. 18.

1439 Refertur caput 18. lib. 7. Moraliũ Eudemiorum.

42 *Quæret forsitan quispiam: An fortuna eius ipsius causa sit, vt quid, & quomodo oporteat, concupiscamus. An sic omnium erit? Nam & cognoscendi, consultandique. Neque enim consultans consultauit, & hoc consultauit; sed principium est quoddam. Neque cogitans cogitauit id prius cogitare; atque in infinitum huiusmodi fiat progressio: neque igitur considerandi coniunctum principium, neque consultandi consilium. Quid igitur aliud, nisi fortuna? Quo circa a fortuna omnia proficiscuntur: & quoddam est principium, extra, quod aliud nullum reperiatur. Ipsa autem (quæritur) cuiusmodi facultate instructa efficere huiusmodi queat? quod perinde est, ac si principium motus in anima, quid sit, inquiratur. Patet autem, sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo. Mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine. Rationis autem, non ratio, sed præstantius quidpiam est principium. Quid autem scientia præstantius est, nisi Deus?* Hæc Aristoteles, quibus rationem, totiès à S. Doctore in relatis authoritatibus inculcatam, affert. Deinde sequitur, *Quocirca Veteres dixerunt, felices ex fortuna, qui irrationales ad recte agendum impellerentur, nec illis confert. Principium enim habent, & intellectu, & voluntate præstantius.* Quam sententiam refert S. Doctor 1. 2. q. 68. ar. 1. in fine corp. verbis a nobis relatis prima parte huius Trac. §. 6. n. 21. scilicet, *Philosophus etiam dicit in cap. de bona fortuna, quòd his, qui mouentur per instinctum diuinum, non expedit consiliari secundùm rationem humanam; sed quòd sequantur interiorem instinctum, quia mouentur a meliori principio quàm sit ratio humana.* Tandem parum post superiorem sententiam concludit Aristoteles. *Patet autem, quod*

Nota diligenter hãc sententiã.

Cognoscit Aristote-

species felicitatis duæ sunt. Altera diuina. ideoque qui felix est, numine adiutum aliquid fecisse, dicunt. Is autem est, qui aliquid iuxta impetum diuinum facit. Ita Aristoteles, agnoscens diuinum adiutorium, vt refert D. Thomas verbis relatis num. 37. huius §.

les Diuinũ adiutoriũ.

Corolaria quædam ex dictis.

1440 Duplex modus deliberandi inuenitur in homine.

43 EX quibus omnibus habes primò, dari in homine quasdam deliberationes, seu consilia, in quæ mouetur ratio deliberans, seu homo à seipso ex præcedente deliberatione, & consilio: dari etiam alias, in quas non mouetur à seipso ex deliberatione præcedente, sed à Deo exteriori principio. Idque esse necessarium, ne detur processus in infinitum.

1441 Impugnatur ex dictis propositio Caiet:

44 Habes secundò, esse contra Aristotelem, & S. Doctorem in relatis auctoritatibus excogitationem illam Caietani, a nobis reiectam dubio præcedenti, nempe, *stare, quòd ratio ostendat vtrumque oppositum secundùm quod est, & quòd voluntas determinet se ad vnum; quia vult*, &c. Si enim hoc dictum verum esset, nulla esset doctrina Aristotelis, & D. Thomæ in relatis auctoritatibus. Siquidem non verificaretur, quòd electionem præcederet consilium determinatum, seu concluſum per sententiam, vt vult S. Doctor relatus num. 39. Nam electionem illam, quæ solùm supponit rationem ostendentem vtrumque oppositum, secundùm quod est, non præcederet consilium. Amplius falsa esset doctrina illa S. Doctoris relata num. 38. scilicet, *Cùm homo habeat potentiam ad opposita, puta, ad sedendum, vel non sedendum; oportet, quòd reducatur in actum per aliquid aliud: reducitur autem in actum alterius horum per consilium, ex quo vnum oppositorum præeligit alteri*, &c. Falsum, inquam esset hoc, si ratione ostendente vtrunque oppositum, voluntas eligeret vnum, reducta non per aliquid aliud, puta, per consilium; sed *ex se sola*, vt loquitur Caietanus.

1442 Ratio desumpta ex impossibilitate processus in infinitum in deliberationibus non fuit inuisa Aristoteli.

45 Habes tertiò, quòd hæc ratio, desumpta ex impossibilitate processus in infinitum in deliberationibus, & actibus liberis voluntatis per se ordinatis non fuit inuisa Aristoteli, & D. Thomæ. Siquidem ex eo, quod talis processus est impossibilis, peruenerunt ad principium exterius, vt ad primum, puta ad Deum, ex quo oportet, vt procedant omnes nostræ bonæ deliberationes, & voluntates.

1443 Vide in quo consi-

46 Et inde habes quartò discrimen inter Aduersarios ex vna parte, & Aristotelem, D. Thomam, aliosque Peripateticos ex altera. Nam isti agnoscentes rectum

Sit discrimen inter D. Thomã & Aduersarios.

tum ordinem, & dependentiam inter actum electionis, & iudicium rationis determinatum per consilium, & inter dictum iudicium, & actum voluntatis, volentis consiliari: & simul aduertentes, inde sequi processum in infinitum, qui est impossibilis, peruenerunt ad principium exterius, vt ad primum, puta ad Deum, quem credunt primum principium, à quo procedit omne nostrum bonum consilium, & omnis bonus actus nostræ liberæ voluntatis. At verò Aduersarij, credentes, repugnare libertati, dari causam exteriorem potentissimam, (qualis est Deus) præuenientem, seu antecedentem vsum nostræ liberæ voluntatis: & simul videntes, quòd, si datur supradictus ordo, & dependentia, nõ potest vitari processus in infinitum, nisi perueniendo ad Deum, vt ad primum principium extrinsecum, negauerunt, inueniri prædictum ordinem, & dependentiam inter actum liberum voluntatis, & consilium rationis, Malueruntque recedere ab Aristotele, & S. Thoma, quàm Deum ponere primum principium præueniens, & antecedens vsum nostræ libertatis; idque non obstante, quòd S. Thomas existimat rationem Aristotelis necessariò concludere; illudque concludere (& hoc fortè non fuit ab Aduersariis consideratum) quod confiteri debemus ex fide contra errorem Pelágianorum, & Origenistarum, vt patet ex allatis verbis S. Doctoris num. 34. 37. 40. & 41.

DVBIVM TERTIVM ad sextam.

An sit libera illa deliberatio, in quam mouetur ratio ab exteriori principio, estque prima in ordine ordinatarum, deliberationum.

1444

Punctus difficultatis declaratur.

47 DVbium hoc difficultatem habet, inquantùm non videtur possibile, quòd prima deliberatio, seu primum iudicium determinatum per consilium, seu etiam ipsum primum consilium, quod, seu quæ præcedit omnem actum liberum voluntatis, sit sub potestate nostræ liberæ voluntatis. Si enim hoc diceretur, oporteret, quòd esset in nostra voluntate potestas, qua per suum velle, & nolle, posset facere, vt talis deliberatio, seu iudicium præcedens omnem actum voluntatis liberum, sit, vel non sit. Hæc autem potestas videtur implicare contradictionem. Nam illud velle, & nolle, quo voluntas posset ponere, vel remouere prædictum iudicium, deberet præcedere idem iudicium. Quoniam verò tale velle, vel nolle, deberet esse actus liber, seu deliberatus, ad quem deberet præcedere iudicium deliberans, inde est, quòd tale, velle, vel nolle præcederet, & simul non præcederet omnem deliberationem, seu iudicium deliberatum. Præcederet quidẽ, inquantùm ponitur, quòd voluntas per tale velle, vel nolle poneret, vel remoueret tale primum iudicium. Non præcederet verò, inquantùm est actus deliberatus, seu liber, & tale primum iudicium supponitur præcedere omnem actum liberũ. Vnde videmur cogi, vel ponere contradictoria simul, vel admittere processum in infinitum. Nam si ponimus primum deliberationem, inquam terminatur processus; eamque ponimus esse in nostræ uoluntatis potestate, cogimur ponere cõtradictoria simul. Si uerò negamus, peruenirì posse ad primam deliberationem existentem in nostra potestate, admittimus processum in infinitum.

1445

Augetur difficultas; quia non videtur vitari processus in infinitum.

48 Nec uidetur uitari posse processus in infinitum per doctrinam Aristotelis, & S. Doctoris, peruenientium ad principium extrinsecum, ut ad primum. Nam si semel ad actum liberum uoluntatis debet præcedere iudicium deliberatum, & ad iudicium deliberatum actus uoluntatis, recursus ad principium extrinsecum non potest uitare processum in infinitum. Peto enim: An iudicium illud, seu deliberatio, in quam mouetur ratio ab exteriori principio Deo, est libera, & in potestate nostræ uoluntatis, an non? Si non, iam ergo actus consequens uoluntatis non erit in nostra potestate; si sic: iam ergo talem deliberationem præcessit actus uolũtatis, ratione cuius est in uoluntatis potestate; & hunc debuisset præcedere alia deliberatio, & sic in infinitum.

Resolutio Dubij.

1446

Quid dicẽdum de prima deliberatione secundam ordinem naturæ.

49 NIhilominus dicendũ est, quòd iudicium illud, quo post uolitionem ultimi finis (etiam naturaliter, & sine libertate uoliti) creatura intellectualis, seu homo primò deliberans, iudicat, agendum esse aliquid propter finem, quòd est primum imperium, seu prima deliberatio, supponens solùm naturalem appetitum vltimi finis, est sub potestate, & libero dominio voluntatis; & idem dicendum est de omni alia deliberatione, in quã ratio deliberans, seu homo, mouetur à Deo, vt à speciali motore; in quam scilicet homo mouetur, non à seipso ex præcedenti deliberatione; sed adiutus impetu & instinctu Dei mouentis nostram rationem, & voluntatem in aliquod particulare bonum.

Quid de deliberationibus, in quas specialiter mouetur a Deo.

Expli-

Digitized by Google

1447

Explicatur resolutio.

Doctrina S. Thomæ, quam supponit resolutio.

50 SVpponimus doctrinam S. Thomæ, quam expressimus prima parte huius Tractatus §. V. à num. 4. ad 14. vbi nu. 8. verba S.D. retulimus, quibus expresse asserit, *quòd Deus mouet voluntatem hominis, vt vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum; & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum: sicut in his, quos mouet per gratiam.* In quibus, vt vides, docet S. Doctor, quòd Deus mouet dupliciter voluntatem, scilicet, vt motor vniuersalis, & quandoque etiam, vt motor specialis. Vt motor vniuersalis mouet illam motu appetitus boni communis, seu vltimi finis, quo motu voluntas mota, mouet deinde virtute talis motus seipsam per consilium rationis ad appetenda bona particularia, siuè verè, siue apparenter talia. Et sic diuina causalitas se extendit ad omnes motus, in quos ipsa voluntas se mouet virtute motus, quo mouetur à Deo: ita quidem, vt tendentes in verè bonum causet absolutè, & simpliciter: eos verò, qui tendunt in bonum apparēs, causet secundùm quid, idest solùm quantùm ad substantiam actus, vt explicuimus in eadem prima parte huius Trac. §. 2. & 3. & à §. 9. ad 13. Et ita se extendit diuina causalitas in dictos actus, vt, secundum quod causantur, perfectiori, & intimiori modo procedant à Deo, quàm ab ipsa voluntate creata, mouente seipsam, vt patet ex D. Thoma, a nobis relato disp. 2. §. 7. a nu. 15. ad 19. Vt motor verò specialis mouet Deus voluntatem, dum eam, vt immediatus motor, inclinat in aliquod speciale bonum, simili modo, quo eam inclinat in finem, & etiam cum per seipsum immediatè, vel etiam mediantibus Angelis, mouet rationem humanam reducens eam in actum aliquarum veritatum de agibilibus; quo fit, vt homo, speciali lumine adiutus, iudicet, quòd hoc, vel illud hic, & nunc, sibi expedit agere. Idque experimur quandoque sic esse, dum percipimus, voluntatem nostram habere quasdam nouas affectiones in aliquod bonum particulare, in quod antea non eramus ita affecti, vt cum percipimus, nos de repente mutatos, habereque abominationē & horrorē in actiones peccaminosas, quas priùs diligebamus, & etiā affectiones, & propentiones in res diuinas, &c. Similiter cū percipimus, quòd cor interiùs aliquid dictat agendum; nescimus autem rationem, cur illud agendum sit; vt cum homini sedenti domi, venit in mentem, vt exeat, & statim, eo exeunte, domus cadit: Et ipse postea considerans inuenire non potest, vnde, & propter quid ei venerit in mentem, & iudicauerit bonum, & expediens exire domum. Et hìc considerandum est, quòd voluntas, mota specialiter à Deo in aliquod particulare bonum, potest virtute talis motus seipsam mouere per cōsilium rationis, dictamenque inuentum per consilium, tam in aliquod aliud verè bonum, quàm in aliquid, quod sit malùm; sed apparens bonum. Hoc secundùm contingit in casibus, quorum meminerunt D. Thomas, & Augustinus à nobis relati 1. parte huius Trac. §. XV. num. 24. 25. & 30.

Mouetur voluntas humana à Deo, vt ab vniuersali motore, & quandoq; vt à speciali.

Homo quandoque experitur moueri in bonum specialiter à Deo.

Notabile considerādum.

1448

51 Hac suppositā doctrina, Resolutio nostra habet duas partes. Prima diffinimus, quòd illa deliberatio, qua Deus, vt vniuersalis motor, post motum voluntatis in appetitum, siue boni communis, siue beatitudinis, seu vltimi finis, mouet rationem in primum actum deliberandi de agendis ad finem, & ratione cuius homo se mouet ad deliberandum de aliis agibilibus virtute præcedentis deliberationis, in quam scilicet terminatur, ascendēdo, processus deliberationum ordinatarum, est in potestate, & libero dominio nostræ voluntatis. Secunda verò determinamus; quòd illæ deliberationes, quibus ratio practica iudicat, aliquid hìc, & nunc agendum esse, vbi tales deliberationes dictant à Deo vt à speciali motore, mouente rationem, & voluntatem in aliquod speciale bonum, est etiam in potestate, & dominio nostræ voluntatis.

Duplex pars resolutionis manifestatur.

1449

52 Quantùm ad primam partem dicimus, *quòd iudicium illud, quo post volitionem vltimi finis, homo, primò deliberans, iudicat, agendum esse aliquid propter finem,* vt designaremus nos loqui de deliberatione propriè tali, quæ dumtaxat est de his, quæ sunt ad finem, & præsupponit volitionem finis vltimi, circa quem non est (propriè loquendo) deliberatio, vt probat S. Doctor 1. 2. quæst. 13. ar. 3. & quæst. 14. art. 2. in corp. & quæst. 15. art. 3. in corp. illis verbis. *Consiliū præsupponit appetitum finis,* & q. 17. art. 5. ad 3. illis verbis, *Primus actus voluntatis ex rationis ordinatione non est.* &c. Qui quidem actus, seu volito finis, est principium omnium electionum, quæ ex deliberatione procedunt, vt probat ipse S. Doctor 1. p. quæst. 60. articulo 2. in corp. & de Veritate quæst. 22. art. 5. & 6. in corp. & alibi sæpe.

Ratio primi dicti explicatur.

53 Nec obstant verba ipsius S. Doctoris

Digitized by Google

Explicatur S. Doctor, & ostẽditur, sibi ipsi non repugnare,

toris 1.2. q.6. ar.2.in corp. dicentis *Perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundùm rationem perfectam, prout scilicet, apprehenso fine, aliquis potest, deliberans de fine, & de his, quæ sunt ad finem, moueri in finem, & non moueri*. Non obstant, inquam, inquantùm dicunt: *deliberans de fine* &c. Nam vel loquitur S. Doctor de fine intermedio; vel si contendis, eum loqui etiam de fine vltimo, debet intelligi, de re, in qua homo constituit rationem vltimi finis, dum se conuertit in Deum, vt in vltimum finem, vel ab eo recedens, conuertit se ad creaturam. Quod quidem fit per deliberationẽ, non quia est deliberatio de ipsa ratione vltimi finis, seu de beatitudine in communi; sed quia est deliberatio de re particulari, quam accipit homo, vt vltimum finem, vt docet S. Doctor de Veritate q. 22. art.7.in corp. Et hæc quidem deliberatio supponit volitionem, seu appetitum beatitudinis in communi, ex qua voluntas se mouet, vel per iudicium rectum ad eligendum Deum, vt vltimum finem; vel per iudicium erroneum ad eligendã creaturam, vide D. Thomam loco cit.

Dixi, *finis etiam naturaliter, & sine libertate voliti*, vt satisfaciam difficultati, qua aduersarij constringuntur, non aduertentes, qualiter sit sub potestate voluntatis iudicium primum deliberans, quod nullius præcessit actus voluntatis liber; sed solùm naturalis appetitus in finem.

Probatur resolutio primò ex doctrina S. Thomæ ratione ducente ad impossibile,

1451

Formatur ratio ex doctrina S. Thomæ,

54 PRima igitur pars nostræ resolutionis (ex cuius probatione cõstabit etiam secunda) probari potest primò ratione desumpta ex verbis S. Doctoris, quæ retulimus cum toto tenore articuli disp. præcedenti §.23.num.87, quæque ad simile propositum inculcauimus in hac disp.§.1.num.18. Nam (vt inquit D.Thomas) *si iudicium cognitiuæ non sit in potestate alicuius, sed aliunde determinatum; nec appetitus erit in potestate eius*. Ergo si non esset in nostra potestate, & dominio primum iudicium de agendis propter vltimum finem, naturaliter uolitum, non esset in nostra potestate, & dominio prima electio sequens ad tale iudicium; & ex consequenti nulla alia electio esset in nostra potestate, & dominio. Nam si post naturalem uolitionem vltimi finis datur aliqua electio, quæ est in nostra potestate, & dominio, oportet, quòd procedat ex iudicio existente in nostra potestate, & dominio, vt patet ex uerbis S. D. Et tunc talis electio, uel est prima, uel non, Si est prima: ergo iudicium, seu deliberatio, quæ præcessit primam electionem, est in nostra potestate, & dominio. Si non est prima, sed ante ipsam præcessit alia electio libera; iam tunc ista alia electio processisset ex iudicio existente in nostra potestate, dum supponitur libera: & tunc fiet iterum quæstio de ista alia, si est prima, uel non, & procedetur in infinitum; uel deueniendũ est ad primam electionem, in quam uoluntas primò prorumpit post naturalem uolitionem vltimi finis, & quæ processit ex iudicio existente in nostra potestate, & dominio.

1452

Ex eadem ratione cõfutantur Salmãticẽses.

55 Et ex his obiter dignosces, P. P. Salmãticenses deceptos fuisse ex inconsideratione doctrinæ S. Thomæ, modo relatæ, dum 1.2. Trac.x. disp.2.dub. qu intò num. 102.docent, quòd iudicium efficax infallibiliter trahens secum actum uoluntatis, nõ tollit libertatem absolutè, siue illud sit in potestate nostra, siue non. Decepti, in quam, sunt ex inconsideratione doctrinæ S.Thomæ modo inculcatæ. Siquidem S. Doctor quæst. 24. de uer. art. 2. in corp. eam deduxit ex eo, *quod appetitus cognitionem sequitur*, ita quòd, *iudicium de hoc particulari operabili, vt nunc, nunquam potest esse contrarium appetitui*. Nam post hanc sententiam subiunxit. *Et ideo si iudicium cognitiuæ non sit in potestate alicuius, sed aliundè determinatum, nec appetitus erit in potestate eius*. At uerò prædicti Patres cum eodem antecedente, scilicet, *iudicium efficax trahit secum actum uoluntatis*, ideſt actus uoluntatis sequitur iudicium efficax, componunt oppositum consequentis, puta, siue iudicium sit, siue non sit in nostra potestate, actus uoluntatis consequens est liber, ideſt, in nostra potestate. Et quod est mirabilius in istis Patribus, prædicta docuerunt postquam in eodem ipso Tractatu x. disp. 2. dub. 1. num. 11. prope finem retulerunt doctrinam D. Thomæ a nobis relatam, & sic habent.

Ponunt cũ antecedẽte S. Doctoris oppositum consequentis.

1453

Verba S. Doctoris relata à Salmãticẽsibus, quorũ ponunt contradictorium.

56 *Quæ confirmatio habetur apud D. Thomam citato art. 2. q. 24. de Veritate, vbi cum dixisset, quòd cum iudicium non est in potestate alicuius, nec etiam appetitus illud sequens, erit in eius potestate, subdit, Iudicium autem est in potestate iudicantis, secundùm quod potest de suo iudicio iudicare*. Hæc Salmãticenses. Itaque agnoscunt, & approbant hanc doctrinam S.Thomæ. *Si iudicium non sit in potestate alicuius, nec etiam appetitus illud sequens erit in eius potestate*. Sed quonam modo cũ hoc dicto S. Doctoris concordabitur dictum istud eorundem Patrum: *Iudicium efficax non tollit libertatem, siue illud sit in potestate nostra, siue non*? Idque ergo est mira

bile

Digitized by Google

bile in his tam egregijs Thomistis, quòd in eiusdem disputationis primò dubio posuerunt pro fundamento dicendorum in tota disputatione doctrinam D. Thomæ: in dubio autem quintò ponunt contradictorium illius eiusdem doctrinæ S. Thomæ, quam pro fundamento posuerant. Sed sint hæc obiter adnotata: transeamus ad rationes, nostram resolutionem probantes.

1454 57 Dices, hanc primam rationem ex D. Thoma desumptam non esse efficacē. *Obiectio.* Siquidem procedit ex mera auctoritate S. Thomæ, proferentis illam propositionem, *si iudicium cognitiuæ non sit in potestate alicuius* &c. quam licet probet ex eo, *quod appetitus cognitionem sequitur, cum appetitus non sit, nisi boni quod sibi per vim cognitiuam proponitur*, videtur tamen, quod vel talis ratio non valeat, prædictam conclusionem inferre, vel assumat falsum. Nam vel sensus est, quòd appetitus supponit cognitionem ostendentem bonitatem, & malitiam, quam res habent, vnde possunt appeti, & respui, quod quidem (vt inquit Suarius) verum est, sed inde inferri minimè potest illa cōsequentia; *si iudicium cognitiuæ non est in potestate alicuius &c.* Vel sensus est, quòd, posito iudicio cognitionis, sequatur actus appetitus conformis iudicio, in quo sensu assumitur à Sancto Thoma. Et hoc quidem (inquit Suarius) falsum est, nec est probatum à S. Thoma; sed tamen in hoc sensu deberet esse verum, ad hoc, vt illa conclusio inferretur.

Respondetur remissiuè. Respondeo, quòd veritatem prædictæ rationis in sensu, qui desideratur ad dictam conclusionem inferendam, demonstrabimus dubio quintò huius §. quando prædictam rationem reducemus ad prima principia per se nota.

Proponitur instantia, quæ est fundamentum oppositæ sententiæ.

1455 58 DIces secundò. Ex ratione D. Thomæ in sensu, quo assumitur, ad conclusionem (ex qua nostra ratio procedit) inferendam, sequitur, nullam relinqui libertatem in nostra voluntate. *Secunda Obiectio.* Nam ex vna parte asserit, quòd *voluntas non est, nisi boni, quod sibi per vim cognitiuam proponitur*: ex alia verò parte etiam asserit, quòd iudicium cognoscitiuæ proponit, bonum quod est agendum propter finem, per sententiam, qua diffinit, quòd hæc determinata pars sit agenda. Ex his autem videtur sequi, quòd voluntas non sit, nisi vnius determinatæ partis; & ex consequēti non habeat indifferentiam ad oppositā circa agenda ad finem, & ita nulla sit libertas in voluntate, nec scilicet in ordine ad finē naturaliter volitum, nec in ordine ad media. Non quidem in ordine ad finem naturalem, quia in ordine ad illum est determinata à natura. Non in ordine ad alia: quia voluntas non potest tendere; nisi in id, quod sibi proponit iudicium: Iudicium autem non proponit circa agenda ad finem vtramque partem ex oppositis sub indifferentia; sed determinatè vnā. Voluntas ergo circa agenda ad finem non potest tendere in vtramque partem ex oppositis, sed determinatè in vnam.

Refertur responsio P. P. Salmāticensium, & impugnantur.

1456 59 HAnc instantiam proposuerūt in substantia Patres Salmāticenses 1. 2. Trac. x. disp. 2. dub. primo num. 14. Et ei respondent num. 21. sequenti notabili, scilicet. *Voluntatem, quoties liberè agit, duplex saltèm iudicium ab intellectu requirere (siuè formaliter, siuè solùm virtualiter distinguatur) alterum proponens indifferenter extrema, inter quæ exercenda est libertas, & in vnoquoque sufficientem bonitatem, ratione cuius possit appeti, simul cum aliquo bonitatis defectu, ratione cuius valeat respui: alterum dictans determinatè, & efficaciter, quæ pars hìc, & nunc sit eligenda. Ex quibus primum constituit voluntatem solùm in actu primò liberam, & potentem ad vtrumlibet: secundùm verò constituit eā sub actuali exercitio libertatis applicatam ad partem, quæ eligitur. Nam sicut voluntas, vt libera in actu primò, solùm habet, quòd possit tendere ad vtrumlibet, non tamen pro illo signo trāsit ad aliquid actu appetendum: ita iudicium, pro tali signo necessarium, solùm debet proponere vtrumque, vt possibile appeti: non verò quòd sit hìc, & nunc determinatè eligendum.* Hæc Salmāticenses. Quare secundùm hoc notabile prædictæ instantiæ respondendum esset, negando illam propositionem minorem: *Iudicium autem non proponit voluntati vtramque partem ex oppositis sub indifferentia; sed determinatè vnam*, quia scilicet requiritur, tam iudicium proponens extrema indifferenter, quàm iudicium proponens determinatè alteram partem. *Ad actum liberū duo iudicia requiri: alterum proponens extrema sub indifferentia alterum proponens vnam determinatè partem, docent Salmāticenses*

1457 60 Verùm hi Patres, aliàs doctissimi, cesserunt Aduersarijs, quantùm ad hunc punctum. Nam licèt verum sit, quòd quæcunque particularia bona possint à nobis apprehendi, & vt bona, & vt habentia defectum alicuius boni, quòd est habere rationem mali; ac per hoc possint apprehendi, vt appetibilia, & vt fugibilia. Et similiter, quòd tam agere, quàm non agere possit homo apprehendere, vt bonum; & propter hoc, tàm in agere quàm in *P. P. isti cesserūt ad uersarijs quantum ad hunc punctum.*

Digitized by Google

Doctrina S. Thomæ ad propoſitum.

in non agere voluntas tendere poſſit; ac etiam propter hanc poteſtatem ſit in voluntate libertas, & indifferentia ad oppoſita, vt optimè docuit D. Thomas 1. 2. qu. 13. ar. 6. in corp. dicens. *Poteſt homo velle, & non velle; agere, & non agere: poteſt etiam velle hoc, aut illud, cuius ratio ex ipſa virtute rationis accipitur. Quidquid enim ratio poteſt apprehendere, vt bonum, in hoc voluntas tendere poteſt. Poteſt autem ratio apprehendere, vt bonum, non ſolùm hoc, quod eſt velle, aut agere: ſed hoc etiam, quod eſt non velle, & non agere. Et rurſus in omnibus particularibus bonis poteſt conſiderare rationem boni alicuius, & defectum alicuius boni, quod habet rationem mali: & ſecundùm hoc poteſt vnumquodque huiuſmodi bonorum apprehendere, vt eligibile, vel vt fugibile. Solùm autem perfectum bonum, quod eſt beatitudo non, poteſt ratio apprehendere ſub ratione mali, aut alicuius defectus: & ideo ex neceſſitate beatitudinem homo vult, nec poteſt velle non eſſe beatus, aut miſer. Electio autem cum non ſit de fine, ſed de his, quæ ſunt ad finem, non eſt perfecti boni, quod eſt beatitudo, ſed aliorum particularium bonorum: & ideo homo non ex neceſſitate, ſed liberè eligit.* Attamen falſiſſimum eſt, & valde conſonum Aduerſarijs, quòd ad hoc, vt voluntas conſtituatur potens vtrumlibet, ſeu libera in actu primo, requiratur iudicium aliquod actuale, *repræſentans voluntati indifferenter extrema, inter quæ exercenda eſt libertas, & in vnoquoque ſufficientem bonitatem, ſimul cum aliquo bonitatis defectu.*

1458 61 Aliud enim eſt, requiri in ratione humana, quòd eius virtus iudicatiua poſſit quamcunque rem particularem apprehendere ſub ratione boni, & eam etiam apprehendere ſub ratione mali: ſeu quòd poſſit eam quandoque iudicare bonam, & poſſit eam quandoque iudicare malā, ſeu etiam quòd poſſit habere diuerſas, & oppoſitas apprehenſiones (ſucceſſiuè tamen, non ſimul) de quacumque re particulari: Et aliud ſatis diuerſum eſt, requiri, quòd virtus iudicatiua aliquo ſuo iudicio iudicet de quacunque re particulari, quòd ipſa poſſit eſſe, ſeu eſt, ſecundùm aliquam rationem bona, & ſecundùm aliquā mala, ſeu iudicet, quòd poſſit amplecti & reſpui.

Diuerſitas inter dictū D. Thomæ, & Salmaticenſium explicatur.

1459 62. Primùm enim horum deſignat, requiri in ratione humana, vt quid ſpectans ad actum primum, amplitudinem poteſtatis, qua, ex modo, quo iudicat & ex principijs, per quæ iudicat de particularibus bonis, habet, quòd de quolibet illorum poſſit proferre oppoſitas ſentētias, ſeu habet, quòd de quolibet illorum poſſit dicere, vel quòd ſit agendum, ſeu proſequendum: vel quòd non ſit agendum, ſeu proſequendum. Secundùm verò deſignat, quòd ad conſtituendam *voluntatem in actu primò liberam, & potentem vtrumlibet*, requiritur in ratione hoc ſpeciale iudicium, ſcilicet, *proponens indifferenter extrema inter quæ exercenda eſt libertas, & in vnoquoque ſufficientem bonitatem, ratione cuius poſſit apperi ſimul cum aliquo bonitatis defectu, ratione cuius valeat reſpui.* 1460

Quid ſpectat ad actum primū

63 Quare nos dicimus, primum quidem requiri in agente libero, ſpectareque ſuo modo ad actum primum, vt proximā radicē, ex qua oritur, quòd eſt libertas, & poteſtas ad oppoſita in voluntate: ſecundùm verò dicimus, non requiri, nec conferre ad conſtituendam voluntatem in actu primò liberam, & potentem vtrumlibet. 1461

Sententia S. Th. iuſtificatur obiectionibus probatur.

64 Et quidem, quòd primum requiritur in agente libero, vt proxima radix, ex qua oritur in voluntate libertas, & indifferentia ad oppoſita, expreſſit manifeſtè S. Doctor 1. 2. quæſt. 17. art. 1. ad 2. dicens, *quòd radix libertatis eſt voluntas, ſicut ſubiectum; ſed ſicuti cauſa eſt ratio. Ex hoc enim voluntas liberè poteſt ad diuerſa ferri; quia ratio poteſt habere diuerſas conceptiones boni.* Ecce rationem, ſeu cauſam, ex qua habet voluntas, quòd poſſit ad diuerſa, ſeu oppoſita ferri; quia, ſcilicet, *ratio poteſt habere diuerſas conceptiones boni*, hoc eſt, quod nos dicimus. Ampliùs verbis relatis nu. 60. huius §. ex eo probat; quòd *poteſt homo velle, & non velle, agere, & non agere, & poteſt etiam velle hoc, aut illud*; quia *quidquid ratio poteſt apprehendere, vt bonum, in hoc voluntas tendere poteſt*, & quia *poteſt apprehendere vt bonum, non ſolum hoc, quod eſt velle aut agere; ſed hoc etiam, quod eſt non velle, & non agere. Et rurſus in omnibus particularibus bonis poteſt conſiderare rationem boni alicuius, & defectū alicuius boni, quod habet rationem mali: & ſecundùm hoc poteſt vnumquodque huiuſmodi bonorum apprehendere, vt eligibile, vel vt fugibile.* Quid clarius, pro explicanda re, quam intendimus, dici poteſt? Expende etiam illa verba, *eius ratio ex ipſa virtute rationis accipitur. Quidquid enim ratio poteſt apprehendere, vt bonum, in hoc voluntas tendere poteſt*, &c. expende, inquam, quòd dixit: ratio accipitur ex ipſa virtute rationis, qua poteſt apprehendere, vt bonum, tam velle, quàm nolle, tàm agere, quam non agere, & tàm hoc, quàm illud, quod expreſsè eſt id, quod nos dicimus: non autem dixit, quòd accipitur ex actu rationis iudicante, quòd quodlibet particulare eſt indifferens, vt appetatur, vel reſpuatur, & quòd poteſt appeti, & reſpui.

Ampliùs eadem 1. 2. quæſt. 6. art. 2. ad 2. ſic habet S. Doctor. *Ex hoc contingit, quòd homo eſt dominus ſui actus, quod habet deliberationem*

Digitized by Google

tionem de ſuis actibus. *Ex hoc enim, quòd ratio deliberans ſe habet ad oppoſita, voluntas vtrumque poteſt.* Nota ly *ex hoc, quod ratio deliberans ſe habet ad oppoſita*, ideſt (vt habet ipſe S. Doctor eadem 1.2.q.109.ar.2. ad 2.) *poteſt flecti ad vnam partem, vel ad aliam, voluntas vtrumque poteſt.* Hoc eſt, quod nos dicimus: ex eo quòd ratio, inquantùm habet deliberare de agendis, poteſt ſententiare, ſeu deliberare vnam, vel alteram partem ex oppoſitis, ſeu poteſt proferre oppoſitas ſententias, voluntas habet, quòd poteſt vtrumque; nō autem ex hoc quòd habet iudicium repræſentans quòd poteſt fieri vtrumque. Afferant iſti Patres locum aliquem S. Doctoris pro hac ſua excogitatione.

1462 *Radix, ex qua procedit poteſtas rationis ad indicandū ad vtrumlibet.*

65 Quod ſi inquiras: vnde habet ratio, quòd poſſit proferre oppoſitas ſententias, ſeu deliberationes oppoſitas de particularibus bonis, ſitque indifferens ad proferendam de eiſdem hanc, vel illā ſententiam? iam ſæpè ad hæc reſpondimus ex doctrina S. Doctoris (& vide quæ diximus in hac diſp. §.2.n.5.& 14.) quòd habet ex modo, quo de eis iudicat, & ex principijs, per quæ iudicat. Ex modo quidem; quia iudicat non ex inſtinctu naturæ ſicut bruta; ſed cōferendo vnum ad aliud. Hinc S. Doctor 1.p.q.83.art.1. in corp. ſic habet: *Sed quia iudicium iſtud* (ſcilicet quo homo iudicat) *non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili; ſed ex collatione quadam rationis; ideo agit libero iudicio, potens in diuerſa ferri.* Ex principijs verò, quia iudicat de ſingularibus agibilibus per principia vniuerſalia, ideſt per ipſam rationem finis, ſeu boni communis, explicatam in illis vniuerſalibus & naturalibus principijs. Omne bonum eſt proſequendum, & malum vitandum. Vniuerſalia autem, vt talia ſunt indeterminata, & indifferentia in ordine ad quæuis particularia, poſſuntque eiſdem indifferenter applicari: & inde eſt, quòd virtus iudicatiua humana nō eſt determinata ad ferendum vnum iudicium de ſingularibus, ſicut eſt determinata virtus iudicatiua brutorum, vt optimè concludit S. Doctor lib. 2. con:gen:cap.48. ratione quarta.

1463 *Ad hoc vt voluntas ſit ſufficienter conſtituta in actu primo potens oppoſita, duo requiruntur.*

66 Sic ergo ad hoc, vt voluntas ſit ſufficienter conſtituta in actu primò potens vtrumlibet, duo requiruntur, ſcilicet, quòd habeat volitionem finis, quæ eſt principium, ex quo voluntas ſe mouet ad appetenda ea, quæ ſunt ad finem, & quòd intellectus habeat apprehēſionem communis boni, ſeu rationis finis per promptam cognitionem primorum principiorū, pertinentium ad habitum ſynderesis, per quæ ratio boni communis apprehenditur, & per quæ intellectus habet poteſtatem iudicandi ad vtrumlibet de particularibus bonis per diſcurſum conſilij. His enim principijs, puta volitione finis, & apprehensione communis boni, quam habet in habitu principiorum naturalium ſynderesis, voluntas eſt in actu primò poteſtatem habens ad vtrumlibet. Eſt verò in actu primò ſufficienter determinata ad alterā partem, per formam apprehenſam ſingularis operabilis, vt nunc, quam ex prædictis principijs per diſcurſum conſilij humana ratio conclusit.

1464 *Hoc ipſo quod volūtas determinat ſeipſam per concluſionem ſyllogiſmi operatiui, determinat ſe, vt ſe potens determinare ad oppoſita.*

67 Quoniam autem, quoties voluntas tendit in aliquod determinatum agibile, ſibi propoſitum per iudicium concluſum per ſyllogiſmum operatiuum, ſeu cōſilij, quo ipſa voluntas ſe determinat ad alteram partem, habet pro principijs volitionem finis, & apprehensionem ipſius rationis finis, ſeu boni communis, contentam in principijs vniuerſalibus ſynderesis, per quę voluntas ipſa ſe habet indifferenter ad oppoſita: ideo eſt, quòd quoties voluntas tendit in particulare agibile, determinata per conclusionem ſyllogiſmi operatiui, ſemper in illud tendit, vt determinata à ſeipſa ex vi illius actus primi, quo ſe habet ad oppoſita, & hoc inquantùm talem conclusionem deduxit ex vi illorū principiorum, quibus voluntas ſe habet ad oppoſita.

1465 *Vera reſponſio obiectionis affertur.*

68 Quare omiſſis alijs, quibus imaginationem prędictorum Patrum poſſemus impugnare. Ad prædictam Inſtantiam reſpondemus, negando, ſequi ex propoſitionibus D. Thomę, voluntatem noſtram circa agenda ad finem non poſſe tendere in vtramque partem ex oppoſitis, ſeu non habere indifferentiam ad oppoſita. Et ad probationem, nego maiorem ſecundùm ſenſum, qui eſſet vtilis argumento. Nego, inquam, illam propoſitionem: voluntas non poteſt tendere, niſi in id, quòd ſibi proponit iudicium. Propoſitio enim vera in iſto ſenſu eſſet iſta: voluntas non poteſt tendere; niſi in id, quod ſibi poteſt proponere vis iudicatiua per iudicium, vt ex auctoritatibus D. Thomę relatis patet. Vnde prædictus diſcurſus peccat ſicut ſequens. Deus non poteſt facere, niſi quę vult, vel quę præſcit, ſe facturum. Sed vult, & præſcit, ſe facturum tantùm ea, quę facit. Ergo Deus non poteſt facere; niſi tantùm ea, quę facit; cuius reſponſionem habes apud D. Thomam de Potentia q.1. ar.5. ad p. & ad 9. vbi habet *ad nonum dicendum, quòd licet Deus non velit facere, niſi quę facit: poteſt tamen alia velle, & ideo, abſolutè loquendo, poteſt alia facere.* Similiter ergo dicendum eſt ad poſitam inſtantiam, quòd licet

volun-

Digitized by Google

voluntas non tendat, nisi in id, quod vis cognoscitiua ei proponit per iudicium: potest tamen vis cognoscitiua oppositū per iudicium proponere: & ideo, absolutè loquendo, potest voluntas velle oppositum.

1466 69 Dixi (*in sensu, qui esset vtilis argumento*) quia prædicta propositio habet duplicem sensum, & in eo, qui esset ad propositum, est falsa. Vt hoc intelligas considera citatam responsionem D. Thomæ ad primum: sic enim habet. *Dicendum quòd hæc locutio: Deus non potest facere, nisi quod præscit, se facturum, est duplex: quia exceptio potest referri ad potentiam, quæ importatur per ly, potest, vel ad actum, qui importatur per ly facere. Si primò modo, tunc locutio est falsa. Plura enim potest facere, quàm præsciat, se facturum: & in hoc sensu ratio procedit. Si autem secundò modo, sic locutio est vera: & est sensus, quòd non potest esse, quòd aliquid sit à Deo, & non sit à Deo præscitum; sed hic sensus non est ad propositum.*

Locus S. D., quo explicatur responsio.

1467 70 Hoc omnino modo dicimus nos, respondendum esse prædictæ instantiæ. Nā illa propositio: voluntas non potest tendere, nisi in id, quod sibi proponit iudiciū, est duplex; quia exceptio potest referri ad potentiam, quæ importatur per ly, potest, vel ad actum qui importatur per ly tendere. Si primò modo, tunc propositio est falsa. In plura enim potest voluntas tendere, quàm repræsentet ei actus iudicij dictans, aliquid determinatè esse agendum: & in hoc sensu procedit ratio. Et ideo maior à nobis est negata in sensu, qui esset vtilis argumento. Si autem secundo modo, sic propositio est vera: & est sensus, quòd non potest esse, quòd aliquid velit voluntas, & illud non sit à ratione determinatè iudicatum, agendum esse. Sed hic sensus non est ad propositum. Denique aduerto, quòd non immeritò transcripsimus responsiones S. Doctoris, quas subinde nostris responsionibus imitamur. Id enim fecimus, ne nostras responsiones irrideant (vt consueuere) Recentiores, qui non audent D. Thomæ responsiones irridere. Eo vel maximè, quia primus sensus propositionis à D. Tho. in fine corporis eiusdē art. appellatur, diuisus, secundus verò compositus, quam distinctionem passim solent Iuniores irridere, sed immeritò, vt in Tractatu particulari de hac materia demonstrabimus. Redeamus ad rationes, resolutionem nostram ostensiuè probantes.

Applicatur locus S. D. ad propositum responsionis.

Proponitur ratio S. Doctoris, ostensiuè demonstrans, primam deliberationem, seu primum imperium esse sub dominio, & potestate nostræ voluntatis.

1468 71 PRobari potest 2. resolutio nostra ratione ostensiua qua ipsemet S. Doctor vtitur Quæst. 24. de Verit: ar. 2. in corp. à nobis relatus disp. præcedenti §. 23. num. 87. illis verbis. *Iudicium autem est in potestate iudicantis, secundùm quòd potest de suo iudicio iudicare. De eo enim, quod est in nostra potestate, possumus iudicare.*

Verba S. D. quæ præstant fundamentū rationi.

Hæc ratio sic formari potest. Ille actus iudicij, de quo ipsemet iudicās potest iudicare, & de eo aliquo modo iudicat, quòd est, vel nō est agendus, seu secūdùm vtrāque partem ex oppositis, est iudicium existens sub dominio, & libera potestate voluntatis eiusdem iudicantis: sed prima deliberatio, seu imperium (illud, scilicet, quo volens vltimum finem, primò deliberās, imperat, aliquid agere propter, finē, quod supponit electio, quæ est omnium prima simpliciter) est huiusmodi. Ergo &c. Maior huius discursus est propositio immediata. Est enim per se & secundùm quod ipsum. Nam subiectum eius inuoluit propriam, & per se causam prædicati, sicut ista: Illud animal, quod est rationale, est risibile. Porrò dominium, & potestas, per quam voluntas, vt domina sui actus, potest in vtranque partem ex oppositis, oritur, vt ex propria, & per se radice, ex virtute iudicatiua intellectuali, inquantùm habet potestatem iudicandi ad vtrumlibet de agendis propter finem. Dominium enim, seu libera potestas supra proprium actum formaliter importat potestatem, qua quis secundùm suum placitum potest agere, & non agere, velle, & nolle, & hoc, vel illud. Ista autem potestas oritur, vt ex propria, & per se causa ex virtute iudicatiua, inquantùm potest iudicare bonum, tàm agere, quàm non agere, tàm velle, quàm nolle, & tàm hoc, quàm illud. Hinc S. Doctor verbis relatis num. 60. huius §. *potest*, inquit, *homo velle, & nolle, agere, & non agere: potest etiam velle hoc, aut illud. Cuius ratio ex ipsa virtute rationis accipitur. Quidquid enim ratio potest apprehendere, vt bonum, in hoc voluntas tendere potest &c.* vide hæc, & alia, quæ ex S. Doctore citauimus nu. 64. quibus euidenter asserit, quòd propria radix, seu causa, ex qua oritur, quòd voluntas hominis potest vtrumlibet, scilicet, agere, vel non agere, velle, vel nolle, & hoc, vel illud, est potestas, quam habet ratio, iudicandi, quòd

Proponitur ratio in forma.

Digitized by Google

bonum sit tam agere, quàm non agere, tam velle, quàm nolle, & tàm hoc, quàm illud. Hinc S. Doctor rationem, quam inculcamus, proposuit illis verbis: *Iudicium autem est in potestate iudicantis, secundùm quod potest de suo iudicio iudicare*, vbi ly *secundùm quod*, determinat proprium principium, seu causam, & radicem, ex qua prouenit agenti hoc, quod est, habere potestatem supra proprium actum.

1469 72 Itaque (vt dixi, & constat ex auctoritatibus D. Thomæ (maior propositio est immediata, inquantùm hoc, quod est, aliquem actum esse sub dominio, & potestate voluntatis alicuius, quod est prædicatum dictæ propositionis, sequitur, vt ad sui propriam causam, ex eo, quod virtus iudicatiua habentis voluntatem potest de tali actu iudicare secundùm vtrãque partem ex oppositis, quod est subiectum eiusdem propositionis. Et nihilominus dubio quintò huius § vbi multiplicem rationem libertatis, inuentam in prima deliberatione, probabimus ratione S. Doctoris, procedente ex illo primo principio per se noto: *vnum quodque agit, inquantùm est in actu per formam*, eadem propositio, manifestatis terminis, fiet euidens.

Maior propositio est immediata.

1470 73 Minor verò, puta: sed prima deliberatio, est huiusmodi, idest, est actus, de quo ipsemet iudicans potest iudicare secundùm vtramque partem ex oppositis &c. facile demonstratur, si consideretur, quòd intantùm homo potest iudicare de suo proprio iudicio, inquantùm intellectus, quo ipse iudicat reflectitur supra proprium actum, & cognoscit habitudines rerum de quibus iudicat, & per quas iudicat; inquit enim S. Doctor post verba relata num. 71, *Iudicare autem de iudicio suo est solius rationis, quæ super actum suum reflectitur, & cognoscit habitudines rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat*. Ratio autem, seu intellectus potest reflexè iudicare de suo proprio iudicio dupliciter. Vno modo, habendo iudicium reflexum formaliter; alio modo, habendo iudicium reflexum virtualiter. Habet ratio iudicium de suo proprio iudicio reflexum formaliter, cum iudicium, prolatum de aliquo particulari agibili, iterum examinat, inuestigans: an benè sententiauerit de tali agibili, sicque de iudicio, iam prolato, profert nouam sententiam, qua, vel probat, & confirmat, vel reprobat, & quasi condennat sententiam prius datam, ab ea recedens. Habet verò iudicium de suo iudicio reflexum solùm virtualiter, cum ratio non vocat in examen iudicium prius datum, sed examinat directè, & formaliter agenda ad finem; sed tamen sententiam de agendis profert, aduertendo ad id, quod sentit, firmans se in tali sententia per principia agibilium, ex quibus inducitur in talem sententiam. Sententia quippè cum tali aduertentia prolata, est sententia iudicata, & sententiata, & virtualiter est reflexa. Qui enim sic iudicat, virtualiter sentit, suam sententiam esse rectam. Sicut enim in speculatiuis, cum quis ex veris, & notis principijs per rectum discursum ducit se in assensum conclusionis, virtualiter dicit, quòd conclusio deducta est vera, vt, cum ex eo, quod omne rationale est risibile, & omnis homo est rationalis, deducit: ergo omnis homo est risibilis, virtualiter dicit, quòd talis cõclusio est vera: & idẽ reputatur concludere, cum dicit: ergo omnis homo est risibilis, quod, ergo verum est dicere, quòd omnis homo est risibilis; ita in practicis, cum quis ex volitione finis per principia agibilium, & per rectum discursum consilij sententiat, aliquid hic, & nunc esse agendum propter finem volitum, virtualiter sententiat, quòd talis sententia, seu dictamen est rectum, seu bonum: & idem reputatur concludere, cum sententiat, ergo hoc hic, & nunc est agendum, quod, sic sentiendum est, hoc est rectum iudicium, & dictamen, scilicet, hoc hic, & nunc est agendum; ac per hoc sententia, & iudicium de singulari agibili simili modo deducta, seu deductum virtualiter reflectitur ad se, & est sententia virtualiter sententiata, & iudicium iudicatum.

Minor probatur.

Intellectus noster potest iudicare de suo iudicio reflexè dupliciter, scilicet formaliter, & virtualiter.

1471 74 Amplius cõsiderandum est, quòd collatio ista, qua per rationem finis (quasi per contactum ad lapidem Lydium) percipitur conuenientia, vel disconuenientia singularium agendorum ad finem, potest fieri dupliciter. Vno modo per examen discursus consilij; & alio modo sine discursu. Primo modo conferunt, & iudicant de agendis homines; secundò verò modo spiritus puri. Hi enim iudicant quidem de singularibus agendis per ipsam vniuersalem rationem boni, & finis, & propter hoc est in ipsis liberum arbitrium, vt docet S. Doctor 1. p. quæst. 59. ar. 3. in corp. Verumtamen id faciunt sine discursu, vt hoc ipso loco docet S. Doctor ad primũ, & nos in speciali dubio ad vltimam obiectionem lato calamo demonstrabimus.

Collatio ad finem potest dupliciter fieri.

1472 75 Præterea considerandum est, quòd licèt verum sit, homines discurrendo deliberare; oportet tamen, quòd in primas deliberationes prorumpant sine præuio discursu, & eo modo, quo deliberant Angeli; vt sic ratio humana, quæ in genere intellectualium est infima, attingat aliquo modo in suo primo, & quasi supremo actu pro-

In primas deliberationes prorumpunt homines sine discursu.

Digitized by Google

tu proprietatem superiorum intellectuũ. Est autem hoc necessariò asserendum, vt in humanis deliberationibus vitemus processum in infinitum; & perueniamus ad eam, in quam ratio deliberatiua mouetur à Deo. Inquit enim D. Th. verbis relatis num. 34. huius §. *Si homo ex consilio consiliari inciperet, daretur processus in infinitum*. Oportet ergo, quòd liberè incipiat consiliari non ex preuio consilio. Et ita fit, vt velle liberè cõsiliari sit ex deliberatione, quam non præcessit consilium. Atque hoc illo modo contingit, quo D. Thomas 3. p. q. 18. ar. 4. ad 2. & de Verit. quæst. 29. ar. 8. ad 9. docet, Christum Dominum in primò instanti suæ conceptionis habuisse deliberationem de agendis, ac etiam liberum actum electionis, nullo præsuppositio discursu consilij, qui requirit ad sui consistentiã tempus.

1473 76 His consideratis, minor probanda est manifesta. Siquidem tria exprimit, puta, *prima deliberatio est actus iudicij* (hoc est primum *de quo ipsemet iudicat, aliquo modo iudicat*) & hoc est secũdùm *& potest de eo iudicare secundùm vtramque partem ex oppositis*, & hoc est tertium. Horum primùm, puta, quòd prima deliberatio sit actus iudicij, planum est. Est enim illud iudiciũ quo primò iudicamus, aliquid agendum esse propter finem; quo scilicet iudicamus, bonum esse incipere consiliari, vt aliquid inueniamus aptum fini.

Ex prædictis manifestatur minor.

1474 77 Secundùm verò, puta, quòd sit actus iudicij, *de quo ipsemet iudicans, quodammodo iudicat reflexè*, patet ex aduertentia recensita numeris proximè præcedentibus. Siquidem, si deliberatio est, oportet, quòd sit prolata cum aduertentia, & conferendo ad finem, ac etiam cognoscẽdo proportionem inter actionem, & finem. Iudicium autem, sic prolatum, est virtualiter reflexum, & suo modo iudicatum, vt manifestauimus. Nec sanè ad hoc, vt aliquis actus iudicij sit in potestate eiusdem iudicantis, exigitur, vt iudicans de tali iudicio iudicet reflexè formaliter; sufficit enim, quòd possit de eo iudicare reflexè formaliter, & quòd de eo iudicet reflexè virtualiter, inquantùm iudicat cognoscendo habitudines rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat. Idque docet S. Doctor quæst. 24. de Verit. art. 1. in corp. illis verbis. *Homo per virtutem rationis iudicans de agendis, potest de suo arbitrio iudicare, inquantùm cognoscit rationem finis, & eius, quod est ad finem, & habitudinem vnius ad alterum: & ideo non solùm est causa sui ipsius in mouendo, sed in iudicando. Et ideo est liberi arbitrij; ac si diceretur liberi iudicij de agendo, vel non agendo.* In quibus, vt vides, ex eo probat, quòd homo est causa sui in iudicando (quod idem est, quod habere in sua potestate proprium iudicium, sicut esse causam sui in mouendo, est habere dominium, seu in sua potestate proprios motus voluntatis) quia potest de suo arbitrio iudicare, idque esse *inquantum cognoscit rationem finis, & eius, quod est ad finem; & habitudinem vnius ad alterum*. Idem expressit S. Doctor ar. sequenti eiusdem quæstionis in corp. illis verbis. *Iudicium verò est in potestate iudicantis, secundùm quòd potest de suo iudicio iudicare. Iudicare autem de iudicio suo est solius rationis, quæ super actum suum reflectitur, & cognoscit habitudines rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat*. In quibus ex eo probat, iudicium esse in potestate iudicantis; quia potest de suo iudicio iudicare. Indicat etiam, quòd ratio reflectitur super actum suum, cognoscendo habitudines rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat.

Quid requiritur Ad hoc, vt iudicium sit in potestate iudicantis, explicatur.

1475 78 Tertium denique, puta, quòd iudicans de eo possit iudicare secundùm vtramque partem ex oppositis, sic potest demonstrari. Nam intantùm ratio humana, seu virtus indicatiua intellectualis iudicat de particularibus agibilibus propter finem, vt potens iudicare vtrumlibet de ipsis, inquantùm iudicat de ijs, quæ non sunt perfectum bonum, puta, beatitudo, vel cum ea necessariam, & euidentem cõnexionem habentia, sed bona cõtingentia, & de eis iudicat per rationem communis boni. Sed cum ratio primò deliberat, iudicans quodammodo de suo proprio iudicio, iudicat de aliquo particulari agibili propter finem, quod est bonum contingens, & non perfectum bonum, nec habens cum eo necessariam, & euidentem connexionem. Iudicatque de eo per rationem communis boni. Ergo cum ratio primò deliberat, iudicans quodammodo de suo proprio iudicio, iudicat, vt potens iudicare vtramlibet.

Iudicans posse iudicare de suo proprio iudicio secũdùm vtrãque partẽ ex oppositis, explicatur.

1476 79 Maior est per se nota, & immediata, & eius euidentia sic apparet. Nam ad hoc vt virtus iudicatiua possit iudicare de aliquo agibili secundùm vtrãque partem ex oppositis, duo requiruntur. Alterum ex parte principij iudicatiui; alterum ex parte rei iudicabilis. Ex parte quidem principij iudicatiui exigitur, quod non iudicet ex instinctu naturæ, quæ est determinata ad vnum, sicut iudicant bruta; & hoc non habet virtus iudicatiua intellectualis per hoc, quod apprehendit vniuersalem rationem boni, & per eam iudicat de particularibus bonis. Nam cum hæc potest applicari indifferenter ad opposita, per eam habet potestatem iudicandi ad vtrum-

Manifestatur, quòd maior sit per se nota, & immediata.

Digitized by Google

vtrumlibet ex oppositis. Hinc D. Thomas 1.p.q.59.ar.3. in corp. sic habet: *Quædam agunt quodam arbitrio; sed non libero, sicut animalia irrationalia. Ouis enim fugit lupum ex quodam iudicio, quo existimat eum sibi nocium. Sed hoc iudicium non est sibi liberum; sed à natura indutum. Sed solùm id, quod habet intellectum, potest agere iudicio libero, inquantùm cognoscit vniuersalem rationem boni, ex qua potest iudicare, hoc, vel illud esse bonum.* Et adde, quæ ex S. Doctore citauimus in hac disp. §. 1. num. 29, & quæ ad hoc propositum diximus §. 2. sequenti num. 5, & 14. Ex parte verò rei iudicabilis requiritur, quòd non sit perfectum bonum, puta, beatitudo, sed bonum contingens, vt patet ex verbis S. D. relatis in hoc §. num. 60, & adde alia, quæ docet 1. 2. q. x. ar. 2. in fine corp. quibus sic habet: *Illud solùm bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem quælibet particularia bona, inquātùm deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi, vt non bona, & secundùm hanc cōsiderationem possunt repudiari, & approbari à voluntate, quæ potest in idem secundùm diuersas considerationes*, & 1.p.q.83.ar.p. in corp. sic habet. *Ratio circa contingentia habet viam ad opposita*, &c. *& ideo circa ea iudicium rationis ad diuersa se habet, & non est determinatum ad vnum.* Euidens est ergo maior assumpta.

1477 80 Minor verò est euidens ex terminis. Nam nomine primæ deliberationis, seu primi iudicij deliberati, intelligimus iudicium illud, quo, presuppositā volitione ultimi finis, ratio collatiuè ad finem per ipsam rationem finis, seu boni primò iudicat, aliquid agendum propter finem. Quod quidem inquantùm est cum tali aduertentia prolatum, est virtualiter reflexum; inquantùm verò est ex præsuppositā volitione finis, est de aliquo particulari bono contingenti.

Minor est euidens ex terminis.

1478 81 Amplius eadem veritas sic potest manifestari, quantùm ad potestatem iudicandi reflexè de suo proprio iudicio. Nā homo deliberans, vel iudicat de suo iudicio reflexè solùm virtualiter; & ex hoc, quòd iudicat de aliquo particulari agibili, conferendo ad finem, & per rationem finis, qualiter iudicat de sua prima deliberatione, vt supra diximus; vel iudicat de suo iudicio formali reflexione, sententians de priori sententia. Si primo modo, tunc potestas rationis iudicandi reflexè de conuenientia talis iudicij coincidit cum illa, quam habet iudicandi directè de particularibus, & contingentibus agibilibus. Intantum enim tale iudicium dicitur iudicare reflexè de seipso, inquantùm directè iudicat de aliquo particulari agibili, conferendo ad finem, & percipiendo exercitè conuenientiam, & rationem sui iudicij. At verò ratio humana circa particularia bona contingentia potest iudicare directè secundùm vtramque partem ex oppositis: potest ergo virtualiter reflexè iudicare de suo iudicio secundùm vtranque partem ex oppositis. Idque experientia ipsa est manifestum. Nam si ratio potens directè deliberare vtramlibet partem ex oppositis circa aliquod agibile, deliberaret vnam; iam tunc talis deliberatio, virtualiter reflectens supra seipsam, iudicaret, sic esse iudicandum: si verò iudicaret alteram partem oppositam, tunc talis deliberatio virtualiter reflexè dictaret, oppositum esse iudicandum. Per hoc ergo, quòd ratio habet potestatem iudicandi directè de aliquo agibili secundùm vtranque partem ex oppositis, habet etiam potestatem iudicandi de suo proprio iudicio reflexè virtualiter, secundùm vtranque partem.

Manifestatur iterum eadem minor.

Denique si homo secundo modo iudicaret de suo proprio iudicio, scilicet reflexè formaliter, & ratio sententiaret de priori sententia, de qua examinasset: an sic, vel aliter esset iudicandum, tunc euidentius esset, rationem habere potestatem aliter iudicandi. Nam si hanc potestatem non haberet, non posset in quæstionem vertere, an sic, vel aliter esset sibi iudicandum, nec posset sententiam reuocare, cuius cōtrarium supponimus, & experimur.

Robur prædictæ rationis sub similitudine Principis, & Iudicis manifestatur.

1479 82 Efficaciam huius rationis percipies euidentiùs, si consideras exemplum, cuius meminimus disp. præcedenti §. 22. num. 12. Itaque considera, quòd voluntas, intendens finem, se habet inter potentias humanas, sicut Princeps, habens dominium: ratio verò practica, sicut vniuersalis iudex, per cuius sententiam, & decreta voluntas, vt princeps, dominatur, ordinans, & disponens de omnibus agendis propter finem; & non solùm de actibus aliarum potentiarum voluntati, & rationi subditarum; sed etiam de actibus proprijs ipsiusmet voluntatis, & rationis, quorum omnium voluntas, vt princeps, mediante ratione, vt iudice, habet vniuersalis sui dominij potestatem. Habet autem ratio humana tam amplam iudiciariam potestatem, inquantùm tenet armarium vniuersalium legum naturalis habitus synderesis, per quas potest iudicare, non solùm de actibus, & agendis per alias

Superior ratio manifestatur exemplo.

Nota vnde oritur amplitudo dominij nostræ rationis, & voluntatis.

alias potentias inferiores, sed etiam de actibus propriis, & etiam ipsiusmet voluntatis, seu de omnibus agendis propter finem. Sicut ergo tantum se extendit dominium Principis, quantum potestas iudiciaria sui vniuersalissimi iudicis: ita tantum se extendit dominium voluntatis, quantum potestas iudiciaria rationis. Et sicut per hoc, quòd aliquid est per sententiam iudicis deputatum, seu ordinatum, vt seruiat Principi, benè inde apparet, tale esse sub Principis dominio, & potestate: ita per hoc, quod aliquod agibile est per sententiam rationis iudicatum conueniẽs fini voluntatis, & sic est deputatum, & ordinatum in finem per sententiam rationis; inde benè apparet, tale agibile esse sub dominio, & potestate voluntatis appetentis finem. Et sicut implicat, aliquid esse sub potestate iudicis, & non esse sub potestate, & dominio Principis; ita implicat, aliquod agibile contineri sub potestate practicæ rationis iudicantis de illo, quòd sit, vel non sit agendum propter finem, & tale non esse sub potestate voluntatis.

Vide etiã vnde constat aliquid esse sub dominio nostræ voluntatis

1480

83 Ampliùs considera, quòd sicuti, quoties Iudex, examinando, & discutiendo causam secundùm leges sui Principis (quas apud se habet) sententiat, & per suam sententiam causam resoluit, damnando, vel absoluendo reum; toties, vel ex ipso effectu constat, talem reum, & causam subesse Iudicis, & Principis potestati. At verò quoties non sic res se habet, inquantùm ad aliquem officialem nõ spectaret examinare causam, & proferre sententiam secundùm leges Principis ad damnandum, & absoluendum reum; sed solùm ad eum spectaret exequi sententiã sibi dictatam à superiori iudice, toties etiam constaret ex ipso procedendi modo, talem reum, & causam non esse sub talis officialis potestate. Ita in proposito: quoties ad virtutem iudicatiuam rationis nostræ (quæ est voluntatis nostræ iudex) spectat examinare, & discutere: An hoc sit, vel non sit agendum ad habendum finem, quem voluntas intendit; & ratio ipsa, examinata causa secundùm leges, seu regulas desumptas ex fine voluntatis, sententiat, tale agibile esse, vel non esse agendũ pro tali fine, & sic addicit, & quasi damnat actionem ad finem, vel eam absoluit à fine voluntatis; toties constat ex ipso effectu, quod talis sententia, & actio iudicata agenda, vel non agenda, existit sub dominio, & potestate nostræ rationis, & voluntatis. At verò si ad rationem nostram non spectaret examinare, & recognoscere causam, seu negocium, (quale est in voluntate negocium appetendi finẽ vltimum, scilicet beatitudinem, circa quã non habet ratio quæstionem, nec sententiã ab ipsa inuentam ex recognitione causæ; sed tantum habet sententiam sibi dictatam à superiori iudice, scilicet, à Deo auctore naturæ ipsius rationis, & voluntatis) tunc ex consequenti talis sententia, & negocium, seu causa non esset sub dominio, & potestate nostræ rationis, & voluntatis. Similiter quoties ratio negocium non examinat per leges, seu regulas desumptas ex fine voluntatis: inquantùm scilicet non sententiat de agendis per rationem finis, seu cognita causa, & resoluendo (vt loquitur S. Doctor verbis a nobis relatis Disp. præcedenti §. 24. num. 9.) id, quod occurrit agendum, in finem voluntatis; sed accipit sententiam sibi dictatam a natura, vel à sensu (vt accidit in omnibus actibus subitis) toties tale iudicium, prout sic accipitur, non est sententiatum à ratione, vt à iudice voluntatis intendentis finem: & ex consequenti talis sententia, & actio, per eam iudicata, non procedunt à ratione, & à voluntate, vt ab habentibus eas in suo dominio, & potestate; sed solùm, vt ab exequentibus sententiam sibi dictatam ab alio.

Hoc, quòd est proferre sententiam, examinata causa, euidenter indicat sententiam esse sub voluntatis nostræ dominio, & potestate.

1481

84 Et inde est, quòd bruta nunquam sic iudicant, vt iudicium suum sit in sua potestate: quia scilicet, non iudicant, examinando negocium, *cùm* (vt inquit D. Th. quæst. 24. de Verit. ar. 2. in corp.) *non conferant de agendis, & rationem sui iudicij ignorent*. Sed exequuntur iudicium sibi dictatum ab alio, seu (vt loquitur S. Doctor ar. p. quæst. citatæ) *sequuntur iudicium sibi à Deo inditum*.

Bruta non habent iudicium in sua potestate, quia non iudicant examinata causa.

1482

85 Et inde est etiam, quòd omne intellectuale sic iudicat de agendis contingentibus propter finem, vt iudicium, sit sibi liberum, & in suo dominio, & potestate: inquantùm, scilicet, habens intellectum iudicat de talibus agendis, non ex instinctu naturæ, sed ex recognitione causæ, videlicet, conferendo agenda ad finem. Et hinc habet S. Doctor 1. p. eadem quæst. 83. ar. 1. *Homo agit iudicio, sed quia iudicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili; sed ex collatione quadam rationis: ideo agit iudicio libero, potens in diuersa ferri*.

Quia homo iudicat examinata causa, habet iudicium liberum, seu existens sub sua potestate.

1483

86 Et ex his sequitur (& est valde notandum) quod sicut implicat contradictionem ponere duo ista simul, puta, quòd iudex, discussa causa, & examinato negocio per leges sui Principis, proferat sententiam, qua absoluit, vel damnat reum, & quòd talis sententia, causa, negocium, & reus non sint in potestate talis iudicis, & Principis: & implicantia apparet, inquantùm iudicem, & Principem habere in sua pote-

Corolariũ ex dictis valde considerandũ

Digitized by Google

potestate sententiam, causam, & reum, nil aliud importat, quàm sic eos posse de talibus iudicare, puta non per sententiam sibi ab alio dictatā; sed a iudice talis Principis inuentam, cognito, & examinato negocio secundùm leges eiusdem Principis, qua sententia ligatur, vel absoluitur reus. Ita implicat contradictionem euidentem, asserere, quòd aliquod medium ad finem, seu actus nostri, & operationes, quibus nos tendimus in finem, sint iudicata à nostra ratione per sententiam, qua cognito & examinato negocio secundùm leges desumptas ex fine voluntatis pronuncian-tur agenda, vel non agenda pro fine, & sic remaneant addicta, adiudicata, & destinata in finem, vel abdicata, & absoluta à fine; & quòd simul actus nostri, mediaque ad finem, quæ sic iudicantur agenda, iudiciumque, & sententia, qua sic iudicantur, non sint in potestate, & dominio nostræ rationis & voluntatis. Quippe quia actus nostros, sententiamque, qua eosdem iudicamus agendos, vel non agendos, esse in dominio, & potestate nostræ rationis, & voluntatis, nil aliud importat, quàm prædicto modo nos posse de actibus nostris iudicare.

1484 87 Et indè modò manifestè apparet id, quod nostra resolutione stabiliuimus, nempe: primam nostram deliberationem (siue illa sit, in quam naturali modo, & vt mota à Deo, vt à generali motore procedit nostra ratio deliberatiua, siue in quā prodit mota ab ipsomet Deo, vt à speciali mouente in aliquod speciale bonum) esse in potestate, & dominio nostræ rationis, & voluntatis. Nam, cùm ex vna parte, deliberatio (quæuis illa sit) supponat volitionem finis: & ex alia, ratio nostra deliberet, seu sententiet de agendis contingentibus, non ex instinctu naturæ; sed cognita causa, & conferendo ad finem; voluntatis; clarè inde sequitur, nostram rationem talem sententiam proferre, vt eam habens in sua potestate, & vt iudex est voluntatis intendentis finem. Ex quo sequitur, talem sententiam, seu deliberationem esse etiam in dominio, & potestate voluntatis. Non enim possunt non esse in potestate Principis ea, quæ sunt sub potestate sui iudicis per cuius decreta, seu sententias Princeps ipse dominatur. Et ita etiam non potest non esse in potestate, & dominio voluntatis, quod est in potestate rationis sentētiantis, seu deliberantis, per cuius sententias, & decreta, seu deliberationes dominatur ipsa voluntas actibus propriis, vt habes ex D. Thoma 1. 2. q. 6. ar. 2. ad 2. & quæst. 109. ar. 2. ad p. verbis relatis disp. 1. §. x1. num. 18. in principio & in præsenti §. num. 33. & 64. in fine.

Ex dictis remanet manifestata resolutio.

Tandem esset hic soluenda ratio dubitandi quam in principio huius dubij proposuimus. Verùm quoniam dubio 6. & vltimo huius §. soluenda est ex dictis principalis difficultas obiectionis propositæ, in qua continetur prædicta ratio dubitandi; ideo ibidē eius solutionē subijciemus.

DVBIVM QVARTVM ad sextam.

An prima deliberatio sit sub libera potestate nostræ voluntatis, inquantùm ipsa voluntas applicat intellectum ad deliberandum. 1485

88 VT vndequaque satisfaciamus Aduersarijs, petentibus hac sua sexta obiectione: An prima deliberatio, seu primum imperium, sit liberum propter hoc, quod sequitur actum liberū voluntatis; & simul etiam vitemus quendam falsum modum dicendi, qui inintelligibilem, & derisibilem redderet doctrinam à nobis inculcatam D. Thomæ & Aristotelis, præsens dubium excitauimus.

Finis excitati dubi manifestatur.

Resolutio Dubij. 1486

89 ET dicendum est: Impossibile esse, primam deliberationem, seu imperium, esse liberum, & in potestate voluntatis propter hoc, quod procedit ab aliquo actu libero voluntatis, vt ab applicante intellectum, seu rationem deliberatiuam ad primò deliberandum, seu imperandum: esseque multo impossibilius, talem applicationem fieri per actū ipsum electionis, in quem talis prima deliberatio, & imperium inducit: idque esse impossibile non solùm de prima deliberatione, & imperio, sed de omnibus alijs.

Intellectus non applicatur ad deliberandū ex actu voluntatis liberè præcedente; nec etiam ex subsequente.

Explicatur Resolutio. 1487

90 HAbet hæc resolutio tres partes. Prima concedit proponentibus obiectionem, quod intendunt, nempe: primam deliberationem nostram non posse esse liberam propter hoc, quòd est liberè volita à uoluntate per actum suum liberum applicante intellectum ad deliberandum: eo uidelicet modo, quo mouere manum est nobis liberum; quia procedit, ut ab applicante manum ad motum, ab actu libero voluntatis. Et secundùm quem modum actus liber uoluntatis, quo applicaretur intellectus ad deliberandum simpliciter præcederet actum ipsum deliberandi.

Habet resolutio tres partes. Prima concedit, quos Aduersarij intendunt

Secun-

Digitized by Google

1488 91 Secunda verò, & tertia pars excludit, ut multò impossibiliorem, modum quendam dicendi aliquorum Recentium, quem referunt, & sequuntur Salmaticenses 1. 2. Trac. x. disp. 2. dub. p. num. 18. vbi existimant, quòd dum intellectus practicè iudicat, hic, & nunc aliquid esse agendum, fit applicatus ad sic iudicandum à voluntate per actum ipsum electionis qui imperatur, seu deliberatur per ipsummet iudicium practicum. E.g. Dum intellectus practicè iudicat, bonum esse hic, & nunc comedere ad sanitatem seruandam; voluntasque tali iudicio in actum electionis inducitur, quo vult comedere, dicunt hi Doctores, quòd intellectus sit applicatus ad iudicandum, eligendum esse nunc comedere, per ipsummet actum electionis, quo eligit nunc comedere: ita vt voluntas, eligendo comedere, applicet intellectum ad iudicandum, quòd nunc eligendum est comedere, & intellectus iudicando, quòd nunc eligendum est comedere, impellat voluntatem in actum eligendi ipsum comedere. Quo posito, credunt, iudicium practicum, seu imperium esse nobis liberum, & in potestate nostræ voluntatis; quia intellectus, ad iudicandum, & iudicando imperandum, vt voluntas eligat actum comestionis, applicatur ab ipsamet voluntate per ipsum actum liberum eligendi comestionem qui ipsomet iudicio imperatur, & iudicatur agendus. Verba Salmaticensium sunt.

Secunda, & tertia refellit opinionē Salmaticensium.

1489 92 *Ad probationem pro secunda parte, quæ maiorem difficultatem continet, possumus ex alibi dictis occurrere; infallibilem connexionem actus voluntatis cum vltimo iudicio practica intellectus non officere eius libertati; quia, & si voluntas potestate consequenti non possit à tali iudicio dissentire: bene tamen potestate antecedenti, qua intellectum ad sic iudicandum liberè applicuit. Et quia efficacia illius iudicij tota est ex hac libera applicatione, nihil admit libertatis. Si verò petas, per quem actum voluntatis fiat talis applicatio? Respondetur, fieri posse per eundem, quem dirigit illud iudicium, ob mutuam causalitatem in diuerso genere causæ, quæ solet inter ea constitui. Nam iudicium in genere causæ formalis extrinsecæ dirigit voluntatem, vt determinatè sic eligat: & voluntas in genere causæ efficientis applicat intellectum quoad exercitium, vt determinatè sic iudicet. Quam doctrinam prosecuti sumus in Trac. de Angelis disp. x. dub. 8. toto §. 7.* Ita Salmaticenses.

Verba Salmaticensium.

1490 93 Itaque putant hi Doctores, quòd vltimum iudicium practicum duplex munus exerceat in ordine ad actum voluntatis. Nam primò habet ostendere ipsi voluntati obiectum, dirigendo ipsam in suo actu, & secundùm hoc munus habet rationem causæ formalis extrinsecæ, & simpliciter præcedit actum voluntatis. Secundò habet ordinare cum quadam motione, & impulsu efficaci eandem voluntatem, vt eliciat actum electionis, & secundùm hoc munus supponit in genere causæ efficientis ipsummet actum electionis, quatenus est reflexa electio sui, secundùm quam rationem habet applicare intellectum ad exercitium actus, & ipse intellectus, inquantùm est sic applicatus à voluntate per dictum actum, habet efficaciam applicandi eandem voluntatem ad eliciendum actum electionis, quatenus est directa electio medij. Et ita iudicium practicum secundùm illam rationem, qua habet infallibilem connexionem, & efficaciam ad inducendam voluntatem in actum, sequitur ipsummet actum voluntatis in genere causæ efficientis, & propter hoc non officit libertati; secundùm verò illam rationem, qua simpliciter præcedit actum voluntatis, non habet istam efficaciam, sed est purè ostensiuum.

Opinio Salmaticensiū explicatur

1491 94 Pro hac re considera verba eorumdem Salmaticensium prima parte Trac. quinto disp. 2. dub. 2. num. 79. puta: *Prædictum iudicium, quatenus præcedit omnino electionem secundùm omnes suas formalitates, siue munera omnia, adequata, est iudicium purè ostensiuum; quatenus verò supponit eandem electionem, vt est electio sui, regulata per idem iudicium, & ea supposita, dirigit, & ordinat cum quadam motione, & impulsu efficaci eandem voluntatem, vt eliciat ipsam electionem, vt est vsus, habet saltem virtualiter rationem imperij: quia supponit efficacem electionem, qua ipsamet electio eligit seipsam, & addit in ipso iudicio saltem vnum quoddam inadequatum, correspondens imperio directo, & formali, quo in ordine directo intellectus per alium actum, realiter distinctum à iudicio, & electione, imperat efficaciter executionem mediorum realiter ab vtroque distinctam.* Vide etiam, si placet, multa alia, quæ idem P. P. afferunt ad idē propositum loco ab ipsismet citato videlicet Trac. 7. de Angelis disp. x. dub. 8. §. 7. num. 264. 269. & 271.

Doctrina Salmaticēsium.

1492 95 Hæc autē meritò adduxi, vt scias, quid præcauere nostra resolutione intendimus. Posset enim aliquis ex Aduersarijs in prædictam doctrinam incidere, & (rem minus considerans) existimare, sententiam Aristotelis, & D. Thomæ circa iudicium practicum, quam nos defendimus, intelligendam esse secundùm prædictam doctrinam. Hoc autem esset magnum inconueniens. Nam, cum multa prædictæ doctrinæ sint falsa, contradictionem implicantia, ac Aristoteli, & D. Thomæ contraria, facilè inducerent. Aduersa-

Vitāda est prædicta doctrina; quia sibi repugnās; quia contraria D. Thomæ, eiusque doctrinā redderet derisibilem.

Digitized by Google

uersarios in contemptum doctrinæ S. Doctoris. Vt igitur prædictum inconueniens vitaremus, diximus in nostra resolutione, esse impossibile, intellectum ad deliberandum, seu ad imperandum applicari à voluntate per actum ipsum electionis, qui deliberatur, & imperatur. Et addidimus, *non solùm de prima, sed de omnibus alijs deliberationibus*, vt significaremus, impossibilitatem non oriri ex ratione primitatis; sed aliundè.

Prior pars resolutionis probatur.

1493

96 ET quidem priorem partem nostræ resolutionis euidenter demonstrat ratio à nobis proposita num. 47. huius §. Nam si oporteret quòd voluntas actu suo libero applicaret intellectum ad deliberandum illo modo, quo libero actu voluntatis applicamus manum ad motum, inuitabiliter sequeretur, vel admittenda esse contradictoria simul, vel admittendum processum in infinitum, vt loco citato intulimus. Nec circa hoc oportet laborare. Nam idipsum ipsimet Aduersarij probare intendunt, vt constat ex allatis ex Ruizio num. 3. huius §. D. Th. etiam hoc ipsum expresse probat locis relatis toto dubio 2. huius §. dum ostendit, primam deliberationem reducendam esse, non in voluntatem liberè se mouentem ex præcedenti deliberatione, sed in Deum mouentem immediatè liberum arbitrium. Quare ad reliquas partes resolutionis probandas transimus.

Posteriores partes resolutionis probantur.

1494

97 SEcunda igitur, & tertia resolutionis partes, quibus stabilimus, nullam deliberationem, seu nullum vltimum iudicium rationis practicæ, quo iudicatur aliquid agendum propter finem (& idem est, quod imperium, quo quilibet actus voluntatis liber debet esse imperatus) procedit, vt ab applicante intellectum ad iudicandum, seu deliberandū, ab actu ipso electionis, seu actu libero voluntatis, quo tali deliberatione, & iudicio deliberatur, & iudicatur agendus, sic probari potest.

Ratio ostensiua resolutionis proponitur.

Impossibile est, quòd causa efficienter applicans aliquam potentiam ad suum actum, supponat ipsam potentiam esse applicatam suo actui. Causa enim efficienter applicans potentiam aliquam ad operationem, seu actum, debet illam reddere de non applicata applicatam, atq; adeo debet supponere non applicatam. Licet enim causa efficienter conseruans, vel firmans potētiam in aliqua applicatione ad actum possit supponere potentiam applicatam eidem actui: illa tamen quæ applicat, oportet, quòd illā efficiat de nō applicata applicatā, ac per hoc debet illā supponere non applicatam. Sed omnis actus appetitus voluntarij (quicumque sit ille) præsupponit suum obiectum, in quod tendit, esse apprehensum, vt conueniens, vel nociuum, & sic omnis talis actus supponit potentiam apprehensiuam applicatam ad apprehendendum conueniens, vel nociuum, in quod tendit ipsemet actus. Ergo nullus actus appetitus volūtarij est causa efficienter applicans potentiam apprehensiuam ad apprehendendum illud obiectum, in quod tendit ipsemet actus. *Maior cōstat ex terminis, & adhuc manifestatur.* Argumentum est in primo modo secundæ figuræ. Maior ipsius constat ex terminis. Quælibet enim causa efficiens, hoc ipso, quod efficiens est, reducit effectum sibi proprium de non esse ad esse, ac per hoc implicat, effectum præsupponi ad suā propriam causam efficientem. Vnde etiam causa, quæ solùm conseruat rem in esse pro aliqua duratione, reddit illam de non conseruata in esse, conseruatam in esse pro illa duratione, ac per hoc implicat, talem causam presupponere effectum conseruatum pro illa duratione, quem in tali duratione debet reddere conseruatum. Et ita etiam causa efficiens, quæ non merè conseruat potentiam applicatam; sed eam applicat ad actum; non potest illam supponere applicatam, quia ipsa eam efficit de non applicata, applicatam.

98 Minor etiam est manifesta. Nam quilibet actus appetitus voluntarij nihil aliud importat, quàm quendam motum potentiæ appetitiuæ in suum obiectum. Obiectum autem appetitus voluntarij est conueniens, vel nociuum, seu bonum, vel malū, vt apprehensum à potentia apprehensiua. Ergo quilibet actus appetitus voluntarij importat motum, quo talis potentia, seu appetitus tendit, vt in obiectū, in aliquid, vt apprehensum. Ampliùs, appetibile, vt apprehensum, quod est obiectum prædictæ potentiæ appetitiuæ, cōparatur ad ipsam sicut mouens immotum ad suum proprium mobile: motus autem cuiusuis mobilis præsupponit motiuum secundùm illam rationem, qua est motiuum mobilis, cuius est motus. Quilibet ergo actus appetitus voluntarij præsupponit obiectum in quod tendit, seu præsupponit appetibile, vt apprehensum, à potentia apprehensiua applicata ad apprehēdendum, secundùm quam rationem est

1495

Probatur minor.

moti-

Digitized by Google

motiuum potentiæ appetitiuæ, cuius talis actus est motus. Appetibile ergo secundùm quod est apprehensum per actũ potentiæ apprehensiuæ, præsupponitur cuilibet actui appetitus voluntarij.

Refellitur Doctrina P. P. Salmăticensium (per quam posset quis nostræ rationi occurrere) quia D. Thomæ, Aristoteli, ac etiam ipsismet P. P. contradicit.

1496 99 NEC prædictæ rationi occurras ex doctrina Salmăticenſium Trac. 7. de Angelis disp. x. dub. 8. nu. 278. dicendo, quòd actus potentiæ actiuæ; præcedit in genere causæ efficientis; non supponit suum obiectum: & quod voluntas est potentia actiua: ac per hoc, actus voluntatis præcedit in genere causæ efficientis suum obiectum, vt apprehensum, & ita applicat intellectum ad apprehendendum, esse bonum, vel malum id, in quod tendit ipsemet actus.

Occursus ex doctrina Salmăticensium.

Ostenditur in considerans.

Non ita occurras, inquam: quia in sententia Aristotelis, & D. Thomæ nimis inconsideratè id diceretur. Voluntas enim secundùm eos, & veritatem ipsam, ab ipsis millies demonstratam, est potentia actiua quodammodo in ordine ad suum actum, & propriè in ordine ad ea, quæ suo actu mouet, siue sit ipsamet, siue aliud: non autem in ordine ad obiectum sui proprij actus, seu bonum apprehensum, ita scilicet, vt actus sit causa apprehentionis sui proprij obiecti, quod in ordine ad voluntatem est mouens non motum; & voluntas in ordine ad ipsum est absolutè, & simpliciter potentia passiua, vt optimè docet S. Doctor ex doctrina Aristotelis 1. p. q. 80. ar. 2. in corp. & de Veritate q. 25. ar. primo in principio corp. & alibi sæpissimè. Differentiam denique inter potentiam actiuam, & passiuam tradit doctissimè, vt solet, de Veritate quæst. 16. art. 2. ad 13.

1497 100 Itaque ex priori loco nota totum corpus art: habet enim: *Dicendum, quòd necesse est dicere, appetitum intellectiuum esse aliam potentiam à sensitiuo. Potentia enim appetitiua est potentia passiua, quæ nata est moueri ab apprehenso. Vnde appetibile apprehensum est mouens non motum, appetitus autem mouens motum, vt dicitur 3. de Anima, & 12. Metaph: Passiua autem, & mobilia distinguuntur secundùm distinctionem actiuorum, & motiuorum; quia oportet motiuum esse proportionatum mobili, & actiuum passiuo. Et ipsa potentia passiua propriam rationem habet per ordinem ad suum actiuum. Quia igitur est alterius generis apprehensum per intellectum, & apprehensum per sensum; consequens est, quòd appetitus intellectiuus sit alia potentia à sensitiuo.*

Potentia appetitiua est potentia passiua secundùm D. Thomam.

1498 101 Ex secundo verò loco nota illa verba: *Motus appetitiuæ partis ex apprehensione quodammodo oritur; quia omnis operatio passiui ab actiuo originem sumit. Appetitus autem potentia passiua est; quia mouetur ab appetibili, quod est mouens non motum, vt dicitur 3 de Anima. Appetibile verò non mouet appetitum, nisi fuerit apprehensum*, &c. Locus autem Aristotelis 3. de Anima est tex. 53. & 54. apud D. Tho. lec. 15. lit. tex. f. & g. quem num. 111. referemus cum tota explicatione S. Doctoris.

Alius locus S. D. ad idem

1499 102 Ex tertio denique loco nota illa verba: *Non distinguitur potentia actiua à passiua ex hoc, quòd habet operationem; quia cùm cuiuslibet potentiæ animæ, tam actiuæ, quàm passiuæ sit operatio aliqua, qualibet potentia animæ esset actiua. Cognoscitur autem earum distinctio per comparationem potentiæ ad obiectum. Si enim obiectum se habet ad potentiam, vt patiens, & transmutatum, sic erit potentia actiua: si autem e conuerso se habet, vt agens & mouens, sic erit potentia passiua.* Ex quibus patere potest, quòd S. Doctor hoc ipso, quod in relatis auctoritatibus ex Aristotele docuit, bonum apprehensum, quod est obiectum appetitus, se habere in ordine ad appetitum, vt agens, & vt mouens non motum, seu intransmutatum; clarè voluit designare, appetitum esse absolutè, & simpliciter potentiam passiuam.

Per quid distinguitur potentia actiua à passiua, explicatur à S. Thoma

1500 103 Meritò autem sic diffusè (licèt obiter) prædicta adnotaui, vt ex sola inspectione doctrinæ S. Thomæ percipias, incautam, & inconsideratam fuisse responsionem prædictorum P. P., Thomisticam doctrinam profitentium, dum loco citato ponunt voluntatem inter potentias absolutè, & simpliciter actiuas, seu factiuas sui proprij obiecti. Nam cum sibi obiecissent, vt infra: *Obiectum, & ratio formalis obiecti, siue id, quod in genere causæ formalis concurrit ex parte obiecti, debet præcedere actum potentiæ, cuius est obiectum in omni genere causæ. Ergo si iudicium practicum est ratio formalis ex parte obiecti voluntatis, oportebit, prædictum iudicium in omni genere causæ antecedere actum voluntatis.* Cùm, inquam, sic sibi obiecissent: *Respondetur*, inquiunt, *antecedens esse verum de potentijs purè passiuis, secus verò de potentijs actiuis suorum obiectorum. Nam istæ possunt habere suum actum prius natura, in genere causæ efficientis, quàm sit suum obiectum; alioquin non essent effectiuæ illius. Licèt cum hoc stet, vt in genere causæ formalis præcedant prædictum obiectum. Et ideo in prædictis obiectis datur tam ratio causæ formalis, quàm effectus in genere causæ efficientis: & facta collatione inter has duas rationes, prius simpliciter*

Salmăticenses ponunt voluntatem inter potẽtias absolutè, & simpliciter actiuas efficientes suũ proprium obiectum.

Digitized by Google

pliciter est, quòd sint effectus suæ causæ efficientis: ac proinde, quòd causa efficiens eorum sit simpliciter prior illis, quàm quòd causet in genere causæ formalis extrinsecæ. Hæc Salmăticenses: qui deinde id ipsum explicant exẽplo. Nam sicut actus potentiæ calefactiuæ, puta calefactio est prior natura in genere causæ efficientis calore, per ipsam producto; & tamen, inquantùm calor est (vt aliqui ponunt) obiectum eius formale specificatiuum prius natura est calidum in genere causæ formalis, quàm calefactio. Ita (inquiunt) dicendum est de voluntate. Quia ipsa per modum causæ applicatiuæ, per suum actum est factiua illius iudicij: quamuis illemet actus, seu affectus voluntatis habuerit dependentiam in genere causæ formalis ab eodem iudicio.

1501

Exempla quibus vtuntur Salmăticenses, vt ostendãt, voluntatẽ esse potentiam actiuam.

104 Verba prædictorum P. P. sunt. *Potest hoc explicari exemplo potentiæ calefactiuæ, cuius actus est prior natura in genere causæ efficientis, quàm sit calidum, quod (vt multi volunt) est eius obiectum formale, & specificatiuum; quãuis in genere causæ formalis prius natura sit calidum, quàm calefactio: & facta collatione in ipso calido inter has duas rationes causæ, & effectus, priùs simpliciter est in eo quòd sit effectus suæ causæ efficientis, quàm quòd in genere causæ formalis causet calefactionem. Et similiter actus intellectus agentis, quia est actus potentiæ actiuæ præcedit in genere causæ efficientis (vt plures probabiliter opinantur) vniuersale, quod est eius obiectum, & subsequitur in genere causæ formalis ad illud. Ita ergo proportione seruata, de voluntate philosophandum est: quia per modum causæ applicatiuæ est factiua illius iudicij inconsiderati; & de facto ad illud applicuit intellectum Angeli &c. quamuis illemet affectus habuerit dependentiam in genere causæ formalis ab eadem iudicio inconsiderato.*

1502

Contradicunt euidẽter D. Thomæ in prædicta doctrina; & ideo sunt cauendi.

105 Itaque (vt dixi) manifestissimè percipies ex adductis auctoritatibus S. Doctoris prædictos Patres in relata responsione inconsideratòs fuisse, & incautos. Inconsideratos quidem, inquantùm profitentes doctrinam D. Thomæ, posuerunt assertionem, siue contrariam, siue contradictoriam S. Doctori. Nam ipse verbis relatis num. 100. huius §. docet, omnem appetitum voluntarium, tam scilicet sensitiuum, quàm intellectiuum esse potentiam passiuam, quæ sumit speciem per ordinem ad bonum apprehensum (quod est eius obiectum, & mouens non motũ) sicut passiuum, & mobile per ordinem ad suum actiuum, & motiuum: inquantùm passiua, & mobilia propriam rationem habent per ordinem ad suum actiuum, & motiuum. Ipsi verò verbis proximè relatis docent, voluntatem, quæ est quidam appetitus voluntarius, puta intellectualis, esse potentiam actiuam, efficiẽtem suo actu iudicium apprehensiuũ sui obiecti, quæ specificatur per ordinem ad obiectum apprehensum, sicut potentia actiua per ordinem ad suum effectum formalem, & quemadmodum potentia calefactiua per ordinem ad calidum, & intellectus agens per ordinem ad naturam abstractam, quæ est vniuersalis. Considera modò, qualiter opponuntur ista duo, nempe: *Omnis appetitus voluntarius est potentia passiua, quæ specificatur per ordinem ad bonum apprehensum, quod est eius obiectum, & mouens non motum, sicut passiuum, & mobile per ordinem ad suum motiuum, & actiuum:* Et aliquis appetitus voluntarius, scilicet, intellectualis, qui est voluntas non est potentia passiua, sed actiua efficiens aliquid esse apprehensum, quæ specificatur per ordinem ad bonum apprehensum, sicut actiuum in ordine ad suum effectum formalem. Et videbis, docuisse hos Patres contradictorium doctrinæ S. Thomæ. Et inde deduces, quàm inconsiderata sit, & cauenda à Thomistis prædictæ responsionis doctrina.

106 Percipies etiam, prædictos Patres fuisse incautos, inquantùm doctrina prædictæ responsionis euidẽtissimè repugnat dictis eorundem. Nam ipsi verbis relatis num. 94. huius §. docent, quòd iudicium practicum, quatenus est purè ostensiuum boni, præcedit omnino electionem, consideratam secundùm omnes suas formalitates, siue munera omnia inadequata. Ex quo sequitur, quòd actus electionis secundùm omnia sua munera præsupponit actum apprehensiuæ, prout apprehensiua habet suo actu ostendere voluntati obiectum eligendum. Actus ergo electionis supponit potentiam apprehensiuam applicatam ad actum apprehendendi, quo ostendit voluntati obiectum eligendum. & ex consequenti, actus ipse electionis non potuit applicare potentiam apprehensiuã ad actum apprehendendi obiectum eligẽdum: cum nulla causa efficiens supponat suum effectum, quem reducit de non esse ad esse.

1503

Contradicunt etiam sibi ipsis.

107 Ampliùs prædicti Patres iam ex doctrina D. Thomæ, & Aristotelis nobiscum docent, quòd actus electionis sequitur iudicium conclusum, seu sententiatũ conclusione syllogismi practici, vt patet Trac. 7. de Angelis disp. x. dub. 3. num. 250. & 251. & Trac. 9. disp 4. num. 13. ver. *Ad primum respondetur*, & num. 14. sequenti. Immo etiam Trac. x. disp. 2. num. 13. docent, quòd, *posito ex parte intellectus vltimo iudicio requisito, vt voluntas operetur, debet ipsa prædictum iudicium omnino sequi.* Et Trac. 8. disp.

1504

Recensentur quæ ex dicta, quæ ex S. Doctore docẽt.

8. disp. 4. num. 50. in principio docent, omnem inclinationem elicitam supponere apprehensionem boni, & sic habent. *Inclinatio verò elicita; quamuis radicaliter in natura fundetur; debet tamen supponere apprehensionem boni, in quod tendit: & ideo eius terminus non tam est illud, quod reipsa congruit naturę, quàm quod apprehenditur sub ratione cōuenientis, de quo videri potest D. Thomas 1. p. q. 80. & quæst. 25. de veritate ar. 1.* verbis scilicet relatis in hoc §. num. 100. & 101.

1505 108 Nec sanè hìc aliquid valet prioritas illa, qua effectus, in ordine ad quem specificatur actio, dicitur prior actione in genere causæ formalis extrinsecæ. Nam ob hanc prioritatem (si sit præcisa ab aliis) non potest verè dici, quòd id, quod sic posterius est, supponat esse illud, quod sic est prius. Vnde de actu calefactionis, quo ignis calefacit lignum, non potest verè dici, quòd calefactio præsupponit, lignum esse, vel fuisse calidum. Nec de actione intellectus agentis potest dici, quòd supponit naturam abstractā, vel vniuersalem, Similiter non potest dici, quòd calefactio ignis sequitur calorem ligni: vel quòd ignis non calefacit lignum; nisi lignum fuerit calidum, vel quòd, posito calore in ligno, necesse est calefactionem ignis sequi dictum calorem, vel quòd calor ligni mouet ignem ad calefaciendum lignum. At verò non solùm verè; sed etiam propriè dicimus cum D. Thoma, & Aristotele, quòd actus voluntatis præsupponit apprehensionem boni: & quòd *appetibile non mouet appetitum; nisi fuerit apprehensum*, vt patet verbis relatis num. 101. & quòd *electio sequitur determinationem consilij; Electio sequitur iudicium, quod est conclusio syllogismi operatiui*, vt loquitur S. Doctor 1. 2. q. 13. art. 3. in corp. & alijs locis a nobis relatis disp. præcedenti §. 23. a num. 85. ad 91. Et quòd (vt loquuntur ipsi Salmāticenses) *posito iudicio vltimo requisito, vt voluntas operetur, debet voluntas ipsum iudicium omnino sequi*: Et quòd *inclinatio elicita debet supponere apprehensionem boni, in quod tendit.* Et quòd bonum apprehensum mouet appetitum ad appetendum idem bonum apprehensum.

Non valet ad præfata dicta verificandæ distinctio, qua vtuntur.

1506 109 Et ratio discriminis est. Quia iudicium apprehensiuæ in ordine ad actum appetitus, tendentem in bonum apprehensum per idem iudicium, non solùm est prius in genere causæ formalis extrinsecæ, & illo modo, quo calor ligni dicitur prior calefactione, quæ secundum aliquorum sentētiam specificatur per ordinem ad calorem, quem ipsa calefactio inducit in lignum; sed etiam secundùm illum modum, quo motiuum est prius motu mobilis, & actiuum passiuo, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 82 ar. 3. ad 2. illis verbis. *Intellectus est prior voluntate, sicut motiuum mobili, & actiuum passiuo: bonum enim intellectum mouet voluntatem.*

Ratio discriminis affertur ex S. D.

Occluditur quædam euasio, quæ desumi posset ex doctrina Arist. & D. Thomæ: ac probatur, Patres Salmāticenses euidentissimè decipi circa intelligentiam S. Doctoris.

110 NEC dicas quòd licet D. Thomas locis relatis num. 100. & 101. huius §. asserat omnem appetitum esse potentiam passiuam; non tamen dicit, esse purè passiuam: immo cum *Aristotele 3. de Anima lec. 15. littera tex. f. &. g.* docet, quòd appetitus est quoddam mouens motum, quod, scilicet, mouetur, & mouet. Ex quo sequitur, potentiam appetitiuam non esse purè passiuam, sed etiam actiuam. Maximè autem hoc verum videtur de voluntate, quæ licèt moueatur ab appetibili apprehenso, ipsa tamen mouet tum intellectum ad apprehēdendum, tum seipsam ad eligendum. Et inde fit, quòd, inquantùm ipsa est potentia actiua, seu motiua intellectus ad apprehendendum bonum, quod, vt apprehensum, est obiectum voluntatis, potest esse actiua in ordine ad suum obiectum, efficiens in ipso esse apprehensum, & sic posset sustineri responsio Salmāticensium relata num. 103. huius §. 1507

111 Non dicas hoc, inquam; nam tantum abest, quòd prædicta doctrina faueat aduersarijs, quòd si rectè expendatur, cogitationem eorundem euertat, & euidentem rationem pro nostra resolutione subministret. 1508

Et quidem, quòd doctrina citata ex Aristotele, & D. Thoma non faueat aduersarijs apparet ex ipso textu. Nam Aristoteles sic habet: *Quoniam autem tria sunt, Vnum quidem mouens; secundùm autem, quo mouet: & tertium, quod mouetur. Mouens autem duplex, aliud quidem immobile: aliud autem quòd mouet, & mouetur. Est autem mouens immobile, agibile bonum: mouens autem, & quod mouetur appetitiuum. Mouetur enim, quod appetit, secundùm quòd appetit: & appetitus actus, aut motus quidam est. Quod autem mouetur animal est. Quo verò mouet, organo appetitus: iam hoc corporeum.* D. Thomas verò, prædicta explicans, sic habet: *Assignat ordinem motus, & dicit, quòd tria sunt, quę inueniuntur in motu. Vnum, quod est mouens, & aliud est organum, quo mouens mouet, & tertium est, quod mouetur. Mouens autem est duplex: vnum quidem immobile, & aliud, quod*

Refertur doctrina Aristotelis

Expositio S. Thomæ eiusdem loci.

Digitized by Google

quod est mouens motum. In motu igitur animalis, quod non mouetur, est bonum actuale, quod mouet appetitum, prout est intellectum, vel imaginatum. Sed mouens motum est ipse appetitus; quia omne, quod appetit, inquantùm appetit, mouetur, & ipsum appetere est quidam actus, vel motus, prout motus est actus perfecti. prout dictum est de operatione sensus, & intellectus. Quod autem mouetur est animal. Organum autem, quo appetitus mouet, est aliquid corporeum, scilicet, primum organum motus.

1509 112 Itaque iam apparet, quòd prædicta nullo modo fauent Aduersarijs. Nã, & si explicent, quòd appetitus mouetur ab appetibili apprehenso, dum appetit: ita vt ipsum appetere sit motus, quo ipse appetitus mouetur, & mouens immobile sit ipsum appetibile apprehensum: & similiter, quòd dum sic mouetur appetitus, habet etiam ipso suo motu, seu suo appetere, mouere: attamen iam simul explicant, quòd appetitus per suum appetere habet mouere non ad apprehendendum appetibile, quod, vt apprehensum, est mouens immobile, sed animal secundum motum localem. Hoc autem non fauet Aduersarijs, sed nostram explicat rationem, qua probauimus minorem num. 98. Hoc enim ipso, quòd appetere est motus appetitus moti, vt ab immobili mouente, ab appetibili, vt apprehenso, impossibile est, quod appetitus tali motu moueat ipsum appetibile, efficiatque ipsũ esse apprehensum, cum euidentissimè implicat, quòd ratio mouendi in mouente immobili, sit effectus motus sui mobilis. Ad hoc autem, vt fauerent Aduersarijs existimantibus, voluntatem esse potentiam actiuam, quæ suo actu efficit obiectum sui proprij actus, oporteret, quòd hoc ipsum explicarent de potentia appetitiua animalis, nempe, quòd per suum motum, seu suum appetere esset actiua in ordine ad obiectum apprehensum, non autem in ordine ad animal mediante organo corporali.

Prædicta doctrina non fauet Aduersarijs.

1510 113 Amplius, & si in alijs locis docet S. Doctor ex Aristotele, quòd appetitus rationalis, scilicet, voluntas, per suum motum, seu actum volendi, quo mouetur à bono apprehenso, habet mouere, non solum corpus secundùm motum localem; sed etiam intellectum ad apprehendendum bonum, & seipsam ad appetendum illud ipsum, quod apprehenditur esse bonum, seu conueniens fini: non tamen inuenitur docuisse, sed potius expressè impugnasse, quòd voluntas suo actu mouet intellectum ad apprehendendum bonum, in quod tendit idem actus. Perpetuò enim docuit, quòd & si voluntas aliquo suo actu mouet intellectum ad apprehendendum aliquod bonum, quo ipsamet voluntas, vt ab obiecto mouetur: attamen oportet, quòd ille actus, quo voluntas mouet, & applicat intellectum ad apprehendendum tale bonum, sit diuersus ab illo in quem ipsamet voluntas ab eodem bono apprehenso mouetur. 1511

Mouet voluntas intellectum, suo actu, sed non ad apprehendendum obiectũ eiusdem actus.

114 Hoc enim est necessarium, & ineuitabile in sententia Aristotelis, & D. Thomæ, quòd si voluntas per suum velle mouet, & applicat intellectum ad intelligendum aliquod obiectum, oportet quòd ad tale velle præcesserit aliud intelligere, alterius obiecti & si ad hoc secundum intelligere applicuisset voluntas intellectum per suum velle, oporteret quòd hoc esset aliud velle, ad quod oporteret precessisse aliud intelligere, & sic quousque peueniretur ad intelligere illius obiecti, in quod non sit applicatus intellectus à voluntate. Sed ab exteriori principio Deo.

1512 115 Docuit hoc S. Doctor sæpissimè ex doctrina Aristotelis cap. 18. lib. 7. Moralium Eudemiorum, quod retulimus n. 42. huius §. vt patet ex locis S. D. relatis toto dubio secundo eisdem §. Expresè etiã id docet 1. p. quæst. 82. ar. 4. vbi tertio loco obijcit in hunc modum. *Nihil velle possumus; nisi sit intellectum. Si igitur ad intelligendum mouet voluntas volendo intelligere, oportebit, quòd illud velle præcedat aliud intelligere, & ad illud intelligere aliud velle, & sic in infinitum, quòd est impossibile. Non ergo voluntas mouet intellectum.* Respondet autẽ vt infra: *Ad tertium dicendum, quòd non oportet procedere in infinitum; sed statur in intellectu sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est, quòd precedat apprehensio; sed non omnem apprehensionem precedit motus voluntatis; sed principium consiliandi, & intelligendi est aliquod intellectiuum* principium altius intellectu nostro, quod est Deus, vt etiam Aristoteles *dicit in* 3. *Ethicorum* (legendum puto cap. 18. lib. 7. Ethicorum) *& per hunc modum ostendit, quòd non est procedere in infinitum.*

Recensentur loca S. Doctoris.

Responsio S. Thomæ, qua docet propositũ.

1513 116 Quæ omnia per extensum afferunt ipsi Patres Salmaticenses Trac. x. disp. 2. num. 102. ad ostendendum, S. Doctorem non agnoscere mutuam causalitatem inter primum iudicium, & primum motum voluntatis, & sic habent: *Angelicus Doctor nunquam concessit mutuam causalitatem inter primum iudicium intellectus, & primam volitionem; quam tamen sæpè constituit inter actus subsequentes.* Deinde afferunt argumentum, & responsionem S. Doctoris, quæ proximè retulimus, existimantes ex eius verbis haberi, non dari mutuam causalitatem, solùm inter primum iudicium,

Existimatio Salmaticensium circa prædictum locum.

&

Digitized by Google

& primam volitionem; non autem inter alia iudicia, & actus voluntatis, sequentes prædicta iudicia, vnde concludunt: *Si autem D. Thomas agnosceret mutuam causalitatem inter voluntatem, & intellectum, quoad primum actum, ad eam procul dubio recurreret: sicut pro alijs actibus recurrit in solutione ad primum, & secundum: neque negaret ad omnem actum intellectus præcedere actum voluntatis: aut dixisset absolutè standum esse in intellectu, sicut in primo. Vide, si placet, quæ diximus in trac. de Angelis disp. 11. num. 20, & 21. & 26.* Quæ loca nos vidimus, & num. 20. referunt verba S. Doctoris argumenti, & responsionis relatæ, quibus credũt probari (licet malè, dum putant, primam cogitationem liberam esse eam, de qua loquitur in dicta responsione S. Doctor) primam cogitationem, ad quam sequutus fuit in Angelis primus actus liber in primo instanti, fuisse a Deo, vt à causa particulari applicãte ad illam: numero verò 26. conantur reddere rationem, cur nõ sit admittenda mutua causalitas inter primam cogitationem, & actum primum voluntatis, qui ipsam sequitur; sit verò concedenda inter reliquas cogitationes, & actus voluntatis eas sequentes.

1514 117 Verùm circa intelligentiam relatæ responsionis euidentissimè decipiuntur prædicti Patres. Nam non solùm per eam docet S. Doctor, non inueniri mutuã causalitatem (de qua dicti Patres loquuntur) inter primum iudicium, & primum actum voluntatis, sequentem dictum primum iudicium; sed etiam expressè docet, quòd non inuenitur in subsequentibus. Ac per hoc vult, quòd nec aliquis actus voluntatis datur, quo intellectus applicatur, seu mouetur ad apprehendendum bonum, in quod, vt apprehensum, tendit ipsemet actus. Nec huius doctrinæ, siue in responsione ad primum, & secundum dicti articuli, siue alibi docet S. Doctor oppositum.

Secundùm responsionẽ D. Thomæ nullus actus voluntatis datur, mouẽs intellectũ ad apprehẽdendum bonum in quod tendit ipsemet actus.

1515 118 Quòd autem hoc ita sit, apparet ex ipso argumento, & responsione S. Doctoris. Porrò argumentum procedit a destructione consequentis ad destructionem antecedentis, in hunc modum. Si, dum nil velle possumus, nisi sit intellectum, voluntas moueret intellectũ ad intelligendum, volendo intelligere, oportebit, quòd ad hoc velle, quo voluntas vult intelligere, præcedat aliud intelligere, & ad illud aliud intelligere, aliud velle, & sic in infinitum. Sed hoc est impossibile. Ergo impossibile est id, ex quo sequitur, scilicet, quòd voluntas mouet intellectum.

Modus procedendi, argumẽti S. Thomæ refertur.

119 Expende modò dictum argumẽtum, & considera, quòd supponit vnam

1516 propositionem, & ea supposita, procedit ex conditionali. Propositio supposita est *Nihil velle possumus, nisi sit intellectum*, conditionalis est; *si voluntas mouet intellectum ad intelligendum, volendo intelligere, oportebit* &c. Circa hanc considera, quòd, cùm sit conditionalis, habet antecedens, & consequens. Antecedens est, quod modò posuimus: consequens verò est totum hoc: *Oportebit quòd ad illud velle præcedat aliud intelligere, & ad illud intelligere aliud velle, & sic in infinitum.* Et circa hoc consequens aduerte, quòd est propositio copulatiua, includens, tanquam illatas ex propositione suppositа, & ex antecedenti propositionis conditionalis, tres cathegoricas. Prima est: *oportebit, quòd ad illud velle præcedat aliud intelligere.* Secunda est. *Et ad illud intelligere, aliud velle.* Tertia est: *Et sic in infinitum.* Et hìc iterum considera, vnde quælibet ex dictis propositionibus inferatur: ac recognosce, quòd prima propositio consequentis, puta, *oportebit, quòd ad illud velle præcedat aliud intelligere*, sequitur ad propositionem suppositam, scilicet, *Nihil velle possumus, nisi sit intellectum*: secunda verò propositio, scilicet, *Et ad illud intelligere aliud velle*, sequitur ad antecedens propositionis conditionalis, scilicet, *Si voluntas mouet intellectum ad intelligendum.* Demum, tertia propositio, scilicet, *Et sic in infinitum*, sequitur ad vtranque, vt per se patet.

Considerãda in prædicto argumento proponuntur.

Sed cur, inquies, tam diligens commẽtarium prædicto argumento?

1517 120 Respondemus, quòd id primò fecimus, vt videas, argumentum petere illam formalissimè quæstionem, quam cum prædictis Recentibus habemus. Siquidem ex eo, quod nihil velle possumus, nisi sit intellectum; & ex eo, quod voluntas mouet, seu applicat intellectum ad intelligendum, infert, quòd ad illud velle, quo voluntas mouet, seu applicat intellectum ad intelligere, debet præcedere non idem intelligere, (vt Aduersarij volunt) sed aliud intelligere, vt nos volumus: & similiter, si ad hoc aliud intelligere mouet intellectum voluntas, infert, quòd ad hoc aliud intelligere debet præcedere, non idẽ velle (quod aduersarij affirmant) sed aliud velle, vt nos ponimus. Secundò, vt, habita notitia argumẽti, videas, quòd S. Doctor in responsione negat id, quod Aduersarij existimant; confirmatque euidentissimè id, quod nos dicimus, ita vt nullus remaneat Aduersarijs tergiuersandi locus. 1518

Argumentum petit illam quæstionem, quæ habetur cũ Salmaticensibus.

121 Qua propter considera responsionem, ac percipe, quòd cum S. Doctor respondet; *non oportet procedere in infinitum*, euiden-

Considerãda circa responsionem S. Doctoris

Digitized by Google

euidenter negat vltimam partem consequentis propositionis conditionalis. Cum autem dicit: *Sed statur in intellectu, sicut in primo*, clarè ponit id, quòd asserendum est ex vi processus, qui obijcitur in argumento: cùm verò dicit: *omnem enim voluntatis motum præcedit apprehensio*, reddit rationem, quare deueniendum sit ad intellectum sicut ad primum: cùm denique dicit: *non autem omnem apprehensionem præcedit actus voluntatis*, reddit rationem, propter quam non oportet procedere in infinitum.

1519 122 Itaque, quia argumentum ex propositione supposita, & antecedenti assumpto in maiori conditionali, inferebat, oportere, vt ad velle mouens, seu applicans intellectum ad aliquod intelligere, præcederet aliud intelligere, & ad illud intelligere præcederet aliud velle, & sic in infinitum, negat S. Doctor hanc vltimam, seu tertiam partem consequentis propositionis conditionalis: & rationem assignat; quia, inquit, secunda propositio illata in propositione conditionali, puta: *& ad illud intelligere aliud velle*, non est vniuersaliter vera de omni intelligere, cum voluntas non applicet, & moueat intellectum vniuersaliter ad quodlibet intelligere. Ad hoc autem, vt sequeretur processus in infinitum, oporteret, quòd nullum esset intelligere, in quod non moueret, seu applicaret intellectum voluntas per suum velle, seu ad quod non præcederet aliud velle. Nam si semel in processu peruenitur ad aliquod intelligere, ad quod non præcedit aliud velle, iam est terminatus processus in ipso intelligere. Quia verò prima propositio consequentis dictę conditionalis, puta: oportet, quòd ad velle, quo voluntas mouet, & applicat intellectum ad intelligere, precedat aliud intelligere, est vniuersaliter vera de quolibet velle: nam *omnem voluntatis motum, necesse est, quòd præcedat apprehensio*, ideo est, quòd debet fieri status in intellectu sicut in primo.

Ideo non oportet procedere in infinitum; quia non ad omne intelligere præcedit aliud velle

1520 123 Ex quibus constat, S. Doctorem verbis illis suæ responsionis, puta: *Omnem enim voluntatis motum, necesse est, quòd præcedat apprehensio*, confirmasse, & concessisse illam conditionalem argumenti, nempe: *si dum nihil velle possumus, nisi sit intellectum voluntas moueret intellectum ad intelligendum, volendo intelligere, oportebit, quòd ad hoc velle præcedat aliud intelligere*, atque docet, eam esse vniuersaliter verā de omni motu voluntatis, quo voluntas mouet intellectum ad intelligendum: itaut, si poneretur, quòd voluntas per alium suum motum, seu per aliud suum velle mouisset intellectū ad illud aliud intelligere, oportuisset, quòd ad tale velle præcessisset aliud intelligere, & sic vsque quò peruenirētur ad illud intelligere, in quod mouet intellectum ad intelligendum, non voluntas nostra per suum velle; sed Deus. Hæc autem propositio inuoluit (vt dixi) contradictorium positionis prædictorum Patrū, qua dicunt, quòd aliquod datur velle (puta, omnia alia præter primum) quo voluntas mouet intellectum ad intelligendum, ad quod non præcedit aliud intelligere, sed illud idem intelligere, ad quod mouet intellectum, dum eum ad intelligendum mouet.

Concluditur intentum.

1521 124 Dices, S. Doctorem in sua responsione non dixisse: omnem enim voluntatis motum præcedit alia apprehensio; sed præcedit apprehensio, quod verificatur, etiam si non sit alia, sed vna, & eadem, quæ præcedit, & subsequitur actum voluntatis in diuerso genere causæ.

Responsio.

Ostenditur confutata ex dictis.

Verùm hæc responsio iam ex præcedētibus cōsiderationibus restat exclusa. Porrò S. Doctor per illam propositionem aduersatiuam: *Omnem enim voluntatis motum, necesse est, quòd præcedat apprehensio; sed non omnem apprehensionem præcedit actus voluntatis*, confirmauit, & probauit illud ipsum, quod præcedentibus verbis expresserat, nempe: *Non oportet procedere in infinitum, sed statur in intellectu, sicut in primo*, vt euidens est legenti. At verò S. Doctor dixit hoc de illo processu, de quo fit mentio in argumento, cui respondet, puta: *quòd si voluntas mouet intellectum ad intelligendum, volendo intelligere, oportebit, quod ad illud velle præcedat aliud intelligere, & ad illud intelligere aliud velle, & sic in infinitum*. De tali ergo processu, quo ad velle mouens intellectum ad intelligendum debet præcedere aliud intelligere, & ad illud intelligere aliud velle, probat S. Doctor, quòd statur in intellectu, sicut in primo. Atqui in tali processu, non ob aliud, necesse est, vt sit status in intelligere sicut in primo; nisi quia de omni velle, quo voluntas mouet intellectum ad intelligendum, est verum, quod ad ipsum præcedit aliud intelligere, non autem est verùm de omni intelligere, quòd ad ipsum præcedit aliud velle, vt per se constat. Hoc ergo confirmauit S. Doctor illa sua propositione: *Omnem enim voluntatis motum, necesse est* &c.

1522 125 Et quidem si de aliquo velle, quo voluntas mouet intellectum ad intelligendum, seu ad aliquod intelligere, verum esset, quòd non oportet, vt ad illud præcedat aliud intelligere, debuisset S. Doctor negare illam propositionem: *si dum nihil velle possumus; nisi sit intellectum, voluntas*

Ratio confirmatur.

mouet

mouet intellectum ad intelligendum, volendo intelligere, oportebit, quòd ad illud velle præcedat aliud intelligere. Hac autem propositione existente falsa, nullus posset fieri processus. Siquidem si ad aliquod velle, mouens intellectum ad apprehendendum, præcederet, non alia apprehensio, sed illa eadem, qua apprehendit obiectum actus volendi, seu ipsiusmet velle: & ad apprehensionem obiecti actus volendi, non præcederet alius actus volendi, sed illemet, qui mouet intellectum ad apprehendendum, in diuerso genere causæ; nullus esset processus. Et ex consequenti malè S. Doctor approbasset discursum Aristotelis, quo ex impossibilitate processus in infinitum propositi in argumento, docet deueniendum esse ad agens extrinsecum mouens intellectum ad intelligendum.

1523 126 Ampliùs, si sermo sit de iudicio apprehensiuo boni, & de actu voluntatis tendente in idem bonum apprehensum, de quibus loquuntur dicti Salmãticenses locis cit. euidentius est in D. Thoma, prędictum processum fieri secundùm modum, qui proponitur in prędicto argumento: ratio etiam, probans impossibilitatem, quã contra eosdem Patres intendimus, occurrit nobis euidentior. Porrò Patres prædicti loquuntur de iudicio vltimato, rationis practicæ quo hic, & nunc dictatur, hoc esse, vel non esse agendum à voluntate propter finem volitum, vt patet ex his, quæ docent tractatu x. disp. 2. à num. 15. ad 18. Quod quidem iudicium est à ratione conclusum, seu deductum per syllogismum practicum, vt ijdem Patres ex doctrina S. Thomæ supponunt trac. 7. disp. x. dubio 8. num. 251. vbi habent, *supponendo &c. cum Angelico Doctore: electionem, quæ circa bonum aliquod singulare versatur, consequi ad intellectus practici discursum, siue virtualem, siue formalem, qui ex duabus constat præmissis, altera vniuersali, puta: bonum esse agendum: & altera particulari, scilicet: hæc actio, hìc, & nunc excercita, est bona, ex quibus sequitur conclusio, quæ est vltimum iudicium intellectus, nempe: ergo bonum est hìc, & nunc operationem hanc exercere, & ex hoc iudicio sequitur electio, & operatio.* Tractatu etiam 9. disp. 4. num. 14. referunt doctrinam S. Thomæ, & Aristotelis de syllogismo continentis, & incontinentis, quam nos retulimus in hac disp. §. 5. num. 25. asseruntque, quòd actus voluntatis, seu electionis, siue continentis, siue incontinentis sequitur conclusionem sui proprij syllogismi.

Salmãticenses loquũtur de iudicio vltimato, quòd est conclusio syllogismi practici.

Verba Salmãticensiũ

1524 127 Loquendo igitur de hoc iudicio, quod sicut est conclusio syllogismi operatiui, ita est vltima conclusio discursus cõsilij, vt habes ex S. Thoma à nobis allato loco proximè cit. illis verbis, *Dicendum, quòd cum actus peccati, & virtutis sit secundùm electionem: electio autem est appetitus præconsiliati: consilium verò est quædam inquisitio: necesse est, quòd in quolibet actu virtutis, vel peccati, sit quædam deductio quasi syllogistica.* Loquendo, inquam, de hoc iudicio, euidens est in D. Thoma, quòd actus voluntatis, quo applicatur intellectus ad consiliandum, & ad inueniendum per consiliũ quid sit agendum hìc, & nunc, est actus volitionis finis, siue vltimi, siue intermedij: actus verò qui sequitur determinationem consilij, seu iudicium conclusum per syllogismum consilij, est actus electionis eius, quòd est ad finem, siue vltimum, siue intermedium, qui actus voluntatis sunt realiter distincti; sicut etiam iudicium illud, quo iudicamus, esse appetendum id, quod volumus, vt finem, puta, quo iudicamus, appetendam esse sanitatem, est realiter distinctum ab illo iudicio concluso per consilium, quo iudicamus, sumendam esse potionem. Sicut etiam iudicium illud, quo, facta deliberatione de sumenda potione, per aliud consilium iudicamus, esse vocandum talem medicum, doctum, expertum, amicum &c. ad dictandam schedulam potionis, est diuersum ab illo iudicio, quo iudicauimus, sic in confuso, nobis expedire sumere potionem, vt per se constat, & etiam ex ijs, quæ ex S. Doctore notauimus disp. precedenti §. 6. nu. 14. 15. & 16. Vide hunc locum, vbi hanc ipsam rem, quam intendimus exemplo satis apto, quo ipsemet S. Doctor vtitur, explicamus. Denique loca D. Thomæ, quibus docet, quòd Aristoteles ex eo quod ad actum liberum voluntatis debet præcedere consilium, & ad consilium alius actus voluntatis: & ex eo quod non possit hoc modo procedi in infinitum, asserat, perueniendum esse ad Deum, vt ad primum auctorem bonorum consiliorũ, & voluntatum, vide in hoc §. num. 41. & 39.

Idem intelligit S. Doctor per cõclusionem syllogismi operatiui, & per conclusionem consilij.

Ad consiliandum de mediis ad finem applicatur intellectus per actum volitionis finis: non autem per actum electionis.

Loca S. Thomæ recensentur.

1525 128 Ratio verò, qua, quod intendimus, demonstratur, sic proponi potest, vtendo exemplo, quo vtitur S. Doctor 1. 2. quæst. 9. art. 4. a nobis relato loco proximè citato. Impossibile est, quòd homo per illum actum uoluntatis, quo eligit sumere potionem ad habendam sanitatem (& idem dicendum est de omni actu electionis, quo ex consilio eligitur aliquid propter finem) applicuerit intellectum ad inquirendum per consilium de his, quæ conferunt ad sanitatem; sed oportet, quòd talis applicatio sit facta per alium actum voluntatis antecedentem, quo uoluit cõ-

Ratio euidenter probans propositum.

Digitized by Google

siliari. Ergo impossibile est, quòd homo per illum actum uoluntatis, quo eligit sumere potionem, applicet intellectum ad iudicandum, sumendam esse potionem. Antecedens ex dictis patet, & est euidens. Siquidem inquisitio consilij præcedit tẽpore electionem illius, quod determinatur per consilium: nulla autem causa, applicans potentiam ad operationem, est posterior tempore tali operatione. Consequentia uerò probatur. Nam ab illo actu uoluntatis potest applicari, & applicatur intellectus ad iudicandum, sumendam esse potionem, à quo potest applicari, & applicatur ad inquirendum per discursum consilij id, quod confert ad sanitatem. Sed ad inquirendum per discursum consilij id, quod confert ad sanitatem, non potest intellectus applicari ab actu electionis sumendæ potionis, sed tantùm ab actu aliquo uoluntatis antecedente. Ergo non ab actu prædicto electionis; sed tantùm ab actu uoluntatis præcedente, potest applicari, & applicatur intellectus ad iudicandum, sumendam esse potionem.

1526

Minor probatur euidenti exẽplo.

129 Maior huius probationis patet exemplo. Nam sicut sagitta non applicatur ad signum, nisi ab eo, à quo mouetur in signum: Et ratio est; quia non applicatur ad signum; nisi per motum, in cuius termino attingit signum: & ex consequẽti ab eo applicatur signo, à quo mouetur, seu à quo applicatur ad motum, attingentem in suo termino signum. Ita in proposito. Nam inquisitio consilij, seu etiam syllogismus practicæ rationis inquirentis de conuenientibus ad finem, E. g. de conuenientibus ad sanitatem, est quidam motus rationis terminatus ad sententiam, seu conclusionem, qua iudicatur, quòd hic, & nunc, hoc est expediens agere ad assequendum finem, puta, quòd expediens est sumere potionem ad acquirẽdam sanitatem. Ab eo ergo ratio humana applicatur ad proferendum vltimum iudicium, seu vltimam sententiam, quam concludit suo motu consilij, seu attingit in termino sui motus consilij, & syllogismi operatiui, puta, quòd hoc expedit agere propter finem, scilicet sumere potionẽ, à quo applicatur ad motum consilij, quo inquirit de conuenientibus ad finem, puta conuenientibus ad sanitatem. Minor deinde eiusdem probationis constat ex primo antecedente, iam probato.

1527

Responsio.

130 Dices, hanc rationem habere locum solùm in nobis, qui peruenimus ad iudicium vltimatum, seu deliberatum, per discursum consilij, exposcentem tempus, non autem in Angelis, qui habent promptam, & subitam deliberationem, sine discursu. In quibus debet dari actus voluntatis, applicans intellectum ad procedendum in illud iudicium inconsideratum, quo, superbientes, iudicarunt eligere proprium bonum, non considerata regula diuinæ voluntatis. Non enim (inquiunt Salmãticenses trac. 7. de *Angelis* disp. 10. num. 271.) potuit intellectus Angeli applicari à Deo in tale iudicium inconsideratum; neque à se ipso, cum non sit munus intellectus applicare ad exercitiũ actus; debuit ergo applicari à voluntate propria per aliquem actum, & non per illum præcedentem, in quo habuit meritum: ergo remanet, quod talis applicatio sit facta à voluntate Angeli per actum illum, quo superbè peccauit.

131 Respondemus, verum esse, quòd ista impossibilitas, desumpta ex hoc, quod consilium præcedit tempore electionem, non habet locum in *Angelis*. Sed tamen oportet, quòd ab illo principio, à quo procedit in homine applicatio intellectus practici ad inueniendum per discursum consilij id, quod hìc, & nunc expedit agere propter finem volitum; procedat etiam in Angelis applicatio intellectus ad inueniendum tale agendum sine discursu, & per simplicem collationem ad finem, vt in dubijs ad sequentem septimam obiectionem explicabimus. *Ad* id verò, quod additur ex Salmãticensibus, nempe, debere dari in Angelis malis actum voluntatis applicantem, intellectum ad procedendum in illud iudicium inconsideratũ, ad quod secuta est in ipsis peruersa electio, qua superbè peccauerunt, Respondemus, eos laborare falsa existimatione, putantes, requiri in Angelis aliquem determinatum actum voluntatis, determinatè applicantem intellectum ad solum illud iudicium inconsideratum. Hoc autem est falsissimum, vt patere potest ex ijs quæ diximus disp. præcedẽti circa motum primi mouentis à §. 9. & deinceps. Vnde sicut in hominibus ex eadem volitione finis, vnus per discursum consilij concludit, agendum esse hoc: *Alius* verò concludit, agendum esse aliud satis diuersum: & inde patet, quòd intellectus non applicatur ex vi volitionis finis ad dandã hanc determinatè, vel illam sententiam de agendis occurrentibus propter finem; sed solùm ad inquirendum sic in confuso: & quòd inquisitio deinde fit diuersimodè secundùm diuersitatem principiorum, quibus proceditur ad deliberandum. Ita in Angelis dicendum est; quòd ex vi volitionis finis manet applicatus intellectus eorum ad iudicandum de agendis ad finẽ, non tamen ad procedendum in hanc, vel illam

1528

Contra: quia proportionaliter à quo procedit in homine applicatio ad iudicandũ, procedit etiã in Angelis.

Difficultas Salmãticẽsium fundatur in falsa existimatione.

Digitized by Google

illam ſententiam determinatè, vnde poteſt contingere, quòd vnus iudicat vnum, alius verò aliud, etiam ſupposita eadem voluntate finis, qua applicantur ad iudicandum de conducentibus ad ipſum finē, & hoc, ſecundùm quòd ſimplici apprehensione iudicant, conferendo ad diuerſa: ſed de hac re infra. Redeamus ad propositum.

DVBIVM QVINTVM ad ſextam.

Quæ, quotuplex, & qualis ſit libertas primi iudicij deliberati, ſeu primi imperij, præcedentis primam electionem, ſeu primum actum voluntatis ſimpliciter liberum.

EXclusimus dubijs præcedentibus à primo imperio exiſtimatam a quibuſdā Recentibus libertatem: remanet nunc, vt ſecundùm S. Doctoris principia verant eiuſdem imperij libertatem explicemus.

Reſolutio Dubij.

1529

Duplex ratio libertatis eſt in primo imperio: altera ex propria linea intellectus; altera participata à voluntate.

132 Dicendum igitur eſt. Dictum primum imperium, ſeu iudicium deliberatum, duplicem rationem libertatis habere: alteram ſibi intrinſecā, & quæ ſibi conuenit ex vi propriæ lineæ intellectus, ſeu rationis; alteram verò participatam ab alia potentia, puta, ab actu libero voluntatis, non præcedente; ſed conſequente, & ſuo modo ſibi coexiſtente. Primam habet, inquantùm eſt iudiciū de ſingulari agibili, inuentum per ipſam rationem communis boni: ſecundam verò, inquantùm eſt iudicium volitum, & electum per actum voluntatis perfectè liberum, qui ſequitur dictum imperium, & illi ſuo modo coexiſtit: quo ſcilicet voluntas virtualiter reflexè vult, & eligit sic iudicare. Priorem habet antecedenter, & prout ſimpliciter præcedit actum liberū voluntatis: poſteriorem verò habet conſequenter, & ex vi, qua in ipſum reflectitur ipſemet actus liber. Ratione prioris eſt radix, & cauſa, ex qua procedit formalis libertas in actu voluntatis, quæ eſt ſubiectum libertatis: ita vt tale iudicium dici poſſit id, quo primo agens intellectuale eſt liberum, ſeu id, quo primò voluntas ſe mouet in actum liberum: ratione verò poſterioris eſt liberum formaliter, & participatiuè, & vt id, quod eſt liberè volitum, & electum. Prior conſiſtit in eo, quod bonum, apprehenſum per tale iudicium, habet illum modum formæ, illumque modum cognitionis, ex quo, effluit modus libertatis in actu appetitus voluntarij: poſterior verò conſiſtit in quadam reali dependentia, qua ipſum iudicium, vt eſt formaliter liberum, continuè pendet ab illomet actu voluntatis liberò, quē infert, quique ſibi eſt coexiſtens, ſicut lumen ſoli: pendet, inquam, non vt ab applicante intellectum ad iudicandum, ſeu deliberandum; ſed vt ab acceptante, volente, & ſuo modo eligente; ac per hoc etiam ſuo modo conſeruante illud idem iudicium, quod eundem actum ſimpliciter præcedit. Ex quo eſt, quòd dictum primum imperium, ſeu iudicium, conſideratum inquantùm liberum, ſit ſecundum diuerſas rationes, & prius, & poſterius ipſa prima electione in eodem genere cauſæ. Prius ſimpliciter, & ſecundùm eam libertatem, quam habet ex propria linea: poſterius verò ſecundùm quid, & ſecundùm eam libertatem, quam participat ex influentia reflexa electionis liberæ. Denique dictum primum imperium, ad quod ſolùm præcedit actus voluntatis, quo naturaliter tendit in vltimum finem ſibi naturalem, ſi conſideretur ſecundùm ea, quæ habet ex vi actus voluntatis præcedentis, quo intellectus applicatur ad iudicandum, habetque vim mouendi ad exercitium actus, nullam habet libertatē; ſed primum initium libertatis eſt ipſummet primum imperium, ſecūdùm ea, quæ habet ex linea intellectus.

Explicantur vtriuſque libertatis principia: qualiter ſe inuicem præcedant, & ſequantur; & in quibus conſiſtant.

Quæ ſunt in dicta reſolutione ſpecialiter probanda, recenſentur.

1530

133 Reſolutionis huius multa ſupra probauimus, & quædā ſunt hic probanda. Meritò autem hæc omnia vniuimus, vt quiſque videat diſcrimen inter noſtram ſententiam, & dicta aliorum. Itaque quòd prædictum primum imperium, ſeu prima rationis deliberatio, præcedens primam electionem, habeat aliquam libertatem ſecundùm ea, quæ habet ex propria linea intellectus, probauimus §. 2. huius diſp. à num. 5. & deinceps. Vbi numero 6. ſequenti oſtendimus, prædictam libertatem habere rationem radicis, & cauſæ, in ordine ad libertatem actus voluntatis: & addidem propoſitum plura etiam diximus toto dubio 3. huius §. præſertim à num. 64. Sed tamen vt hoc melius explicaremus; ac etiam vt rationes D. Thomæ libertatem noſtram probantes, hac occaſione reſolueremus in prima principia per ſe nota, diximus in præſenti reſolutione: *bonum apprehenſum per dictum primum iudicium deliberatum, ſeu*

Digitized by Google

Primum principale probandū.

primum imperium, importare, seu habere illam modum formæ, illumque modum cognitionis, ex quo sequitur, modus libertatis in actu voluntatis. Idque est primum principale probandum in hac resolutione, ex quo quædam

Secundū.

alia eiusdem resolutionis sequuntur. Secundum verò, principaliter probandū, est: quòd tale iudicium est formaliter liberū, vt volitum, electum, & approbatum per

Tertium.

actum voluntatis, sequentem dictum iudicium. Tertium tandem est: quòd prædictum iudicium, ratione huius participatæ libertatis, dependet realiter ab eodem actu voluntatis, non vt ab applicante intellectum ad iudicandum, sed vt à seruante illud semper vt acceptum, & placitum voluntati, quæ per dictum actum quasi reflectitur in dictum iudicium, & illud accoptat, & in illo sibi complacet, & suo modo illud eligit, & vult: & ex hoc sequuntur alia, quæ in præsenti resolutione continentur.

Probatur ex doctrina Angelici præceptoris, quòd omne iudicium deliberatum, etiam primum, seu præcedens primam electionem liberam, importat formam apprehensam, habentem illum modum formæ, ex quo sequitur modus libertatis in actu electionis.

1531

Quid supponit resolutio, explicatur.

134 HOC dictum supponit doctrinam, & modum loquēdi S. Doctoris lib. 2. cont. gent. cap. 47. ratione 3. qua ex principiis per se notis probat, sola intellectualia habere liberum arbitrium. Ratio hæc est, quam inadæquatè retulimus disp. præcedenti §. V. in principio, vt ex eius propositionibus, dicta quorundā Recentiorum impugnaremus. Sed nūc eam oportet repetere adæquatè, vt ea nostram resolutionem probemus, eiusque efficaciam ostendamus, sicut promisimus loco proximè cit. num. 3. Itaque S. Doctor sic habet.

Discursus S. Doctoris, quo probat, naturam intellectualē habere dominiū sui actus.

Principium cuiuslibet operationis est forma, per quam aliquid est in actu: cùm omne agens agat, inquantum est in actu. Oportet igitur, quòd secundùm modum formæ, sit modus operationis consequentis formam. Forma igitur, quæ non est ab ipso agente per formam, causat operationem, cuius agens non est dominus. Si qua verò fuerit forma, quæ sit ab eo, qui per ipsam operatur, etiam consequentis operationis dominium habebit. Formæ autem naturales non sunt ab ipsis, quorum sunt formæ; sed ab exterioribus agentibus totaliter; cùm per formam naturalem vnumquodque habeat esse in sua natura: Nihil autem possit sibi esse causa essendi. Et ideo, quæ mouentur naturaliter, non mouent seipsa. Non enim graue mouet seipsum deorsum; sed generis, quod dedit ei formam. In animalibus etiam brutis formæ sensatæ, vel imaginata mouentes, non sunt adinuentę ab ipsis animalibus brutis; sed sunt receptæ in eis ab exterioribus sensibilibus, quæ in sensum agunt, & diuidunt per naturalem æstimatiuam. Vnde licèt quodammodo dicantur mouere seipsa, inquantum eorum vna pars est mouens, & alia est mota; tamen ipsum mouere non est eis ex seipsis; sed partim ex exterioribus sensatis, & partim à natura. Inquantùm enim appetitus mouet membra dicuntur seipsa mouere, quod habent super inanimata, & plantas; inquantùm verò ipsum appetere sequitur ex necessitate in eis ex formis, acceptis per sensum, & iudicium naturalis æstimationis, non sibi sunt causa, quòd moueantur: vnde non habent dominium sui actus. Forma autem intellecta, per quam substantia intellectualis operatur, est ab ipso intellectu, vt potè per ipsum concepta, & quodammodo excogitata, vt patet de forma artis, quam artifex concipit, & excogitat, & per eam operatur. Substantia igitur intellectuales seipsas agunt ad operandum, vt habentes suæ operationis dominium. Hæc S. Doctor.

1532

Breuiter refertur, discursus S. Doctoris

135 In quibus ex eo, quod operatio sequitur formam, infert, quòd secundùm modum formæ est modus operationis sequentis formam: & ex hac iterum infert, quòd forma, quæ non est ab eo, qui agit per talem formam, causat operationem, cuius agens non est dominus: & quòd ille, cuius forma est ab ipso, qui per illam operatur, est dominus suæ operationis. Ex quo tandem infert, quòd, quia nec naturalia sunt causa formæ naturalis, ad quam sequitur motus naturalis: nec bruta sunt causæ adinuenientes formas sensatas, apprehensas per naturalem æstimatiuam, ad quas sequitur motus sensualitatis; sed sola intellectualia, quæ operantur per formas apprehensas adinuentas, seu excogitatas ab ipsomet intellectu, infert, inquam, quòd nec naturalia, nec sensibilia; sed ea intellectualia habent suæ operationis dominium.

1533

136 Secundùm igitur modū loquendi S. Doctoris in prædicto discursu (quem demonstratiuum censemus, vt ex subijciendis adnotationibus constabit) dicimus in resolutione: iudicium primum deliberatum de agendis ad finem importare formam apprehensam, habentem illum modum formæ, ex quo procedit modus libertatis in operatione, seu actu, & motu appetitus. Idque sic ostenditur. Nam forma, quæ est ab eo, qui per ipsam operatur, habet modum illius formæ, quæ causat operationem, cuius agens est dominus, seu quæ habet modum libertatis: sed primum iudicium, seu imperium, mouens voluntatem in primum actum liberum,

Ratio probans nostram resolutionem.

rum, seu primam electionem eius, quod est ad finem, importat formam apprehensam, quæ est ab eo, qui per ipsam operatur. Ergo. &c. Maior est demonstrata ab Angelico præceptore ex illo axiomate: *Principium cuiuslibet operationis est forma, per quam aliquid est in actu*; quod deduxit ex principio per se noto: *Vnumquòdque agit, inquantùm est in actu*. Harum autem consequentiarum vis constabit ex subijciendis adnotationibus.

2534 137 Minor verò probatur, supponendo verùm sensum, quem intellexit S. Doctor per *ly, forma, quæ est ab eo, qui per ipsam operatur*, quòd est subiectum maioris mediusque terminus in prædicta ratione. Porrò certum est, quòd per *ly, quæ est ab eo*, &c. non intellexit illum modum essendi ab eo, qui per ipsam operatur, quo e. g. grauitas, & leuitas, quæ sunt formæ, ad quas sequitur motus in rebus grauibus, & leuibus, dicuntur esse ab ipsis, inquantùm emanat ab earum formis substantialibus; quippe quia formæ naturales, vt sunt grauitas, & leuitas, ponuntur a S. Doctore inter eas, quæ sunt totaliter ab exterioribus agentibus, scilicet, à generante. Amplius nõ intellexit illum modum essendi ab eo, qui per ipsam operatur, quo forma apprehensa dicitur esse ab ipso apprehendente propter hoc, quod actu elicito virtutis apprehensiuæ apprehenditur; quia sic formæ sensatæ apprehensæ a brutis, ad quas sequitur motus appetitus in ipsis, dicerẽtur esse ab ipsis brutis. Quod tamen reprobat S. Doctor, dicens, eas esse partim ex sensibilibus exterioribus, à quibus eas recipiunt, & partim ab auctore naturæ, a quo est eorum iudicium naturale, per quod naturaliter diiudicant. Sed intellexit alium modum essendi ab aliquo perfectiorem, quo scilicet, forma est ab eo, qui per ipsam operatur, illo modo, quo formæ naturales sunt à generante. Hic autẽ modus habetur per hoc, quod aliquid per talem formam est ab aliquo, vt ab existente in actu, & reducente ipsum de potentia in actum. Secundùm quem modum (quo scilicet, aliquid mouetur ab alio à se distincto) intellectus, & voluntas tantùm sunt potentiæ, quæ mouentur à seipsis. Intellectus quidem, dum ex eo, quod est in actu principiorum, reducit se de potentia in actum, quantùm ad cognitionem conclusionum: voluntas verò, dum ex eo, quod in actu vult finem, reducit se in actum volendi id, quod est ad finem, ad quẽ erat in potentia; & sic mouentur, & reducuntur in actum à seipsis, vt est euidens, & habes in S. Thoma locis, & verbis relatis Disp. præcedenti §. 23. à num. 34. ad 38. & num. 61.

Explicatur quid intellexerit S. Doctor per ly forma, quæ est ab eo, qui per ipsam operatur.

138 Sic igitur aliqua cognitio veritatis est à nostro intellectu, tam practico, quàm speculatiuo, non solùm, vt ab eliciente actum cognitionis, secundùm quẽ modum est à nostro intellectu cognitio primorum principiorum; sed etiam, vt ab inueniente ipsam veritatem, in quam de potentia se reducit in actum secundùm quem modũ est ab intellectu notitia conclusionum, non autem notitia primorum principiorum. Sed debet hic considerari differentia, quæ est inter conclusionem practicam, & speculatiuam. Conclusio enim speculatiua est pura contemplatio sui obiecti, quod præsupponitur cognitioni, & ad eam comparatur vt causa ad effectum. At verò conclusio practica est factiua sui obiecti, quod comparatur ad ipsam, vt effectus ad causam, & non præsupponitur cognitioni. Et inde fit, quòd conclusio speculatiua dicitur esse ab intellectu inuenta, ratione solius cognitionis, quam de nouo acquirit, non autem ratione obiecti repræsentati, quod præsupponitur cognitioni: vnde non potest propriè dici, quòd tale obiectum sit inuentum, & excogitatum ab intellectu. Et sic non propriè dicitur, quòd, hominem esse risibilem, est quoddam inuentum, & excogitatum ab intellectu. At verò conclusio practica dicitur esse ab intellectu inuenta, non solùm ratione cognitionis, & inquantùm est cognitio acquisita per discursum; sed etiam ratione obiecti. Sic recta ratio alicuius ædificij, quam *Architectus*, discurrens, concluit, dicitur excogitata, & inuenta ab *Architecto*, inquantùm totum illud idolum, seu idæa ædificij, quæ dictat, ædificium agendum quadratum, vel rotundum, cum tot mansionibus, tantæ magnitudinis &c. est quoddam inuentum, efformatum, & excogitatum ab intellectu Architecti, & habet pro principio, & causa, ipsum intellectum, non autem obiectum. Et indè fit, quod licèt forma intellecta concluſa per intellectum speculatiuũ, non possit propriè dici, quòd sit ab ipso intellectu, vt à principio; forma tamen intellecta, concluſa per intellectum practicum, propriè dicitur esse ab ipso intellectu, vt à proprio, & per se principio. Et tandem inde fit quod, quia vltimatum iudicium de agendis (quod si rectum sit, seu sit conclusum per syllogismum prudentiæ, dicitur recta ratio agibilium) est conclusio intellectus practici; ideo forma intellecta per tale iudicium, est quoddam excogitatum, inuentum, & efformatum ab intellectu, ab eoque est, vt a proprio, & per se principio.

1535 *Nota differentiam, quæ est inter conclusionem practicam, & speculatiuam.*

Hoc

Digitized by Google

1536 139 Hoc considerato, minor est cuidens. Nam (vt sæpè diximus, & maximè toto dubio 3. huius §.) primum iudicium deliberatum, seu primum imperium importat primam sententiã rationis practicæ inuentam per collationem ad finem, qua primò iudicat, conueniens esse hic, & nunc, aliquid agere propter finem. Hæc autem, vt modo concluſimus, importat formam apprehensam excogitatam, inuentam, & efformatam ab intellectu, à quo est, vt à proprio principio. Importat ergo formam, quæ est ab agente per intellectum, qui operatur per talem formam.

Ex dictis probatur minor.

Proponuntur considerandа, ex quibus apparet, discursum S. Thomæ, quo probat maiorem assumptam in nostra ratione, esse demonstrationem.

1537 140 CIrca prædictum S. Doctoris discursum considera primò, quòd prima propositio, puta: *Principium cuiuslibet operationis est forma, per quam aliquid est in actu*, est per se nota, & optimè manifestatur per illud axioma: *Vnumquodque agit, inquantùm est in actu*. Primum verò consequens, puta: *Oportet igitur, quòd secundùm modum formæ, sit modus operationis sequentis formam*, continet illud vulgatum axioma: *modus operandi sequitur modum essendi*; & illud aliud: *secundùm modum essendi est modus operandi*. Nam cùm esse sequatur formam, vt ad proprium, & per se principium, cui commensuratur, ita vt modus essendi sit secundùm modum formæ; idem erit dicere: *secundùm modum essendi est modus operandi*, ac dicere: *secundùm modum formæ, est modus operationis sequentis formam*. Consequentia autem est euidens ex ipso antecedente: & sic apparet.

Efficacia discursus S. Doctoris, eiusque resolutio in principia per se nota explicatur

1538 141 Nam (vt ex Augustino 4. super gen. ad litt. cap. 3. aduertit S. Doctor 1. 2. quæst. 49. ar. 2. in corp.) modus est, quem mensura præfigit, inde importat quandam determinationem secundùm aliquã mensuram. Quoniam autem principiatum procedit à suo proprio, & per se principio, vt illi commensuratum, & proportionatum; inde est, quod secundùm mensuram, seu modum proprij, & per se principij, sit mensura, seu modus, procedentis à tali principio. Et quia proprium, & per se principium virtutis actiuæ est forma, seu actus, quo aliquid est in actu: & proprium, & per se principium operationis est virtus: ideo sicut diuulgatum est axioma: *Modus virtutis est secundùm modum actus, seu formæ, qua res est in actu*, vt habes apud D. Thomam lib. 2. con. gen. cap. 22. ratione 3. ita hæc alia duo axiomata: *Modus actionis est secundùm modũ actus*, vt habes apud eundem S. Doctorẽ eodẽ lib. 2. con. gen. cap. 21. ratione 8. & *Modus operandi est secundùm modum virtutis, & formæ, ad quam sequitur operatio*. Et quoniam actus, & forma est, qua aliquid constituitur in esse; inde est receptum axioma: *Modus operandi est secundùm modum essendi*.

Vis consequentiæ discursus S. Doctoris manifestatur.

Nota qualiter ex eodem principio plura axiomata rectè inferantur.

1539 142 Denique vltima consequentia puta: *Forma igitur, quę non est ab ipso agente per formam, causat operationem, cuius agens non est dominus*: & quòd, *si qua fuerit forma, quæ sit ab eo, qui per ipsam operatur, etiam consequentis operationis dominium habebit*, pendet ex ipsa ratione agentis, habentis dominiũ: & sic patet. Nam agens, habens dominium sui actus, illud est (vt habet S. Doctor verbis relatis num. 134.) *quod seipsum agit ad operandum*, ideſt, quod est causa sibi, vt operetur, eo modo, quo aliquid est causa alteri, vt operetur, seu quod habet operationem, in quam infertur a se, eo modo, quo aliquis infertur in operationem ab alio. Siquidem habere dominium sui actus, seu suæ operationis, spectat ad propriam rationem agentis liberi: *Liberũ autem est, quod sui causa est*, vt habet ex Aristotele in principio Metaph. S. Doctor quæst. 24. de veritate art. 1. in corp. & lib. 2. cont. gent. cap. 48. ratione secunda, & alibi sæpè. Quare liberum in operando, mouendo, & agendo (vt concludit hoc vltimo loco S. Doctor.) illud est, quod est sibi causa, vt operetur, moueatur, & agat; causa, inquam, propriè talis: ita scilicet, vt sit sibi causa, vt operetur, moueatur, & agat illo modo, quo aliquid est causa alteri à se distincto, vt operetur, seu etiam moueatur, & agat. Est autem aliquid propriè loquendo causa alteri, vt operetur, moueatur, & agat, per hoc, quod causat in altero formam (siue permanentem, siue per modum motus) ad quam sequitur in illo operatio, motus, & actio, seu per quam fit, vt illud operetur, moueatur, & agat. Vnde generans dicitur causa motus grauium, & leuium, inquantùm causat in ipsis formam, ad quam sequitur eorũ motus. Est ergo aliquid causa sibi, vt operetur, moueatur, & agat, per hoc, quod est sibi causa formæ, ad quam sequitur sua operatio, motus, & actus. Et ita fit, vt agens liberum, seu habens dominium suæ operationis, motus, & actus, ille sit, qui est causa formæ, ad quam sequitur sua operatio &c. Et tandem fit, quòd forma, quæ est causata ab agente, qui agit per talem formam, causat operationem, cuius agens est dominus, seu est principium, à quo est operatio, cuius agens est dominus;

Vltima cõsequentiæ discursus S. Doctoris pendet ex ipsa ratione agentis liberi.

Nota bene hũc discursum: & percipe profundã vim consequẽtiæ S. Doctoris.

&

& quòd forma, quæ non est causata ab eo, qui agit per talem formam, causat operationem, cuius agens non est dominus, vt per se patet.

Probatur ex doctrina S. Thomæ, quòd primum iudicium deliberatum habet illum modum cognitionis, ex quo, vt ex propria radice, procedit modus libertatis in actu voluntatis.

1540 *Breuiter refertur quidam discursus S. Doctoris.*

143 VT explicaremus radicem libertatis, conuenientē primo, & omni alij iudicio deliberato, diximus: *illud habere illum modum formæ, illumque modum cognitionis, ex quo prouenit modus libertatis &c.* Probauimus primum ex vno discursu S. Doctoris: probare debemus nunc secundum ex altero S. Doctoris discursu. Sciendum est igitur, quòd S. Doctor de Veritate quæst. 24. ar. 2. verbis relatis disp. præcedenti §. 23. num. 87. assumit probandam hanc propositionem, nempe: *tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet;* & inde discursum concludit: *Vnde totius libertatis radix est in ratione constituta.* Ex quo infert, veram libertatem solùm esse in habentibus rationem (sumendo rationem largè, pro intellectu) non autem in alijs. Vt ergo significaremus, quòd rationi nostræ conuenit esse radicem libertatis, meritò iudicij deliberati, diximus in nostra resolutione; primum iudicium deliberatum habere illum modum cognitionis, ex quo procedit modus libertatis in actu voluntatis.

1541 *Ratio probans nostrā resolutionē.*

144 Idque sic ex discursu S. Doctoris probari potest. Iudicium, existens in potestate iudicantis, habet illum modum cognitionis, ex quo oritur modus libertatis in actu voluntatis: sed primum iudicium deliberatum est huiusmodi: ergo. Minor huius discursus est probata à nobis toto dubio 3. huius §. Maior vero demonstratur à S. Thoma sequenti discursu.

Probatur maior discursu S. Doctoris.

Principium propriū, ad quod sequitur motus appetitus voluntarij, vt talis, est cognitio (cum motus voluntarius sit, qui procedit ab intrinseco principio cognoscente finem, in quem tendit appetitus voluntarius, cuius obiectum est bonum apprehensum) ergo secundùm modum cognitionis est modus voluntarij appetitus. Ergo si iudicium cognitionis, est in potestate iudicantis, sequitur appetitus volūtarius existens in potestate appetētis, si verò iudicium non est in potestate iudicantis, sed est aliundè determinatum, sequitur actus appetitus voluntarij, qui non est in potestate appetentis. Et ex hoc discursu apparet, quod iudicium, existens in potestate iudicantis, habet illum modum cognitionis, ex quo sequitur modus libertatis in actu appetitus voluntarij.

1542 *Euidentia antecedentis, assumpti à S. Doctore, manifestatur.*

145 *Antecedens* discursus S. Thomæ est optimè demonstratum. Nam cum appetitus diuidatur in naturalem, & voluntarium: & vterque sit motus procedens à principio intrinseco; per hoc differt motus appetitus voluntarij à non voluntario, quod principium intrinsecum, ad quod sequitur motus voluntarius, est forma apprehēsa per iudiciū cognitionis: principiū verò intrinsecū motus merè naturalis est forma naturalis, vt patet ex verbis S. Doctoris relatis disp. 2. §. 23. nu. 90. & disp. præsenti §. 3. nu. 21. Prima verò consequentia sequitur illa eadem ratione, qua ex eo, quod forma est principium operationis, intulit S. Doctor, quòd secundùm modū formæ est modus operationis sequētis formam. Si enim proprium, & per se principium, ad quod sequitur motus appetitus voluntarij, est forma boni apprehensa per iudicium cognitionis; oportet, quòd secundùm modum formæ apprehēsæ per iudicium, sit modus motus appetitus voluntarij: principiatum sanè est commensuratum suo proprio, & per se principio. Vltima verò consequentia sequitur eadē ratione, qua in præcedenti intulit S. Doctor, quòd, *si forma non est ab eo, quod agit per talem formam, causat operationem, cuius agens non est dominus* &c. Ex quibus apparet, discursum S. Doctoris ex lib. 2. contra gen. in hoc differre à discursu quæst. 24. de veritate; quod ille resoluit conclusionem in principiū quoddā magis vniuersale, puta, in actum, & formam, qua aliquid est in actu, quæ est principium omnis operationis: at verò iste resoluit in principium proprium motus voluntarij, quod est forma apprehensa per iudicium cognitionis: Cæterum modus procedendi est idem & virtus consequentiarum ex eisdem rationibus pendet.

Nota in quo differt discursus prior S. D. ab hoc posteriori.

Quædam considerandæ pro discursu S. Doctoris.

1543 *Appetitus voluntarij inueniuntur habere duos modos: & quid vterque importat.*

146 DEnique pro prædictorum intelligentia considerandum est: quòd actus voluntarij appetitus inueniuntur habere duos modos. Nam quidam sunt voluntarij secundùm modum naturæ: quidam verò secundùm modum proprium rationis. Est enim modus proprius naturæ esse determinatum ad vnum ab alio: modus autem proprius rationis, quæ est apprehensiua vniuersalis formæ boni, est esse indeterminatum, & indifferens

Digitized by Google

ferens in ordine ad singularia, de quibus iudicat conferendo ad formas vniuersales. Ille ergo actus voluntarius, quo appetitus tendit in bonum apprehensum apprehensione non conferente ad formas vniuersales, seu iudicante ex instinctu naturæ, est voluntarius secundùm modum naturæ, quæ tendit in vnum determinata ab alio. Ille verò, quo appetitus tendit in bonum apprehensum, non ex instinctu naturæ; sed conferendo ad principia vniuersalia, explicantia communem rationem boni, seu finis, in ordine ad quem iudicium assumit (secundùm quam rationem virtus iudicatiua est indifferens, & indeterminata in ordine ad contingentia singularia, de quibus iudicat) habet modum diuersum à modo naturæ, qui est proprius rationis, secundùm quem procedit ad iudicandum ex principio, se habente ad vtrumlibet: vnde secundùm hunc modum appetendi appetitus est liber, & principium contradistinctum à natura. Vt habet D. Thomas 1.2.q.x. art.p. ad primum.

1544 147 Ampliùs actus voluntarij secundùm modum naturę inueniuntur habere differentiam. Nam quidam habent modum naturæ materialis, quidam verò modum naturæ immaterialis. Est autem proprium naturæ materialis, recipere formas indiuiduales, determinatas scilicet per materiam indiuidualem, quam ipsa habet. Naturæ vero immaterialis proprium est recipere formas abstractas à materia, seu vniuersales. Ille ergo appetitus est determinatus ad vnum per modũ naturæ materialis, qui inclinatur ad vnum indiuidualiter ex eo, quia virtus apprehensiua formarum, per quam determinatur appetitus, est materialis, ac per hoc formæ apprehensæ sunt indiuiduales, quales sunt formæ apprehensæ per sensum, vt notauit S. Doctor quæst. 6. de Malo in corp. art. vnici, illis verbis. *Forma apprehensa per sensum est indiuidualis, sicut est forma rei naturalis: & ideo ex ea sequitur inclinatio ad vnum, sicut in rebus naturalibus.* Ille verò appetitus est determinatus ad vnum per modum naturæ immaterialis, qui inclinatur in vnum vniuersale. Et hoc inquantùm virtus apprehensiua formarum, ad quam sequitur appetitus, recipit formas abstractas, & vniuersales, ac per hoc apprehendit bonum commune, & vniuersale. Et hoc modo est ex natura determinatus ad vnũ appetitus rationalis, seu intellectiuus, vt notauit S. Doctor 1.2. q.x. ar.p. vbi tertio loco sibi obiicit sic: *Natura est determinata ad vnum; sed voluntas se habet ad oppositа. Ergo voluntas nihil naturaliter vult.* Respondet vero: *Ad 3. dicendum, quòd semper naturæ respondet vnum proportionatum naturæ. Naturę enim in genere respondet vnum in genere: & natura in specie accepta, respondet vnum in specie: natura autem indiuiduata, respondet aliquod vnum indiuiduale. Cum igitur* (nota) *voluntas sit quædam vis immaterialis, sicut & intellectus, respondet sibi naturaliter aliquid vnum commune, scilicet, bonum: sicut etiam intellectui aliquid vnum commune, scilicet, verum, vel ens.* Hæc S. Doctor quæ confirmat lib. 2. contra gen: cap. 48. ratione quinta, & q.6. de Malo in corp. art. vnici.

Modus naturæ est duplex, scilicet materialis, & immaterialis.

1545 148 Ex quibus apparet, qualiter verum sit, quòd secundùm modum formæ apprehensæ, seu cognitionis, sit modus voluntarij appetitus. Nam si apprehensio boni fiat per iudicium naturaliter diiudicans de illo, sicut contingit, quando apprehensio fit per naturalem æstimatiuam in brutis, vel etiam per intellectum naturaliter, seu sine collatione ad finem iudicantem, aliquid esse bonum, secundùm ea quæ diximus ex D. Thoma disp. 1. §. xi. num. 19. & disp. 2. §. 22. num. 6. & §. 24. nu. 8. & 9. & disp. præsenti §. 3. nu. 19. & 52. oportet, quòd motus voluntarij appetitus sit secundùm modum naturæ. Si verò apprehensio boni fiat secundùm modum rationis, diiudicando scilicet, aliquid esse bonum, conferendo ad finem per rationem finis, secundùm quam rationem iudicium est in potestate iudicantis, virtusque iudicatiua se habet ad vtrumlibet; oportet, quòd motus voluntarij appetitus sit secũdùm modũ rationis, seu voluntatis, pro vt ipsa est principiũ contradistinctũ à natura; ac per hoc oportet, quòd sit ab ipsa, vt à principio, se habente ad vtrumlibet, & vt à determinantè seipsam ad vnum, ac vt ab habente illum in sua potestate.

Manifestatur, qualiter secundùm modũ cognitionis sit modus voluntarij appetitus.

1546 149 Et inde fit, quòd sicut est impossibile, & contradictionem implicans, dicere, motum aliquem procedere à forma naturali (vt procedit motus deorsum à grauitate) & eum non esse naturalem, sed violentum. Et implicantia apparet: quia ratio motus naturalis consistit in hoc, quod est, eum esse à principio intrinseco, passo non conferente vim: vnde ponere talem motum esse à principio intrinseco naturali, & eum non esse naturalem, esset ponere diffinitionem, & negare diffinitum: Et etiam sicut est impossibile, & contradictionem implicans dicere, aliquẽ appetitum procedere à principio intrinseco, cognoscente bonum, in quod tendit appetitus, & talem motum appetitus non esse voluntarium; quia in hoc ipso consistit ratio motus voluntarij. Ita est impossibile, & contradictionem implicans (vt notauit

Iudicium cognitionis esse secũdùm modum rationis, & actum voluntatis sequi tem non est se liberum implicat contradictionem.

notauimus, dato exemplo num. 86. huius §.) dicere, aliquem actum appetitus procedere ab intrinseco principio cognoscente bonum hoc speciali modo cognitionis, nempe: eo modo, quo iudicat ratio de agibilibus ad finem, puta conferendo vnū ad aliud, & iudicando de ipsis per rationem finis, seu per modum rationis deliberantis; & simul dicere, talem actum non esse liberum, seu non esse in dominio voluntatis: & ratio est; quia actus voluntatis liber, nil aliud importat, quàm actum appetitus, consequentem iudicium rationis, prædicto modo iudicantis. Considera loca S. Thomæ, ad quæ num. præcedenti te remisimus.

Probatur illa pars resolutionis, qua dicimus, primum iudicium deliberatum, seu primum imperium esse liberum formaliter, vt volitum, & approbatum per actum liberum voluntatis, sequentem ipsum iudicium, ipsique tempore coexistentem.

1547

Ratio ostēdēs propositum.

150 HÆC resolutionis pars sic demonstrari potest. Primum iudicium deliberatum, seu primum imperium est virtualiter reflexum iudicans nō solùm directè, bonum esse aliquid agere propter finem; sed etiam reflexè virtualiter, bonum esse sic iudicare, vt ostendimus in hoc §. à num. 73. & deinceps. Sed actus voluntatis sequens (qui solùm est natura posterior prædicto iudicio, & eidem tempore coexistens) tendit per affectum in illud ipsum, quod est iudicatum, seu deliberatum, esse agendum. Ergo actus voluntatis, sequens ipsum iudicium deliberatum (& qui, vt talis, est perfectissimè liber) tendit, non solùm in id, quod est directè iudicatum, agendum esse pro fine; sed etiā in ipsummet iudicium virtualiter reflexè iudicatum, bonum esse sic iudicare. Minor huius discursus est euidens: obiectum enim actus voluntatis, liberè volentis, est totum id, quod per præcedens iudicium est sententiatum, seu deliberatum, esse bonum. Hinc Aristoteles verbis relatis §. vltimi huius disp. num. 39. dixit. *Nam simul atque diiudicamus, ex consultatione affectamus deliberationem.* Per que verba videtur significare, quòd affectus sequens determinationem consilij, seu deliberationem, non solùm tendit in rem deliberatam; sed etiam in ipsam deliberationem: quippe quia (vt in hoc §. à num. 73. probauimus) ipsa deliberatio est etiam reflexè deliberata, seu sententia sententiata, & iudicium iudicatum.

Confirmatio ex verbis Aristotelis.

Primum iudicium deliberatum, seu primum imperium rationis (sicut, & omne tale iudicium) inquantùm est liberè volitum per actum subsequentem, pendere realiter ab ipso eodem actu libero subsequente, non vt ab applicante intellectum ad deliberandum; sed vt ab acceptante, & continuò seruante illud sub placito volitionis liberæ, probatur, & simul explicatur exemplo.

151 HANC nostræ resolutionis partem explicamus, & simul probamus sequenti exemplo. Sicut enim, cùm Luna, illuminata à Sole radijs transmissis per aerem iterum illuminat, quasi ex reflexione, eundem aerem, per quem radij solares peruenerunt ad ipsam; aer, illuminatus à Sole, recipit à Luna speciale lumen, quibusdam qualitatibus affectum, quod solùm causaliter, & virtualiter (licet inadequatè) continebatur in aere, vt ferente in Lunam solares radios: & aer ipse, inquantùm sic ex reflexione est illuminatus à Luna, dependet realiter, & in genere causæ efficientis ab eadē Luna: & hoc non obstante quòd ipse aer, vt ferens solares radios, effectiuè illuminauerit Lunam. Ita in nostra resolutione volumus, quòd, dum, volens finem, deliberat de aliquo medio eligendo, & voluntas mediāte intellectus deliberatione mouet se in actum liberum electionis, actus ipse electionis reflectitur in deliberationē ipsam, eam approbans, acceptans, & volens: & tunc deliberatio ipsa, vt sic liberè volita, & acceptata, participat hanc suam formalem libertatem ab actu libero electionis, qui in ipsam reflectitur; quæ quidē formalis libertas solùm causaliter, & virtualiter continebatur in deliberatione, per quam voluntas ex volitione finis se mouit in actum liberum electionis. Insuper ipsa deliberatio, quatenus est, & durat, seu stat & perseuerat, vt liberè volita, & acceptata depēdet realiter, & in genere causæ efficiētis ab actu libero voluntatis qui in eam reflectitur; & hoc non obstāte quòd ab ipsa deliberatione, vt ferente virtutem volitionis finis, & vt ab instrumento, quo voluntas mouet seipsam ex volitione finis, dependeat ipse actus electionis in eodem genere causæ efficientis.

1548

Considera attentè exemplum.

Nota benè qualiter resolutio nostra correspondeat exemplo.

152 Dixi (*licèt inadequatè*) quia radij lunares, recepti in aere, habent aliquid, nō solùm inquantùm lux Lunæ procedit à Sole, sed etiam inquantùm emanāt ab ipsa Luna; & sic in radijs solaribus, qui in aere natura præcedunt radios lunares, receptos ex reflexione in eodem aere, non continetur virtualiter, & causaliter, totum id,

1549

Explicatur continētia inadequata effectus Lunæ in virtute Solis.

Digitized by Google

id, quod est formaliter in radijs lunaribus. Et hinc est, quòd si Luna radijs suis non reflecteretur in aerem, non posset Sol virtute suorum radiorum conferre aeri totum id, quod habet ex reflexione Lunæ. Et simili quasi modo, volens finem dum sententiat de agendis ad finem, ipsa sententia continet virtutem volitionis finis, per quam habet vim applicandi voluntatem ad exercitium actus, habet etiam aliquid ex propria virtute intellectiua, puta discernere, ordinare, & præferre vnum præ alio suo iudicio in finem, per quam virtutem habet, quòd ipsa est radix libertatis. Electio deinde habet, vt tendat in aliquid ex ordine rationis; ac per hoc ex vi volitionis finis habet applicare ad exercitium actus, quidquid subditur suæ causalitati: ex vi verò rationis habet vim mouendi secundùm ordinem rationis: insuper hoc ipso, quòd secundùm ordinem rationis inclinat voluntatem in rem iudicatam, est formalissimè liber. Et inde fit, quòd, dum reflectitur in iudicium, firmat illud in exercitio actus secundùm ordinē rationis, & ita, confert ei id, quod formaliter habet, puta: ipsum esse, vt liberè volitum per talem actum, quod esse non habebat ex vi volitionis finis.

1550

153 Ampliùs considerandū est, quòd sicut aer in eodem instanti temporis, & illuminatur à Sole, & illuminat Lunam, vt ferens solares radios, & per reflexionem recipit nouos influxus ab ipsa Luna in eodem genere causæ efficientis: & tamen prius natura illuminatur à Sole, à quo fit actu lucidus, quàm illuminet Lunam; & prius natura illuminat Lunam, quàm illuminetur ex reflexione ab eadem. Ita vt aer in lumine recepto, & præcedat, & sequatur illuminationem Lunæ, & inquantùm sequitur, non reducitur in actum luminis, sed in eo quòdammodo augetur recipiendo nouas quasdam qualitates. Ita in proposito. In eodem instanti temporis, quo, volens finem, sententiat, aliquid agēdum esse propter finem, eligit illud, & per actum ipsum electionis acceptat, & habet sibi placitam intellectus sentētiam, seu iudicium, quo volens finem imperat, illud eligendum esse. Sed tamen priùs, saltem natura, volitio finis applicat intellectum ad sententiandum, quàm intellectus per suam sententiam inducat voluntatem in actum electionis: & prius natura voluntas eligit, quàm sententia rationis sit, vt acceptata, & volita. Ita vt intellectus sententians de agendis, & præcedat natura, & sequatur actum electionis in eodem genere causæ, sed secundùm diuersas rationes. Præcedit quantùm ad id, quod habet ex volitione finis, & ex propria natura. Sequitur verò, in quantùm est ex electione, & placito voluntatis; & licet à tali placito non sit reducta in esse, seu non processerit ex tali placito, vt ab applicante intellectum ad deliberandū; id tamen, quòd habet ex tali placito electionis, qui in ipsā reflectitur, habet in eodē instanti, quo incipit esse: ita vt semper sit, vt liberè volita, & electa ex tali placito: sicut aer proximus Lunæ semper est cū qualitatibus super additis ex reflexo lumine, in quo realiter dependet à Luna.

Explicatur simultas tēporis, & ordo naturæ, inter deliberationem, & actum volitatis deliberatum.

Proponitur prima instantia: soluitur: & manifestatur, quòd dependentia primæ deliberationis à primo actu electionis est realis.

1551

154 SED ad maiorem dictorum intelligentiam, dices primò, dependentiam istam deliberationis ab actu voluntatis deliberato, qui reflectitur in ipsā, non esse realem. Nā actus electionis, seu deliberatus, sicut reflectitur in iudicium, habens illud, vt placitum, & electum, ita reflectitur in seipsum, eligens se eligere, vt communiter docent Doctores cum D. Thoma 1. 2. quæst. 16. ar. 4. ad 3. Sed ex hac reflexione nulla potest esse dependentia realis. Ergo neque ex priori. *Instantia.*

Respondetur, admissa paritate rationis, quantùm ad aliquid, & negata, quantùm ad omnia, negando consequentiam. Ratio est, quia inter duo realiter distincta potest dari secundùm diuersas rationes, & effectus, mutua realis dependentia in eodem genere causæ efficientis, & hoc, tàm directè, quàm reflexè. Directè quidem, vt patet in omnibus agentibus contrarijs, quæ agendo repatiuntur. Reflexè verò, vt patet non solùm in exemplo adducto; sed etiam in multis aliis: vt in calore ex radijs solaribus causato circa terram. Nam terra, reflectens in aerem iam calidum ex radijs solaribus, auget eius calorem. Et ratio huius est; quia id, quod est magis in potentia, potest pati ab eo, quod est magis in actu: At verò aer, inquantùm per eum transeunt radij solares, licet fiat calidus; non tamen fit ita calidus, sicut terra, in quam radij solares quasi figuntur, & quæ ratione suæ soliditatis est aptior ad recipiendum fortiùs calorem: & inde est, quòd aer potest per reflexionem fieri magis calidus à terra. Et ita est in proposito. Nam intellectus, quatenus reducitur in actum sententiandi, ex vi volitionis finis, & ex vi suorum principiorum, per quæ in talem sententiam reducit seipsum, non habet exercitiū sui actus ex ordine ipsius

Respondetur, & aperitur radix realis dependentiæ.

met

nec intellectus, seu rationis, seu non habet; quòd sit ex appetitu libero. Et inde est, quòd voluntas per illum actum, quem habet ex ordine rationis, seu perfectè liberum, reflectens in intellectum sententiā tem, potest eius firmare sententiam secūdùm ordinem rationis, ita vt sit, vt liberè volita, & electa, dependeatque secundùm hanc rationem ab actu libero realiter. Cæterum idem à seipso non potest pendere realiter: vnde illa reflexio, qua actus electionis dicitur electio sui, importat solùm quandam eminentiam actus liberi, qua excedit actus non liberos. Actus enim voluntatis liberi hanc eminentiam habēt, quòd, non solum sunt, quibus nos volumus aliquid; sed etiam, quos nos volumus. At verò actus non liberi, solùm primum habent; non autem hoc secundùm: & inde est, quòd, cùm quis indeliberatè aliquid appetit, vt cum habet subitum motum concupiscentiæ, non censetur se velle talem motum; sicut censetur, cum liberè cogitat de rebus obscœnis.

Proponitur secunda instantia, & recensetur responsio ex doctrina Caietani.

1552

155 DIces Secundò ex dictis videtur sequi, voluntatem se mouere naturali impetu; non autem liberè. Nam sæpe diximus, quòd voluntas se moueat ad eligendum per iudicium rationis deliberantis. Diximus etiam; quòd primum iudicium deliberatum mouet virtute volitionis naturalis finis, volitio autem naturalis est motus, seu impetus, quo fertur ex sua propria natura voluntas. Videtur ergo sequi, quòd voluntas se moueat ex naturali impetu ad eligendū. Nulla ergo erit in voluntate libertas.

Secūda instantia.

Fuit proposita a Scoto.

Respondeo, quòd difficultatem huius instantiæ attigit Scotus loco, quem citat Caietanus 1.2. quæst. 9. ar. 4. dum contra doctrinam S. Thomæ, qua prædicto articulo concludit, voluntatem creatā in primum motum prodire ex instinctu superioris mouentis, sic argumentatur: Si voluntas in primo actu, naturali instinctu moueretur ab intellectu, naturaliter moto, voluntas naturaliter moueretur; & sic esset quoddam animal brutum. Quo argumento Scotus intendit probare, quòd si voluntas nostra in primo motu, seu actu moueretur naturaliter, in omnibus actibus moueretur naturaliter. Et sequela videtur vim habere ex superiori instantia. Nam si primus motus est naturalis, & virtute talis motus volūtas pergit in reliquos, sequentes primum; videtur sequi, omnes esse naturales. Quod enim virtute actus naturalis fit, naturaliter fit.

156 Caietanus loco citato 1.2. Respōdet, negando consequentiam: quia, inquit, voluntas non solùm habet illum motum, quo mouetur ab exteriori principio; sed etiam alios, quibus mouetur à seipsa. Vltra tamen non progreditur (& fortè nō erat necessarium ad soluendum argumentum Scoti) ad explicandum modum, quo, existente primo motu ex impetu naturali, sibi impresso ab exteriori principio, alij motus non sequantur ex impetu naturali. Attigit verò hanc difficultatem 1. p. qu. 60. art. 2. vbi contra conclusionem S. D., qua statuit, dilectionem naturalem esse causam electiuæ, dubitat, & respondet, vt infra. *Circa hanc conclusionem dubium occurrit, in quo genere causæ dilectio naturalis est causa electiuæ. &c. Adhoc dicitur, quòd dilectio naturalis ex parte actus est causa electiuæ per modum efficientis, sicut cognitio principij est causa efficiens cognitionis conclusionis. Voluntas enim ex volitione finis facit se volentem alia. Facit autem, liberè vtendo dilectione naturali, ad causandam dilectionem electiuam. Vnde non adimitur libertas ex concursu hoc: sicut neque ex concursu alicuius habitus ad electionem.*

1553

Responsio. Caietani.

1554

157 Verùm hæc responsio non plenè satisfacit positæ difficultati. Nam licèt verum sit, quòd quoties voluntas liberè eligit, liberè vtatur dilectione naturali ad inferendam sibi ipsi dilectionem electiuam: exemplum tamen de concursu habitus nō est ad propositum, nec difficultatem euacuat. Nam satis diuerso modo influit in actum liberum habitus, qui est in potentia libera; & volitio, seu intentio finis in actum electionis. Habitus enim, qui est in potentia libera, est habilitas talis potentiæ, influitque in actum, sicut ipsa potentia. Vnde, sicut non obstat potentia libera actui libero; ita nec obstat habilitas, perficiens potentiam, eidem actui libero. Obstaret autem libertati, si perficeret potentiam secundùm illam rationem, qua potentia operatur, vt natura. Vnde habitus Charitatis in Patria obstat libertati diligendi Deum vltimum finem supernaturalem; quia perficit voluntatem, in quantùm tendit per modum naturæ in finem. Ex quo est, quòd ita est naturalis dilectio Dei habenti charitatem Patriæ, sicut amor boni in communi humanæ voluntati, secundùm suam naturam consideratæ, vt habes ex D. Thoma verbis relatis in hac disp. §. 3. num. 47.

Manifestatur, quòd responsio Caietani non plenè satisfacit.

Nota radicē, ex qua prouenit, quòd dilectio Dei in Beatis est necessaria.

At verò influxus volitionis, seu naturalis motus voluntatis, in actum electionis, est influxus actus, quo voluntas, facta in actu, se reducit in alium actum; atque

Digitized by Google

que adeò eſt influxus per modum actionis, ſeu motus, quo ipſa electio reducitur in actum. Valdè autem difficile eſt explicare, qualiter voluntas mouens ſe per actum, ſeu motum naturalem, reducat ſe in actum volitionis liberæ.

Vera reſponſio prædictæ inſtantiæ, qua explicatur primus proceſſus voluntatis de actu naturali in actum liberum.

1555 158 REſpondemus igitur, negando, ex noſtris dictis ſequi, voluntatem noſtram non ſe mouere liberè. Ad cuius probationem concedo: voluntatem ſe mouere medio iudicio deliberato de agendis: concedo etiam, quòd tale iudicium mouet ad exercitium actus virtute volitionis finis: concedo tertiò, quòd volitio finis eſt motus, ſeu impetus naturalis in finem; quibus conceſſis, diſtinguo primum conſequens: ergo voluntas ſe mouet ex naturali impetu ad eligendū, ſi ly *ex naturali impetu*, deſignet principium mediatum, quo voluntas ſe mouet, concedo: ſi verò deſignet principium immediatum; nego conſequentiam: & ſimiliter nego vltimam conſequentiam, puta: ergo nulla erit in voluntate libertas. Hoc enim vltimum conſequens ſequeretur, ſi verum eſſet primum conſequens in ſenſu negato, non autem ſequitur ex primo cõſequenti in ſenſu conceſſo.

Electio libera procedit à naturali, impetu volũtatis, non immediatè ſed mediatè.

1556 159 Vt intelligas reſponſionem, aduerto: quòd virtus mouentis in mobili eſt ſecundùm modum mobilis, vt ex S. Doctore probauimus tota diſputatione ſecũda. Ex quo ſequitur, quòd virtus volitionis finis in iudicio, imperante agenda ad finem, ſit ſecundùm modum rationis imperantis. Quoniam autem ratio, inquantùm eſt iudicatiua de agendis conferendo ipſa ad finem, eſt ſuo modo libera, & radix libertatis, vt toties ex S. Doctore, & euidenti ratione probauimus; inde eſt, quòd virtus volitionis finis, in iudicio cõtenta iſtum modum habeat. Ex quo fit, quòd, dum voluntas ſe reducit in actum electionis virtute volitionis finis, modificata ſecundùm modum iudicij deliberantis, oportet, quòd ſeipſam moueat ſecundùm modum rationis, ſcilicet, liberè, vt ſæpe notauimus. Ex quo patet, quòd tota ratio, vnde prouenit, quòd voluntas poteſt ſe mouere liberè, eſt, quia ſe mouet mediante iudicio rationis deliberantis; ſecundùm quem modum volitio finis, & impetus naturalis voluntatis, non eſt influxus immediatè attingens ipſam electionem, ſed mediatè, qui ſcilicet attingit electionem mediante rationis iudicio deliberato. Nam ſi poneremus, ex vna parte, id, quod toties docuit S. Doctor, nempe, quòd dilectio naturalis eſt cauſa dilectionis electiuæ; & ex alia, poneremus, cauſalitatem iſtam exerceri nullo mediante rationis iudicio; impoſſibile eſſet inueniri libertatem in voluntate. Et ita iam patet id, quod in noſtra reſolutione concluſimus. ſcilicet, quòd primum initium libertatis eſt ipſum met primum imperium, ſecundùm ea, quæ habet ex linea intellectus.

Fundamentum reſpõſionis eſt principiũ S. Doctoris defenſum tota diſp. 2.

DVBIVM SEXTVM ad ſextam.

An ex dictis recte occurratur ſextæ obiectioni.

1557 160 DVbium hoc excitamus, vt ex dictis demõſtremus, adequatè ſatisfieri omni dubitationi propoſitæ in ſexta hac obiectione, ac etiam intentioni dubitandi propoſitæ num. 47. huius §. cuius ſolutionem in fine nu. 87. in hunc locum remiſimus.

Reſolutio Dubij, eiuſque probatio.

DIcendum eſt, quòd ex præcedentium reſolutionum doctrina non ſolùm rectè occurritur omni dubitationi propoſitæ occaſione huius ſextæ obiectionis: ſed etiam euidenter demõſtratur eſſe nullius valoris.

1558 161 Probatur, ſoluendo obiectionem in forma. Itaque dum num. 1. huius §. ſic obicitur: *Videtur ſequi ex dictis, vel nullam dari voluntatis libertatem, vel voluntatem non determinari per iudicium proprium.* Negamus ſequelam. Quæ dum ſic probatur: *Voluntas noſtra non eligit liberè, & vt habeat in ſua poteſtate proprium actum, ſi non habet in ſua poteſtate iudicium, quo quòd eligitur, iudicatur eligendum. Ergo ſi voluntas liberè eligit aliquid, oportet, quòd iudicium, quo fuit iudicatum eligendum, fuerit in voluntatis noſtræ poteſtate.* Concedendum eſt totum hoc, quod (ni fallor) toto dubio 2. huius §. demonſtrauimus, verificari de iudicio præcedente primam electionem.

Soluitur in forma ſexta obiectio.

Dum verò ſubiungitur: *& ex conſequenti oportet, quòd liberè fuerit iudicatum, eſſe eligendum.* Concedendum eſt etiam; ſed iuxta dicta in reſolutione dubij præcedentis, Vbi probauimus, quòd primo imperio nos liberè iudicamus, non libertate proueniente ex actu libero volitionis præcedente, & applicante intellectum ad iudi-

candum;

Digitized by Google

eandum, sed libertate sibi conuenient ex propria linea intellectuali, quæ est radicalis in ordine ad libertatem voluntatis: & libertate sibi aduenięte ex actu libero coexistente, & qui eo est natura posterior.

Et ex hoc patet, quòd, dum subsumitur: *Sed si fuit liberè sic iudicatum, id fuit, inquantùm per actum liberum voluntatis fuit prius volitum, vt sic iudicaretur*, patet, inquam, falsum esse hoc subsumptũ absolutè; quo existente falso, nil inde concludi potest, vt patet.

1559. 162. Ex eadem doctrina facilè soluitur obiectio propositа num. 3. huius §. ex Ruiz. Nam dum sic argumentatur: *Si iudicium intellectus est liberum propter liberam motionem voluntatis; peto: quodnam iudicium intellectus determinauit Dei voluntatem ad illi priorem motionem liberam, quæ liberum iudicium præcessit.* Iam patet ex dictis, quòd supponit falsum, & ex falso supposito interrogat. Supponit enim, quòd iudicium intellectus, quo iudicatur, aliquid agendum propter finem volitum, sit liberum solùm propter hoc, quòd procedit ab actu libero voluntatis, applicante intellectum ad iudicandum, quod quidem nos probauimus esse falsum de primo imperio, seu illo iudicio, quo, suppositа solа naturali volitione vltimi finis, intellectus primò iudicat, aliquid agendum propter finem.

Soluitur obiectio Ruiz.

Supponit falsum, & ex falso fundamento interrogat

1560 163. Dicendum est igitur, quòd si aliquod iudicium est liberum ex eo, quòd procedit ex actu libero voluntatis præcedente, non est procedere in infinitum; sed deueniendum est ad illud iudicium de agendis ad finem, quod supponit actu voluntatis naturalem, seu non liberum, quo naturaliter voluntas (quæcumque illa sit, siue humana, siue angelica, siue diuina) tendit in suum naturalem finem. Tale verò iudicium est liberum, tam libertate spectante ad propriam lineam intellectus, quæ est radix, & primum initium libertatis voluntatis, tam libertate ei aduenięte ex actu libero, posteriori quidem natura; sed tempore illi coexistente, vt in resolutione dubii præcedentis diximus.

Quid dicẽdum in forma.

1561 164. Ad id tandem, quod addit Ruiz. scilicet, quod impossibile est, actum liberum voluntatis sequi per necessariam cõsequentiam ex iudicio necessario, & naturali &c. iam etiam ex dictis patet, quid dicendum sit. Nam si per ly, *iudicium necessarium, & naturale* intelligit id, quod intelligere deberet, nempe iudicium, quo aliquid iudicatur bonum ex instinctu naturæ, seu cognitione absoluta, & sine collatione ad finem, propositio est vera, vt patet ex his quæ proximè in hoc §. notauimus. num. 146. & 147. Sed hoc modo primum iudicium deliberatum non est iudicium necessarium, & naturale, cum sit secundum modum rationis, vt hoc eodem loco demonstrauimus. Si verò per ly, iudicium necessarium, & naturale intelligeret omne iudicium, quod non procedit ex actu libero voluntatis precedente &c. tunc falsa est propositio. Nam sic cõprehenderet iudicium, habens illum modum cognitionis, ex quo procedit modus libertatis in actu voluntatis.

Soluitur aliud melius Ruiz.

165. Ad formam argumenti Arriagæ iam etiam patet ex dictis responsio. Nam cum inquit: *Dices, illud imperium fuisse sub potestate nostræ voluntatis: contra. Ergo præcessit in voluntate aliquis actus, a quo tale imperium dimanauit. Ergo talis actus factus est sine imperio. Ergo non requiritur ad omnes actus voluntatis.* Patet, inquam, responsio. Nam dum dicit: *contra: ergo præcessit in voluntate aliquis actus*, si per ly, *aliquis actus* intelligit actum liberum voluntatis, falsa est consequentia. Nam ad hoc, vt primum imperium sit liberum, & in potestate nostræ rationis, & voluntatis sufficit, quòd præcesserit actus voluntatis mere naturalis, quem non precedit imperium; sed iudicium naturale. Est enim primum imperium liberum, & in potestate nostræ rationis, & voluntatis existens, non ex eo, quod procedit ex actu libero voluntatis, applicante intellectum ad deliberandum; quia (vt sæpe diximus) actus voluntatis præcedens primum imperium, vt applicans intellectum ad inueniendum (tic in confuso) quid sit agendum, est appetitus naturalis vltimi finis; sed ex eo, quia est iudicium, de quo ipsamet ratio iudicat, vt potens iudicare ad vtrumlibet, vt probauimus dubio 3. huius §. à num. 71. ad 87. inclusiuè, ratione, & exemplo, & precedenti dubio demonstrauimus.

Soluitur argumentum Arriagæ.

1562

166. Si verò intelligit aliquem actum voluntatis, etiam non liberum, sed naturalem; vera est prima consequentia, & etiam est vera secunda, puta *ergo talis actus* (puta ille, in quem vltimò fit reductio, qui scilicet est naturalis) *factus est sine imperio*, vt expresè concedit S. Doctor 1. 2. quæst. 17. art. 5. ad 3. verbis relatis disp. precedenti §. 23. nu. 53. fol. 274. Et etiam est vera tertia consequentia puta. *Ergo imperium non requiritur ad omnes actus voluntatis*; quia scilicet solùm requiritur ad actus liberos, non verò ad non liberos, seu ad naturales. Denique vltima consequentia, puta: *Quòd si semel dicimus, ad vnum non requiri, dicendum est, non ad alios*, nihil valet. Non enim valet: imperium non requiritur ad actum primum naturalem, ergo

In hoc sensu concessa prima, secunda, & tertia consequentia, vltima nil valet.

1563

ergo non requiritur ad actus liberos; Sicut non valet: Imperium non requiritur ad hoc vt Deus diligat seipsum summum bonum, quem necessariò, & naturaliter diligit. Ergo non requiritur ad hoc, vt diligat, & ordinet creaturam rationalem in vitam æternam. Quare hic Doctor in hac sua syncopata argumentatione euidentissimè decipitur; dum in omni voluntate, humana, scilicet, angelica, & diuina, præter actus liberos, non agnoscit aliquē actum naturalem, ex quo, vt ex fundamento, & principio voluntas procedit in liberos. Et debuisset hic Doctor legisse D. Thomam 1.p.q.60.ar.2. vbi S. Doctor demonstrat, principium dilectionis liberæ esse dilectionem naturalem; legat etiam eūdem S. D. 1.2.q. 17. ar.5. ad 3. vbi docet, imperium non requiri ad primum motū voluntatis, qui non est ex ordinatione rationis; requiri verò ad omnes, qui rationi subduntur, quales sunt omnes liberi.

1564 167 Denique ex dictis patet responsio ad rationem dubitandi, quam proposuimus num. 47. Nam cum dicitur: *si prima deliberatio esset sub potestate nostræ liberæ voluntatis, oporteret, quòd esset in nostra voluntate potestas, qua per suum velle, & nolle posset facere, vt talis deliberatio sit, vel non sit*, propositio, quæ inculcat difficultatem, est ista: *id est in nostra potestate, quod per nostrum velle, & nolle, possumus facere, quòd sit, vel non sit*. Hæc autem propositio non habet vniformem veritatem de omnibus, quæ sunt in nostra potestate, vt ex dictis constare potest. Siquidem tria (quæ inter se ordinata sunt) inueniuntur esse in nostro dominio, & potestate, scilicet, iudicium, quo iudicamus de agendis ad finem, seu de his, quæ sunt in nostra potestate: velle, & nolle, quibus per affectum tendimus in ea, de quibus iudicamus: & operationes, quas directè volumus, vel nolumus ad assequendum finem, E. g. ad conseruandam sanitatem iudico, sumendam potionem, & eam volo sumere. In hoc facto tria sunt in nostro dominio, & potestate: primum est *iudicium*, quo iudico, sumendam potionem: secundum est, *velle*, quo volo eam sumere: tertium est ipsum *sumere*. Horum autem talis est ordo: *sumere*, quod est vltimum dependet, vt à proxima causa ab ipso *velle*: at verò *velle* pendet, vt à sua proxima causa à iudicio: iudicium tandem à nullo antecedenti, quod est in nostra potestate, dependet. Iudicium ergo de agendis ad finem, est primum, quod est in nostra potestate, & est principium, vnde procedit, quòd sit in nostra potestate ipsum *velle* sequens iudicium, vt patet ex Aristotele, & D. Thoma locis relatis in hac disp. §.5. a num. 58. ad 70.

Solutur ratio dubitandi proposita nu. 47.

Nota sequentem doctrinam

Exemplum ad propositum.

168 Et ex his apparet, quòd illa propositio diuersimodè verificatur de his tribus, quæ sunt in nostra potestate. Nam de tertio, quale est *sumere potionem*, prædicta propositio verificatur propriè, & per hoc, quod per nostrum velle, & nolle, quod antecedit, vt causa ad ly, *sumere, vel non sumere potionem*, facimus, quòd illud sit, vel non sit. At vero de ipso *velle*, vel *nolle* non potest in dicto sensu verificari. Non enim hæc sunt in nostra potestate, quia habemus aliquod *velle* antecedēs, per quod fiat ipsum *velle*. Sed potest in nobis, qui sumus mutabiles, verificari, per hoc quod per *velle*, & *nolle* posteriora, possumus mutata voluntate tollere, vel non mutata voluntate confirmare, priora: & sic possumus facere, quòd priora *velle*, & *nolle*, sint, vel non sint. Cæterum absolutè, velle, & nolle sunt in nostra potestate, inquantùm de nostro *velle*, & *nolle* possumus iudicare, iudicio à nobis intento, quòd sint bona, vel non bona, & sic sunt in nostra potestate *velle*, & *nolle*, vt patet ex verbis S. Doctoris relatis in hoc §.num.64. Demum de ipso primo iudicio deliberato eodem modo verificari potest, quo verificatur de ipso nostro *velle*, & *nolle*: per hoc scilicet, quod de iudicio prolato possumus iterum iudicare, & per posteriorem sententiam dicere, quòd iudicium prolatum est bonum, vel non bonum; & sic illud velle, vel nolle: & per nostrum velle, & nolle facere, quòd iudicium prius datum sit, vel non sit. Verùm, absolutè loquendo, quælibet sententia de agendis ad finem, est in potestate nostræ voluntatis, inquantùm omnis talis sententia est virtualiter reflexè iudicata bona, vel mala, per potestatem iudicatiuam, quæ possumus iudicare vtrumlibet, vt probauimus toto dubio 1. huius §. & sic quamlibet sententiā possumus absolutè loquendo velle, vel nolle. Et hoc sufficit ad hoc, vt ipsa prima deliberatio sit in potestate nostræ voluntatis.

Propositio, assumpta in argumento, non potest eodem modo verificari de his, quæ sunt in nostra potestate.

1565

1566 169 In forma igitur dicendum est, quòd illa propositio: *si prima deliberatio esset sub potestate nostræ liberæ voluntatis, oporteret, quòd esset in nostra voluntate potestas, qua per suum velle, vel nolle, posset facere, quòd dicta deliberatio sit, vel non sit*. Si de velle, vel nolle, à quibus aliquid ita fit, vt reducatur de non esse ad esse, intelligatur, falsa est propositio: in hoc enim sensu, solum id, quod directè eligitur (vt est sumptio potionis) est in nostra potestate: non autem ipsemet actus electionis, & iudicium præcedens electionem, vt explicui-

Soluitur obiectio in forma.

Digitized by Google

plicuimus. Quia autem in isto sensu assumitur in dicto argumento, vt patet ex probatione minoris, qua scilicet probatur implicantia dictæ potestatis: ideo negamus eam absolutè. Nec aliud oportet hic addere: sed solùm considerare quæ diximus in hoc §. a num. 71. ad 88.

§. VII.

SEPTIMA OBIECTIO proponitur.

Quæ videtur euertere rationem fundamentalem nostræ sententiæ: petitque, vt explicetur, per quid virtus iudicatiua de agendis contingentibus ad finem, de quibus potest iudicare opposita, determinetur ad iudicandum alteram partem, & ad hoc explicandum excitantur, & soluuntur tria dubia.

1567 1 SEptimò obijcies: si omnis voluntas (tam creata, quàm increata) ideo indiget determinari per iudicium intellectus: quia est ad vtrumlibet: & ab eo, quòd est ad vtrumlibet, non procedit actio; nisi per aliquod, quod determinat ad vnum: pari ratione, quia omnis virtus intellectualis, inquantùm est radix libertatis, seu inquantùm est iudicatiua de agendis contingentibus ad finem naturaliter volitum, se habet ad vtrumlibet, seu ad opposita, non procedet in aliquod iudicium determinatum; nisi per aliquod, quod virtutem iudicatiuam determinat ad vnum. Hoc autem assignari, præsertim in Angelis, & Deo videtur impossibile. Nam in Deo, & Angelis, qui sunt omninò immateriales, non sunt potentiæ sensitiuæ; sed solùm intellectus, & voluntas; & ex his, voluntas determinatur per intellectus iudicium: intellectus verò, inquantùm in iudicando de agendis se habet ad opposita, non videtur habere aliquid aliud in propria linea, per quod possit determinari. Quare videtur sequi, vel quòd intellectus determinat seipsum secūdùm illā indifferentiam, quā habet ex propria linea, vel quòd determinatur per aliquod, quòd non est ad vtrumlibet. Horum primum duo habet incommoda. Vnum est: quia si semel aliquid, se habens ad vtrumlibet, potest determinare seipsū: falsum esset illud principium: *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur actio*, &c. Secundùm est: quia non videtur rationabiliter denegari posse voluntati, quod conceditur intellectui. Secundùm verò inuoluere videtur contradictionem. Nam si determinatiuum eius, quod est ad vtrūlibet, esset aliquod ex natura sua determinatum ad vnum, tale ad vtrumlibet non posset determinari, nisi ab vno, & sic falsum esset, quod erat ad vtrumlibet.

Hæc obiectio petit, vt explicemus distinctè, qualiter, & per quid virtus intellectualis, quæ in iudicando de agendis, nō necessarijs ad finem, se habet ad vtrumlibet, secundùm ea, quæ habet ex propria linea intellectus, determinetur ad iudicandum alteram partem determinatè. Ad hoc autem explicandum tria excitamus dubia.

Primum. An, ex quibus principijs, & quomodo, virtus iudicatiua rationalis, se habens ad vtrumlibet in iudicando de agendis, determinet seipsam secundùm illam indifferentiam, quam habet ex propria linea, ad iudicandum vnum.

Secundùm. An, & quomodo virtus iudicatiua angelica, quæ non est discursiua, determinet seipsam secundum illam indifferentiam, quam habet ex propria linea, in iudicando de singularibus agendis.

Tertium. An, & quomodo intellectus diuinus determinet seipsum, in iudicando de proprijs actibus, seu de agendis.

DVBIVM PRIMVM ad septimam.

An, ex quibus principijs, & quomodo, virtus iudicatiua rationalis, se habens ad vtrumlibet in iudicando de agendis, determinet seipsam, secundùm illam indifferentiam, quam habet ex propria linea, ad iudicandum vnū.

1568 2 INcipimus punctum hunc difficultatis explicare ex his, quæ sūt in nostro intellectu; quia hæc sunt euidentiora, eorumque aliqua sæpius explicuimus, aliqua suppossuimus. Nunc autem quasi in proprio loco debemus, & probare, & distinctiùs explicare. Inquirimus verò principaliter duo de virtute rationali. Primum. An determinet seipsam; non quidem ad exercitium actus: quia secundùm hanc rationem totum habet à volūtate: sed secundùm propriam lineam, seu ad inueniendum, id quod in singulari expedit voluntati. Secundum: quibus principijs, & quomodo.

Resolutio Dubij.

1569 3 DIcendum est, quòd virtus intellectiua rationalis, quantùm ad indifferentiam in iudicando de singularibus agendis, quam habet, prout est radix indifferentiæ voluntatis, seu quam habet secundùm propriam lineam, determinat seipsam.

Digitized by Google

seipsam. Idque sibi præstat intrinsecè, simpliciter, & in actu, in suo discursu practico per apprehensionem singularis extremi, quam accipit per intellectum passiuum, vt inueniendo concludat, quòd hic, & nunc, hoc est, vel non est agendum. Inquantùm, scilicet, ratio nostra, applicata ex volitione finis, ad inueniendum id, quod hic, & nunc, expedit agere propter finem, in suo discursu applicat principia vniuersalia, per quæ se habet ad opposita, singularibus apprehensis per intellectum passiuum: & sic indifferentia vniuersalium principiorum determinatur per apprehensionem alicuius determinati singularis, cui applicantur vniuersalia.

Explicatur resolutio.

1570

Supponit modum procedendi rationis practicæ.

4 IN primis aduerto: in hac resolutione nos non loqui de determinatione, qua intellectus noster quandoque determinat seipsum sine discursu. Talis enim modus non est proprius rationis. Propriè enim conuenit Angelis, vt notauimus §. præcedenti num. 74. & 75. inuenitur verò quandoque in nostro intellectu, vt in aliquo actu attingente proprietatem superiorum spirituum. Et inde est, quòd prædictus modus constabit ex ijs, quæ dicemus dubio sequenti, loquentes de Angelis. Supponit verò resolutio modum procedèdi rationis practicæ, quẽ ex Aristotele, & D. Thoma retulimus disp. 1. §. xi. a num. 22. ad 33. & §. V. huius disp. toto dubio 1. 2. & 3. & alibi sæpe, quòd scilicet ratio in eligendis, & fugiendis, quibusdam syllogismis vtitur, quorum maior est vniuersalis; minor vero singularis, apprehensa per rationem particularẽ, quæ alio nomine dicitur cogitatiua, vt habes ex D. Thoma relato disp. 1. §. xi. num. 25. vide etiam 2. 2. quæst. 49. ar. 2. ad 1. & lib. 6. ethicorum lec. 9. lit. tert. 1. in quibus locis docet ex Aristotele, esse duo extrema in syllogismo operabilium, puta extremum maius, & hoc est aliquod vniuersale: & extremum minus, & hoc est aliquod singulare apprehensum per sensum internum, qui in nobis appellatur cogitatiua. & in brutis naturalis æstimatiua, quẽ sensum in nobis appellat Aristoteles intellectum passiuum, vt aduertit S. Doctor loco cit. ex lec. 9. lib. 6. ethicorum.

1571

Aliud quod supponit resolutio.

5 Supponit etiam id, quod sæpissimè explicuimus, nempe; quòd voluntas, volendo efficaciter finem, ac etiam volens inuenire vtile ad finem, per hanc ipsam (etiam naturalem) volitionem finis, & appetitum inueniendi vtile, seu etiam vtilius, seu conuenientius fini, applicat intellectum ad inquirendum. Ita quidem vt sicut volitio boni, seu finis, & appetitus vtilis non tendunt determinatè, & distinctè in aliquod determinatum singulare; sed solùm in confuso, & per hoc, quod tendunt in ipsam rationem vtilis: ita applicatio, & determinatio, quam habet intellectus ex vi talium actuum, solùm sit ad rationem communem boni vtilis; vt scilicet per suam industriã inueniat, quid sit, vel non sit agendum, per ipsam rationem boni vtilis: secundùm quam rationem est adhuc in statu, quo de singularibus contingentibus potest indifferenter iudicare secundam partes oppositas.

1572

Cur sit dictum: determinat se intrinsecè, simpliciter, & in actu, explicatur.

6 Volumus autẽ in resolutione, quòd ratio nostra sic applicata determinat seipsam ad iudicandum vnum ex oppositis: & quòd hoc sibi præstat per virtutem discursiuam, & collatiuam, qua applicat rationem communem boni vtilis singularibus agendis, quæ apprehendit per sensum internum, qui vocatur potentia cogitatiua, seu intellectus passiuus. Diximus autem: *determinat se intrinsecè*, vt designaremus dari aliqua extrinseca, ex quibus moueatur ad se determinandum. Diximus: *simpliciter, & in actu*, vt designaremus dari aliqua principia intrinseca, quæ aliquo modo, determinant intellectum ad iudicandum; sed non simpliciter, & in actu; sed secundùm quid, & in habitu: quomodo determinatur per quosdam habitus morales, seu virtutes, siue acquisitas, siue infusas, & etiam per habitus prauos, ad quædam specialia principia, quæ, discurrens de agendis, supponit, & ex quibus habet in habitu iudicium circa fines talium habituum.

Probatur resolutio quantùm ad illam partem, qua asserit, quòd ratio nostra determinat seipsam.

1573

7 HIS positis facilè potest resolutio nostra demonstrari. Et quidem quòd ratio nostra determinat seipsam in iudicando de singularibus agendis per virtutem suam collatiuam, & discursiuam, constare potest ex his quæ diximus §. præcedenti toto dubio 2. Ratio autem ex doctrina S. Thomæ ibi adducta sic proponi potest.

Ratio ostensiua propositi.

Virtus iudicatiua rationis nostræ, non iudicat de singularibus agendis ex instinctu naturæ; sed per collationem, & discursum; ita ut iudicet de ipsis iudicio, & sententia, ab ipsamet ratione inuenta, & excogitata industria suæ propriæ virtutis collatiuæ, qua applicando singularibus ac-

tioni-

Digitized by Google

tionibus primam regulam agendorum, seu mensuram, puta rationem boni, inuenit: An singularis actio sit, vel non sit agenda. Ergo ratio nostra, quantùm ad indifferentiam, quam habet ex propria linea, & prout est radix libertatis, & indifferentiæ, inuentæ in voluntate, determinat seipsam in iudicando de singularibus agendis: & non est ex illis potentijs, quæ sunt tantùm determinatæ ab alio ad iudicandum. Antecedens probatum est à nobis ratione, & manifesta experientia §. V. huius disp. a num. 7. & §. 6. toto dubio 3. ratione, & exemplo: & adde quæ diximus num. 138. eiusdem §. nec oportet aliud addere.

1574 8 Consequentia verò quantùm ad partem affirmatiuam, puta: *ergo ratio nostra quantùm ad indifferentiam*, &c. patet ex secunda parte antecedentis. Hoc enim ipso, quòd ratio nostra de singularibus agendis iudicat in hanc, vel oppositam partem, iudicio inuento, & excogitato à seipsa: ita vt determinata sententia singularis agibilis non sit sibi dictata ab alio; rectè indè sequitur, quòd ipsa nostra ratio, quãtùm ad indifferentiam, quam habet ex propria linea, determinat seipsam in iudicando de singularibus agendis. Et consequentia ista apparet, si aduertatur, quòd indifferentia, quam habet intellectus noster secundùm propriam lineam, consistit in indifferentia principiorum vniuersaliũ, seu formæ apprehensæ vniuersalis boni, per quam potest de singularibus agendis iudicare ad vtrumlibet, vt notauimus ex D. Thoma in hac disp. §. p. num. 28. & 29. & §. 2. num. 5. & §. 6. num. 79. & alibi sæpè. Hoc suppositò, consequentia sic apparet. Nam intellectum determinare seipsum secundùm propriam lineam virtutis iudicatiuæ, idem importat, quod, intellectum propria virtute ex illo iudicio vniuersali, per quod habet indifferentiam ad iudicandum oppositа, reducere seipsũ in iudicium singulare, quo de aliquo singulari iudicat alteram partem ex oppositis: sed hoc ipso, quòd intellectus noster iudicat de agendis singularibus iudicio à se inuento, & excogitato, per propriam virtutem discursiuam, qua applicat vniuersalem rationem boni singulari actioni, seu qua ex maiori vniuersali, & minori singulari, infert de eodem singulari determinatum iudicium: iam ex illo iudicio vniuersali, per quod habet indifferentiam, reducit se in determinatam sententiam singularis agibilis, seu in iudicium determinatum. Determinat ergo seipsum quantùm ad illam indifferentiam, quam habet ex propria linea.

Probatur consequẽtia.

9 Potest secũdò eadem ratio sic proponi. Ab eo virtus nostra iudicatiua effectiuè determinatur ad iudicandum, à quo habet effectiuè iudicium illud, quo fit formaliter determinatè sic iudicãs. Sed iudicium illud, quo ratio nostra est formaliter determinatè sic iudicans de agendis singularibus, habet effectiuè à seipsa, inueniente per discursum tale determinatum iudicium. Ergo ratio nostra determinatur à seipsa in iudicando de agendis singularibus. Minor est euidens ex terminis. Ab eo enim subiectum fit effectiuè tale, à quo effectiuè habet formam, qua est formaliter tale. Sicut paries ab eo fit effectiuè albus, à quo habet albedinem, qua est formaliter albus. Minor verò ex dictis est manifesta. Quælibet enim conclusio nostræ rationis, quale est iudicium, quo iudicatur, hìc & nunc, hoc esse agendum, procedit, vt à causa efficiente, reducente rationem nostram in actum, ab ipsamet ratione. Et vide quæ proximè notauimus §. præcedenti num. 137. & 138.

1575 *Eadem ratio proponitur alio modo.*

10 Potest tertiò eadem ratio sic proponi. Illud quod propria virtute informat seipsum principio proximo, quo posito, oportet ipsum procedere in determinatũ iudicium, determinat seipsum ad iudicandum: Sed ratio nostra est huiusmodi. Ergo. Maior patet. Nam per hoc aliquod agens determinat aliud à se distinctum ad aliquam operationem, quòd confert illi principium, ex quo fluit operatio, seu quo habito, oportet, ipsum procedere in operationem, si non impediatur. Vnde auctor naturæ per hoc dicitur determinare naturalia ad vnum, quòd eis præbet formas proprias naturales, ex quibus fluit motus in vnum, vt demonstrauimus disp. præcedenti §. 20. Per hoc ergo aliquod agens determinabit seipsum ad aliquam operationem, & in casu nostro iudicans determinabit seipsum ad iudicandũ, quòd informat se illo principio, quo oportet ipsum procedere in determinatum iudicium, seu determinatam operationem.

1576 *Proponitur 3. modo eadem ratio.*

11 Minor etiam constat. Nam proprium principium, quo posito oportet, intellectum nostrum procedere in determinatum iudicium de singularibus agendis, sunt præmissæ syllogismi operatiui, quibus sub maiore pronunciante, aliquid esse vniuersaliter agendum, sumitur propositio singularis, pronuncians, talem determinatam actionem contineri sub subiecto maioris, Istis enim principijs informata ratio nostra, oportet, ipsam procedere in iudicium, quo determinatè iudicet alteram partem ex oppositis de tali determinata actione. Sed ratio nostra per in-

1577 *Probatur minor.*

Digitized by Google

dustriam suæ propriæ virtutis discursiuæ informat seipsam prædictis præmissis, illas disponendo, & ordinando, vt per se constat. Ergo &c.

Quædam notabilia ex doctrina S. Doctoris.

1578 12 AD maiorem supradictæ rationis intelligentiam notari debet primò, quòd, vt docet S. Doctor de Veritate q. 22. ar. 13. in corp. post medium & alibi sæpè, proprium est rationis conferre, & ordinare; & inde est, quòd proprium est ipsius rationis, conceptiones proprias ita ordinare, vt coeant in vnum principium, quo ipsamet inducatur ad aliquid aliud cognoscendum, quod alias erat sibi ignotum; vnde dicitur inuenire nouas veritates.

Proprium rationis est ordinare.

1579 13 Notari debet secundò: in anima nostra inueniri virtutem actiuam, non solùm, qua primò abstrahit species intelligibiles a phantasmatibus, & eas imprimit intellectui possibili; sed etiam, qua virtus ipsa apprehensiua, ordinando primas conceptiones, in quas prorumpit facta in actu ab intellectu agente per species sibi impressas, iterum format nouas species, quibus fit in actu, ad aliquid de nouo cognoscendum, vt adnotat S. Doctor quæst. 8. de Veritate ar. 5. in corp. post medium.

Intellectus noster factus in actu per species abstractas ab intellectu agente, format nouas species.

1580 14 Notari debet 3. quòd in homine non solùm est ordinatiua, collatiua, & discursiua virtus apprehensiua intellectualis, qua cognoscimus vniuersalia; sed etiam virtus quædam sensitiua, apprehensiua intentionum indiuidualium, puta, vis cogitatiua, seu ratio particularis, quæ in animalibus brutis appellatur virtus æstimatiua. Differt autem virtus æstimatiua brutorum a nostra virtute cogitatiua, quod illa apprehendit solùm ex instinctu naturæ; at verò nostra cogitatiua, apprehendit conferendo, discurrendo, & inueniendo nouas conceptiones indiuiduales; immo & formando nouas species, quibus fit in actu ad iudicandum de inuentis. Et notanda sunt ad hoc propositum verba S. Thomæ 1. p. quæst. 78. ar. 4. in corp. vbi sic habet.

Homo non solùm habet intellectum discursiuum, sed etiam vim cogitatiuam.

1581 15 *Considerandum est autem, quod quantùm ad formas sensibiles non est differentia inter hominem, & alia animalia. Similiter enim immutantur à sensibilibus exterioribus. Sed quantùm ad intentiones prædictas* [quibus scilicet apprehenditur aliquid vt vtile, vel nociuum] *differentia est. Nam animalia percipiũt huiusmodi intentiones solùm naturali quodam instinctu; homo verò per quandam collationem. Et ideo quæ in alijs animalibus dicitur æstimatiua naturalis, in homine dicitur cogitatiua, quæ* [nota sequentia] *per collationem quandam huiusmodi intentiones adinuenit. Vnde etiam dicitur ratio particularis, cui Medici assignant determinatum organum, scilicet, mediam partem capitis. Est enim collatiua intentionum indiuidualium, sicut ratio intellectiua intentionum vniuersalium. Ex parte autem memoratiuæ non solùm habet memoriam in subita recordatione præteritorum; sed etiam reminiscentiam, quasi syllogisticè inquirendo præteritorum memoriam, secundùm indiuiduales intentiones. Auicenna verò ponit quintam potentiam, mediam inter æstimatiuam, & imaginatiuam, quæ componit, & diuidit formas imaginatas, vt patet cum ex forma imaginata auri, & forma imaginata montis, componimus vnam formam montis aurei, quam nunquam vidimus. Sed ista operatio non apparet in alijs animalibus; in homine, quoad hoc, sufficit virtus imaginatiua.*

Doctrina S. Thomæ ad propositum.

16 Hæc omnia notare oportuit, vt percipiatur vera radix, vnde habet virtus nostræ rationis, quòd possit determinare seipsam in iudicando de singularibus agẽdis. Radix est ista virtus actiua, qua conferendo, & ordinando conceptiones, siue vniuersales, siue indiuiduales, potest inuenire nouas formas, quibus determinatur, & prorumpit in nouas conceptiones. Atque etiam hæc est radix, vnde est in nostra voluntate libertas, & potestas determinandi seipsam, vt patet ex allatis in hac disp. §. 6. num. 64. 65. & 66. & à num. 71. ad 87. Et quidem si nostra virtus cogitatiua, seu ratio particularis, quæ ab Aristotele appellatur intellectus passiuus, iudicaret solùm ex instinctu naturæ, sicut æstimatiua naturalis brutorum; non autem ex collatione & discursu, non haberet homo sufficientem potestatem supra proprium iudicium singularium agẽdorum, & ex consequenti claudicaret etiam dominium voluntatis in easdem actiones singulares.

1582 *Concluditur ex dictis, quæ sit radix, ex qua procedit, quòd intellectus noster, & voluntas determinant seipsas.*

Ratio nostra determinat seipsam in suo discursu practico per apprehensionem singularis extremi, quam accepit per intellectum passiuum.

1583 17 HOC dicto explicamus proprium munus præmissæ singularis. Licèt enim vtraque præmissa requiratur ad determinandam rationem: ita vt vna sine altera non inducat ipsam rationem in iudicium conclusionis: attamen, quia in syllogismo de agendis per præmissam vniuersalem, secundùm se sumptam, ratio nostra se habet indifferenter ad multa, & per apprehensionem singularis extremi,

Digitized by Google

tremi, seu præmissam singularem, indifferentia vniuersalis præmissæ determinatur ad singularem materiam. Ideo absolutè diximus, rationem nostram determinari ad singulare iudicium hic, & nunc, &c. per apprehensionem singularis extremi, factam per intellectum passiuum, & hoc secundùm mentem Aristotelis, & S. Thomæ.

1584 18 Vt, quod intendimus, percipiatur simul, & probetur, duplex Doctrina Aristotelis, & D. Thomæ recolenda est. Prima est, cuius meminimus disp. 1. §. xi. num. 26. nempe: præmissam vniuersalem, & præmissam singularem in syllogismo operatiuo, eam proportionem habere ad inferendam conclusionem singularem, quam causa vniuersalis, seu superior, & causa particularis, seu inferior, habent, dum concurrunt in determinatum effectum. Prædictæ autem causæ sic se habent (vt probauimus disp. 2. a §. 9. & deinceps ex doctrina Aristo: & D. Thomæ) quòd influentia causæ superioris, quæ de se est magis indeterminata, determinatur per inferiorem ad producẽdum determinatum effectum. Sic ergo influentia principij vniuersalis, per quod ratio nostra se habet indifferenter ad multa, determinatur per principium singulare. Lege D. Thomam, a nobis relatum cit. disp. 2. §. x. nu. 6.

Præmissa vniuersalis, & præmissa particularis in ordine ad conclusionem se habent sicut causa vniuersalis, & particularis.

1585 19 Secunda est. Quòd intellectus noster non apprehendit directè singulare; sed solùm sensus. Et inde est, quòd, quia syllogismus rationis practicæ debet habere minorem singularem, duplex intellectus requiritur ad formandum prædictum syllogismum, scilicet, intellectus apprehensiuus vniuersalium, ad quem spectat apprehendere maiorem, & intellectus apprehensiuus singularium, qui est vis cogitatiua, quam ipse Aristoteles appellat intellectum passiuum, ad quam spectat apprehendere minorem, vt patet ex D. Thoma à nobis relato disp. 1. §. xi. num. 25. & alijs locis citatis in hoc §. num. 4.

Intellectus noster non apprehendit directè singulare.

1586 20 Verùm, si quis contra Aristotelẽ, & S. Doctorem, contenderet intellectum nostrum, non solùm apprehendere directè vniuersalia, sed etiam singularia, parum refert ad propositum, siue enim dicamus, singularia apprehendi directè per intellectum, siue per virtutem cogitatiuam, semper idem sequitur. Poteritque iste talis resolutionem nostram existimare, ac si non haberet illa verba, *quam accipit per intellectum passiuum*, & illa alia *apprehensis per intellectum passiuum*.

Nostra resolutio nõ pendet per se ex præcedenti doctrina.

Soluitur ex dictis septima obiectio, pro vt tangit intellectum humanum.

1587 21 EX dictis modò patet, qualiter soluenda sit obiectio huius §. inquantùm tangit indifferentiã intellectus nostri. Concedendum est enim id, quod infertur in maiori, nempe: oportere, quòd ab intellectu nostro, vt ab habente principia vniuersalia, per quæ se habet indifferenter ad multa, non procedat sententia singularis agibilis; nisi per aliquid, quod determinat ad vnum. Et cùm inquiritur, quod nam est illud? Dicendum est, quòd est discursus consilij per præmissam singularem. Et sic est verum, quòd intellectus noster, se habens indifferenter ad iudicandum opposita de singularibus agibilibus, non exit in determinatam sententiam; nisi per aliquid, quod determinat ad vnum, puta, per syllogismum consilij, accipientem præmissam singularem. Hoc enim ipso, quod intellectus noster habet ista duo, puta vim ad apprehendendam formam vniuersalem, per quam se habet indifferenter ad multa, & vim ad apprehendendam formam singularem, (siue per seipsum siue mediante virtute cogitatiua) per quam se habet determinatè ad illud vnum singulare, iam habet id, per quod non potest exire in determinatam sententiam singularis agibilis; nisi determinetur, & etiam habet id, per quod potest determinari, ac sic exire in determinatam sententiam. Et cum ipsemet intellectus sit, qui discurrit, assumendo principium vniuersale, & principium singulare; inde est, quòd ipse intellectus est, qui seipsum, prout habet indifferentiam, determinat per id, per quod habet determinationem.

Saluatur illud principium: ab eo, quod est ad vtrumlibet non exit actio &c. Et quòd intellectus determinat seipsum.

1588 22 Et inde apparet, quòd non amplius concedimus intellectui, quàm concedimus voluntati. Sunt enim istæ duæ potentiæ vniuersales, mouentes, & determinantes seipsas; sed intellectus ex his, quæ naturaliter intelligit, mouet se ad inueniendam nouam veritatem: voluntas verò ex eo, quod naturaliter vult, puta fine, mouet se ad aliquid volendum propter finem. Seruatur deinde proportio inter prædictas potentias. Vnde sicut de intellectu dicimus, quòd determinat se ad inueniendam singularem sententiam] agibilium, per apprehensionem singularis extremi, factam per intellectum passiuum, secundùm mentem Aristotelis, & D. Thomæ. Ita de voluntate dicimus, quòd determinat seipsam ad aliquid determinatè eligendum

Declaratur, non plus concedi intellectui, quã voluntati.

Digitized by Google

gendum per rationis consilium, seu sententiam de singulari operabili, vt sæpe diximus, & probauimus.

DVBIVM SECVNDVM ad septimam.

An, & quomodo virtus intellectiua Angelica, quæ non est discursiua, determinat seipsam in iudicando de singularibus agendis.

1589 23. DVbium hoc non procedit in opinione cõtendentium, Angelos esse absolutè, & simpliciter discursiuos: nec in opinione Suarij, & aliorum existimantium, Angelos discurrere in iudicando de contingentibus: in quorum sententia solutio pateret ex dictis. Quippe quia, si discurrerent, eorum intellectus determinaret se per discursum consilij, & apprehensionem singularis extremi, vt diximus de intellectu nostro. Procedit igitur difficultas in sententia S. Thomæ negantis ab Angelis omnem discursum.

Procedit difficultas in sententia S. Thomæ.

Resolutio dubij.

1590 24. DIcendum autem est, quòd intellectus angelicus, quantùm ad indifferentiam, quam habet ex propria linea, secundùm quam est radix libertatis, & indifferentiæ, inuentæ in voluntate angelica, determinat se, & est causa sui iudicij de agendo hoc, vel illo, hic, & nunc. Et hoc, inquantùm oportet, quòd tale iudicium, pro vt terminatur in tale obiectum, sit in Angelo, non ex instinctu naturæ, seu sibi inditum, & dictatum ab alio; sed per ipsiusmet angelici intellectus industriam inuentum: non quidem componendo, diuidendo, & discurrendo; sed altiori modo, & per hoc, quòd, cognita ratione finis, & proportione agendorum ad finem, illa eadem cognitione qua cognoscit principia agibiliũ, profert proprium iudicium, seu sententiam de suis agendis singularibus, qua sine discursu, & compositione iudicat, quòd hìc, & nunc, hæc actio est, vel non est, sibi agenda. Et inde est, quòd intellectus Angeli iudicat de agendis singularibus per voluntatem eiusdem Angeli, tanquam iudex, cui commissa est decisio causæ: profertque sententiam de agendis, consideratis vniuersalibus legibus, seu regulis agendorum, & sic suo modo applicat vniuersalem rationem boni, per quam se habet indifferenter ad multa, singularibus agendis, determinatque seipsum. Itaque intellectus Angeli sine discursu, & per cognitionem collatiuam ordinis altioris, quàm sit collatio discursiua intellectus humani, applicat vniuersalem rationem finis singularibus agendis, & sic determinat se, est causa sui iudicij, vt illud habens in sua potestate, per quod voluntas dominatur suis actionibus: facitque perfectiori modo totum illud, quòd intellectus humanus per discursum consilij, & apprehensionem singularis extremi. Denique verificatur de intellectu angelico principiũ illud: *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non exit determinata actio, nisi per aliquid, quod determinat ad vnum*, & vitatur processus in infinitum in actibus liberis Angelorum.

Intellectus Angeli determinat seipsũ.

Iudicat de agendis, non ex instinctu naturæ; sed per iudicium inuentum sine discursu.

Iudicat, vt iudex, ad quem spectat decisio causæ.

Applicat vniuersales regulas singularibus agendis.

Habet in sua potestate proprium iudicium. Non exit in actum, nisi determinetur: & vitatur processus in infinitum.

Resolutio hæc multa continet difficilia, & specialiter conuenientia intellectui angelico, pro vt est radix libertatis: ideoque cogimur manifestare, & adnotare speciales aliquas doctrinas S. Doctoris, ex quibus veritas prædictæ resolutionis dependet.

Primum considerandum.

1591 25. IN primis debemus considerare, quòd, quæ diximus de intellectu humano, in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt cum ijs, quæ in præsẽti resolutione diximus de intellectu angelico. Conueniunt: inquantùm omni intellectui creato, tàm discursiuo, quàm non discursiuo, considerato secundùm indifferentiam, quam habet ex propria linea, propter quam est radix libertatis, concedimus virtutem determinandi seipsum. Et hoc propter vnam, eandemque rationem. Quia, scilicet, oportet, vt iudicium illud, ad quod sequitur actus liber, non sit innatum, & inditum ex natura; sed sit ab ipsomet intellectu per industriã inuentum, & excogitatum: taliter vt possit dici iudicium proprium, seu sententia propria, potentis aliter iudicare, aliudque sentire. Differunt: inquantùm non eundem modum determinandi se tribuimus vtrique intellectui. Nam intellectui humano tribuimus illum modum, quo euadit inuentor, & causa iudicij proprij, non solum ex parte obiecti excogitati, & inuenti, vt diximus §. præcedenti num. 138. sed etiam ex parte actus, inquantùm deducit conclusionem ex principijs. At verò intellectui angelico tribuimus quendam modum altiorem, per quem euadit inuentor, & causa proprij iudicij de agendis, solùm ex parte obiecti excogitati, & inuenti; non autem ex parte actus: inquantùm, scilicet, illo eodem actu, quo cognoscit principia agibilium, cognoscit etiam

Quæ diximus de intellectu humano, & Angelico cõueniũt, & differũt

Digitized by Google

tiam in eisdem principiis conclusiones de agenda hac, vel illa actione, vt infra allatis auctoritatibus D. Thomæ manifestabimus.

Considerandum secundùm.

1592

Indifferentia intellectus in iudicando de agendis consistit in indifferentia formæ vniuersalis.

26 AMpliùs circa indifferentiam, quam in iudicando de singularibus agendis, habet ex propria linea omnis virtus intellectualis, considerari debet, quòd (vt sæpiùs diximus) consistit in indifferentia, quam habet forma apprehensa vniuersalis, seu ratio communis boni, per quam intellectus iudicat de agendis ad finem. Et hoc, inquantùm intellectus ex vi talis rationis, seu formæ apprehensæ boni, per quam, velut per principium naturale, iudicat de singularibus agendis, non astringitur ad vnum determinatum iudicium circa prædicta: ac per hoc, quantùm est ex vi principij naturalis, per quod iudicando mensurat singularia agenda, nō est ligatus ad sic, & non aliter iudicandū; sed solutus, & liber, seu indifferens, & indeterminatus. Et inde est, quòd idem importat: *intellectum ex vi propriæ lineæ esse indeterminatum, seu solutum, & liberum, in iudicando de singularibus agendis ad finem*: quod importat: *intellectum ex vi naturalis principij*, puta, apprehensionis communis boni, *per quod iudicat de singularibus agendis ad finem, esse indeterminatum, solutum, & liberum in iudicando de eisdem*. Idque patet ex his, que notauimus §. 2. huius disp. num. V. vbi retulimus verba S. Thomæ ex 1. p. q. 59. ar. 3. in corp.

1593

Angeli apprehendūt ipsam rationem cōmunis boni, & per eā iudicāt de agendis singularibus.

27 Verùm ad propositum præsentis difficultatis esset nunc ostendendum: Angelos apprehendere per suum intellectum ipsam rationem communis boni, & per eam iudicare, tamquam per principium naturale, de singularibus agendis: vt sic constare posset, intellectum angelicum habere indifferentiam, & libertatem, sibi ex propria linea requisitam, vt sit radix libertatis voluntatis. Sed hoc expressit ipse S. Doctor loco proximè citato. Nam post verba, quæ retulimus dicto num. V. puta; *solùm id, quod habet intellectum, potest agere iudicio libero, inquantùm cognoscit ipsam rationem boni, ex qua potest iudicare hoc, vel illud, esse bonum*, sic subiungit. *Vnde vbicumque est intellectus, est liberum arbitrium. Et sic patet, liberum arbitrium esse in Angelis, etiam excellentius, quàm sit in hominibus, sicut & intellectus*. Hæc S. Doctor.

1594

Confirmatur propositum.

28 Ex quibus clarè habetur totum id, quod desideramus ad propositum præsentis difficultatis. Nam si, ex vna parte, ideo in Angelis est liberum arbitriū; quia in eis est intellectus: & ex alia, intantùm solùm id, quod habet intellectum, habet liberum arbitrium, inquantùm cognoscit ipsam rationem boni, ex qua potest iudicare hoc, vel illud esse bonum; iam inde sequitur, quòd intantùm in Angelis est liberum arbitrium, inquantùm cognoscunt ipsam rationem boni, per quam possunt iudicare hoc, vel illud esse bonum.

29 Idem euidentiùs expressit S. Doctor lib. 2. con. gen. cap. 48. ratione quarta a nobis relata in hac disp. §. 1. num. 29. qua ex eo probat, omnia intellectualia habere liberum arbitrium; quia iudicium intellectus non est determinatum ad vnum inquantùm intellectus est naturaliter apprehensiuus vniuersalium. Vnde expende iterum verba citata, puta: *A conceptione vniuersali non sequitur motus, & actio; nisi mediante particulari apprehensione; eo quod motus, & actio erga particularia est. Intellectus autem naturaliter est vniuersalium apprehensiuus. Ad hoc igitur, quòd ex apprehensione intellectus sequatur motus, aut quæcunque actio, oportet, quòd vniuersalis intellectus conceptio applicetur ad particularia. Sed vniuersale continet in potentia multa particularia: potest igitur applicatio conceptus intellectualis fieri ad plura, & diuersa. Iudicium igitur intellectus de agibilibus non est determinatum ad vnum tantùm. Habent igitur omnia intellectualia liberum arbitrium.* 1595

Aliꝰ locus S. Doctoris ad idem.

30 Expende igitur hanc vltimam vniuersalem conclusionem, *Habent igitur omnia intellectualia* &c. Et inde euidenter deduces, totum discursum de omni intellectu verificari debere, proportione seruata. Et ita illa propositio: *Intellectus naturaliter est apprehensiuus vniuersalium*, de omni intellectu intelligi debet. Similiter illa consequentia: *Ad hoc igitur, quòd ex apprehensione intellectus sequatur motus, aut quæcunque actio, oportet, quòd vniuersalis intellectus conceptio applicetur ad particularia*, de omni intellectu debet verificari. Et sic oportet, quòd omnis intellectus modo sibi proportionato applicet vniuersalem conceptionem ad particularia, & ita iudicet de singularibus agibilibus, applicando eis conceptus vniuersales. 1596

Inculcantur verba D. Thomæ ad propositum.

31 Sed multò euidētiùs idem expressit S. Doctor ratione quinta sequenti, quā sic prosequitur. *Præterea iudicij libertate carent aliqua, vel propter hoc, quòd nullum habent iudicium, sicut quæ cognitione carent, vt lapides, & plantæ, vel quia habent iudicium à natura determinatum ad vnum, sicut irrationalia* &c. *Quæcunque igitur habent iudicium de agendis non determinatum ad vnum à natura, necesse est, libert arbitrij esse. Huiusmodi autem sunt omnia intellectualia.* (Nota modò 1597

Tertius locus S. D. euidentior.

quali-

Digitized by Google

qualiter probat hoc de omnibus intellectualibus; nam subiungit) *Intellectus enim apprehendit, non solùm hoc, vel illud bonum; sed etiam bonum commune. Vnde, cùm intellectus per formam apprehensam moueat voluntatem: in omnibus autem mouens, & motum, oporteat esse proportionata: voluntas substantiæ intellectualis non erit determinata à natura: nisi ad bonum commune. Quidquid igitur offertur sibi sub ratione boni, poterit voluntas inclinari in illud, nulla inclinatione naturali in contrarium prohibente. Omnia igitur intellectualia liberam voluntatem habent ex iudicio intellectus venientem. Quòd est liberum arbitrium habere, quod diffinitur, liberum de ratione iudicium.* Et 1.p.q.63. ar.4. in corp. loquens expressè de dæmonibus sic habet: *Manifestum est quòd quælibet natura intellectualis habet ordinem ad bonum vniuersale, quod potest apprehendere, & quod est obiectum voluntatis.*

Quintus locus euidentissimus.

Considera singula, & habebis ex S. Doctore euidenter, omnem intellectum apprehendere bonum commune: & quòd propter hoc non habet iudicium de agendis determinatum ad vnum à natura: ac etiam quòd inde oritur, quòd appetitus intellectum habentis, scilicet voluntas, habet indifferentiam, & indeterminationem, seu liberum arbitrium.

Tertium Considerandum.

1598

32 TErtiò considerari debet modus, quo intellectus Angelicus iudicat de singularibus agendis per rationem communis boni. Id enim facit non per discursum, vt intellectus noster; sed modo perfectiori, & sine discursu. Hoc autem vt percipiatur, considerari debet, qualiter Angelus apprehendit id, quod nos apprehendimus formando propositiones; & qualiter id, quod nos per discursum. Sed pro horum intelligentia notari debet doctrina S. Thomæ, qua explicat: Angelos habere iudicium, tam speculatiuum, quo iudicant aliquid esse, vel non esse, quàm practicum, quo iudicant aliquid esse, vel non esse agendum, & tàm formaliter verum, quàm formaliter falsum. Considera igitur doctrinam S. Doctoris, quam habet quæst. 16. de Malo ar. 6. in responsione ad primum ex argumentis *sed contra* Argumentum erat. *Dionysius dicit 7. cap. de Diuinis nominibus, quòd Angeli sunt simplices intellectus. Sed in simplici intelligentia, etiam humana, non potest esse falsum: ergo multò minus in cognitione Angelica.* Respondet autem his verbis.

Angeli sine discursu iudicat aliquid esse, vel non esse, & vere & falsò

Argumentum S. Doctoris.

1599

33 *Ad primum autem, quod in contrarium obijcitur, dicendum: quòd Angelus habet simplicem intellectum, quantùm ad hoc, quòd sicut non intelligit veritatem discurrendo à principijs in conclusiones; sed statim in principijs videt conclusionum veritatem: ita etiam non intelligit superaddendo prædicatum subiecto per modum compositionis, & diuisionis intellectus nostri; sed statim in simplici consideratione subiecti considerat ea, quæ subiecto conueniunt, vel quæ ab eo remouentur. Vtriusque enim est eadem ratio. Eo quod dispositio subiecti est principium cognoscendi inhærentiam prædicati ad ipsum. Vnde Angelus per simplicem apprehensionem subiecti cognoscit esse, vel non esse, sicut & nos componendo, & diuidendo. Nihil enim prohibet per simplex intelligere compositum; sicut per immateriale materiale. Ex hoc autem in nostro intellectu componente potest prouenire falsitas, inquantùm iudicat aliquid esse, vel non esse. Vnde in intellectu dæmonis potest esse falsitas, præcipuè quantùm ad ea, quæ excedunt naturalem cognitionem.*

Responsio S. D. qua explicat propositũ.

1600

34 Ex quibus rectè expensis, clarè habetur: sententiam S. D. esse, quòd licet Angelus suo intellectu non componat, & diuidat superaddendo subiecto, vel ab eo remouendo prædicatum: habet tamen cognitionem simplicem subiecti tantæ eminentiæ, vt non solùm sit simplex apprehensio subiecti; sed etiam iudicium, quo iudicat, subiectum esse, vel non esse tale, & tam verè, quàm falsò. Quod tamen nos apprehendere non possumus; nisi superaddendo subiecto, vel ab eo separando prædicatum. Et inde est, quòd in sententia S. Doctoris, licèt dæmon non intelligat componendo, & diuidendo; habet tamen falsum iudicium, falsam opinionem, & existimationem, tam practicam, quàm speculatiuam. Hinc ipse S. Doctor corpus citati articuli concluserat his verbis.

Inculcantur verba S. Doctoris ad intentum.

1601

35 *Sic ergo respectu eorum, quæ sunt in diuina cognitione, omnis intellectus angelicus est in potentia, indigens illustrari ad ea cognoscenda quodam supernaturali lumine: & sic respectu huius cognitionis gratuitæ potest in quolibet aliquis defectus existere: aliter tamen, & aliter. Nam in bono Angelo potest quidem respectu huiusmodi cognoscibilium esse defectus simplicis negationis, secundum quod Dionysius dicit 7. cap. Eccle: Hierarchiæ, quòd à nescientia purgantur: non autem potest in eis esse defectus falsæ opinionis. Quia cùm voluntas eorum sit ordinata, non applicat suum intellectum ad iudicandum de illis, quæ cognitionem eorum excedunt. Sed in malis Angelis propter inordinatam, & superbam voluntatem, potest esse respectu huiusmodi cognoscibilium etiam defectus falsæ opinionis, inquantùm exibent præsumptuosè suum intellectum ad iudicandum de his, quæ eos excedunt. Et hæc quidem falsitas respectu huiusmodi cognoscibilium potest esse speculatiuè, inquantùm scilicet abso-*

Confirmatur prædicta aliis verbis S. Doctoris.

absolutè prorumpunt in falsum iudicium: & practicè, siue affectiuè, inquantùm falsò existimant, aliquid esse appetendum, vel agendum, in ordine ad prædicta cognoscibilia. Hæc S. Doctor. Quæ etiam repetit 1.p.q.58. ar.5. in corp. his verbis.

1602 36 *Angeli igitur boni, habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis non iudicant de bis, quæ supernaturaliter ad rem pertinent; nisi salua ordinatione diuina; vnde in eis non potest esse falsitas, aut error. Dæmones verò per voluntatem peruersam subducentes intellectum à diuina sapientia, absolutè interdum de rebus iudicant secundùm naturalem conditionem. Et in his, quæ naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur; sed decipi possunt quantùm ad ea, quæ supernaturalia sunt; sicut si considerans hominem esse mortuum, iudicet, eum non esse resurrecturum; & si videns hominem Christum, iudicet, eum non esse Deum.* Hæc S. Doctor; quæ alibi sæpe repetit.

Iudicare Angelos de Agendis, aliquãdo verè, & aliquando falsò probatur à S. Doctore.

1603 37 Ex quibus manifestum est, S. Doctorem velle, actum cognitionis angelicæ, qua apprehendit subiectum, esse tantæ eminentiæ, & virtutis, vt æquiualeat in virtute actui cognitionis nostræ, quo iudicamus componendo, & diuidendo. Vnde licèt non sit formaliter compositio, & diuisio, considerata simplicitate naturæ actus, & modi cognoscendi; est tamen eminentialiter, & virtualiter, compositio, & diuisio, attento respectu ad obiectũ, ad quod se extendit ex vi cognitionis subiecti, seu considerata efficacia, & virtute, qua ordinari potest ad iudicandum aliquid esse, vel non esse, siuè verè, siuè falsò.

Quæ sit mens S. Doctoris, explicatur.

1604 38 Nec erit difficile, intelligere in actu cognitionis angelicæ simplicitatem ex parte operationis, & modi operandi, & compositionem, & diuisionem ex ea parte, qua habet quandam extensionem, seu virtutem, & efficaciam in obiectum, si accipias pro exemplo doctrinam S. Doctoris, quam habet q. 8. de Veritate ar. 14. ad 2. ex argumentis, *sed contra*, quod talè est,

Ad hoc, quòd aliquid actu consideretur, requiritur intentio, vt Augustinus dicit; sed intentio, cùm sit motus quidam, non potest simul ferri in diuersa; quia vnius motus non est, nisi vnus terminus ad quem: ergo Angelus non potest simul multa intelligere. Respondet autem his verbis. *Dicendum, quòd quantitas virtualis attenditur secundùm comparationem virtutis ad obiecta: vnde sicut corpus per quantitatem dimensiuam potest ex diuersis suis partibus diuersa tangere, ita & virtus potest diuersis applicari secundùm diuersas comparationes ad diuersa, dummodo sit perfecta virtus in actu. Sicut ignis simul vndique calefacit diuersa corpora. Et ita etiam intellectus perfectus per formam potest simul ferri in diuersa, ad quæ extendit se repræsentatio illius formæ: & erunt multæ intentiones ex parte eius, in quod fertur intellectus; sed vna ex vnitate intellectus, & formæ.* Hæc S. Doctor.

Propositiõ explicatur exemplo alterius doctrinæ eiusdem S. Doctoris.

1605 39 Quibus si addas, quod docet in corp. eiusdem art. puta: quòd quilibet Angelus per eandem formam multa potest intelligere, adminus omnia singularia existentia eiusdem speciei; tunc dignosces, eminentiam infimi intellectus angelici tantam esse in sententia S. Thomæ, vt per speciem, quam habet naturæ humanæ (si perfectè, seu adequatè, & secundùm totam virtutem ea vteretur) vnico actu simul videret distinctè Omnes homines existentes in omnibus partibus mundi. Et tunc eius intellectio esset tantæ eminentiæ, vt vna simplex existens, eius intentio intellecta esset expressa similitudo, & verbum omnium singularium; & esset vna, comparata ad principia, ex quibus procedit, puta, comparata ad intellectum, & speciem intelligibilem; & esset plures, comparata ad indiuidua, quorum esset expressa, & distincta similitudo singulorum. Quibus iterum si addas aliam doctrinam proximè num. 36. citatam, qua S. Doctor vult: Angelum per cognitionem quidditatis se extendere ad iudicandum de indiuiduis, quæ cognoscit, ea esse, vel non esse talia, secundùm omnia accidentia, quæ in ipsis sunt, vel non sunt: tunc percipies, quòd infimus Angelus per vnam speciem hominis, quam habet, non solùm simul, & vno simplici actu perciperet (si tali specie perfectè vteretur) omnes homines in toto mundo, sed etiam omnia eorum accidentia, & inter alia, locutiones omnium hominum; ita vt posset Angelus vno simplici actu cognitionis distinctè audire, quidquid isto tempore loquuntur homines in toto mundo: quod videtur mirabile.

Ampliatur prædicta doctrina ad propositum.

1606 40 Sicut igitur in prædicto casu intentio intellecta, seu verbum intellectus angelici, esset vnum, & simplex, comparatum ad principia, puta intellectum, & speciem intelligibilem: & simul esset multiplex, seu plures, comparatum ad obiecta, seu ad ea, quæ tali verbo profert. Profert enim, quod iste homo est hoc, vel illo loco, & loquitur hoc, & sic de omnibus aliis. Ita in casu nostro dicimus, quòd apprehensio intellectus angelici, considerata ex parte actus, & modi operandi, & comparata ad primarium obiectum, puta, quodquid est rei, est apdrehensio simplex: at verò considerata per ordinem ad obiecta, & comparata ad ea, ad quæ se extendit

Applicatur exemplum ad rem explicandam.

Digitized by Google

dit ex vi obiecti primarij, puta, secundùm quod se extendit ad iudicandum aliquid esse, vel non esse, habet equiualenter in illa simplicitate actus superioris ordinis, quàm sit actus intellectus humani, totum id, quòd intellectus humanus habet in actu suo imperfectiori, dum componit, & diuidit: & sic est æquiualenter compositio, & diuisio, non quidem ex parte actus; sed solùm ex parte obiecti.

1607 41 Quòd si ad maiorem huius rei intelligentiam inquiras: vnde habet cognitio angelica, quòd, percepta quidditate, vlteriùs se extendat ad iudicandum?

Vnde procedit in Angelis, quòd ex cognitione quidditatis se extendat ad iudicandum esse, vel non esse.

Dicendum est, id procedere (vt sæpè insinuauimus) ex dispositione voluntatis angelicæ, vtentis specie intelligibili hoc, vel illo modo. Sciendum est enim, quòd sicut vtimur habitibus, cùm volumus, & eo modo, quo volumus: quandoque quidem operando æqualiter, & secundùm totam virtutem habitus: quandoque verò deficienter: ita Angelus vtitur speciebus intelligibilibus. Et inde est, quòd licèt infima species intelligibilis intellectus angelici possit repræsentare omnia indiuidua vnius speciei cum omnibus accidentibus; non tamen oportet, vt, quoties Angelus vtitur illa specie, intelligat omnia indiuidua speciei, iudicetque de omnibus inhærentibus. Potest enim ea vti inadequatè, & attendere solùm ad vnum, vel duo: & similiter potest non se extendere ad iudicandum de hoc, vel de illo. Et hinc est, quòd existente voluntate in diuersa dispositione, qualiter inuenitur in bonis, & malis Angelis, licèt vna, & similis sit in eis cognitio quidditatis; habent tamen dissimilia iudicia in illo eodem actu, quo cognoscunt quidditatem: ita vt malus illo actu, quo cognoscit quidditatem, se precipitet in falsum iudicium, iudicans, e.g. hominem mortuum non resurrecturum; vel Christum non esse Deũ: bonus verò Angelus nunquam se extendat suo actu, quo cognoscit quidditatem, in similia iudicia; sed potiùs ea suspendat, vt patet ex verbis S. Thomæ relatis num. 35. & 36. huius §.

Quartum Considerandum.

1608 42 COnsiderari debet 4. doctrina S. Doctoris, qua docet, quòd intellectus humanus ex eadem radice habet, quòd componit, & diuidit, ex qua habet, quòd discurrit: & similiter, quòd Angelus ea ratione non componit, & diuidit, ex qua non discurrit. Ideo enim intellectus humanus discurrit; quia propter debilitatem luminis intellectualis non potest illa cognitione, qua cognoscit principia, percipere totum id, quod in eis continetur: & propter hoc oportet, ipsum discurrere, procedendo de noto ad cognoscendum id, quod est ignotum. Intellectus verò angelicus ideo non discurrit; quia propter abundantiam luminis intellectualis, percipit in principijs omnia, quæ in eis virtualiter continentur. Vnde S. Doctor 1. p. q. 58. art. 3. in corp. sic habet.

Ex eadem radice prouenit, quòd intellectus componit, & diuidit, & quòd discurrit: & ex quo procedit, quòd non discurrit, procedit, quod non componit, & diuidit.

1609 43 *Si* intellectus hominũ *statim in cognitione principij noti inspicerẽt, quasi sibi notas, omnes conclusiones consequentes, in eis discursus locum non haberet. Et hoc est in Angelis, quia statim in illis, quæ primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia, quæcunque in eis cognosci possunt.* Hæc S. Doctor. Ideo etiam intellectus humanus componit, & diuidit; quia non statim in ipsa cognitione subiecti percipit prædicatum inesse subiecto: atque adeo oportet, quòd coniungat prædicatum, sibi notum vna cognitione, subiecto, à se cognito alia cognitione. Angelus verò ideo non componit, & diuidit; quia ipsa cognitione subiecti percipit, prædicatum inesse, vel non inesse subiecto. Vnde S. Doctor quæstione proximè citata art. 4. sic habet. *Sicut in intellectu ratiocinante comparatur conclusio ad principium, ita in intellectu componente, & diuidente, comparatur prædicatum ad subiectum. Si enim intellectus noster statim in ipso principio videret conclusionis virtutem, numquam intelligeret discurrendo, vel ratiocinando. Similiter si intellectus statim in apprehensione quidditatis subiecti haberet notitiam de omnibus, quæ possunt attribui subiecto, vel remoueri ab eo, nunquam intelligeret componendo, & diuidendo; sed solùm intelligendo quodquid est. Sic igitur patet, quòd ex eodem prouenit, quòd intellectus noster intelligit discurrendò, & componendo, & diuidendo; ex hoc scilicet, quod non statim in prima apprehensione alicuius primi apprehensi potest inspicere, quidquid in eo virtute continetur.* Hæc S. Doctor, ex quibus infert, quòd sicut Angelus non intelligit ratiocinando, ita non intelligit componendo, & diuidendo.

Verba S. Doctoris ad propositum.

1610 44 Vult itaque S. Doctor, quòd sicut Angelus, quia ea cognitione, qua cognoscit principia, inspicit etiam conclusiones, quæ in ipsis principijs continentur; ideo non discurrit: ita, quia eadem cognitione, qua cognoscit subiectum, seu quodquid est rei, inspicit inesse subiecto ea omnia, quæ ei insunt, & non inesse ea, quæ non insunt; ideo non componit, & diuidit. Et recole hìc verba S. Doctoris relata num. 33. huius §. *Angelus habet simplicem intellectum quantum ad hoc, quod sicut non intelligit veritatem discurrendo de principijs ad conclu-*

Colligitur ex dictis, quid senserit S. D.

Digitized by Google

conclusiones ; sed statim in principijs videt conclusionum veritatem : ita etiam non intelligit superaddendo prædicatum subiecto per modum compositionis , & diuisionis intellectus nostri ; sed statim in simplici consideratione subiecti considerat ea , quæ subiecto conueniunt , vel ab eo remouentur . Vtriusque enim est eadem ratio .

1611 45 Et hìc aduerte , quòd notanter S. Doctor dixit : *Angelus non intelligit superaddendo prædicatum subiecto per modum compositionis , & diuisionis intellectus nostri .* Voluit enim S. Doctor excludere ab intellectu angelico , non omnem modum compositionis , & diuisionis ; sed solùm illum , qui fit per modum intellectus nostri , superaddendo prædicatum subiecto , qui , scilicet , exigit compositionem suo modo ex parte actus , coniungentis subiecto , vna cognitione cognito , prædicatum , alia cognitione cognitum : ita vt secunda operatio sit veluti vniens , & includens duas simplices , vnam subiecti , & alteram prædicati , quod subiecto superadditur . Non verò voluit excludere modum compositionis , qui se tenet ex parte obiecti , & multiplicitatem cognitionum non exigit , qualis est iste , qui implicatur in iudicio , quo Angelus iudicat , subiectum esse , vel non esse tale ex vi cognitionis quodquid est talis subiecti .

Exclusit S. D. ab Angelis compositionem , & diuisionem per modū intellectus nostri .

1612 46 Vnde potest hoc , quod intendimus , explicari exemplo , desumpto ex doctrina Aristotelis , & argumentando a minori ad maius . Retulimus enim in hac disp. §. 3. a num. 7. ad 14. doctrinam Aristotelis a D. Thoma interpretatam , & affirmatam , qua docet , quòd motus appetitus nostri non sequitur ad apprehensionem phantasiæ , quæ habet simplicem apprehensionem rei : sequitur tamen ad apprehensionem , qua opinamur , seu iudicamus , aliquid esse conueniens , vel nociuum , *& hoc facit* (verba sunt S. Thomæ) *opinio in hominibus , componendo , & diuidendo , dum opinamur , hoc esse terribile , vel malum : illud autem esse sperabile , vel bonum . Phantasia autem non componit , neque diuidit* . Docet etiam , quòd motus appetitus brutorum sequitur iudicium æstimatiuæ naturalis , quæ licèt non componat , & diuidat , iudicat tamen aliquid esse conueniens vel nociuum , non secus , ac si illud sic affirmaret , vel negaret . Recole verba Aristotelis relata loco citato num. 13. *cum autem iucundum , aut molestum iudicauerit , non secus , ac affirmasset , vel negasset , prosequitur , aut fugit* : & loquitur de bruto apprehendente per naturalem æstimatiuam conueniens , vel nociuum . Itaque vult Aristoteles , quod vis æstimatiua naturalis brutorum , licèt non componat , & diuidat , quia hoc est proprium nostræ rationis , iudicat tamen , aliquid esse conueniens , vel nociuū , non secus , ac affirmaret , vel negaret . Si ergo secundùm mentem Aristotelis actus cognitionis virtutis æstimatiuæ brutorum , hoc ipso , quòd est instinctus naturæ , tantùm euehitur , vt , non componens , neque diuidens , iudicet , aliquid esse conueniens , vel nociuum , quod nos minimè facere possumus , nisi componendo , & diuidendo : quid mirum erit , si intellectui angelico , qui est superioris ordinis , quàm intellectus noster , hoc ipsum concedat S. Doctor ?

Exemplo desumpto ex doctrina Aristotelis explicatur propositum .

Ex dictis probantur , & explicantur stabilita in resolutione . Et primò , quòd Angeli iudicant de singularibus agendis per regulas agendorum , & etiam per rationem finis , & communis boni .

1613 47 HIS consideratis , & benè expensis ex doctrina S. Doctoris , apparet veritas eorum , quæ ad negocium tam difficile explicandum , in nostra resolutione stabiliuimus . Et in primis , qualiter in sententia ipsius S. D. Angelus sine discursu iudicet de singularibus agendis per rationem communis boni , seu per regulas agendorum , quæ in nobis sunt principia vniuersalia spectantia ad habitū synderesis ; seu qualiter Angelus applicet regulas agendorum singularibus agendis . Idem enim importat , iudicare de agendis per regulas agendorum , quòd , applicare suo iudicio regulas agendis .

Manifestatur propositum ex paritate rationis .

Hoc ergo ex dictis sic manifestari potest . Nam (vt patet ex verbis S. Th. relatis num. 43. & 44. huius §.) sicut intellectus angelicus , cognoscendo quodquid est subiecti , inspicit quidquid ei inest , & quid quid ei non inest : & propter hoc non cōponit , & diuidit superaddendo prædicatum subiecto : ita in principijs , quæ primò naturaliter cognoscit , inspicit omnes conclusiones , quæ in eis virtualiter continentur : & propter hoc non discurrit . Sicut ergo dicimus , quod licèt intellectus angelicus formaliter non componat , & diuidat , illo scilicet modo , quo ad compositionem , & diuisionem , requiritur quædam multiplicitas ex parte actus , superaddentis subiecto , vna cognitione cognito , prædicatum , alia cognitione cognitum ; componit tamen , & diuidit , æquiualenter , & modo eminentiori , quo applicat prædicatum subiecto , applicatione se tenente ex parte obiecti , & inquantùm illam cognitionem , qua cognoscit

Digitized by Google

quodquid est subiecti, ordinat ad iudicandum inesse subiecto ea, quæ ei insunt, & non inesse ea, quæ ei non insunt. Ita dicimus, quòd licet omnem conclusionem practicam (de qua loquimur) qua pronunciat, aliquid esse sibi agendum, vel non agendum, cognoscat in principijs agibilium, sibi naturaliter notis; ac per hoc formaliter non discurrat modo illo imperfecto, quo principia applicantur conclusionibus per plures cognitiones, quarum vna deducitur ex alia, vel aliis; discurrit tamen, & applicat principia conclusionibus æquiualenter, & modo eminentiori, applicatione scilicet se tenente ex parte obiectorum: & inquantùm cognitionem illam, qua cognoscit principia agibilium, ordinat ad inspiciendum in eis conclusiones singulares agibilium, puta: ad iudicandum, hoc esse hic, & nunc, agendum, vel non agendum: & sic suo modo applicat principia conclusionibus.

1614 48 Sic ergo remouemus ab intellectu angelico formalem discursum, se tenentem ex parte actuum; quia non datur in ipso pluralitas actuum, quibus procedatur de noto ad ignotum, & deriuetur notitia conclusionum ex præcedenti notitia conclusionum. Concedimus tamen ei discursum æquiualentem, siue eminentialem, se tenentem ex parte obiectorum; quia datur pluralitas obiectorum in vna cognitione angelica, quorum vnum est primò notum, & aliud notum in ipso, & per ipsum primum; inquantùm obiecta ipsa, seu veritates obiectiuæ, sunt sic ordinatæ, vt vna sit ratio alterius.

Remouemus ab Angelo formalem discursum & cõcedimus æquiualentem.

1615 49 Atque ex his patet, qualiter, *Angelus, non discurrens, iudicat de agendis per regulas agendorum, & applicat regulas agendis.* Sunt enim regulæ agendorum principia agibilium: inquantùm ergo applicat, seu ordinat intellectum ad iudicandum in ipsis principijs agibilium, quid hic, & nunc, sit sibi agendum, sicut dicitur applicare principia conclusionibus, ita dicitur applicare regulas agendis; & sicut ex parte obiectorum dicitur iudicare de conclusionibus per principia, ita dicitur iudicare de agendis per regulas agendorum.

Iudicat Angelus de agendis per regulas agendorum.

1616 50 Amplius patet, qualiter, *Angelus indicat de agendis propter finem per ipsam rationem finis, seu rationem communis boni.* Finis enim apprehensus, seu ratio finis, importans ipsam rationem boni, est principium in agibilibus, vt sæpe ex Aristotele docet S. Doctor. Per hoc ergo, quòd Angelus finem apprehensum, seu rationem finis, & boni ordinat ad hoc, vt per cognitionem eius assumat iudicium, quo iudicet, aliquid esse hic, & nunc agendum propter finem, dicitur iudicare de agendis propter finem per ipsam rationem finis, & similiter dicitur applicare vniuersalem rationem boni singularibus agendis.

Iudicat de agẽdis per rationem communis boni.

Angelicum intellectum determinare seipsum, in iudicando de singularibus agendis, per collationem altioris ordinis, quam sit collatio discursiua intellectus humani, explicatur, & probatur.

1617 51 EX dictis etiam constare potest, intellectum angelicum determinare sui ipsius indifferentiam, quam habet ex propria linea, quodam proportionali, sed longè perfectiori modo, quo intellectus humanus per discursum consilij, seu præmissam de singulari extremo. Hic enim (vt diximus) determinat sui ipsius indifferentiam per hoc, quod comminando plures propositiones applicat extremum vniuersale, per quod habet indifferentiam, extremo singulari, per quod vniuersale determinatur. Simili modo, & propter eandem rationem, determinat sui ipsius indifferentiam intellectus angelicus per collationẽ altioris ordinis, quàm sit collatio discursus consilij. Si quidem Angelus cognoscendo finem, rationem finis, & proportionem, quam habent inter se; & ad finem ea, quæ hic, & nunc, occurrunt agenda, iudicat, aliquid esse agendum, vel non agendum: non quidem deducendo conclusionem ex cognitione prædictorum (vt facit homo) sed considerando omnia prædicta ea intentione, vt in principijs agibilium assumat iudicium singularium agendorum. Dum autem Angelus hoc modo iudicat de agendis, iã per collationem altioris ordinis (quæ consistit in illa subita apprehensione, qua cognoscuntur in ordine ad se inuicem illa omnia, puta finis, ratio finis, & proportio, quam habent inter se, & finem ea, quæ hic, & nunc occurrunt agenda) applicat rationem boni, & finis, per quam habet indifferentiam, singularibus agendis, per quæ ratio vniuersalis boni determinatur. Determinat ergo seipsum intellectus angelicus quantùm ad indifferentiam propriæ lineæ, determinatione se tenente ex parte obiectorum: quod est determinare seipsum proportionali, sed perfectiori modo, quàm seipsum determinet intellectus humanus.

Determinat seipsũ intellectus angelicus perfectiori modo, quam intellectus humanus.

Digitized by Google

Ex dictis probatur, Angelos iudicare de agendis iudicio proprio, a se inuento, vt ab arbitro, & iudice, cui incumbit decisio causæ.

1618 52 EX dictis etiam haberi potest, quòd iudicium istud, quo de agendis iudicant Angeli, sit iudicium proprium, ab ipsismet per intellectus proprij industriam inuentum, & prolatum, tamquam ab arbitro, & iudice, cui incumbit decisio quæstionis, quam sibi proponit appetitus, hoc ipso, quòd vult finem, puta: An hoc, vel illud sit agendum ad assequendum finem. Apparet, inquam, ex dictis; si, quæ diximus de Angelis, componantur cum ijs, quę in hac disp. §. 6. à nu: 71. ad 87. inclusiuè diximus de prima deliberatione humana. Et possumus ex ibi dictis rationem sic proponere.

Probatur propositũ euidẽti ratione.

Creaturam intellectualem iudicare de propria actione; *an sit, vel non sit agenda*, per sententiam propriam, prolatam causa cognita, examinato negocio, & eo modo, quo proferri solet à iudice, qui constitus est arbiter causæ, vt per sententiam, & arbitrium proprium causam decidat, hoc importat, nempe: talem creaturam sic iudicare, *quòd actio sua sit agenda, vel non agenda*, quod ad sic iudicandum non habeat sententiam sibi præscriptam, & dictatam à natura, seu ab alio; sed eam habeat à se ipso inuentam: inquantùm, scilicet, de actione sua sic iudicat; quia facta collatione actionis suæ ad circumstantias singulares, & ad vniuersales regulas agendorum, sic sibi videtur sentiendum, & arbitrandum. Sed Angelus, tametsi non discurrat, prædicto modo iudicat de agendis à seipso. Ergo &c. Maior est nota ex terminis, & clarè patet in iudice compromissario. Hic enim est arbiter, & iudex per hoc, quòd non habens præscriptam ab alio sententiam, seu quid dicendum sit, sibi committitur, vt expensa causa, seu negocio secundùm suas circumstãtias singulares, & consideratis legibus, ex quibus pendet iudicium causæ, ipsæ resoluat negocium, prout sibi videtur, & secundùm quod ipse arbitratur, & iudicat.

1619 53 Minor verò ex dictis patet. Diximus enim, quòd nullum intellectuale, habet sibi præscriptum a natura iudicium agendorum in particulari casu. Diximus etiam, quod licèt Angelus non discurrat; iudicat tamen de agendis à se, expensis circumstantijs singularibus, & habita consideratione vniuersalium legum, seu vniuersalium principiorum, in quibus cognitis se extendit ad hoc, vt iudicet, aliquid esse, vel non esse agendam hìc, & nunc in singulari. Iudicat ergo Angelus de agendis a se, tanquam iudex, & arbiter, & vt proferens sententiam propriam, a se excogitatam, & inuentam.

Manifestatur minor.

1620 54 Nec dicas, iudicium angelicum de agendis non posse dici proprium, & inuentum. Inuentio enim supponit inquisitionem: inquisitio autem importat discursum. Cùm ergo Angeli non discurrant, videntur, quòd non inquirant, & ex consequenti non inueniant.

Obiectio.

Non dicas hoc, inquam, quia ex dictis iam patet solutio. Nam, tametsi Angeli non inquirant inquisitione discursiua: nec inueniant iudicium illo modo, quo inuenitur nouus actus cognitionis per discursum. Faciunt tamen Angeli indaginem, & inquisitionem altioris modi, per subitam scilicet inspectionem eorum, ex quibus pendet decisio negocij. Vnde licèt non conferant de agendis discurrendo de vno in alium actum; conferunt tamen altiori modo, & per hoc, quòd subitò inspiciunt, quæ conferunt, & spectant ad negocium agendum, quibus pensatis proferunt iudicium, & sententiam propriam, inquantùm in principijs naturaliter notis assumunt iudicium, quod non est sibi dictatum a natura. Inueniunt etiam nouum iudicium ex parte obiecti, inquantùm in cognitione principiorum se extendunt ad iudicandum de singularibus contingentibus, quæ non habent necessariam connexionem cum principijs, & possunt ex vi eorundem principiorum iudicari agenda, & non agenda, vt modo infra explicabimus.

Respondetur, & manifestatur intentum.

Colligitur, & probatur ex dictis, quòd Angelus est causa sui in iudicando de agendis, & quòd iudicium de illis habet in potestate sui intellectus, & voluntatis.

1621 55 TAndem ex dictis apparẽt hæc, quæ in nostra resolutione posuimus, quasi totius resolutionis summã, ex qua apparet in Angelis dominium actionum, ac libertas magis perfecta, quam in nobis. Cùm enim (vt sæpius supra ex Aristo: & D. Thoma diximus) liberum sit, quod sui causa est: illa creatura erit libera in iudicando de agendis, quæ sui causa est in iudicando de eisdem. Est autem causa huiusmodi per hoc, quòd non habens iudicium agendorum sibi dictatum a natura, profert iudicium de agendis facta discussione causæ. Cùm ergo constet ex dictis, quòd hoc modo Angeli diiudi-

Angeli sunt causa sui in iudicando.

Digitized by Google

cant de agendis a se; inde perspicuè habetur: Angelos esse causam sui in iudicando de eisdem agendis a se.

1622

Iudicium agẽtorum habent in potestate sui intellectus.

56 Et inde etiam sequitur, Angelos habere iudicium de agendis sub dominio, & potestate sui proprij intellectus. Habet enim creatura intellectualis dominiũ supra proprias actiones per hoc, quod ipsa potest sententiare de suis actibus sentẽtia, per quam actus agendus talis euadit, vel approbatus, vel reprobatus, qualis pronunciatur per sententiam: sicut iudex dicitur habere causam aliquam in sua potestate, & dominio, per hoc, quòd potest per sententiam, a se prolatam, causam resoluere ita, vt talis euadat, qualis pronunciatur per sententiam. Et similiter habet in sua potestate, & dominio suum proprium iudicium per hoc, quòd potest simili modo de suo iudicio iudicare: ita vt possit proferre iudicium iudicatum, & sẽtentiam sententiatam, reflectentem scilicet supra seipsam, vt explicuimus in hac disputatione §. 6. a num. 71. & deinceps. Cùm ergo constet ex dictis, quòd Angeli iudicant de agendis iudicio iudicato, & sententia sententiata: constat enim quòd de agendis iudicant examinato negocio, & causa cognita, quod est iudicare iudicio reflectente supra seipsum: constat ergo ex dictis habere Angelos iudicium de agendis sub proprij intellectus dominio, & potestate.

1623

Habent iudicium in potestate suæ propriæ voluntatis.

57 Et inde etiam sequitur, habere Angelos iudicium de agendis sub potestate suæ propriæ voluntatis. Constat enim ex his, quæ diximus loco proximè citato nu. 82. & 87. quòd in creatura intellectuali voluntas se habet, vt princeps, intellectus verò, vt iudex. Sicut ergo (vt ibidem intulimus) ea, quæ sunt in potestate iudicis, sunt, & multò magis, in potestate principis: ita quæ sunt sub potestate intellectus sententiantis de agendis in obsequium voluntatis, intendentis finem, sunt, & multò magis, sub potestate voluntatis.

1624

Petitio.

58 Quòd si inquiras, in quo genere causæ; & ratione cuius actus, sententia, qua Angeli iudicant de agendis, pendet a voluntate?

Responsio.

Dicendum est, sicut de primo imperio diximus in hac disp. §. 6. toto dubio. V. Prima enim deliberatio, ad quam, ne detur processus in infinitum, oportet vltimo deuenire, est quasi supremum infimi (vt loco modò cit. num. 75. diximus) in quo homo attingit quodammodo modum iudicandi Angelorum, qui sunt altioris ordinis. Ea igitur, quæ loco citato diximus de prima deliberatione, verificantur proportione seruata de iudicio, quo Angeli liberè iudicant de agendis.

Pro intelligentia prædictorum explicatur differentia inter intellectum humanum, & angelicum: & inter practicum, & speculatiuum in Angelis: & inter modum procedendi intellectus, & voluntatis.

1625

Angeli, & homines sunt causa sui in iudicãdo; sed differenter.

59 SVNT igitur Angeli causa sui in iudicando, sicut & homo. Differunt verò, quia homo, attenta linea intellectus, tam speculatiui, quàm practici, mouet seipsum propriè, & ex parte actuum, inquantùm per discursum de vno actu se reducit in alium actum. Angeli verò (si attendatur in eis sola linea intellectus) non possunt secundùm hunc modum esse causa sui in iudicando; iste enim modus includit imperfectionem, & potentialitatem, se tenentem ex parte potentiæ intellectiuæ, quæ longè abest ab Angelis, qui sunt intellectus puri. Sed sunt causa sui in iudicando secundùm alium modum, quo causalitas supra proprium iudicium se tenet solùm ex parte obiectorum, seu ex parte tendentiæ actus in obiecta.

1626

Intellectus speculatiuus Angeli est determinatus ad vnum; non sic practicus.

60 Differunt etiam, quia in Angelis non debemus eodem modo sentire de intellectu practico, & speculatiuo. Vt enim optimè aduertit Caietanus 1. p. q. 59. art: 3. & quæst: 60. ar: 2. verbis infra referendis, intellectus angelicus, hoc ipso quod est perfectus, est determinatus ad verum, quod est bonum, & perfectio intellectus, cuius malum est falsum. Sed speculatiuus, etiam consideratus secundùm illum ordinem, quem actus eius habet ad obiecta secundaria, est omnino determinatus ad vnum. Practicus verò, seu affectiuus, & iudicatiuus de agendis ad finẽ, non est determinatus ad vnum, si attendatur ordo ille, quem habet actus eius ad obiecta secundaria.

1627

Non oritur prædictũ discrimẽ ex perfectione, vel imperfectione.

61 Et hæc quidem differentia nò prouenit ex aliqua perfectione, vel imperfectione, inuenta in intellectu, vel pro vt practico, vel pro vt speculatiuo. Prouenit enim ex differentia inuenta in ipsis obiectis. Nam ex eo, quod res est, vel non est, intellectus speculatiuus est verus, vel falsus. Et quia impossibile est, idem simul esse, & non esse: ideo impossibile est, intellectum speculatiuum, determinatum ad verum, esse oppositorum; ita vt sit verus, tam existimans rem esse, quàm existimans eam non esse. At verò verum intellectus practici (vt habet Aristoteles lib. 6. Ethic: apud D Thomam lec: 2. littera textus, E,) consistit in confessè se habere

appe-

Digitized by Google

appetitui recto; ideſt, in iudicando conformiter, & conſentaneè ad appetitum rectum. Et quia poteſt eſſe conforme appetitui recto, tàm iudicare, quòd aliquid ſit agendum, quàm iudicare, quòd illud idem non ſic agendum, ideo veritas intellectus practici poteſt eſſe oppoſitorum. Et inde eſt, quòd ex eo, quòd intellectus practicus eſt determinatus ad verum, non ſequitur, ipſum eſſe determinatum ad vnū, Sed poteſt eſſe ad oppoſita, loquendo de ſingularibus agendis, ſeu de obiecto ſecundario actus prædicti intellectus: cùm in eis vtraque pars oppoſitorum poſſit eſſe vera.

1628 62 Ampliùs obiectū intellectus ſpeculatiui perfecti, ideſt, ſcientificè omnia cognoſcentis, debet eſſe neceſſarium, ea ſaltèm neceſſitate, qua id, quod eſt, neceſſe eſt eſſe, dum eſt; quia ſcientia eſt de his, quæ non poſſunt aliter ſe habere, ſaltèm, vt ſubſunt ſcientiæ. Obiectum autem intellectus practici ſunt agibilia, & factibilia contingentia, quæ poſſunt aliter ſe habere, & eſſe, & non eſſe, quæque intellectus operatiuus reſpicit, vt ea, quæ habet conſtituere, vel non conſtituere in eſſe. Et inde eſt, quòd intellectus ſpeculatiuus, qui ratione ſuæ perfectionis cognoſcit omnia ſcientificè, ſit omninò determinatus ad vnum, puta, ad illam contradictionis partem, quæ eſt. Practicus verò non ita: nam, tametſi errare non poſſit; quia tamen illa, circa quæ verſatur, non habent neceſſitatem ad eſſe, etiam facta ſuppoſitione finis, quia ſcilicet, vtraque pars contradictionis poteſt eſſe cum fine; ac per hoc ſunt poſſibilia fieri, & non fieri, etiam poſita recta voluntate finis: ideo remanet indifferens, & indeterminatus in ordine ad illa.

Idem probatur alia ratione.

1629 63 Et inde ſequitur, quòd intellectus practicus Angeli conſideratus ſecundùm illum ordinem, quem actus eius habet ad obiecta ſecundaria, ſcilicet, ad ſingularia agenda, ſit aliquo modo in potentia: *non per ordinem ad actum primum*, (vtor verbis Caietani infra referendis) *nec per ordinem ad actū ſecūdùm; ſed ſolùm ad particularia obiecta.* Id enim quod eſt indeterminatū, & indifferens ad multa, eſt aliquo modo in potētia, ſecundùm doctrinā S. Thomæ a nobis relatam diſp. prima §. 1. & 2. Illud autem, quod eſt in potentia, eſt reducibile in actū ab eo, quòd eſt in actu. Cum igitur intellectus practicus Angeli, attento illo ordine, quem ratione proprii actus habet ad obiectum primarium, puta, veritates vniuerſales agibilium, ſit ſuo modo perfectiſſimè in actu; ſequitur, quòd ipſe ſeipſum reducat aliquo modo in actum in ordine ad obiectum ſecundarium, & ita aliquo modo inueniat ſingularia agenda. Hoc autem ipſe facit, dum cognito fine, & in ratione & per rationem finis cognita proportione eorum, quæ ſunt ad finem, iudicat, ſeu pronunciat ſententiam; qua dicit, & imperat, quòd hoc, hic, & nunc eſt, vel non eſt agendum.

Qualiter ſit intellectus Angeli in potentia ad iudicandū oppoſita, explicatur

1630 64 Verùm hic debet cōſiderari, quòd licèt intellectus Angeli hoc faciat ſine diſcurſu, deducente nouum actum ex priori, iudicando ſcilicet de ſingularibus agibilibus illo eodem actu, quo iudicat de vniuerſalibus principijs agibilium: attamen talis actus, pro vt reſpicit prædicta obiecta, eſt ſuo modo multiplex. Et quidem, quatenus intellectus per talem actum fertur in principia, naturaliter in ea fertur, & vt determinatus à natura in illa: quatenus verò extenditur ad iudicandum de ſingularibus agendis, impulſus ex appetitu finis, non fertur in dicta ſingularia naturaliter, & vt determinatus à natura, ſed vt eſt ad vtrumlibet, & quodammodo in potentia. Et ita intellectus practicus Angeli, quatenus habet hanc multiplicitatem in ordine ad obiecta, dicitur, quòd determinat ſeipſum, & mouet ſeipſum in iudicando de ſingularibus agendis, & quòd habet ſuum iudicium in ſua poteſtate, &c.

Intellectus Angelicus in ordine ad eūdem actū eſt determinatus ad vnum, & indifferenter ſe habens ad multa, ſed reſpectu diuerſorū obiectorū.

1631 65 Dixi num. 60. *ſi in eis attendatur ſola linea intellectus*, vt deſignarem, qnòd aliquid ampliùs dici debet, ſi in Angelis attendatur etiam linea voluntatis. Siquidem, attenta hac linea, aliquid ampliùs concedendum eſt Angelo, vt cauſæ ſui in iudicando de agendis: illud ſcilicet, quod conceſſimus homini, vt cauſæ ſui in primo iudicio deliberante. Sciendum eſt enim, quòd (vt demonſtrat S. Doctor 1. p. q. 60. art. 2. in corp. verbis infra num. 82. referendis) voluntas Angeli ſuo modo diſcurrit, & mouet ſe propriè, ſicut ſe mouet voluntas humana: reducendo, ſcilicet, ſeipſam in actum eligendi media propter finem ex actu volitionis finis. Ita vt ſit in voluntate Angeli duplex actus, ſeu motus: vnus naturalis, in quem voluntas mouetur à ſolo Deo tribuente naturam: & iſte eſt appetitus boni vniuerſalis, vt docet D. Thomas 1. p. q. 63. art. 4. in corpore: & etiam appetitus boni naturalis ipſi Angelo, ſeu appetitus naturalis finis: & alius, in quem ex appetu naturali, tamquam ex principio, ſe reducit, puta, actū deriuatum ex appetitu naturali: & iſte eſt actus liberæ electionis, ſeu (vt loquitur loco proximè citato S. Doctor) actus dilectionis electiuæ.

Quid concedendum ſit intellectui angelico in iudicando de agēdis, attenta linea voluntatis, explicatur.

1632 66 Ampliùs ſicut volūtas Angeli propriè mouet ſeipſam, ita etiam propriè mouet,

Eſt cauſa ſui in iu-

Digitized by Google

dicando de agendis, inquantùm volendo liberè iudicat.

mouet, & applicat intellectum ad considerandum hoc, vel illud: & insuper actus eius electionis reflectitur in iudicium, exercetque in illud propriè illam causalitatem, quam exerçet prima, & omnis electio humana in iudicium deliberatum, ad quod sequitur. Et inde est, quòd, si in Angelo attendantur ea, quæ ei conueniũt non solùm ex linea intellectus; sed etiam ea, quæ conueniunt ei attenta linea voluntatis, inuenietur, quòd est propriè causa sui in iudicando de agendis per ipsum: inquantùm volendo liberè iudicat, reuertente causalitate volitionis liberæ in ipsũ iudicium, illudque seruante sub placito eiusdem liberæ volitionis: & inquantùm iudicium ipsum, quo iudicat Angelus, pro vt se extendit ad singularia agenda, & præcedit, & sequitur secundùm diuersas rationes actum liberum electionis, vt in hac disp. §. 6. num. 132. diximus de primo imperio, seu prima deliberatione humana. Et dixi: *pro vt se extendit ad singularia agenda*, vt significarem, quòd actus electionis angelicæ non reflectitur in actum iudicij absolutè, & secundùm quod terminatur ad omnia obiecta, sicut actus electionis humanæ in actum deliberationis; sed tantùm secundùm istam inadequatam rationem, qua actus iudicij se extendit ad iudicandum de singularibus agendis. Inquantùm enim talis actus iudicij attingit etiam principia agibilium, non cadit sub causalitate actus electionis.

1633

Apparet vestigium formalis discursus in intellectu angelico, ex modo procedendi voluntatis.

67 Ampliùs, si consideremus processum voluntatis ad eligendũ, apparet quoddàm vestigium formalis discursus in intellectu angelico. Porrò voluntas Angeli sic procedit ad eligendum. Ipsa enim, posito naturali iudicio intellectus naturaliter sibi repræsentante bonum, in quod est ex natura ordinata ipsa voluntas, puta suum naturalem vltimum finem, & bonum vniuersale, fertur naturali appetitu, sibi dato ab auctore naturæ, in dictum obiectum sibi naturaliter repræsentatum. Ex quo autem appetit bonum sibi naturale appetitu necessario, etiam quantùm ad exercitium actus, manet intellectus eius applicatus, sic in confuso; ad excogitandum, quid in casibus singularibus sibi occurrentibus sit agendum. Ita vt applicatio intellectus, sic in confuso, ad excogitandum in principijs sibi naturaliter notis, quid sit agendum in singularibus casibus, sit naturalis, sicut est naturalis appetitus, & intentio talis finis. Sequitur deinde in quolibet casu occurrente sentẽtia, seu iudicium, quod, facta subita expensione negocij occurrentis, excogitat in principijs vniuersalibus agibilium, quo pronunciat, quòd in isto casu hìc, & nunc, hoc est agendum. Et hoc quidem iudicium, pro vt spectat ad lineam intellectus, est suo modo liberum; inquantùm principia, ex quorum, & in quorum cognitione intellectus se extendit, ad excogitandum iudicium de singularibus, non habent necessariam cõnexionem cum tali iudicio. Ex quo est, quòd si sic, vel aliter iudicat, id non est, quia ad sic iudicandum cogit vis principij naturalis. Sequitur tertio loco electio eius, quod iudicatum est, esse hìc, & nunc conueniens fini, quæ ex hoc ipso perfectissimè libera est; quia sequitur iudicium non determinatum à natura; sed expensa causa, & examinato negocio per collationem ad finem, excogitatum, quòd, vt tale, est iudicium reflexum, iudicans de seipso, bonũ esse sic iudicare. Et ex hoc tandem sequitur, quòd ipsa libera electio reflectatur in dictum iudicium, inquantùm est existimatum bonum: indeque fiat, vt secundùm prædictam rationem sit, duret, & perseueret ex libero placito voluntatis, liberè illud eligentis, vt diximus in resolutione dubij quinti §. præcedentis.

1634

Explicatur ex præcedenti doctrina, qualiter apparet discursus in intellectu angelico.

68 In hoc autẽ processu apparet quod dam vestigium formalis discursus in intellectu practico Angeli. Siquidem oportet, quòd in intellectu præcedat (saltem natura) iudicium apprehensiuum bonitatis finis, præcisum ab illa extensione, qua in apprehensione dictæ bonitatis se extendit ad iudicandum, quid sit agendũ hìc, & nunc in singulari. Nam dictum iudicium oportet esse naturale, & necessarium; vt potè quia præcedit natura motum naturalem voluntatis, quo naturaliter, & necessariò fertur in proprium obiectum, puta, vltimum naturalem finem, & bonum comune: ex quo naturali motu, vt ex principio, & fundamento se mouet voluntas ad eligendum, vt patet ex D. Thom. 1. p. q. 60. art. 2. infra recitando. Oportet autem, tale iudicium præintelligi præcisum ab illa extensione, per quam iudicatur, quid in singulari agendum sit; quia secundùm prædictam extensionem nullo modo potest præcedere naturalem motum voluntatis in finem. Nam si præcederet, non posset esse excogitatum ex vi volitionis finis. Nec circa hoc potest esse difficultas. Eo tamen posito, videtur in intellectu practico Angeli quidam discursus. Siquidem ex illo actu iudicij repræsentante finem, & rationem communem boni, seu finis, qui præcedit naturalem motum voluntatis in finem, videtur procedere ad iudicandum, quid hic, & nunc sit agendum pro fine; & sic videtur

acqui-

Digitized by Google

acquirere nouum iudicium, quod subsequitur naturalem motum voluntatis in finem, & præcedit actum electionis. Videtur ergo, quòd intellectus Angeli procedat simili modo, quo voluntas ex appetitu finis procedit ad eligendum.

1635

69 Verùm (vt sæpè diximus) talis processus in intellectu angelico non importat verum, & formalem discursum; sed solùm apparentem, & similitudinarium, qui est quasi vestigium discursus. Et inde est, quòd plus habet voluntas Angeli in suo processu, quam eius intellectus. Porrò ad hoc, vt in intellectu sit discursus propriè talis, non sufficit, vel quòd habeat successiuè plures actus, quorum posteriore cognoscat aliquid plus, quàm cognouerat per priorem; vel quòd habeat vnum actum, quo aliquid plus percipiat in obiecto primario, quam perceperat prius. Idque patet in visione corporali. Non enim dicitur oculus discurrere propter hoc, quòd modò habet vnum actum, quo videt parietem, non aduertendo ad aliquas minutias in eo existentes; & postea habet alium actum, quo ad dictas minutias aduertit. Et multo minus dicitur discurrere, si actu continuato, plus percipiat in fine, quàm in principio. Quare ad hoc vt in intellectu sit discursus, indispensabiliter exigitur, quòd sint in eo plures actus realiter distincti, quorum vnus sit deriuatus, seu deductus ab alio, vel ab alijs; vt à principio, vel vt à principijs, vt patet in nostro intellectu deducente conclusionẽ ex principijs. Processus autem, qui in intellectu practico Angeli innenitur, non includit plures actus realiter distinctos, quorum vnus sit deriuatus, & deductus ex priori, vel prioribus: cùm cõclusio semper cognoscatur in principijs, & eadem cognitione, qua cognoscuntur principia; & ideo in intellectu practico Angeli non potest inueniri propriè discursus. At verò (vt diximus num. 65.) in eius voluntate procedente ex volitione finis, ad eligenda media propter finem, inuenitur processus, per quem ex actu naturali procedit in liberum; ita vt liber sit actus realiter distinctus deriuatus à naturali, vt à principio, quem actum deriuatum nõ habet intellectus in suo processu.

Talis discursus nõ est verus, sed similitudinarius

Quid requiritur ad formalem discursum.

Proponitur locus S. Doctoris, valdè difficilis, quo videtur ponere iudicium angelicum determinatum ad vnum; & afferuntur duæ responsiones Caietani.

1636

70 EX dictis modò intelliges locum quendam S. Doctoris, quo primo aspectu videtur ponere, quòd intellectus Angeli in iudicando de agendis sit determinatus à natura, careatque indifferentia fundante libertatem voluntatis. Porrò S. Doctor 1. p. q. 59. art. 3. quo quærit. *Vtrum in Angelis sit liberum arbitrium*, sic secundo loco obijcit. *Liberum arbitrium se habet ad vtrumlibet: Sed ex parte intellectus non est aliquid se habens ad vtrumlibet in Angelis; quia intellectus eorum non fallitur in naturalibus intelligibilibus, vt dictum est. Ergo nec ex parte appetitus liberum arbitrium in eis esse potest.* Et respondet.

Verba S. Doctoris proponentis argumentum.

1637

71 *Ad secundùm dicendum, quòd, sicut dictum est, cognitio fit per hoc, quòd cognita sunt in cognoscente: ad imperfectionem autem alicuius rei pertinet, si non sit in ea id, quòd natum est in ea esse: vnde Angelus non esset perfectus in sua natura, si intellectus eius non esset determinatus ad omnem veritatem, quam naturaliter cognoscere potest. Sed actus appetitiuæ virtutis est per hoc, quòd affectus inclinatur in rem exteriorem. Non autem dependet perfectio rei ex omni re, ad quam inclinatur; sed solùm ex superiori; & ideo non pertinet ad imperfectionem Angeli, si non habet voluntatem determinatam respectu eorum, quæ infra ipsum sunt. Pertineret autem ad imperfectionem eius, si indeterminatè se haberet ad illud, quòd supra ipsũ est.*

Responsio S. Doctoris, quæ difficultatem inculcat.

In hac autem responsione videtur D. Thomas, quòd non solùm concedat illam propositionem: *ex parte intellectus non est aliquid se habens ad vtrumlibet in Angelis*; sed etiam, quòd eam probet ex eo, quòd, si non esset determinatus ad omnem veritatem, esset imperfectus. Et inde videtur, quòd in prædicta responsione cõcessa prædicta propositione, neget consequentiam. Et sic falsum esset, quòd radix indifferentiæ voluntatis, est indifferentia, & indeterminatio inuenta in intellectu, & sic periret nostrarum resolutionum fundamentum.

1638

72 Caietanus, sentiens difficultatem loco citato, circa prædictam responsionem proponit dubium, & inquit. *In responsione ad secundùm dubium occurrit. Quia si intellectus est determinatus ad omnem veritatem: ergo voluntas non potest, nisi vnam partem contradictionis, quo ad naturalia, velle, sicut & intellectus intelligere.* Et respondet his verbis. *Ad primum dicitur, quòd Angelus habet intellectum determinatum ad verum tam in speculatiuis, quàm in practicis, siue agibilibus: ita quòd non potest naturaliter errare, si in puris naturalibus consideretur; non ad hoc verum, vel illud indiuidualiter consideratum, quoad agibilia, neque ad hoc verum, vel illud specificè consideratum, quo ad factibilia. Et hoc loquendo de cognitione imperatiua seu affectiua: quoniam secundùm cognitionem speculatiuam indetermi-*

Dubium, & responsio Caietani.

Digitized by Google

natio nulla est naturaliter. Et consequenter voluntas potest velle hoc, & oppositum: & intellectus intelligere imperatiuè hoc, & oppositum. Et ratio diuersitatis est; quia cognitio, vt imperatiua est, à voluntate pendet: vt speculatiua verò, à natura tantùm. Nec hoc est contra D. Thomam. Quoniam per veritatem, quam naturaliter Angelus cognoscere potest, intendit veritatem naturaliter notam, vt distinguitur contra supernaturaliter, & contra liberè notam, quoniam harum negatio non ponit imperfectionè in intellectu, vt patet. Hæc Caietanus.

1639

Aliud argumentum propositum à S. Doctore.

73 Verùm, videns prædicta non sufficere difficultati, proposuit iterum idem dubium quæst. 60. sequenti art. 2. vbi S. Doctor etiam secundo loco proponit simile argumentum, his verbis. *In Angelis non est, nisi cognitio naturalis, præter cognitionem infusam; quia non discurrunt ex principijs ad acquirendas conclusiones: & sic ad omnia, quæ naturaliter cognoscere possunt, sic se habent, sicut intellectus ad prima principia, quæ naturaliter cognoscere potest. Sed dilectio sequitur cognitionem, vt dictum est. Ergo in Angelis præter dilectionem gratuitam non est, nisi dilectio naturalis: non ergo electiua.* Et respondet S. Doctor. *Ad secundùm patet responsio ex dictis.*

1640

Dubium Caietani.

74 Itaque Caietanus proposuit iterũ dubium, & sic habet. *In responsione ad secundùm dubium restat, quia ex prædictis non videtur euacuari dubium. Quia si intellectus est determinatus ad vnum; ergo non potest vtrãque contradictionis partem proponere: ergo nec voluntas potest vtranque contradictionis partem eligere. Libertas enim voluntatis indifferentiam supponit in intellectu.*

Responsio Caietani.

Respondet autem, inquiens: *Ad hoc dicitur. quòd, intellectum esse determinatum ad vnum, contingit tripliciter. Vno modo in actu primo. Alio modo in actu secundo. Tertio in particulari obiecto. Determinationem in actu primo voco, determinationem ad speciem intelligibilem. Determinationem in actu secundo voco determinationem ad operationem intellectus. Determinationem ad particulare obiectum voco determinationem ad tale obiectum, ideſt, ad hoc, ita quòd non ad illius oppositum, ideſt, ad hanc contradictionis partem, ita quòd non ad alteram. Et dico, quòd, licèt intellectus Angeli speculatiuus sit à natura determinatus omni modo; intellectus tamen practicus non est determinatus vniuersaliter tertio modo. Est siquidem intellectus vterque habens actu omnes species intelligibiles; sed speculatiuus, si exit in actum, est determinatus ita ad hanc partem contradictionis, scilicet eam, quæ vera est, quòd non potest cadere in alteram, vt in nobis experimur in principijs. Practicus verò vtranque potest contradictionis partem sub ratione veri boni apprehendere, & proponere, cum de bonis particularibus agitur. Quoniam vtraque pars potest fini consonare; non autem potest vtraque pars in speculatiuis poni vera; sed altera tantùm, quæ non cognoscitur in particulari; nisi quando est, vt ex dictis patet. Negandum est ergo, quòd intellectus non possit vtranque contradictionis partem proponere: nec ex hoc sequitur imperfectio intellectus; quia non priuatur aliquo esse obiecti in se in actu primo. Hæc enim priuatio est, de qua in articulo dicitur, quòd poneret imperfectionem. Nec fuit diminutus D. Thomas si hoc tacuit: quoniam eiusdem rationis est libertas voluntatis, & ista indeterminatio intellectus practici: & alterum dicens, alterum insinuauit studiosis.* Hæc Caietanus.

Confutatur Caietanus; quia, verissimam doctrinam tradens, non congruenter explicat loca S. Doctoris.

1641

Quæ in præcedentibus responsionibus Caietani sint approbanda.

75 Itaque Caietanus in prædictis responsionibus, & doctrinam affert, & loca S. Doctoris explicat. Et quidem doctrina, quantùm ad illud, quod in prima responsione dicit, puta: quòd intellectus Angeli, tam in speculatiuis, quàm in practicis, siue agibilibus, siue factibilibus, sit determinatus ad verum, ita vt errare non possit, consideratus in puris naturalibus: & quòd loquendo de cognitione affectiua, seu imperatiua, non sit determinatus ad hoc, vel illud verum in particulari: & quòd, loquendo de intellectu speculatiuo, nullam habet indeterminationem naturaliter, optima est, & verissima, ab ipsoque S. Doctore, alibi eã perspicuè docente, desumpta. Sicut etiam optima est, & ab eodem S. Doctore accepta, doctrina, quam in propositione secundi dubij, eiusque responsione tradit, puta: Quòd si intellectus non posset vtrãque contradictionis partem iudicare bonam, non posset voluntas vtranque contradictionis partem eligere, vt patet ex locis S.D. a nobis relatis in hac disp. §. 6. a num. 60. ad 66. Similiter satis acuta, vera, & ad propositum explicãdæ libertatis angelicæ, illa distinctio determinationis, in actu primo, in actu secundo, & in particulari obiecto. Sicut etiam verissimum est, (& ni fallor, nos num. 61. & 62. huius §. demonstrauimus) quòd intellectus speculatiuus Angeli est determinatus naturaliter prædictis tribus modis: intellectus verò practicus non vniuersaliter tertio modo: vt pote, quia de agendis singularibus potest vtranque contradictionis partem iudicare, salua veritate intellectus practici, vt nos proximè citatis num. demonstrauimus.

1642

Explicatio Caietani

76 At verò explicatio, quam loco S. Doctoris tribuit in prima responsione, non vide-

Digitized by Google

non congruit loco S. Doctoris.

videtur congruere intentioni talis loci: sicut etiam per doctrinam, quam in secunda responsione inculcat, non potest dilucidari, quòd S. Doctor sua responsione satisfecerit argumento; ita vt doctrina illa congruat responsioni S. Doctoris.

Primum horum sic apparet. Nam Caietanus in sua prima responsione vult, quòd S. Doctor, dum in responsione relata num. 71. dicit, quòd *Angelus non esset perfectus in sua natura, si intellectus eius non esset determinatus ad omnem veritatem, quam naturaliter cognoscere potest*, sumit ly, *naturaliter*, pro vt distinguitur contra supernaturaliter, & contra liberè: ita vt sit sensus, quòd non esset perfectus, si intellectus eius non esset determinatus ad omnem veritatem, quam cognoscere potest non supernaturaliter, & non liberè: Atqui hæc explicatio non quadrat loco, & intentioni S. Doctoris. Nam si hoc intellexisset S. Doctor, nulla esset differentia inter intellectum, & voluntatem. Siquidem Angelus non esset perfectus in sua natura, si eius voluntas non esset determinata ad omnem bonitatem, quam naturaliter, ideſt, non supernaturaliter, & non liberè velle potest. Nam ad omne id, quod voluntas vult naturaliter, pro vt distinguitur contra liberè, & contra supernaturaliter, voluntas ipsa est determinata ex sua natura: & non posset, nisi ex imperfectione talem determinationem non habere. Et tamen S. Doctor in illa responsione intendit assignare discrimen inter intellectum, & voluntatem: conceditque intellectui quandam determinationem, requisitam suæ perfectioni, quam negat, pertinere ad perfectionem voluntatis.

Si interpretatio Caietani esset vera, nulla esset differẽtia inter intellectũ, & voluntatem, tradita a D. Thoma.

1643

77 Vt hoc euidenter videas, considera primò argumentum, cui S. Doctor respondet, quod in hoc enthymemate consistit. *Ex parte intellectus non est aliquid, se habens ad vtrumlibet in Angelis. Ergo nec ex parte appetitus liberum arbitrium in eis esse potest.* Deinde considera responsionem, & experieris, quòd S. Doctor, admisso antecedente, negat consequentiam, & assignat disparitatem, quæ est inter intellectum, & voluntatem. Siquidem consequentia illius enthymematis est fundata in correspondentia, & paritate inuenta inter intellectum, & voluntatem. Si ergo S. Doctor, vt soluat argumentum, solam assignat disparitatem, iam admittit antecedens, & negat consequentiam. At verò secundùm illam explicationem Caietani, argumentum soluendum esset, negando, vel distinguendo antecedens, puta illam propositionem: *Ex parte intellectus non est aliquid se habens ad vtrumlibet in Angelis*, dicendo, scilicet, talem propositionem esse veram, si intellectus consideretur in ordine ad ea, quæ cognoscit naturaliter, ideſt non liberè, non autem in ordine ad ea, quæ cognoscit liberè. Hæc autem responsio omnino aliena est à responsione S. Thomæ, & differentia, quam ipse assignat inter intellectum, & voluntatem, non solùm non esset ad propositum responsionis; sed contra propositum. Siquidem debuisset subiungere S. Doctor: Simili modo etiam se habet voluntas quę non se habet ad vtrumlibet in ordine ad ea, quæ naturaliter vult; sed in ordine ad ea, quæ liberè.

Manifestatur vis prædictæ rationis contra Caietanum.

1644

78 Quòd autem illa doctrina, quam Caietanus affert, soluens dubium, quod ipsemet proponit quæst. 60. ar. 2. ad 2. primæ partis, non sit ad propositum solutionis traditæ à S. Doctore, sic apparet. Nam responsio S. Doctoris est: *Ad secundùm patet responsio* ex dictis. Deberet ergo doctrina Caietani, si esset ad propositum responsionis S. Thomæ, ad hoc deseruire, vt manifestaret, quòd per ea, quæ dicta sunt à S. Doctore, prædictum argumentum sit solutum. At verò doctrina illa responsionis dubij à Caietano propositi, nil penitus ad hoc deseruit: quippe quia (vt ipse met Caietanus credit) ipsam S. Doctor tacuit. Si ergo S. Doctor hanc Caietani doctrinam tacuit: & difficultas argumenti soluitur patenter per ea, quæ S. Doctor docuit, vt ipse S. Doctor testatur dicens: *Ad secundùm patet responsio ex dictis*; iam inde apparet, quòd licet doctrina Caietani sit vera, & verissima, ac etiam per eam optimè respondeatur dubio, ab ipso Caietano proposito: non tamen est ad propositum solutionis argumenti, ab ipso S. Doctore propositi.

Doctrina Caietani non esse ad propositũ responsionis D. Thomę, probatur.

Verus sensus S. Doctoris ex ipsomet S. D. desumptus, probatur conformis iis, quæ supra notauimus.

1645

79 COnsultò, & ex industria, loca S. Doctoris, dubia Caietani, ac responsiones proposuimus, simulque Caietani doctrinam approbauimus: explicationem verò locorum S. D. reiecimus; vt ex his omnibus pondus difficultatis agnoscatur: mirabilisque consonantia doctrinæ Angelici Præceptoris, traditæ in nostris resolutionibus, euidentiùs eluceſſat.

Vt igitur verùm sensum S. D. manifestemus, supponimus, tanquam euidentissimum id, quòd innuimus num. 71. nempe, quòd S. Doctor in responsione, ibidem relata, concedit argumento propositionem suppositam, puta: *liberum arbitrium*

Concesso antecedente, negat S. Doctor cõsequentiã: & videndũ est, cur

Digitized by Google

talis consequentia non valet.

se habet ad vtrumlibet: concedit etiam secundam propositionem, videlicet: *Sed ex parte intellectus non est aliquid, se habens ad vtrumlibet*: & negat illam consequentiam: *Ergo neque ex parte voluntatis liberum arbitrium in eis esse potest*. Quoniam autem talis consequentia fundatur in proportione, & correspondentia, quam habet voluntas ad intellectum, quem sequitur; assignat S. Doctor disparitatem. Verùm quoniam prædicta consequētia videtur necessaria; quia indeterminatio voluntatis provenit, vt ex propria radice, ex indeterminatione virtutis iudicatiuæ: ideo explicandum restat, qualiter, & in quo sensu, concedit S. D. illud antecedens. *Ex parte intellectus non est aliquid, se habens ad vtrumlibet in Angelis*: & qualiter, concesso antecedenti, & dato illo discrimine, explicato à S. Doctore, inter intellectum, & voluntatem Angeli, non valeat consequentia. Sed responsio, & explicatio horum pendet ex differentia, à nobis allata num. 69. huius §.

1646

Sensus antecedentis argumenti propositi à S. Doctore explicatur.

80 Vt autem hoc appareat, circa argumentum considerari debet primò illa propositio, quæ supponitur, puta: *Liberum arbitrium se habet ad vtrumlibet*. Nam hunc sensum reddit, nempe: *liberum arbitrium se habet ad oppositos actus*. Est enim de ratione liberi arbitrij creati ita esse ad vtrumlibet, quòd sit in potentia ad actus oppositos, puta, ad velle, & nolle: eligere, & refutare. Solùm liberum arbitrium diuinum, quòd est purus actus (vt optimè aduertit S. Doctor lib. 9. cont. gen. cap. 82.) dicitur esse ad vtrumlibet, non ex parte sui; sed solùm ex parte eius, ad quod dicitur. Deinde considerari debet, quòd propositio subsumpta reddit hūc sensum, scilicet: *ex parte intellectus non est aliquid, se habens ad vtrumlibet*, idest, *ad oppositos actus in Angelis*. Ex qua tandem infertur. *Ergo nec ex parte appetitus liberum arbitrium*, idest, potentia ad actus oppositos, *in eis esse potest*.

Est de ratione liberi arbitrij creati esse ad oppositos actus.

1647

Manifestatur euidēter nullitas consequentiæ, negatæ à S. Doctore

81 Ampliùs circa responsionem considerari debet, quòd hæc consequentia non valet in sententia S. Thomæ: Ex parte intellectus non est aliquid, se habens ad oppositos actus in Angelis: ergo ex parte appetitus non est in eis aliquid, se habens ad oppositos actus. Et ratio est illud discrimen, quod nos num. 69. ex S. Doctore posuimus inter intellectum, & voluntatem Angeli. Siquidem hoc ipso, quòd intellectus est perfectus, omnia cognoscit illis actibus, quibus cognoscit primò intelligibilia, in quæ est determinatus à natura, & inde est quòd est determinatus ad actus omnes, quibus aliquam veritatem naturalem cognoscit; talesque actus sint ei naturales, non solùm pro vt ly, naturale distinguitur contra supranaturale, sed etiam pro vt distinguitur cōtra acquisitum ex industria, seu inuentum, & deriuatum à naturali: secundùm quem modum sunt nobis naturales actus, quibus cognoscimus principia per se nota; non autem actus deducti ex prædictis principijs, quales sunt scientiæ per industriam nostri discursus acquisitæ. Et tandem intellectus angelicus ratione prædictæ determinationis, non habet potentiam ad actus oppositos, & sic non est ad vtrumlibet, idest habens potentiam ad actus oppositos. At verò voluntas eiusdem Angeli (vt notauimus num. 65. ex D. Thoma modo infra referendo) ex sua perfectione non habet, quòd tendat in medium non necessarium fini illo actu, quo tendit in finem, in quem est à natura determinata: & sic præter illos actus, in quos est determinata à natura, habet alios, in quos non est determinata à natura, quibus tendit in ea, quæ sunt vtilia; sed non necessaria fini, & in quos seipsam mouet ex volitione finis. Et inde est, quod in ordine ad istos actus, in quos non est determinata à natura, se habet ad vtrumlibet, idest in potentia ad oppositos actus. Ex his modò apparet, quòd non valet consequentia: Intellectus non est ad vtrumlibet, idest in potentia ad oppositos actus: ergo neque voluntas: quia diuersa est ratio de intellectu, & voluntate in ordine ad habendam potentiam ad oppositos actus, seu in ordine ad esse ad vtrumlibet.

1648

Mentem S. Doctoris esse prædictā, probatur.

82 Quòd autem prædicta sit mens S. Doctoris patet ex ipsomet S. Doctore, qui (vt notauimus nu. 73. huius §.) quæst. 60. 1. p. ar. 2. secundo loco proposuit sibi eandem difficultatem, quam proposuit, & cui respondet quæst. 59. responsione à nobis modo explicata. In corpore autem art. 2. q. 60. repetit doctrinam, ex qua soluit argumentū præcedentis loci, & propter quam existimauit S. Doctor responsionem ad secundùm patere ex dictis, vt notauimus dicto num. 73. Repetens verò prædictam doctrinam, intentionem suam magis explicat, & sic habet.

Verba S. Doctoris ad propositum.

Dicendum, quòd in Angelis est quædam dilectio naturalis, & quædam electiua. Et naturalis dilectio est in eis principium electiuæ; quia semper id, quod est prius, habet rationem principij. Vnde cum natura sit primum, quod est in vnoquoque, oportet, quòd id, quod ad naturam pertinet, sit principium in quolibet. Et hoc apparet in homine, quantùm ad intellectum, & quantùm ad voluntatem. Intellectus enim cognoscit principia naturaliter (nota in quo sensu accipit ly, *naturaliter* nam sequitur)

&

Digitized by Google

& ex hac cognitione causatur in homine scientia conclusionum, quæ non cognoscuntur naturaliter; sed per inuentionem, vel doctrinam. Similiter in voluntate, finis hoc modo se habet; sicut principium in intellectu, vt dicitur in 2. Physico: Vnde voluntas naturaliter tendit in suum finem vltimum (sumit ly, naturaliter in illo sensu, quò supra dixit, intellectum cognoscere principia naturaliter) *Omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem. Et ex hac naturali voluntate causantur omnes aliæ voluntates: cùm, quidquid homo vult, velit propter finem. Dilectio igitur boni, quòd homo naturaliter vult, sicut finem, est dilectio naturalis: dilectio autem qua ex hac derivatur, qua est boni, quòd diligitur propter finem, est dilectio electiua. Hoc autem differenter se habet ex parte intellectus, & voluntatis,* (Nota benè) *quia sicut supra dictum est* (idest in responsione ad 2. art. tertij, quæstionis præcedentis) *cognitio intellectus fit, secundùm quod res cognita sunt in cognoscente. Est autem ex imperfectione intellectualis naturæ in homine, quòd non statim eius intellectus naturaliter habet omnia intelligibilia; sed quædam, ex quibus in alia quodammodo mouetur. Sed actus appetitiuæ virtutis se habet è conuerso; secundùm ordinem appetentis ad res, quarum quædam sunt secundùm se bona; & ideo secundùm se appetibilia: quædam verò habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, & sunt appetibilia propter aliud. Vnde non est ex imperfectione appetentis, quòd aliquid appetat naturaliter, vt finem, & aliud per electionem, vt ordinatur ad finem. Quia igitur in Angelis natura intellectualis perfecta est, inuenitur in eis sola cognitio naturalis; non autem ratiocinatiua;* (Iterum nota, quòd sumit ly naturale, vt distinguitur contra ratiocinatiuum) *sed inuenitur in eis dilectio, & naturalis, & electiua. Hæc dicta sunt prætermissis his, quæ supra naturam sunt.* Hæc D. Thomas.

1649 83. In quibus; vt vides, discrimen inter intellectum, & voluntatem angelicam explicat per ordinem ad actus: inquantùm in intellectu (*prætermissis his, quæ supra naturam sunt*) *inuenitur sola cognitio naturalis; non autem ratiocinatiua.* In voluntate verò non inuenitur sola dilectio naturalis, qua, vt à natura determinata, tendit in finem; sed etiam electiua, qua sine tali determinatione tendit in aliqua propter finem. Et ex hoc sequitur, quòd intellectus non se habeat ad vtrumlibet in ordine ad actus, quibus cognoscit quasuis veritates naturaliter cognoscibiles; vt pote quia intellectus est in suos actus à natura determinatus: voluntas verò se habeat ad vtrumlibet in ordine, ad illos actus, quibus tendit in alia propter finem, in ordine scilicet ad dilectionem electiuam: vt potè quia in tales actus non est determinata à natura. Nec sanè oportet, quòd voluntas, quæ sequitur intellectum, imitetur eum, quantùm ad hoc, quòd est, non habere actum deductum ex naturali. Quia hoc, quod est habere actum deductum à naturali, inuenitur in voluntate, non pro vt sequitur intellectum; sed pro vt ab eo discriminatur. Similiter hoc, quod est esse determinatum à natura ad actus omnes, quibus cognoscit veritates omnes, naturaliter cognoscibiles, inuenitur in intellectu Angeli, secundùm quòd non habet respectum ad fundandum aliquid in voluntate, seu secundùm quòd habet perfectionem, quæ impertinenter se habet ad perfectionem voluntatis, vt statim explicabimus.

Inculcatur doctrina D. Thomæ ad intentum.

Quædam corolaria ex dictis.

1650 84. EX dictis modò habes primò, quòd S. Doctor prædicta responsione non docet aliquid, præiudicans indifferētiæ; quam intellectus ratione formæ apprehensæ vniuersalis boni, habet ad iudicandum vtrumlibet de singularibus agendis, secundùm quam indifferentiam est fundamentum libertatis voluntatis. Siquidem cum determinatione ad actum, quibus cognoscit principia agibilium, stat simul indeterminatio ad iudicandum de singularibus agibilibus in eisdem principijs agibilium, vt patet ex his, quæ diximus in resolutione huius dubij num. 24. 25. & 26. & à num. 47. ad 50. & à 60. ad 64. Nec refert voluntati, vtrum intellectus habeat potentiam ad oppositos actus, cognoscatque singularia agenda distincto, vel non distincto actu ab eo, quo cognoscit principia agibilium. Id, quòd ei refert est, vtrum habeat potentiam ad iudicandum opposita de singularibus agendis. Voluntas enim fertur in rem apprehensam per iudicium; & ex hoc habet, (vt docet S. Doctor, relatus in hac disp. S. 6. num. 64) *quod liberè potest in diuersa ferri; quia ratio,* seu intellectus *potest habere diuersas conceptiones boni. Quidquid enim ratio potest apprehendere, vt bonum, in hoc voluntas tendere potest;* & quia *potest apprehendere, vt bonum, non solùm hoc, quod est velle, aut agere; sed hoc etiam, quod est non velle, & non agere: ideo potest velle, & non velle, agere, & non agere,* vt habet ipsemet S. Doctor, ibidem relatus. Cùm igitur intellectus angelicus illo actu, quo cognoscit principia agibilium, possit habere diuersas conceptiones boni circa singularia agibilia, eaque iudicare esse bona, & non bona, agenda, & non agenda, & possit iudicare, esse bonum tàm velle, quàm nolle, agere, &

Doctrina S. Thomæ non præiudicat in differētiâ, quam habet intellectus ex propria linea, ad iudicandum de agendis

Digitized by Google

non agere, vt patet ex dictis in hoc §. à nu. 60. ad 64. iam habet totum id, quod requiritur ad fundandā libertatē voluntatis; esto ista omnia non possit agere, nisi illo actu, quo cognoscit principia agibilium.

1651 85 Habes quintò, quòd illa propositio responsionis S. Doctoris, relatæ num. 71. huius §. nempe: *Angelus non esset perfectus in sua natura, si intellectus eius non esset determinatus ad omnem veritatem, quam naturaliter cognoscere potest*, hunc sensum reddit, videlicet: *Angelus non esset perfectus in sua natura, si intellectus eius non esset determinatus ad omnes actus, quibus cognosceret omnem veritatem, quam naturaliter cognoscere potest.* Ex hac autem propositione cessat dubium Caietani, à nobis relatum num. 72.

Explicatur sensus propositionis S. Doctoris, ex quo cessat dubiū Caietani.

Siquidem ex eo, quod intellectus est determinatus ad suos actus, non sequitur, quòd sit determinatus ad iudicandum vnum de singularibus agendis, vt ex dictis patet, & consequenter non sequitur, quòd voluntas non possit, nisi vnam partem cōtradictionis, quoad naturalia velle: voluntas enim non sequitur determinationem actus, sed iudicium, quod per actum potest intellectus habere de agendis.

1652 86 Habes tertiò, quòd secundum argumentum, quod proposuit S. Doctor ar. 2. quæstionis 60. quòd retulimus num. 73. sic soluendum est in forma, nempe: concedo antecedens illud: *In Angelis non est nisi cognitio naturalis præter cognitionem infusam: quia non discurrunt ex principijs ad acquirendas conclusiones* &c. Sed nego consequentias; puta: *Ergo in Angelis præter dilectionem gratuitam non est, nisi dilectio naturalis: ergo non electiua*, quæ consequentiæ dum probantur, quia *dilectio sequitur cognitionem*; dicendum est, quòd licèt dilectio sequatur cognitionem, non tamen oportet, quòd sequatur eā quantùm ad hoc, quòd sicut intellectus non habet cognitionem deriuatam, seu deductam à naturali cognitione, qua cognoscit principia, sed præter infusam, solam naturalem; ita voluntas non habeat dilectionem, seu volitionem deriuatā à volitione, seu dilectione naturali, qua naturaliter inclinatur in finem: ita vt præter infusam non habeat, nisi naturalem. Et ratio est discrimen inter intellectum, & voluntatem, explicatum à S.D. verbis relatis num. 82. propter quæ dixit: *Ad secundum responsio patet ex dictis*. Et verè patens est responsio; quia euidentissimè euacuat argumentum.

Qualiter sit soluendum in forma argumentū pro positum à S. Doctore.

1653 87 Et inde contra Caietanum deduces primò, quòd male explicans S. Doctorem, illum terminum, naturale, sumpsit pro vt distinguitur contra supernaturale, & contra liberum. Euidenter enim S. Doctor sumit cognitionem naturalem, prout distinguitur, contra supernaturalem, & contra deriuatam, seu deductam ex naturali.

Deduces secundò, S. Doctorem sua responsione euacuasse dubium, sibi propositum in argumento. Nec dicas cum ipso Caietano: *dubium restat; quia si intellectus est determinatus ad vnum: ergo non potest vtranque contradictionis partem proponere. Ergo nec voluntas vtranque contradictionis partem eligere*, &c. Non dicas hoc, inquam, quia nec probat, non fuisse euacuatum argumentum: nec est ad propositum, siue argumenti, siue responsionis. In primis, nec in argumento, nec in responsione inuenitur illa propositio: *Intellectus est determinatus ad vnum*. Illa autem non existente, quodnam dubium restat? Amplius, argumentum procedebat ex eo, quòd in intellectu non datur cognitio deducta ex naturali; cum Angelus non discurrat; & inferebat, ergo in voluntate non datur volitio deducta ex naturali, vt est volitio electiua. Responsio verò negat consequentiam propter discrimen inter intellectum & voluntatem. Hac autem data responsione, non habetur, intellectum esse determinatum ad vnum; & sic non habetur, quòd restat dubium Caietani.

Solutio S. Thomæ euacuat argumētum, nec est ad propositū dubiū Caietani.

1654 88 Nec dicas: habetur in responsione, intellectum esse determinatum ad cognitionem naturalem. Nam ex hac propositione dubium esset sequens, nempe: Intellectus Angeli est determinatus ad cognitionem naturalem: ergo est determinatus ad iudicandum vnum: ergo non potest vtranque contradictionis partem proponere, &c. Hoc autem non esset illud dubium Caietani; sed aliud, cuius falsa est prima consequentia, vt sæpè diximus: Angelus enim per cognitionem naturalem, ad quam est determinatus ex parte actus, potest iudicare vtrumlibet de his, quorum vtraque contradictionis pars potest esse vera, qualia sunt singularia agenda, vt diximus in hoc §. num. 61. Et hæc sat sint de hoc dubio.

Proponitur, & soluitur instantia.

DVBIVM TERTIVM ad septimam.

An, & quomodo intellectus diuinus determinet seipsum in iudicando de agendis à Deo.

EXplicato modo, quo quilibet intellectus creatus seipsum determinat secundùm illam indifferentiam, quam habet ex propria linea, explicanda restat eadem difficultas circa diuinum intellectū: vt sic Priscis, Recentibusque, difficultatem

Digitized by Google

tem hanc aduersus S. Thomam inculcantibus, omni ex parte satisfaciamus.

Resolutio Dubij.

1655 89 Dicendum est, quòd intellectus diuinus determinat seipsum secundùm illam indifferentiam, quam habet ex propria linea in iudicando de agendis per suam diuinam voluntatem. Et hoc inquantùm necesse est, quòd iudicium de diuinis actibus non sit Deo præfixum ab alio, nec sequatur ex necessitate diuinam naturam; sed sit in potestate iudicantis, prolatumque ab ipso diuino intellectu, vt ab arbitro, & iudice, cui incumbit decidere, & diffinire quæstionem, qua diuina voluntas quærit, quid agendum sit. Habet autem ipse diuinus intellectus indifferentiam in iudicando de diuinis actibus, inquantùm est apprehensiuus rationum vniuersalium diuinæ bonitatis, spectantium ad regulas legis æternæ, seu etiam vniuersalis formæ boni. Determinat verò se, inquantùm secundùm nostrum modum intelligendi, & secluſis imperfectionibus, applicat vniuersales regulas legis eternæ singularibus agendis, dum, consideratо fine, excogitat, & diffinitiuā sententiam pronunciat, quòd hæc, vel illa sint per ipsum agēda. Hinc sequitur, quòd, secluſis imperfectionibus, verificetur de diuino intellectu, & voluntate principiū illud: *Ab eo, quod est ad vtrumlibet* &c. Similiter, quòd vitetur processus in infinitum in diuinis actibus, & saluetur perfectissima libertas diuinæ voluntatis.

Diuinus intellectus determinat se ipsū. Iudicium de agendis non est sibi præfixū ab alio. Est in potestate iudicantis.

1656 90 In hac resolutione primò respondemus primæ parti quæsiti affirmatiuè: responsionisque manifestamus principale fundamentum, dum dicimus: *Et hoc inquantùm necesse est, quòd iudicium* &c. *non sit Deo præfixum*, &c. Sed in potestate iudicantis. &c.

Secundò respondemus secundæ parti quæsiti, dicimusque, quòd intellectus diuinus habet indifferentiam, inquantùm apprehēdit vniuersales regulas legis æternæ, & vniuersalem rationem boni: & quòd determinat se, inquantùm secundùm nostrum modum intelligendi, &c. applicat vniuersales regulas legis æternæ singularibus agendis.

Tertiò inferimus veritatem eorum, cōtra quæ procedebat hæc septima obiectio.

Notabilis doctrina D. Thomæ pro fundamento responsionis primæ partis quæsiti.

1657 91 Antequam partes omnes resolutionis huius probemus, notamus primò egregiam, sed fortè à nemine hactenus consideratam, S. Thomæ doctrinam, quæ ad Annibaldum in 2. dist. 25. q. 1. ar. 1. explicat, & probat hoc, quòd est, & resolutionis, & responsionis nostræ primæ partis quæsiti fundamentum. In hoc art. quærit S. Doctor. *An liberum arbitrium sit in Deo.* Et respondet. *Dicendum, quòd (vt supra dictum est) ad hoc, quòd aliquid sit liberi arbitrij, duo requiruntur, scilicet, quòd habeat iudicium de suis actibus: & quòd huiusmodi iudicium sit in potestate iudicantis non quasi ei ab alio præfixum. Hæc autem duo in Deo inueniuntur. Primum quidem ex hoc, quòd est intellectus. Ex hoc enim sequitur, quod iudicat de his, quæ agit. Secundum autem ex conditione suæ naturæ, quæ ab alijs non dependet. Vnde iudicium de agendis non est præfixum ei ab aliquo superiori agente, sicut est in brutis: nec sequitur per modum necessitatis naturam diuinam.*

Valdè cōsiderāda doctrina S. Thomæ.

Notabilia ex doctrina eiusdem S. D. pro responsione secundæ partis quæsiti.

1658 92 Pro huius partis quæsiti responsione notari debet primò doctrina S. Doctoris, per quam in intellectu practico Dei agnoscit secundùm modum nostrū concipiendi apprehensiones quasdam vniuersales agendorum, quæ in ipso intellectu Dei ita se habent, sicut in nostro principia vniuersalia agibilium: & etiam apprehensiones quasdam ex parte obiectorum singulares, quibus Deus sententiat, quid circa dispositionem creaturarū sit agendum in singulari pro quolibet tēpore, & quolibet instanti temporis: & quæ se habent in ordine ad illas priores vniuersales; sicut in nostro intellectu conclusiones de agendis ad prima principia agibilium, spectantia ad habitum synderesis.

In intellectu diuino sunt vniuersales apprehensiones agēdorū, quæ sunt quasi principia; & quædā particulares apprehensiones, quæ sunt quasi conclusiones.

1659 93 Docuit hoc S. Doctor de Veritate q. V. ar. 1. ad 6. his verbis. *Dicendum, quòd prouidentia in Deo proprie non nominat legem æternam; sed aliquid ad legem æternam consequens. Lex enim æterna est consideranda in Deo, sicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota; ex quibus procedimus consiliando, & eligendo, quod est prudentia, siue prouidentia. Vnde hoc modo se habet lex in intellectus ad prudentiam, sicut principium in demonstratione. Et similiter etiam in Deo lex æterna non est prouidentia, sed prouidentia quasi principium.* Hæc S. D.

Doctrina S. Thomæ ad propositum.

In quibus, vt vides, ponit in intellectu practico Dei legem æternam, ratione distinctam à prouidentia, seu prudentia diuina, sicut in intellectu nostro ponitur lex naturalis, realiter distincta à prouidentia, & prudentia humana: Et sicut in intellectu

Digitized by Google

ctu nostro ad legem naturalem pertinent apprehensiones vniuersales, spectantes ad naturalem habitum synderesis, quibus apprehenduntur principia per se nota agibilium: ad prudentiam verò, seu ad prouidentiam pertinent conclusiones, quæ ex dictis principijs, consiliando, & eligendo deducuntur. Ita vult S. Doctor, quòd in intellectu diuino ad legem æternã pertinent apprehensiones agibilium, diuinæ menti naturales, seu innatæ, quæ in ordine ad prudentiam, seu prouidentiam diuinam se habent, sicut principium. Ad prudentiam verò, seu prouidentiam spectant conclusiones diuinæ mentis, quibus, attentis regulis legis æternæ, disponit, & certa sententia diffinit, quidquid circa creaturas sit agendum: quæ quidem illam proportionem habent ad legem æternam, quam in nobis conclusiones agibilium ad leges naturales mentis nostræ.

1660

94 Interrogabis: Lex æterna, prout importat veritates diuini intellectus, habẽtes rationem principij in ordine ad veritates prædiffinitas, & excogitatas per diuinam prouidentiam, quas veritates importat?

Petitio.

Responsio, qua explicatur, quas veritates importat lex æterna prout intelligitur, vt principium rerũ agendarũ.

Respondeo, quòd lex æterna in isto sensu, quo debet concipi, vt principium modo prædicto, importat veritates explicantes rationes diuinæ bonitatis, inquantum ipsa diuina bonitas est mensura, & regula omnium ordinandorum in finem diuinæ voluntatis. Finis enim est principium in appetibilibus: ratio verò vltimi finis, est id quo, tanquam primo principio, seu prima regula, & mensura agendorum vtitur intellectus, ad mensurandum, & determinandum: An hoc, vel illud sit agendum, vel non agendum pro fine. Veritates ergo pertinentes ad rationem finis vltimi, prout secundùm rationem talis finis sunt regulanda agenda ad finem, sunt prima principia, seu primæ regulæ agendorum. Cùm igitur finis diuini appetitus, seu volitatis diuinæ sit ipsemet Deus, prout summè bonus; fit inde, quòd rationes diuinæ bonitatis, seu veritates, explicantes dictas rationes, prout secũdùm eas sunt mensuranda, & regulanda ordinanda in finem diuinæ voluntatis, pertineant ad legem æternam, secũdùm quòd concipitur, vt principium in ordine ad veritates excogitatas per diuinam prouidentiam.

1661

Intellectus Diuinus apprehendit rationes vniuersales, & propter hoc habet indifferentiam in iudicando de agendis.

95 Notari debet secundò, quòd intellectus diuinus apprehendit, tàm ipsam rationem bonitatis diuinæ, quæ est forma apprehensa vniuersalissima, per quam (nostro modo intelligendi, & secluſa omni imperfectione ex parte actus diuini intellectus) iudicat de agendis à se circa creaturas, tam omnes rationes vniuersales boni communis. Quoniam autem (vt probauimus in hoc §. num. 26. ex doctrina S. Thomæ) Omnis intellectus habet indifferentiam ad iudicandum de singularibus agendis per hoc, quòd apprehendit formas vniuersales; fit inde, quòd intellectus diuinus propter hanc rationem habeat indifferentiam, ad iudicandum de agendis a se. Et quidem, intellectum diuinum apprehẽdere rationes vniuersales, indifferenter se habentes ad singularia, cõstare potest ex locis S. Doctoris, relatis loco cit. vsque ad num. 31. inclusiuè.

1662

Dantur in Deo rationes vniuersales distinctæ a rationibus singularibus secundùm doctrinam S. Thomæ.

96 Verùm si quis Thomista contenderet, loca S. D. ibi adducta intelligi debere de solo intellectu creato, non verò de diuino, & increato: existimaret que contra mentem S. Doctoris esse, ponere in intellectu diuino conceptiones, seu rationes conceptas, & ideas (latè accipiendo nomen ideæ) vniuersalium rationum distinctas nostro modo intelligendi ab ideis singularium: & ita crederet, non esse in intellectu diuino ideam, seu rationẽ animalis, distinctam secundùm modum concipiendi ab idea, seu ratione hominis, & vtramque etiam distinctam eodem modo ab idea, seu ratione Socratis, Platonis, &c. Considerare deberet talis Thomista se stare precisè stare contra suum sanctissimũ Præceptorem, qui sæpiùs expressis oppositum.

1663

Euidẽs locus S. Doctoris ad propositũ.

97 Vnde de Veritate quæst. 3. art. 3. ad 2. sic habet. *Dicendum, quòd, si loquamur de idea propriè, provt est rei eo modo, quo est in esse producibilis, sic vna idea correspondet speciei, & generi, inquantum in ipso singulari: ea quod Socrates, homo, & animal non distinguuntur secundùm esse. Si autem accipiamus ideam communiter, sic cùm diuersa sit consideratio Socratis, vt Socrates est, & vt homo est, & vt animal est, respondebunt ei plures ideæ, seu similitudines.*

In quibus euidenter habes, quòd si nomen, *Idea*, sumatur largè, provt idem est, quòd ratio, & similitudo, quæ, scilicet, non est rei eo modo, quo est in esse producibilis, datur in intellectu diuino idea, & similitudo repræsentans animal, vt animal: & datur etiam alia, repræsentans hominem, vt homo est: & alia repræsentans Socratem, vt Socrates est, &c. Ita vt istæ ideæ sint secundùm rationem plures. Hoc autem posito, clarum est, S. D. velle, dari in intellectu diuino ideas, seu similitudines conceptas rationum vniuersalium, suo modo distinctas à rationibus singularium.

98 Eandem doctrinam docuit euidẽtiùs

1664

Digitized by Google

Alius locus S. Doctoris ad idem.

tius S. Doctor eadem quæst. ar. 3. in corp. & sic habet. *Cognitio practica dicitur ex ordine ad opus, quod contingit dupliciter: quandoque in actu, quando scilicet, ad aliquod opus actu ordinatur: sicut artifex, concepta forma, proponit illam in materiam inducere, & tunc est actu practica cognitio, & cognitionis forma. Quandoque verò est quidem ordinabilis cognitio ad actum; non tamen actu ordinatur; sicut cùm artifex excogitat formam artificij, & scit per modum operandi; non tamen operari intendit: & certum est, quòd est practica cognitio habitu, vel virtute, non actu. Quando verò nullo modo est ordinabilis ad actum cognitio, tunc est semper speculativa, quod etiam dupliciter contingit. Vno modo, quando cognitio est de rebus illis, quæ non sunt natæ produci per scientiam cognoscentis, sicut cùm nos cognoscimus naturalia. Quandoque verò res cognita est quidem operabilis per scientiam; tamen non consideratur, vt est operabilis: Res enim per operationem in esse producitur; sunt autem quædam, quæ possunt separari secundùm intellectum, quæ non sunt separabilia secundùm esse. Quando autem consideratur res per intellectum operabilis, distinguendo ad inuicem ea, quæ secundùm esse distingui non possunt, non est practica cognitio, nec actu, nec habitu; sed speculativa tantum: sicut si artifex consideret domum, inuestigando passiones, genus, & differentiam, & huiusmodi, quæ ad esse eius requiruntur simul. Et secundùm hos quattuor modos cognitio diuina se habet ad res. Scientia enim eius est causa rerum. Quædam enim cognoscit ordinando ea ad hoc, quòd sint secundùm quodcumque tempus: & horum habet practicam cognitionem actu. Quædam verò cognoscit, quæ nullo tempore facere intendit, & de his habet quidem scientiam in actu; non autem actu practicam, sed virtute tantùm. Et quia res, quas facit, vel facere potest, non solùm considerat, secundùm quod sunt in proprio esse; sed etiam secundùm omnes intentiones, quas intellectus humanus, resoluendo, in eis apprehendere potest, ideo habet cognitionem de rebus operabilibus à se, etiam eo modo, quo non sunt operabiles, &c. vnde verissimè in Deo, & practicam, & speculatiuam cognitionem ponimus.* Hæc S. Doctor.

Inculcatur prædicta doctrina ad intentum.

In quibus euidenter docet, quod intendimus; dum concludit, quòd, quia *Deus habet cognitionem de rebus operabilibus à se, etiã eo modo, quo non sunt operabiles, verissimè in Deo, & practicam, & speculatiuam cognitionem ponimus.* Et hoc sic ostenditur. Nam habere cognitionem de rebus operabilibus à se eo modo, quo non sunt operabiles, importat, habere cognitionem, *qua considerantur res operabiles, distinguendo ad inuicem ea, quæ secundùm esse distingui non possunt; sicut si artifex considerat domum, inuestigando passiones, genus, & differentiam;* distinguendo, scilicet, genus à differentia, & passiones ab essentia. Sed Deus habet cognitionem de rebus operabilibus à se etiã eo modo, quo non sunt operabiles, ita vt propter hoc sit de eis verissimè scientia speculatiua in Deo. Ergo Deus habet cognitionem de rebus operabilibus, qua distinguit ad inuicem ea, quæ secundùm esse distingui non possunt, puta, genus à differentia. Sed hoc est habere cognitionem rationum vniuersalium, repræsentantem scilicet genus præcisum à differentia. Ergo. 1665

99 Idem docuit S. Doctor 1. p. q. 14. ar. 16. in corp. vbi cum præmisisset: quòd *scientia potest dici speculativa quantùm ad modum sciendi, vt puta si ædificator consideret domum diffiniendo, & diuidendo, & considerando vniuersalia prædicata ipsius. Hoc est operabilia modo speculativo considerare, & non secundùm modum, quo operabilia sunt. Operabile enim est aliquid per applicationem formæ ad materiam, non per resolutionem compositi in principia vniuersalia formalia*, cum, inquam, prædicta præmisisset, conclusionem subiungit dicens. *Habet Deus de omnibus alijs à se scientiam, & speculatiuam, & practicam. Speculatiuam quidem quantùm ad modum: quidquid enim in rebus nos speculatiuè cognouimus diffiniendo, & diuidendo, hoc totum Deus multò perfectiùs nouit.* *Confirmatur alius locus S. Doctoris.*

100 Nec dicas, S. Doctorem velle, Deum cognoscere, intellectum humanum diuidere ista prædicata ad inuicem, seu ista prædicata vniuersalia esse in intellectu humano; non autem diuinam cognitionẽ distinguere per seipsam ista prædicata, quæ secundùm esse non sunt distincta, terminarique per seipsam ad res operabiles eo modo, quo non sunt operabiles. 1666 *Responsio.*

Non, inquam, hoc dicas, Nam inde sequeretur, S. Thomam non probare, habere Deũ de rebus operabilibus à se scientiam speculatiuam quoad modum, seu talem scientiam esse in Deo *verissimè*, vt loquitur S. Doctor. Sed solùm probare, habere Deum scientiã, qua cognoscit, hominem habere scientiam speculatiuam de operabilibus à Deo: intellectumque humanum talia operabilia cognoscere, separando ad inuicem ea, quæ non sunt separabilia secundùm esse. Hoc autem est expresè contra intentionem S. D. intendentis probare, ipsam scientiam diuinam de rebus operabilibus à se esse etiam speculatiuam, si attendatur modus, quo ipsa scientia diuina attingit res ipsas operabiles, quæ ipsas attingit non solùm eo modo, quo sunt operabiles; sed etiam eo modo, quo non sunt operabiles, separando, *Confutatur responsio, quia sequeretur D. Thomã non probare intentũ*

scili-

scilicet, ad inuicem sua cognitione, & scientia, ea, quæ non sunt separabilia secundùm esse.

1667 101 Sequela autem patet ex paritate rationis. Nam, sicut ex eo, quòd intellectus humanus, cognoscit, siue per scientiam naturalem, siue per visionem beatificam, Deum habere scientiam, qua cognoscit naturalia eo modo, quo sunt operabilia ab ipso Deo, non sequitur hominem habere scientiam practicam de naturalibus: ita vt modus practicus, seu operatiuus sit in scientia humana; sed solùm sequitur, quòd homo per scientiam speculatiuam cognoscat, intellectum diuinũ habere scientiam practicam, qua naturalia cognoscit modo operabili. Ita ex eo, quòd Deus cognoscit, intellectum humanum habere cognitionem, qua res operabiles à Deo, cognoscit, resoluendo eas in prædicata formalia, & seperando ad inuicem ea, quæ non sunt separabilia secundùm esse, non sequitur, Deum habere scientiam, qua res operabiles à se cognoscit modo speculatiuo, ita vt modus sciendi speculatiuè sit in scientia diuina; sed solùm sequitur, Deum habere scientiam, qua cognoscit, intellectum humanum habere de rebus, operabilibus ab ipso Deo, scientiam speculatiuam, & quæ est speculatiua simpliciter, non autem quantùm ad modum. Adde, quòd talis responsio, nec etiam per violẽtiam aptari potest verbis relatis num. 97.

Probatur sequela.

Probatur resolutio, quantùm ad principale fundamentum, ex quo omnes eius partes dependent, videlicet,

Quod diuinum iudicium de agendis non est sibi præfixum, seu dictatum, & determinatum ab alio, nec sequitur per modum necessitatis diuinam naturam.

1668 102 HIS adnotatis, incipimus resolutionis probationem ex eius præcipuo fundamento, ex quo quoad omnes partes pendet. Dictum enim hoc negatiuum, quod probandum assũpsimus, est prima radix indifferentiæ pertinentis ad lineam virtutis iudicatiuæ: & hoc, inquantùm negat primam, & propriam radicem, vnde prouenit determinatio ad vnum in iudicando de agendis. Illud autem demonstrat S. Doctor verbis adnotatis num. 91. ex hoc, quòd Deus ab alijs non dependet. Eo enim ipso, quòd Deus ab alijs non dependet, sequitur euidenter, quòd iudicium de agendis non sit sibi præfixum, seu dictatum ab aliquo superiori agente, quemadmodum reperitur in brutis. Id enim, quòd est independens, non habet agens superius se, à quo dependet, vt à præfigente sibi iudicium.

Deus non dependet ab alio: & ideo non habet iudicium de agendis sibi præfixum.

1669 103 Sequitur etiam euidenter, quòd eius iudicium de agendis circa creaturas, non sequatur per modum necessitatis diuinam naturam. Nam si iudicium de agẽdis, vel non agendis ijs, quæ spectant ad creaturas, sequeretur per modum necessitatis naturam diuinam; oporteret, quòd, Deum agere, vel non agere ea, quæ spectant ad creaturas, esset sibi necessarium, & sic Deus penderet à creaturis, vt à necessarijs naturæ diuinæ. Nam à natura non effluit ex necessitate; nisi quod est naturæ necessarium, quo, scilicet, indiget ipsa natura. Si ergo iudicium de agendis, vel non agendis creaturis, sequeretur per modum necessitatis naturam diuinam, tale iudicium esset naturæ diuinæ necessariũ. Si autem tale iudicium esset diuinæ naturæ necessarium, tunc esse, vel non esse creaturarum, quæ ex necessitate, prouenient ab ipsa natura, iudicantur esse, vel non esse agendæ. non possent non esse necessaria ipsi naturæ Diuinæ. Et huius ratio est. Quia natura ideo habet necessitatem habendi iudicium de agendis, vel fugiendis, quia hæc sunt naturæ repugnantia; illa vero naturæ necessaria, vt patet in brutis, quæ per iudicium naturale, vel fugiunt, quod nocet naturæ, vt ouis lupum, vel sequuntur, quod est necessarium naturæ, sine quo natura seruari non potest, vt agnus ex iudicio naturali sequitur, & audit vocem matris, & aues nidificant, & nutriunt pullos. Si ergo diuina natura haberet necessitatem habendi iudicium de agendis, vel non agendis creaturis, oporteret, quòd esse, vel non esse creaturarum, essent diuinæ naturæ necessaria, & sic Deus penderet ab esse, vel non esse creaturarum, vt à necessarijs suæ naturæ, essetque bonis creatis indigus, contra illud Psal. *Bonorum meorum non indiges*, & illud Pauli Actorum 17. *Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt*, &c. *non manibus humanis colitur indigens aliquo* &c.

Indicium de agendis non sequitur per modum necessitatis naturam diuinam.

Probatur, quòd, ex quo iudicium de agendis non est Deo præfixum ab alio, nec sequitur per modum necessitatis naturam diuinam, rectè deducitur, tale iudicium esse in potestate Dei iudicantis.

1670 104 HOC, quod probare proposuimus, expressit S. Doctor verbis relatis num. 91. huius §. quibus sic discurrit. *Ad hoc, quòd aliquid sit liberi arbitrij, duo requiruntur, scilicet; quòd habeat iudicium de suis actibus, & quòd huiusmodi iudicium*

Digitized by Google

cium sit in potestate iudicantis, non quasi ei ab alio præfixum. Hæc autem duo in Deo inueniuntur. Primum quidem ex hoc, quòd est intellectus. Ex hoc enim sequitur, quòd iudicat de his, quæ agit. Secundum autem ex conditione suæ naturæ, quæ ab alijs non dependet, vnde iudicium de agendis non est præfixum ei ab aliquo superiori agente, sicut est in brutis, nec sequitur per modum necessitatis propriam naturam.

Discursus S. Doctoris

Inculcatur ad propositum.

In quibus expendo illa verba: *Et quòd huiusmodi iudicium sit in potestate iudicantis, non quasi ei ab alio præfixum*. Designat enim S. Doctor, vel quòd idem significatur, cum dicitur, iudicium alicuius esse in potestate iudicantis; & cum dicitur, non esse ei ab alio præfixum: vel saltem, quòd primum habetur, habito hoc secundò. Idque sic apparet ex prædictis verbis. Nam, volens probare, quòd in Deo iudicium de agendis sit in potestate ipsius iudicantis, non quasi ei ab alio præfixum, solùm probat, tale iudicium non esse Deo præfixum ab aliquo superiori agente; nec sequi per modum necessitatis naturam diuinam. Inde enim euidenter habetur, quòd secundùm S.D. vel idem importat, habere iudicium non præfixum ab alio, nec consequens propriam naturam per modum necessitatis, quòd habere iudicium in potestate sui iudicantis, vel saltè, quòd hoc secundùm euidenter habetur, posito primo. Aliàs S. Doctor non probasset intentum.

1671

Iudicium de agendis si non est præfixum a natura, est in potestate iudicantis.

105 Et re vera ita res se habet. Nam per illud ipsum, per quod, iudicans de agẽdis, habet, quòd suum iudicium non sit sibi præfixum à natura, habet etiam, quòd sit in potestate iudicantis. Sicut enim hoc ipso, quòd aliquid affirmatur esse animal non irrationale, affirmatur esse rationale, ita vt idem sit animal non irrationale, quod animal rationale: & similiter, eo ipso quòd aliquid affirmatur animal non rationale, affirmatur esse irrationale: & ratio est, quia animal diuiditur, tanquam per differentias oppositas, se inuicem excludentes, in rationale, & irrationale. Ita, quia virtus iudicatiua habet duos modos iudicandi de agendis, se inuicem excludentes ab eodem actu iudicandi, vnum, quo iudicat iudicio, sibi determinato, & dictato ab alio; altero verò, quo iudicat iudicio, sibi ab alio non determinato; sed à se excogitato, expenso negocio, & collata causa ad leges vniuersales, puta ad finem, &c. secundùm quem modum iudicium est in potestate iudicantis. Hinc est, quòd per hoc ipsum, quòd affirmatur, aliquem habere iudicium non præfixum à natura, affirmatur, eum habere iudicium in potestate sui iudicãtis: & per hoc quod affirmatur, habere iudicium non in potestate sui iudicantis, affirmatur, habere iudicium sibi præfixum à natura. Diuisio enim hæc iudicij in determinatũ, seu præfixum iudicanti à natura, & in non determinatum, seu non præfixum iudicanti à natura, & ex consequenti existens in potestate iudicantis, est diuisio per terminos immediatos, quorum vnius positio est remotio alterius. Hinc S. Doctor verbis proximè relatis pro eodem accipit, habere iudicium non præfixum ab alio, & habere illud in potestate iudicantis; & similiter verbis relatis num. 31. huius §. concluſit illam propositionem: *Quacumque igitur habent iudicium de agendis, non determinatum ad vnum à natura, necesse est liberi arbitrij esse.*

Explicatur, qualiter in Deo iudicium de agendis sit in potestate iudicantis, seclusis imperfectionibus.

1672

Iudicium de agendis est in potestate Dei iudicantis, quantùm ad terminationem in obiecta.

106 IGitur, quia per hoc ipsũ, quòd remouemus à Deo iudicium de agendis, sibi præfixum à natura, oportet, nos ponere in ipso, idem iudicium esse in potestate iudicantis, seu tale iudicium esse à Diuino intellectu excogitatum, & inuentum; ideo debemus nunc explicare, qualiter prædicta verificentur in Deo, seclusis imperfectionibus, inuentis in intellectu creato.

Et dicendum est, quòd verificantur, non quantùm ad substantiam actus; sed quantùm ad terminationem in obiecta, Sicut enim Deus est (vt loquitur D. Thomas lib. 1. con. gen. cap. 88. ratione 4.) maximè dominus suorum actuum, & volendi, & nolendi ea, quæ spectant ad creaturas, non quantùm ad substantiam actus, qui vnus, idemque est, & identificatus cum ipsa diuina natura; sed quantùm ad terminationem in obiecta, in quæ potest terminari, & vt voluntas, & vt noluntas, seu ad vtrumlibet, inquantùm non habent necessariam connexionem cum fine diuinæ voluntatis, vt optimè aduertit Ferrariensis eodem loco dicens: *Aduertendum, quòd, cùm dicitur, Deum esse maximè dominum suorum actuum, hoc intelligitur, non quoad substantiam actus: cùm actus sit sibi naturalis, sicut, & essentia; sed intelligitur quoad terminationem in obiecta* &c. Ita nos dicimus, iudicium diuinum de agendis esse in potestate iudicantis.

1673

Quædam considerãda ad propositum.

107 Considerandum est hìc doctrina S. Thomæ ex q. 24. de Veritate art. 2. quam expendimus in hac disp. §. 6. à num. 71. ad 87. nempe, quòd *iudicium est in potestate iudicantis, secundùm quod potest de suo iudicio iudicare*: & quòd illa virtus iudicatiua iudi-

Digitized by Google

cat de suo proprio iudicio, *quæ super actum suum reflectitur, & cognoscit habitudines rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat*. Simulque considerari debet id, quod aduertimus loco proximè cit. num. 73, videlicet, quòd iudicare de suo proprio iudicio, vt potens iudicare de eo vtrumlibet, contingit dupliciter: vno modo reflexè formaliter, alio modo reflexè virtualiter. Et quòd ille iudicat de suo proprio iudicio reflexè virtualiter, vt potens iudicare vtrumlibet (vt eodem loco explicauimus num. 78. 79. & 81.) qui de agendis non necessarijs ad finem profert iudicium, seu sententiam, cognita habitudine rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat, seu cognita ratione finis, & proportione agendorum ad finem. Hoc ipso enim, quòd, sic iudicans potest directè de agendis iudicare vtrumlibet; potest etiam virtualiter reflexè iudicare vtrumlibet de suo proprio iudicio. Tandem considerari debet, quòd (vt citatis locis probauimus) ad hoc, vt iudicium sit in potestate iudicantis, sufficit, quòd possit iudicare vtrumlibet de suo proprio iudicio hoc secundo modo, puta reflexè virtualiter.

1674 108 Considerandà, inquam, sunt hìc prædicta: Nam ex ipsis habetur euidenter, qualiter, seclusis imperfectionibus, iudicium diuinum de agendis circa creaturas sit in potestate iudicantis. Nam secundùm adnotata idem importat, Deum habere iudicium de agendis circa creaturas in potestate sui iudicantis, quod, Deum, cognito fine, & proportione agendorum ad finem, posse iudicare vtrumlibet de dictis agendis, quantùm ad terminationem actus in dicta obiecta. At verò hoc est omnino necessariò dicendum de ipso Deo, nullamque imperfectionem inuoluit, vt per se constat. Ita ergo nullam involuit imperfectionem asserere, iudicium de agendis circa creaturas esse in potestate Dei iudicantis.

Concluditur, Diuinum iudicium de agendis esse in potestate iudicantis.

1675 109 Iudicium de agendis, inquantùm est in potestate iudicantis, inuoluit aliquã imperfectionem in nobis, inquantùm importat diffinitiuam sententiam, qua certò iudicamus, aliquid hìc, & nunc esse agendum, conclusam per discursum consilij, quo per rationem communem boni, tanquam per primam regulam agendorum, quæ potest applicari indifferenter omnibus, singularibus bonis, iudicamus de prædictis agendis. Ponimus in Deo iudicium de agendis esse in potestate iudicantis, seclusis imperfectionibus, inquantùm ponimus in ipso certam, & diffinitiuam sententiam de agendis proportionalem ei, in quam nos peruenimus per discursum consilij; sed sublata imperfectione discursus, & posito in Deo actu diuini intellectus excogitantis, in cognitione suæ bonitatis, hoc, vel illud esse agendum circa creaturas.

Quid importet in Deo iudicium de agendis, seclusis imperfectionibus.

1676 110 Notanda sunt ad hoc propositum verba S. Doctoris 1. 2. q. 14. ar. p. ad 2. vbi habet. *Ad secundùm dicendum, quòd ea, quæ dicuntur de Deo, accipienda sunt absque omni defectu, qui in nobis inuenitur. Sicut in nobis scientia est conclusionum per discursum à causis in effectus. Sed scientia, dicta de Deo, dicit certitudinem de omnibus effectibus in prima causa absque omni discursu. Et similiter consilium attribuitur Deo, quantùm ad certitudinem sententiæ, vel iudicij, quæ in nobis prouenit ex inquisitione consilij: sed huiusmodi inquisitio in Deo locum non habet.* Ampliùs 1. p. q. 22. ar. p. ad p. sic habet. *Ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo, dicitur, non propter inquisitionem; sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes, inquirendo, perueniunt.*

Locus S. D. ad propositum.

1677 111 Et lec. 2. in cap. 12. Iob. sic habet. *Considerandum, quòd sicut Deus scit, & principia speculatiuarum scientiarum, & conclusiones, & ordinem eorum ad inuicem; non tamen per principia conclusionum cognitionem acquirit: sed omnia pura, & simplici aspectu cognoscit. Ita in operatiuis, & fines, & ea, quæ sunt ad finem nouit, & quæ viæ ad fines aliquos consequendos expediant; non tamen vias ex finibus acquirit, sicut nos, cùm consiliamur. Sic igitur in Deo dicitur esse ratio, inquantùm cognoscit ordinem principiorum ad sequentia; non tamen ei conuenit intelligere aliquid per modum rationis, vt ratio facit. Sic apud ipsum dicitur esse consilium, non per modum inquisitionis, sed per modum simplicis, & absolutæ cognitionis.* Quibus adde, quæ notamus ex eodem S. Doctore §. sequenti num. 6.

Alius locus eiusdē S. Doctoris

Deum iudicare de agendis iudicio proprio, per suum intellectum excogitato, & inuento, vt per arbitrum, & iudicem, cui incumbit decisio causæ: esseque sui causam in iudicando de eisdem; ac suum iudicium esse in potestate sui intellectus, & voluntatis; verificantur, & probantur simili ratione, & modo, quo hæc ipsa probauimus, inueniri in Angelis à nnm. 52. ad 59. huius §. ostendimus.

1678 112 QVÆ modò enumerauimus, reperiri in Angelis, loco citato probauimus, nulla in eis admissa imperfectione discursus. Quare, cùm secundùm eandem rationem conueniant Deo, non oportet hìc prædicta probare; sed solùm aduertere, quòd, quibus rationibus probantur hæc inueniri in Angelis, probantur etiam, inueniri in Deo.

Sed aduerti debet, quòd locutio ista, qua

Probatur modus loquendi auctoritate sacræ Scripturæ.

qua iudicium de agendis circa creaturas dicitur adinuentum, & excogitatum ab intellectu diuino, si ad obiecta ipsa referatur, seu secundùm quòd terminatur ad obiecta, hoc, vel illo modo iudicata agenda, vel non agenda, non est, vel noua, vel impropria; sed in Scripturis sacris vsurpata frequenter, vt lib. 1. Paralipomenon cap. 16. ver. 8. & Esaiæ 12. ver. 4. dicitur. *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius.* Et Ps. 76. ver. 12. *Meditabor in operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.* In quibus locis nomine adinuentionum diuinarũ veniunt, mirabiles viæ excogitatæ diuini cõsilij, seu diuinæ prouidentiæ, quas excogitauit Deus ad particulares fines. Sicut nomine adinuentionum malorum hominum veniunt viæ excogitatæ ad peccandum. Hinc S. Doctor ad illa verba Ps. 27. *Da illis secundùm opera eorum, & secundùm nequitiam adinuentionum ipsorum* sic habet: *Adinuentiones sunt viæ excogitatæ ad nocendũ, & peccandum.*

1679

Intellectũ diuinum decidere quæstiones de agendis vt iudicẽ voluntatis, qualiter sit intelligendũ

113 Ampliùs aduertendum est, quòd, licèt intellectus diuinus non inquirat, & ex parte actus intelligendi nulla sit in eo dubitatio, vel quæstio; attamen si attendatur natura rerum agendarũ circa creaturas, in ordine ad quas diuina voluntas non est ex sua natura determinata; iam ex parte prædictarum rerum quæstio subsistit, remanetque determinandum, & decidendum: An hoc vel illud sit eligendũ: An hoc, vel illo modo creaturæ disponendæ: An per hanc, vel illam viam, sit procedendum in hunc, vel illum proximum finem. Has autem quæstiones, quæ ex parte obiectorum se tenent, decidit sua diffinitiua sententia, & interlocutione diuinus intellectus, vt diuinæ voluntatis iudex: ipsaque voluntas (quæ inquantùm ex parte obiectorum se habet ad vtrumlibet, connotat prædictas quæstiones) per sui intellectus interlocutiones, sententiasque diffinitiuas, seipsam determinat, determinaturque ad illud vnum, quod diffinitum est, vt habet S. Doctor locis à nobis relatis disp. præcedenti §. 22. a num. 22. ad 26. fol. 259. & 260.

Concluditur ex dictis, quòd, quantùm ad indifferentiam, quam intellectus diuinus habet ex propria linea, determinat seipsum illo proportionali modo, quo intellectus angelicus, & humanus, seclusis imperfectionibus.

1680

114 SEquitur hoc ex dictis: Nam hoc ipso, quòd diuinus intellectus, cognoscendo finem, rationem vniuersalis finis, & proportionem agendorum ad finem, sententiat, quid sit, vel non sit agendum circa ea, ad quæ voluntas diuina non habet habitudinem necessariam; idque illo simplicissimo, æterno & immutabili actu, quo, cognoscendo diuinam naturam secundùm omnia sua attributa, cognoscit omnia, secundùm omnes rationes, tam singulares, quàm vniuersales; iam per collationem, existentem supra omnes ordines rerum, ac per hoc excludentem omnem imperfectionem, applicat rationem boni, & finis, per quam habet indifferentiam, singularibus agendis, in ordine ad quæ forma vniuersalis eiusdem intellectus habet determinationem. Determinat ergo seipsum, quantùm ad indifferentiam, quam habet ex propria linea illo proportionali modo, quo intellectus angelicus, & humanus, exclusis tamen eorum imperfectionibus. Non oportet hìc aliud addere; sufficienter enim efficacia huius discursus apparet ex dictis duobus præcedentibus dubijs.

Axioma illud: Ab eo, quòd est ad vtrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquod, quod determinat ad vnum, verificatur in Deo.

1681

115 CIrca hoc, quod in tertia parte nostræ resolutionis posuimus, aliqua diximus disp. prima §. 9. num. 16. nunc autem breuiter manifestari potest, afferendo ea, quæ in Deo sunt ad vtrumlibet, & simul explicando, qualiter secundùm modum nostrum concipiendi non procedunt in actum, nisi per aliquod, quod determinat ad vnum. Potrò in Deo dicuntur esse ad vtrumlibet, seu indeterminata in ordine ad suos effectus, Potentia, Ars, seu scientia practica factiua rerum, Voluntas, & Iudicium inclinans, & determinans voluntatem. Et quidem prima duo determinantur ad vnum per proæresim, seu actum electionis diuinæ voluntatis, vt docet Aristoteles, loquens de potentijs actiuis rationalibus 9. Metaphy: apud D. Th: lec: 4. lit. tex: e, Et videri potest S. Doctor in p. dist: 45. q. 1. ar: 3. in corp: vbi probat potentiam, & scientiam Dei, quæ sunt indifferentes, & suo modo ad vtrumlibet, seu ad opposita, non exire in actum producendi effectum, nisi determinentur ad vnum oppositorũ producendum per actum electionis diuinæ voluntatis, determinatè accipientis vnum: & in 1. p: q: 14. art. 4. in corpore, vbi id ipsum probat de diuina scientia, seu arte & citat Aristotelem in loco citato Metaphy: & in opusculo 2. seu cõpendio theologiæ cap. 96. vbi id probat de diuina potentia. Voluntas verò, quæ est ad vtrum-

Quattuor habent indifferentiã in Deo. Potẽtia, Scientia practica factiua rerum, seu Ars, Voluntas, & Virtus iudicatiua de agẽdis.

Digitized by Google

libet vt, suo modo, & seclusis imperfectionibus, seipsam mouens ad exercitium actus, determinat seipsam, seu determinatur, ad particularia obiecta per sui intellectus iudicium, seu sententiam, determinatè iudicantem, hanc, non illam partem ex oppositis, esse agendam. Virtus denique iudicatiua, cui secundùm propriam lineam non competit esse ad vtrūlibet, quantum ad exercitium actus; sed solùm quantùm ad propositionem obiecti, seu quantum ad pronunciationē sententiæ, qua potest dicere, tam quòd aliquid sit agendum, quàm quòd non sit agendum; quod quidem habet rationē formæ apprehensæ vniuersalis, indifferenter se habentis ad singularia; determinat sui ipsius indifferentiam seu determinatur, per aliquid, quod determinat ad vnum ipsam vniuersalem formam apprehensā, scilicet, singulare apprehensum. Et ita illud principium: Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non exit actus determinatus; nisi per aliquid, quod determinat ad vnum, verificatur de diuino intellectu, inquantùm, seclusis imperfectionibus, est verum, quòd à forma apprehensa vniuersalis finis, secundùm quam diuinus intellectus potest iudicare vtrumlibet de agendis circa creaturas, non procedit (nostro modo intelligendi) determinatum iudicium de agendis ad finem; nisi inquantùm intelligitur applicari singulari agendo, apprehenso ab eodem intellectu, per quod singulare vniuersalis ratio finis intelligitur suo modo determinari ad ipsummet singulare.

Vitatur processus in infinitum in actibus diuini intellectus, & voluntatis.

1682

Ex duplici capite potest obiici processus in infinitum, in actibus diuinis.

116 LIcèt in Deo sit vna entitas simplicissima, vnusque simplicissimus actus, siue intellectus, siue voluntatis; in ordine tamen ad obiecta, secundùm nostrum modum concipiendi, & loquendi de Deo, ponimus in eo plures actus ordinatos, secundùm ordinem in obiectis inuentum. Processus autem in infinitum in dictis actibus potest ex duplici capite obiici, sicut ex duplici capite obijcitur in actibus nostri intellectus, & voluntatis. Primò ex eo, quòd ponimus hæc duo simul, nempe, quòd obiectum diuinæ voluntatis est bonitas apprehensa ab intellectu diuino; & quod voluntas diuina, volens finem, siue vltimum, & vniuersalissimum, puta diuinam bonitatem, siue aliquem intermedium, & particularem, mouet intellectum diuinum ad apprehendendum, seu proponendum conuenientia fini: sicut cùm ex eo, quod vult alicui beatitudinem, intelligimus diuinam voluntatem ex intentione talis finis applicare intellectum diuinum ad excogitandum, seu ordinandum, & præparandum proportionata media transmitentia talem hominem in dictum finem, cuius transmissionis, seu ordinationis, & præparationis ratio, seu excogitatio, in mente diuina appellatur à S. Thoma prædestinatio. Potest ergo obiici processus in infinitum. Nam si intellectus, apprehendens bonum, mouet voluntatem ad volendum, & voluntas, volens bonum, mouet intellectum ad apprehendendum, oportet, quòd secundùm nostrum modum concipiendi ad illud intelligere, quo apprehenditur bonum, præcedat velle, mouens ad intelligere, & ad istud intelligere, aliud velle, & sic in infinitum, vt contra se obijciebat S. Doctor 1. p. q. 32. art: 4. argumento 3. verbis relatis in hac disp: §. 6. num. 115. fol. 390.

117 Et dicendum est (vt respondet ibidem S. D.) quòd, & si secundùm nostrum modum concipiendi ponamus, voluntatem diuinam mouere, seu applicare diuinum intellectum ad iudicandum de agendis; non tamen ponimus, nec poni potest, eam illum mouere quantùm ad omnes actus iudicandi, quos in eodem intellectu concipimus; sed solùm quantùm ad eos, quibus iudicat de agendis, seu volendis propter finem: quantùm verò ad eum actum, quo ipsum Deum summum bonum, qui est naturalis finis diuinæ voluntatis, iudicat summè amandum, non ponimus moueri intellectum à voluntate. Hic enim actus iudicij, tam secundùm se, quàm secundùm ordinem ad obiectū, de quo iudicat, est omninò necessarius, & intelligitur suo modo consequi naturam diuinam: ac etiam suo modo præcedere amorem diuinæ bonitatis, qui est naturalis motus voluntatis in dictum finem. Non igitur datur processus in infinitum in iudicijs intellectus diuini, & actibus voluntatis, mouentibus intellectum ad iudicandum. Fit enim status in intellectu secundùm illum actum, quo iudicat, amandum summum bonum. Nam (vt dixi) ad prædictum actum iudicij intelligitur sequi amor summi boni, qui intelligitur applicare intellectum ad excogitandum, & inueniendum; An aliquid sit agendum pro tali fine. Sequitur deinde actus diuini intellectus, applicati ad iudicandum ex fine, quo ipse diuinus intellectus, non ex instinctu naturæ; sed iudicio, existente in sua potestate, seu à se excogitato, & inuento, cognito fine, & consideratis regulis

1683

Intellectus diuinus nō intelligitur applicari a voluntate ad omnem actū iudicij; & ideo non sequitur processus in infinitū

Digitized by Google

gulis legis æternæ, iudicauit agendum hoc vniuersum, statuens in illo ordinem; ita vt aliqua eius pars sit ad aliam ordinata, vt ad proximum finem. Et sequitur actus electionis perfectissimè liber, quo idem vniuersum cum omnibus ordinibus, in eo excogitatis, facere elegit ad finem suæ bonitatis naturaliter amatam. Inde habemus nos fundamentum concipiendi in Deo plures actus intellectus, & voluntatis ordinatos, secundùm quòd per statutum excogitationis diuinæ res sunt ordinatæ in uniuerso. Sed tamen non est procedere in infinitum, si in finibus ordinatis, intelligimus actum diuinæ voluntatis, volentis finem, applicare intellectum ad excogitandum agenda propter illum finem, vt cum intelligimus actum diuinæ voluntatis, volentis alicui creaturæ rationali beatitudinem, applicare diuinum intellectum ad excogitandum ordinem agendorum, per quæ eadem creatura transmittitur in dictum finem. Deueniendum est enim ad illum actum voluntatis diuinæ, quo tēdens in summum bonum, vt in finem omnium vltimum, applicat intellectum ad excogitandum agenda propter talem finem. Ad dictum autem actum voluntatis præcedit iudicium intellectus diuini, quo naturaliter, & necessariò: non verò vt applicatus ab aliquo actu voluntatis, iudicat, summum bonum amandum: & sic fit status in tali actu intellectus sicut in primo.

Fundamētum concipiendi in Deo plures actus ordinatos intellectus, & voluntatis, est ordo, ab ipso Deo excogitatus in partibus vniuersi.

1684 118 Posset secundò obijci processus in infinitum specialiter circa actus liberos, inquantùm ponimus, quòd actus diuinæ voluntatis liberos debet præcedere iudicium liberum, & existens in potestate iudicantis, seu in potestate diuini intellectus, & voluntatis. Si enim actus voluntatis diuinæ est liber, quia ad ipsum præcedit liberum iudicium; & iudicium est liberum; quia (vt aliqui existimant) ad ipsum præcedit actus liber voluntatis, à quo dicitur liberum, sequitur processus in infinitum in actibus diuini intellectus, & voluntatis, vt argumentatur. Ruiz a nobis relatus §. 6. huius disp. num. 3. fol. 360. Sed ad hoc patet responsio ex dictis eodem §. additis his, quæ diximus in hoc dubio.

Obiectio processus in infinitū ex libertate iudicij desumitur à Ruiz.

Dicendum est enim, quòd non omnia iudicia de agendis, quæ nos concipimus in diuino intellectu, sunt libera: quia ad ipsa præcedit actus liber diuinæ voluntatis, applicans intellectum ad iudicandum. Deueniendum est enim ad aliquem actum iudicij, qui solùm est liber secundùm propriam lineam intellectus, & inquantùm Deus iudicat de agendis, non ex instinctu naturæ; sed facta collatione ad finem: secundùm quem modum iudiciū est in potestate iudicantis; estque approbatum, & volitum ab actu libero voluntatis, ad ipsū iudicium sequente. Non ergo datur processus in infinitum; sed, si aliquod iudicium est liberum, non solùm libertate, spectante ad lineam intellectus, sed etiam, quia est ab actu libero voluntatis, applicante intellectum ad iudicandum; ascendendo, deueniendum est ad illud, quod est liberum solùm libertate, pertinente ad lineam intellectus, secundùm quam est radix libertatis inuentæ in voluntate. Ad hoc autem iudicium præcedit necessarius amor, quo Deus amat seipsum, & ad quem præcedit iudicium merè necessariū, & naturale, ad quod, vt ad omnium primum deueniendum est. Etenim (vt præcedenti numero diximus) voluntas diuina, amans necessariò, & naturaliter diuinam bonitatem, mouet, seu impellit (nostro modo intelligendi) intellectum diuinum, vt excogitet, & dictet, an aliquid, & quid, sit agendum pro tali fine. Hoc posito, intellectus, examinato negocio, collatione, omnem excludente imperfectionem, suam profert sententiam. Hæc autem sententia, licèt necessitatem habeat, & sit naturalis, attento principio, vnde prouenit applicatio intellectus ad sēntiandum, seu excogitandum, sic in confuso; attamen considerata, inquantùm talis determinata sententia est inuenta ab ipso intellectu diuino, examinata causa per rationem finis: sitque de his, quæ sunt in potestate iudicantis (cùm non sit de his, quæ habent necessariam connexionem cum fine; sed de quibus potest iudicare vtrumlibet) iam est suo modo libera, libertate pertinente ad lineam intellectus, & secundùm quam est radix libertatis inuentæ in voluntate. Vnde actus diuinæ voluntatis, qui intelligitur sequi prædictam sententiam, est perfectissimè liber, hoc ipso, quòd intelligitur sequi prædictam radicem. Prædicta etiam sententia, secundùm præfatam rationem considerata, est ex illis actibus, qui sunt sub diuino dominio, illa simili ratione, qua primum imperium intellectus creati dicitur esse in potestate iudicantis. Vide quæ diximus §. præcedenti dubio quinto.

Responde-tur, non sequi processum in infinitū; quia deueniendum est ad primum iudicium liberum secundùm lineam intellectus diuini.

Praxis ordinis diuinorum actuum, & qualiter sit in eis necessitas, vel libertas declaratur.

Confirmantur prædicta ex Capreolo.

119 PRædictum ordinem in actibus diuinis posuit expressè ex ipso Santo Doctore Capreolus in p. distinc. 45. quæst p. art. 2. in responsione ad quintum argumentum contra secundam partem 1685

Ordo diuinorum actuum ex Capreolo.

Digitized by Google

partem tertiæ conclusionis. fol. 589. col. 2. circa finem, & sic habet. *Ad quintum dicendum, quòd voluntas* (scilicet diuina) *ex natura sua est determinata ad volendum suum principale obiectum, nec vllo modo est indeterminata respectu illius: sed ad volendum alia determinatur per intellectum, & per suam sapientiam, quæ statuit sibi determinatos effectus, quos producit ordinatè: sicut dicit S. D. 2. contra gen: cap. 26. in fine, & cap. 27. Intellectus autem diuinus determinatur ad determinandam voluntatem, & ad sic concipiendum, per voluntatem. Et hoc non procedit in infinitum; quia est status, tam ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectus. Intellectus enim diuinus naturaliter, & necessariò obiectum voluntatis diuinæ, & omnia alia intelligit (loquendo de incomplexis) & diuina voluntas naturaliter vult, & necessariò suũ principale obiectum: quo dilecto, & amato, vult, intellectum concipere, & dictare aliquod producendum, in quo diuina bonitas in tali gradu reluceat: quo facto, intellectus dictat, hoc, vel hoc, esse fiendum; & post ad hoc volendum voluntas determinatur. Sic ergo patet, quòd voluntas determinatur quantùm ad specificationem actus ab intellectu; sed quantùm ad exercitium illius actus determinatur ex sua natura, quantùm ad principale obiectum, & quantùm ad alia per libertatem suam. Et si dicatur, quod in hoc saltem ipsa, prius existens indeterminata, se determinat, conceditur. Nam non est determinata ad volendum, vel nolendum; & tamen habet determinatè velle, vel nolle; sed tamen, quoad specificationem actus ab intellectu determinatur.* Hæc Capreolus.

1686 *Conformitas doctrinæ Capreoli cum nostra explicatur.*

120 In quibus in primis nota, quàm expresè ponit nostram sententiam, à nobis stabilitam disp. præcedenti §. 22. num. 4. & probatam ex mente S. D. eodem §. a num. 16. ad 26. & §. 23. a num. 77. 93. videlicet voluntas diuina *ad volendum alia determinatur per intellectum, & per suam sapientiam, quæ statuit sibi determinatos effectus, quos producit ordinatè, sicut dicit S. D. 2. con: gen: cap. 26.* &c. & confer cum alijs S. D. verbis, à nobis relatis cit. §. 22. num. 17. puta: *Sicut natura determinatur ad vnum per suam virtutem; ita voluntas determinatur ad vnum per suam sapientiam*, & illis alijs, relatis ibidem num. 24. puta: *voluntas diuina in his, quæ sunt alia ab ipso, determinatur ad vnum per cognitionem suam.* Indeque probabis, attigisse Capreolum nobiscum Sanctissimi præceptoris mentem.

1687 *Recensentur loca S. D. relata à Capreolo, conferuntur cũ relatis à nobis, & probatur, ipsũ ex eisdem locis nostram detulisse sententiã.*

121 Et circa hoc aduerte, quod Capreolus prædictam responsionis doctrinã desumpsit ex doctrina S. Doctoris, quam retulit in probatione secundæ partis tertiæ conclusionis. fol. 581. Vbi in primis ex 2. dist. 25. quæst. vnica transcripsit corpus articuli primi, quem nos retulimus disp. 1. §. 11. num. 7. & disp. 2. §. 4. num. 2. Transcripsit etiam ex lib. 1. cont. gen. cap. 82. verba, à nobis relata disp. 1. §. 2. num. 9. & disp. 2. §. 22. num. 23. quibus nos probamus, diuinam volũtatem determinari per sui intellectus iudicium. Denique addidit, vt infra: *Item 2. cont: gen. cap. 26. sic ait. Sciendum, quòd quamuis diuinus intellectus ad determinatos effectus non coarctetur, ipse tamen sibi statuit determinatos effectus, quos per suam sapientiam ordinatè producat, sicut sapientiæ 11. dicitur. Omnia in numero pondere, & mensura disposuisti Domine. Et statim cap. sequenti, scilicet, 27. sit ait: Ex his ostendi potest, quòd nec eius voluntas, per quam agit ad determinatos effectus, necessitatem habet. Voluntatem enim suo obiecto proportionatum esse oportet: obiectum autem voluntatis est bonum intellectum. Voluntas igitur ad qualibet nata est se extendere, quæ ei intellectus sub ratione boni proponere potest: si igitur diuinus intellectus ad certos effectus non est coarctatus; relinquitur, quòd nec diuina voluntas determinatos effectus ex necessitate producit. Hæc ille. Ex quibus patet, quòd diuinus intellectus determinat diuinam voluntatem ad ista, vel illa volita: & voluntas, sic determinatè volens aliquid, illud determinatè producit. Et sic patet secunda pars conclusionis.* Ita Capreolus. Ex quibus apparet, quòd doctrinam illam responsionis: *voluntas diuina ad volendum alia determinatur per intellectum, & per suam sapientiam, quæ statuit sibi determinatos effectus, quos producit ordinatè*, quantùm ad hoc vltimum, quòd scilicet, *diuina sapiẽtia statuit sibi determinatos effectus, quos producit ordinatè*, quod idem est, quod intellectus diuinus determinat seipsum ad effectum, desumpsit ex verbis S. Doctoris ex cap. 26. 2. lib. cont. gent. Quantùm verò ad primum, puta, quòd *voluntas diuina ad volendum alia determinatur per intellectum, & per suam sapientiam*, deduxit ex illis eisdem auctoritatibus S. D. ex quibus nos eandem sententiam accepimus; vnde concluſit: *ex quibus patet, quòd diuinus intellectus determinat diuinam voluntatem ad ista, vel illa volita.*

1688 *Praxis ordinis diuinorum actuum ex Capreolo.*

122 Secundò nota ordinem actuum intellectus, & voluntatis diuinæ. Nam primus est actus intellectus, proponentis suo iudicio voluntati diuinæ suum naturale obiectum, puta ipsum Deum summum bonum, iudicando naturaliter de eo, esse summè amandum. Sequitur secundo loco actus voluntatis diuinæ, quo naturaliter, & necessariò vult suum principale, seu naturale obiectum. Quo dilecto, & amato, sequitur tertio loco actus diuinæ voluntatis, *quo vult, intellectum concipere, & dictare aliquid producendum, in quo diuina bonitas in tali gradu reluceat.* Sequitur

Digitized by Google

quitur quarto loco dictamen, quo *intellectus dictat, hoc, vel hoc, esse fiendum.* Et tandem quinto loco sequitur actus liber voluntatis in obiectum, sibi determinatum ab intellectu. Hunc enim ordinem in diuinis actibus ex S. Doctore sæpe recensuimus.

1689 123 Sed tamen circa actum voluntatis, tertio loco à Capreolo recensitum, differt ipse Capreolus à nostra, & Diui Thomæ sententia. Nos enim volumus cum S. Doctore, quòd talis actus sit naturalis voluntati, quo, volens finem, naturaliter vult, vt intellectus dictet, An, & quid sit agendum pro tali fine. At verò actus ille, recensitus à Capreolo, non potest esse naturalis. Illa enim relucentia bonitatis diuinæ in tali gradu, non potest esse volita naturaliter; aliàs non potuisset Deus velle relucentiā suæ bonitatis in alijs gradibus: esset que ex sua natura determinatus ad manifestandum determinatum gradum suæ bonitatis: quod est euidenter falsum. Quare actus diuinæ voluntatis, qui secundùm prædictum ordinem intelligendus est in Deo in sententia S. Thomæ, est, quo, hoc ipso, quòd naturaliter amat diuinam bonitatem, vt finem, inclinat ex consequenti intellectum ad excogitandū, ad inueniendum, statuendum, & definiendum agenda, & non agenda, pro tali fine, qui quidem actus suo modo includitur in ipso naturali amore diuinæ bonitatis, à quo intelligitur applicari diuinus intellectus ad excogitandum, &c. Et post hunc actum intelligimus in Deo vniuersale statutū diuini consilij, quo circa creaturas omnia sunt prædiffinita, quæ bona sunt: quæ verò mala, permissa, tàm quantùm ad esse, quàm quantùm ad non esse: seu intelligimus in Deo vniuersale dictamen diuinæ mentis, quo diffiniuntur omnia agenda, vel permittenda per diuinam voluntatem. Et tandem post hoc dictamen intelligimus in Deo actum voluntatis, tendentem in omnia sibi prædiffinita per iudicium diuinum. Qui quidem actus voluntatis, hoc ipso liberrimus intelligitur, quòd intelligitur sequi, vt ad propriam radicem, ad prædictum iudicium, vt toties ex doctrina S. Doctoris explicuimus.

Aperitur discrimen inter nostram, & Capreoli sententiā.

1690 124 Itaque ex dictis apparet, quòd si doctrina responsionis Capreoli, relata in hoc §. num. 119. corrigatur quantùm ad actum, quem recenset 3. loco, dicaturque, *quo dilecto, & amato, vult intellectum concipere, & dictare de ordinandis in talem finē* tota doctrina prædictæ responsionis est cōformis nostræ, & D. Thomæ sententiæ, si rectè intelligatur. Et inde habes; sententiam nostram ab ipso Thomistarum principe agnitam fuisse in S. Thoma.

Si Capreolus quantùm ad prædictū puntum, corrigatur & benè intelligatur

Dixi, *si rectè intelligatur*: quia posset malè intelligi quantùm ad vltimam conclusionem, puta: *Sic ergo patet, quòd voluntas determinatur, quantùm ad specificationem actus, ab intellectu; sed quantùm ad exercitium illius actus, determinatur ex suâ natura, quantùm ad principale obiectum: & quantùm ad alia, per libertatem suam. Et si dicatur, quòd in hoc saltem ipsa, prius existens indeterminata, se determinat, conceditur, &c. Sed tamen, quoad specificationem actus, ab intellectu determinatur.* Posset, inquam, malè intelligi, si quando dicit: *& quantùm ad alia per libertatem suam*, libertas voluntatis intelligeretur independens, & præscindens à determinatione, quam voluntas sibi ipsi facit per intellectum, determinantem sibi ex proprio munere determinatum obiectum. Vtique enim verum est, quòd, quantùm ad exercitium actus, voluntas determinat se ad velle, & nolle, per libertatem suam. Sed voluntatem determinare se per libertatem suam, hoc importat, nempe: determinare se mediante iudicio proprij intellectus, determinante sibi obiectum. Similiter illa propositio: *Et si dicatur, quod in hoc saltem ipsa, indeterminata existens, se determinat, conceditur.* Falsa esset si intelligeretur, quod voluntas diuina, prius indeterminata existens, quantùm ad alia, se determinat in illa non mediante, & præcedente intellectus iudicio, determinante sibi obiectum: & est vera si intelligatur, quòd se determinat per intellectum determinantem sibi suo iudicio obiectum. Et secundùm hunc sensum loquitur Capreolus; & inde est, quòd subiunxit; *Sed tamen, quoad specificationem actus, ab intellectu determinatur.* Quare recolenda sunt hic ea, quæ notauimus disp. præcedenti §. 23. a num. 65. ad 69.

quantum ad reliquas, tota eius doctrina supra relata est S. Thomæ.

§. VIII.

Obijcitur quidam modus dicendi Ferrariensis: ostenditur D. Thomæ minimè repugnare: & soluuntur cætera argumenta Recentium ex Rurz.

POstquam puram S. D. mentem explicuimus, sufficienterque soluimus obiectiones Recentium, existimantium repugnare libertati iudicium determinans voluntatem, soluere debemus aliquas obiectiones, quas ijdem Recentes afferunt contra libertatem diuinam.

1691 1 Occurrit in primis contra prædicta dubio præcedenti quidam modus dicendi Ferrariensis. Hic enim lib. 2. contra gen: cap:

Doctrina Ferrarien

Digitized by Google

sis exponentis S. Doctorem, & contra eum dubitantis.

cap. 26. ad illa verba S. Thomæ, relata ex Capreolo num. 121. præcedentis §. puta. *Sciendum tamen, quòd quamuis diuinus intellectus ad certos effectus non coarctetur; ipse tamen sibi statuit determinatos effectus, quos per suam sapientiam ordinatè producat*, sic suam expositionem prosequitur: *Notat postremò quòd licèt diuinus intellectus ad determinatos effectus non limitetur, quantùm scilicet est ex ipso intellectu: ipse tamen Deus statuit sibi determinatos effectus, quos per suam sapientiam ordinatè producat.* Deinde verò dubitat vt infra. *Occurrit autem hoc loco dubium, quomodo, si diuinus intellectus non est secundùm se limitatus ad determinatos effectus, potest Deus sibi certum numerum producibilium statuere. Actus enim intellectus, quo iudicat, aliquid esse producendum, præcedit actum voluntatis, quo Deus vult hoc producere; quia voluntas non fertur, nisi in cognitum: ergo non potest voluntas diuina aliquos determinatos effectus velle; nisi illos prius ordine rationis intellectus apprehendat, vt producendos. Ergo falsum est, quòd Deus statuat sibi determinatos effectus, si intellectus secundùm se est illimitatus: aut oportet quærere aliquid aliud, quod intellectum ad determinatos effectus limitet; non apparet autem, quod illud sit.*

1692 2 Demum respondet dicens: *Respondetur, quòd, non obstante indeterminatione, & illimitatione intellectus, adhuc Deus statuit sibi determinatos effectus, quos producat, & hoc per libertatem suæ voluntatis. Licèt enim actus intellectus de re, & modo producibili præcedat actum voluntatis, vt sic, secundùm nostrum modum intelligendi; ipsa tamen ordinatio ad producendum est per actum voluntatis. Hoc autem facilè est videre in rerum artificialium productione. Primò enim domificator excogitat domum, & modum ipsius, vt est producibilis, iudicatque, bonum esse, vt producatur; deinde per voluntatem eligit domum producere; tertiò cognoscit intellectus, ipsam debere produci, & dirigit per artem ipsam productionem. Simili modo imaginari possumus in Deo, quòd primò diuinus intellectus omnia producibilia, & omnes modos producibilium cognoscit, & iudicat, bonum esse aliqua producere; deinde voluntas eligit quædam illorum producibilium, & non alia: tertio loco, intellectus cognoscit, ita hos effectus debere produci, quòd non alios. Et sic patet, quòd non oportet ponere aliquid aliud, præter diuinam voluntatem, quod scientiam diuinam practicam ad determinatos effectus limitet: & quòd falsum est, actum intellectus, quo iudicat, aliquid debere produci, siue quòd producatur, præcedere actum voluntatis, immo sequitur voluntatis actionem, & determinationem.* Hæc Ferrariensis, quibus videtur à nostra, & D. Thomæ sententia, hactenus explicata, recedere, modoque dicendi quodammodo adhærere, quem contra nostram sententiam sequitur Ruiz. de Voluntate Dei disp. 7. sec. 6. vbi num. 2. citat ipsum Ferrariensem pro suo modo dicendi.

Responsio Ferrariensis, in qua videtur discordare à nobis, & adhærere Aduersarijs.

Videtur, inquam, à nostra sententia recedere, inquantùm videtur negare iudicium intellectus, determinans voluntatem, dum, proposito dubio, respondet, *falsum esse, actum intellectus, quo iudicat, aliquid debere produci, præcedere actum voluntatis*: & inquantùm asserit, quòd *actus intellectus de re, & modo producibili præcedit actum voluntatis, vt sic, secundùm nostrum modum concipiendi, & quòd ipsa ordinatio ad producendum est per actum voluntatis.* In quo dicto non videtur agnoscere iudicium intellectus, determinans voluntatem; ac per hoc videtur existimare, quòd sufficiat voluntati ad eligendum determinata producibilia; quòd intellectus proponat sua apprehensione res producibiles. Demum inquantùm differt à Capreolo, & à nobis in ordine actum intellectus, & voluntatis.

Explicatur mens Ferrariensis, & ostenditur a Sancto Thoma non dissentire; Aduersarijsq; minimè suffragari.

1693 3 Dicendum tamen est, quòd licèt Ferrariensis minus rectè explicet locum S. Doctoris (in quo differt à Capreolo) & supposita sua explicatione dubium proponat, quod cessaret, supposita recta intelligentia loci eiusdem; in solutione tamen dubij (si rectè intelligatur) nec à veritate, nec à doctrina S. Thomæ discordat; Aduersarijs verò minimè suffragatur; immò ab eis euidenter recedit.

Quid dicendum de mente Ferrariensis.

1694 4 Probo singula. In primis non rectè explicat locum S. Doctoris; quia illa verba, relata num. 1. huius §. puta; *ipse tamen sibi statuit determinatos effectus, quos per suam sapientiam ordinatè producat*, explicat, *Ipse tamen Deus*; & per ly, *statuit*, intelligit actum voluntatis; At verò rectiùs explicatur, dicendo cum Capreolo. *Ipse tamen intellectus statuit sibi* &c. ita vt, ly, statuit, designet statutum, & definitum per ipsum intellectum, seu actum ipsius; quippe, quia, ly, *ipse*, quod pronomen est, & relatiuum, illum designat, qui proximè præcedit expressè, vt regens locutionem: hic autem est intellectus. Nam dicit. *Sciendum tamen, quòd, quamuis diuinus intellectus ad certos effectus non coarctetur; ipse tamen sibi statuit determinatos effectus*, &c.

Rectiùs explicat D. Thomã Capreolus quàm Ferrariensis.

Hac autem posita intelligentia, quæ rectior est, dubium Ferrariensis locum nõ habet. Solùm enim remanet explicandum, qualiter intellectus, qui non est determinatus, possit sibi determinare effectus. Et ad hoc posset respondere ipse Ferrarien-

Digitized by Google

Doctrina Ferrariensis, ex qua potest responderi difficultati

rariensis iuxta ea, quæ ipsemet docet lib. 3. con. gen. cap. 73. de intellectu humano verbis, à nobis relatis, in hac disp. §. 2. nu. 11. Nam sicut *intellectus humanus* (vt ipse ait) *ad vnum iudicium determinatur magis, quàm ad aliud, per consilium, & discursum rationis, ex quo per solutionem ad aliqua principia nota ad tale iudicium peruenit; cum tamen posset per alium discursum aliud iudicium ferre*: Ita posset dicere de intellectu diuino quòd ipse sine imperfectione discursus, per collationem supremi ordinis, seu supra omnes ordines determinat se ad indicandum, quæ sint eligenda per voluntatem, & sic sibi statuit, & determinat determinatos effectus, vt nos præcedenti dubio, ex doctrina S. Thomæ definitum us.

1695

5 Quòd autem in resolutione dubij, à se propositi, non discordet Ferrariensis à veritate, & à doctrina S. Thomæ, manifestari potest ex eo, quòd in sententia S. Thomæ, & ipsius Ferrariensis, duplex ratio scientiæ practicæ proprie, & formaliter constituenda est in intellectu diuino: altera quæ est recta ratio factibilium, & est ipsa diuina ars, per quam Deus est factiuus omnium, quæ diuinum esse participare possunt. Altera, quæ est recta ratio agibilium, & est ipsa diuina prudentia, ordinans, & determinans voluntatem diuinam ad eligendum iudicata per ipsammet prudentiam. Vtramque rationem scientiæ practicæ, probauit D. Thomas esse in intellectu diuino eodem loco, scilicet p. con. gen. cap. 93. vnde sic habet. *Eorum omnium, quæ à Deo in esse procedunt, ratio propria in diuino intellectu est, vt supra ostensum est. Ratio autem rei fiendæ in mente facientis ars est. Vnde Philosophus dicit in 6 Ethic. quòd ars est recta ratio factibilium. Est igitur propriè ars in Deo. Et ideo dicitur Sapientiæ 7. Omnium enim artifex docuit me sapientia.* Et statim subdit.

Duplex ratio scientiæ practicæ inuenitur in Deo, scilicet recta ratio factibiliū, quæ est ars: & recta ratio agibilium, quæ est prudentia.

Verba D. Thomæ de diuina arte.

1696

6 *Item. Diuina voluntas in his, quæ sunt alia ab ipso, determinatur ad vnum per cognitionem suam* (vt supra ostensum est) *cognitio autem ordinans voluntatem ad agendum prudentia est, quia prudentia secundùm Philosophum in 6. Ethic. Prudentia est recta ratio agibilium. Est igitur in Deo prudentia. Et hoc est quod dicitur Iob 12. Apud ipsum est prudentia, & fortitudo.* Et aliquanto inferius in eodem capitulo sic subiungit. *Si enim aliquarum ex prædictis virtutibus sint aliqui imperfecti actus, secundùm illos, Deo attribui prædictæ virtutes non possunt: sicut prudentia, quantùm ad actum bene consiliandi, Deo non competit. Cùm enim consilium sit quædam inquisitio, vt dicitur in 6. Ethicor: diuina autem cognitio non sit inquisitiua, vt supra ostensum est: non potest sibi consiliari esse conueniens. Vnde Iob. 26. Cui dedisti consilium? forsitan ei, qui non habet sapientiam? Et Isai. 40. Cum quo iniit consilium, & instruxit eum? Secundùm autem actum illum, qui est de consiliatis iudicare, & iudicata eligere, nihil prohibet prudentiam de Deo dici.* Quæ componenda sunt cum alijs S. Doctoris verbis, quæ retulimus §. præcedenti num. 110.

Locus S. Doctoris de diuina prudentia

1697

7 His consideratis, certum est in sententia S. Thomæ (vt patet verbis relatis §. præcedenti num. 98.) quòd ars, seu scientia practica per quam producit aliquid, seu (vt loquitur D. Thomas) *Cognitio practica, dicitur ex ordine ad opus, quod contingit dupliciter: quandoque actu, quando scilicet ad aliquod opus actu ordinatur; sicut artifex, concepta forma, proponit illam in materiam inducere, & tunc est actu practica cognitio, & cognitionis forma. Quandoque verò est quidem ordinabilis cognitio ad actum; non tamen actu ordinatur: sicut cùm artifex excogitat formam artificij, & scit per modum operandi; non tamen operari intendit: & certum est, quòd est practica cognitio habitu, vel virtute, non actu.* Ita: quia scientia Dei (vt parum infra eodem articulo prosequitur S. Doctor) *est causa rerum; quædam cognoscit ordinando ea ad hoc, quòd sint secundùm quodcunque tempus: & horum habet practicam cognitionem actu. Quædam verò cognoscit, quæ nullo tempore facere intendit, & de his habet quidem scientiam in actu; non autem actu practicam, sed virtute.* Itaque certum est in sentētia S. Thomæ verbis, modò relatis, & patet etiam ex locis relatis §. præcedenti num. 115. quòd prædicta scientia, seu ars, est actu practica, ideſt, ordinata, & determinata, ad producendum aliquid pro quouis tempore, per actum voluntatis: inquantùm verò consideratur præcisa à tali actu voluntatis, est solū practica virtute. Et inde est, quòd, si talis scientia consideretur præcisè secundùm ea, quæ habet, vt præcedit actum voluntatis, habet repræsentare res, vt producibiles per ipsam; habet verò repræsentare res, vt suo tempore producendas, pro vt habet sibi coniunctum actum voluntatis, ordinantis, & determinantis ipsam ad producendum. Vnde talis repræsentatio intelligitur aduenire scientiæ prædictæ post actum voluntatis.

Scientia, quæ est recta ratio factibiliū, determinatur ad opus per actum electionis.

1698

8 Amplius certum est, quòd non pertinet ad scientiam istam, seu cognitionem practicam, cuius forma concepta est ars Diuina, repræsentare voluntati diuinæ, amanti naturaliter diuinam bonitatem, quòd est conueniens velle manifestare diuinam bonitatem, producendo hunc, vel illum ordinem rerum, seu quòd hic, vel ille rerum ordo est eligendus, seu volendus, vt fiat pro tali fine; vt pote quia ars

Iudicium, dirigens, & determinans voluntatem ad agendum, non est artis; sed prudētiæ.

Digitized by Google

est recta ratio factibilium dirigens ipsam rerum productionem: non autem est recta ratio agibilium, seu eligibilium, dirigens voluntatem ad eligendum: hæc enim est prudentia. Vnde iudicare, quòd hoc, vel illud sit eligendum pro fine, seu quod sit conueniens fini, non est actus artis, sed prudentiæ. Sicut iudicium de volendo ædificare murum, vt accipiat quis salarium ad substentandam vitam, non est iudicium artis, quæ est recta ratio construendi murum, sed iudicium prudentiæ, quæ est recta ratio eligendi conuenientia ad substentandam vitam. Euidentissimum enim est, quòd ars non dirigit voluntatem ad eligẽdum; sed virtutem executricem ad opus.

1699

9 Ex his modò apparet, qualiter sit vera, & conformis S. Thomæ doctrina responsionis Ferrariensis, relata num. 2. huius §. Siquidem, dum dicit, *quòd non obstante indeterminatione, & illimitatione intellectus; adhuc Deus statuit sibi determinatos effectus, quos producat, & hoc per libertatem suæ voluntatis.* Loquitur de illimitatione intellectus, quam habet ratione scientiæ practicæ, habentis rationem artis, de qua loquitur D. Thomas in dicto cap. 26 in cuius ratione quinta habet: *Diuina scientia comparatur ad res ab ipso productas, sicut scientia artificis ad res artificatas*, &c. Et inde optimè docet, quòd Deus per statutum suæ liberæ voluntatis determinat, & ordinat suam diuinam artem ad producendũ eas creaturas, quas liberè elegit. Cæterum non docet, quòd diuina voluntas non determinatur ad liberè eligendum producere has, & non illas creaturas, per iudicium diuinæ prudentiæ: Immo docet, quòd determinatur per tale iudicium: idque, tùm in exemplo, quod affert de artifice, tùm in applicatione exempli ad ipsum Deum. In exemplo quidem, dum dicit: *Primò enim domificator excogitat domum, & modum ipsius, vt producibilis: iudicatque bonum esse, vt produceatur. Deinde per voluntatem eligit domum producere. Tertiò cognoscit, ipsam debere produci, & dirigit per artem ipsam productionem.* Siquidem primo loco enumerat duo in artifice, scilicet excogitationem domus, sub modo producibili: & iudicium, quo iudicat, bonum esse domum producere. Horum autem primum pertinet ad artem; secundùm verò (si rectum sit) pertinet ad prudentiam, & dirigit, & determinat voluntatem ad eligendum, vt sæpè probauimus præsertim §. quinto huius disp. toto dubio 2. Idem enim significat bonum est, seu conueniens est ædificare domum, quod, hoc est volendum, hoc eligendum est, ædificare domum: quod quidem iudicium in sententia ipsiusmet Ferrariensis determinat voluntatem ad eligendum illud vnum, quod iudicatur volendum, & eligendum, vt patet ex verbis eius relatis disp. præcedenti §. 22. num. 18. fol. 258. puta: *Considerandum est, quòd, cùm voluntas sequatur cognitionem intellectiuam, & ab ipsa, tamquam à sua regula dirigatur, licèt voluntas sit causa indifferens, & indeterminata, & non determinata ad vnum; inquantùm tamen sequitur iudicium intellectus, iudicantis, aliquid esse volendum, & faciendum, determinationem habet ad illud.*

Ex dictis probatur, quòd doctrina Ferrariẽsis est conformis dictis D. Thomæ.

Docet voluntatem artificis determinari ad eligendum per iudicium prudentiæ.

1700

10 In applicatione verò exempli ad ipsum Deum idem docet, dum sic subiungit: *Simili modo imaginari possumus in Deo, quòd primò diuinus intellectus omnia producibilia, & omnes modos producibilium cognoscit: & iudicat bonum esse aliqua producere. Deinde voluntas eligit quædam illorum producibilium, & non alia.* &c. Iudicium enim illud, quo diuinus intellectus iudicat, bonum esse aliqua producere, non est iudicium artis diuinæ; quare necesse est, vt sit iudicium diuinæ prudentiæ, per quod voluntas diuina determinatur ad illud vnum, quod iudicatum est bonum, seu eligendum, vt patet ex verbis S. Doctoris relatis num. 6. huius §. quæ ipsemet Ferrariensis loco, ibidem citato, amplectitur. Nec dicas, tale iudicium non pertinere ad diuinam prudentiam. Nam iudicium de bonitate eorum, quæ sunt eligenda in aliquem finem (qualia sunt producibilia à Deo) si rectum sit, vt necesse est esse in Deo, non potest esse, nisi iudicium prudentiæ, vt per se constat.

Idem docet de diuina voluntate.

1701

11 Falsum est ergo, negasse, aut non agnouisse Ferrariensem in relata auctoritate iudicium intellectus determinans voluntatem. Solùm enim negat, quòd cognitio, qua ars diuina cognoscitur determinata ad producendum, præcedat actum liberum voluntatis; vultque, quòd ad ipsũ sequatur, quod verum est, vt supra notauimus. Idque voluit significare illis verbis: *Tertiò loco intellectus cognoscit, ita hos effectus debere produci, quòd non alios.* Cognoscit enim hoc Deus in actu diuinæ voluntatis, quo scientia diuina, habens rationem artis, redditur actu practica id est, actu ordinata, & determinata ad producendum. Et inde benè subiungit: *Et sic patet, quòd non oportet ponere aliquid aliud, præter diuinam voluntatem, quod scientiam diuinam practicam ad determinatos effectus limitet;* quia revera non datur aliud, quod talem scientiam practicam determinat: sed tamen inde non habetur, quòd neget, non dari aliquid aliud, puta iudicium diuinæ prudentiæ, quod diuinam voluntatem, quæ ex se est ad vtrumlibet, determinat ad eligendum,

Sententia Ferrariensis explicatur.

Digitized by Google

dum, & volendum producere hos, & non illos effectus. Et hoc quidem, quòd hic, nec formaliter, nec virtualiter negat, formaliter, & expresè affirmat, tum verbis, relatis proximo num. præcedenti, tum lib. 1. con. gent. cap. 82. Fateor tamen, quòd tam Ferrienſis, quàm Capreolus in explicando modo, quo voluntas determinat ſeipſam per intellectus proprij iudicium, ſeu quo voluntas determinatur per iudicium intellectus, ſæpè aliqua intermiſcent, quæ rem minus rectè explicatam relinquunt. Et ratio huius eſt, quia circa modum, quo voluntas determinatur per iudicium intellectus, ſolùm conſiderant vim intellectus, quam habet ex ſe, ad mouendam voluntatem; cum tamen deberent etiam conſiderare vim aliam, quam acquirit intellectus ex vi volitionis præcedētis, ſecundùm quam mouet voluntatem ad exercitium actus, vt nos ſæpè aduertimus, & vide ea, quæ diximus diſp. præcedenti §. 23. a num. 64. ad 77.

Afferuntur dicta, & obiectiones Ruiz.

1702 12 OCcurrunt ſecundò ea, quæ affert Ruiz. De Voluntate Dei diſp. 7. ſec. 6. qua quærit. *Num diuina libertas determinetur à ſcientia*, & ita in propriis terminis quæſtionem agitat, de qua agimus: ſummumque conatum ponit, vt S. Doctori ſuam imponat opinionem, quæ eſt expreſsè contradictoria ſententiæ eiuſdem S. Doctoris, hactenus explicatæ. Quare, vt ipſum S. Thomam defendamus, dicta huius Doctoris, quæ in dicta ſectione S. Thomæ tribuit, breuiter diſcutiemus.

Ruiz contra noſtrā ſententiā.

Suppoſitā explicatū à Ruiz.

Itaque primò, *ſuppono* (inquit) *diuinam libertatem, quantùm ad ſpeciem actus, à ſcientia determinari per iudicium practicum, atque rationis dictamen.* Probat, & explicat hoc, quod ſupponit, & ſic ſubiungit. *Huius euidens ratio, atque declaratio eſt: quia diuinus intellectus iudicat* (nota dictamen intellectus diuini à quo voluntas determinatur, quantùm ad ſpeciem actus liberi) *omnes creaturas eſſe participationes quaſdam, & ſimilitudines diuinæ eſſentiæ, & eſſe conuenientes, ſiue decentes infinitæ ſapientiæ, & bonitati; ſed minimè neceſſarias ad illam: & niſi hoc iudicaret, intellectus, non poſſet diuina voluntas liberè velle creaturas producere. Per hoc itaque iudicium auferitur impoſſibilitas producendi, & redditur libertas indifferens. Rurſus eodem iudicio determinatur ſpecifica ratio cuiuſcunque volitionis liberæ: quia ſiue Deus velit hanc creaturam producere, ſiue non producere, ſiue quodcunq; aliud liberè velle, vult tanquam decens, & conueniens; ſed non neceſſarium ad ſuam bonitatem; ac ſubinde vult propter obiectum formale diuinæ bonitatis, à quo tribuitur ſpecies volitioni.* Et ſtatim ſubiungit.

13 *Hic eſt genuinus ſenſus S. Thomæ 1. cont. gent. cap. 82. longè poſt medium, & lib. 2. cap. 26. iuncto cap. 27. & Ferrarienſis in eiſdem locis. Quem magis explicuit Capreolus 1. diſt. 45. art. 2. reſpondens ad argumenta contra tertiam concluſionem in ſolutione ad 4. & ad 5. Quamuis igitur S. Thomas aſſerat*, voluntatem Dei ad aliquid volendum per ſui intellectus cognitionem determinari, *ſimul tamen in prædictis locis exponit, hanc determinationem in eo conſiſtere, quòd diuinus intellectus voluntati proponit infinitos effectus non habentes neceſſariā cōnexionē cū diuina bonitate; ſed eligibiles propter illam: voluntas autem, hac obiectorum propoſitione facta, non coartatur, nec neceſſitatur ad vnum, ſed ad omnes eſt indifferens.* Ita Ruiz.

1703 *Prædictū ſenſum tribuit D. Thomæ.*

Ruizium impoſuiſſe S. Doctori contradictorium doctrinæ ab ipſomet citatæ, euidentiſſimè demonſtratur.

14 VErum non poſſum non mirari, qualiter potuerint iſta dictari ab homine cordato, quando, exiſtentibus doctorum ſcriptis, ab ipſo citatis, facilè poſſunt de euidenti falſitate conuinci. Nunc ergo videamus, An genuinus ſenſus S. Thomæ lib. 1. contra gent. cap. 82. ſit, quem ipſe tribuit S. Thomæ; An verò contradictoriè oppoſitus, quem nos ſæpè tradidimus. Itaque prædicto loco proponit S. Doctor quarto loco argumentum in hunc modum. *Si, quod eſt ad vtrumlibet indifferenter ſe habens, non magis in vnum, quàm in aliud tendit, niſi ab alio determinetur: oportet, quòd Deus, vel nihil eorum velit, ad quæ ad vtrumlibet ſe habet* (cuius contrarium ſupra oſtenſum eſt) *vel quòd ab alio determinetur ad vnum, & ſic erit aliquid eo prius, quod ipſum determinat ad vnum.* Reſpondet verò, vt infra: *Quamuis autem diuina voluntas ad ſua cauſata non determinetur: non tamen oportet dicere, quòd nihil eorum velit, aut quod ad volendum ab aliquo exteriori determinetur. Cùm enim bonum apprehenſum voluntatem, vt proprium obiectum determinet: intellectus autem diuinus non ſit extraneus ab eius voluntate; cùm vtrunque ſit ſua eſſentia: ſi voluntas Dei ad aliquid volendum per ſui intellectus cognitionem determinetur, non erit determinatio voluntatis diuinæ per aliquid extraneum facta.* Hæc S. Doctor.

1704 *Recenſentur verba D. Thom. à Ruizio citata.*

1705 *Modus procedendi, & propoſitiones argumenti expenduntur*

15 Rogo modò Ruizium, vt primò argumentum expendat; deinde verò ei applicet reſponſionem. Porrò argumentum procedit ex vna propoſitione conditionali, habente pro parte conſequenti propoſitionem diſiunctiuam, cuius primā

Digitized by Google

partem S. Doctor remouet, vt contrarium determinatis supra: ex secunda verò infert aliquid euidenter falsum, vt inde virtualiter remoueat id, quòd supponitur, scilicet, voluntarem Dei in ordine ad alia à se, se habere ad vtrumlibet. Et quidem pars antecedens propositionis conditionalis est totum hoc: *Si quod est, ad vtrumlibet indifferenter se habens, non magis in vnum, quàm in aliud tendit; nisi ab alio determinetur.* Pars verò consequens est: *oportet, quòd Deus, vel nihil eorum velit, ad quæ ad vtrumlibet se habet: vel quòd ab alio determinetur ad vnum.* Huius disiunctiuæ priorem partem remouet S. Doctor per illa verba: *cuius contrarium supra ostensum est.* Ex posteriori verò infert: *Et sic erit aliquid eo* (ideſt Deo) *prius, quod ipsum determinat ad vnum.* Quod, quia est impossibile, virtualiter infert, esse impossibile id, ex quo sequitur, idque est, id, quòd supponitur, scilicet, quòd Deus in ordine ad alia à se, se habet ad vtrumlibet. Ita vt argumentum in forma explicatiori sit sequens.

1706 16 Si voluntas Dei in ordine ad alia à se, se haberet ad vtrumlibet; oporteret, vel quòd Deus nihil illorum velit, vel quòd ab alio determinetur ad vnum: consequēs est falsum secundùm vtramque partem; quia prior est contra ea, quæ supra ostensa sunt: posterior verò; quia sic erit aliquid Deo prius, quod ipsum determinat ad vnum. Ergo falsum est id, ex quo sequitur, scilicet, quòd voluntas Dei in ordine ad alia se habet ad vtrumlibet. Sequela maioris probatur: quia, quod se habet ad vtrumlibet, non magis in vnum, quàm in aliud tendit; nisi ab alio determinetur. Ergo si voluntas Dei se habet ad vtrumlibet: oportet, vel quòd non magis in vnum, quàm in aliud, & sic in nullum, tendat: vel quod ab alio determinetur ad vnum, & sic erit aliquid Deo prius, quod ipsum determinat ad vnum. Arbitror, quòd non contradicet Ruizius huic sensui argumenti; quippe quia est euidens, nec alius fingi potest.

Ponitur argumentum in claræ forma.

1707 17 Hoc posito iterum Ruizium rogo, vt responsionem S. Doctoris applicet prædicto argumento. Sed cùm S. Doctor in responsione dicat: *Non tamen oportet dicere, quòd nihil eorum velit; aut quòd ad volendum ab aliquo exteriori determinetur*: planè negat partem consequentem conditionalis assumptæ; liquidem in tali consequenti obijciendo dicebatur: *oportet, quòd Deus, vel nihil eorum velit, ad quæ se habet ad vtrumlibet, vel quòd ab alio, scilicet, exteriori determinetur ad vnum.* Nunc ergo videndum restat, quam rationem reddit S. Doctor negationis consequentiæ. Sed hanc S. Doctor assignat, dum sic subiungit. *Cùm enim bonum apprehensum voluntatem, sicut proprium obiectum determinet: intellectus autem diuinus non sit extraneus ab eius voluntate; cum vtrumque sit sua essentia: si voluntas Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinetur, non erit determinatio voluntatis diuinæ per aliquid extraneum facta.* Itaque vult S. Doctor, quòd non oportet dicere, quòd Deus nihil eorum velit, quasi non habens id, per quod voluntas determinetur ad vnū: quia determinatur per intellectus sui cognitionem; nec quòd determinetur ab aliquo extraneo: quia intellectus diuinus non est extraneus a diuina voluntate, cum vtrumque sit sua essentia.

Aliptatur responsio argumēto.

1708 18 Nunc ergo concordet Ruizius hāc Diui Thomæ responsionem cum illa sua doctrina, scilicet: *quamuis S. Thomas asserat, voluntatem Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinari; simul tamen asserit, hanc determinationem in eo consistere, quòd diuinus intellectus voluntati proposuit infinitos effectus, non habentes necessariam connexionem cum diuina bonitate: voluntas autem, hac obiectorum, propositione facta, ad omnes est indifferens.* Si enim voluntas Dei, facta prædicta propositione per intellectum, est indifferens ad omnes effectus, seu ad vtrumlibet: quomodo, facta prædicta propositione, aliquid determinatè volet; si quod est ad vtrumlibet indifferenter se habens non magis in vnum quàm in aliud tendit? quid ad hoc valeret responsio S. Thomæ?

Doctrina Ruiz respōsioni S. Thomæ cōtradixit.

1709 19 Ampliùs dicat Ruizius, si hoc, quod ipsemet fatetur, asseri in prædicta responsione à S. Thoma, nempe: *voluntatem Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinari*, valeat ad soluendum argumentum, vel non? si enim dicet non: vanam, & inutilem reddet responsionem S. Doctoris; quæ non aliam reddit rationem negationis consequentiæ conditionalis propositionis; nisi prædictam doctrinā. Si verò dicet valet: Peto, ad quid valet? Sed quid respondebitur? Euidentissimum enim est, quòd ad hoc valet, vt S. Doctor saluet, *quòd non oportet dicere, quòd Deus nihil eorum velit, ad quæ se habet ad vtrumlibet; aut quòd ad volendum ab aliquo exteriori determinetur.* Sed nunc peto: quomodo saluat priorem partem, nempe: *quòd non oportet dicere, quòd: Deus nihil eorum velit, ad quæ eius voluntas se habet ad vtrumlibet?* Hoc enim in argumēto inferebatur ex eo, quod, id quod est ad vtrumlibet indifferenter se habens, non magis in vnum, quàm in aliud tendit, nisi determinetur ab alio; ac per hoc voluntas diuina, se habens ad vtrumlibet in ordine ad alia, non magis in vnum illorum, quàm in aliud, & sic in

Inculcatur magis eadem doctrina ad idem propositū.

nullum

nullum tendit, si non sit determinata ab alio. Sed quis non videt, quòd id S. Doctor saluat per hoc, quòd asserit voluntatem diuinam determinari ad aliquid determinatè volendum per intellectus diuini cognitionem? ac per hoc non oportet dicere, quòd non magis in vnum, quàm in aliud, seu in nullum tendit; quia in illud, tendit, ad quod per intellectus cognitionem determinatur. Hoc autem est, planè contradictorium illius, in quo Ruizius dicit, consistere determinationem istā, qua voluntas Dei per sui intellectus cognitionem determinari dicitur à S. Thoma, qua, scilicet, posita, voluntas Dei non remanet determinata, ad aliquem effectum volendum; sed ad omnes indifferens. D. Thomas dicit. *Voluntas Dei ad aliquid volendum per intellectus sui cognitionem determinatur*, ac per hoc *determinatio voluntatis diuinæ non est per aliquid extraneum facta.* Ruizius dicit: voluntas Dei, facta per intellectum propositione obiecti, ad nullum effectum volendum determinatur; sed remanet ad omnes indifferens, quod planè dicto S. Thomæ contradicit.

1710 *Obiectio.* 20 Dices primò. Si voluntas diuina per sui intellectus cognitionem determinaretur ad illud, quod determinatè proponit cognitio, coartaretur, & necessitaretur ad illud vnum, quod videtur inconueniens. *Responsio remissiuè.* Sed ad hoc argumentum respondet S. Doctor de Veritate q. 23. ar. 6. ad quintum verbis relatis disp. præcedenti §. 22. num. 22. fol. 259. vide hunc locum, nè eadem repetamus.

Secunda obiectio. Dices secundò. D. Thomas 1. p. q. 19. art. 3. ad quintum, soluens idem argumentum, dicit, quòd *Voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* In loco verò modò relato ex lib. 1. p. cont. gentiles dicit, quòd *voluntas diuina determinatur ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem.* Hæc autem non videntur cohærere.

1711 21 Respondeo, quòd difficultas hæc remanet soluta ex ijs, quæ notauimus disp. 1. §. 9. à num. 16. ad 19. fol. 103. In loco enim primæ partis sumit S. Doctor illud axioma. *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliquid*, etiam magis strictè, & in eo sensu, quo num. 17. proximè cit. diximus quòd verificatur solùm de omni ad vtrūlibet creato, quòd est ex se contingens: in loco verò ex lib. 1. p. con. gent. sumit illud in sensu magis lato, prout comprendit etiam eas rationes, quæ in Deo sunt ad vtrumlibet (vt eodem loco explicuimus) secundùm quem sensum non requiritur realis distinctio inter id, quod est ad vtrumlibet, & id, per quod determinatur ad vnum; sicut requiritur si prædictum axioma sumatur in primo sensu. Et inde est, quòd in loco primæ partis dixit, *quòd causa, quæ est ex se contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*, non autem voluntas Diuina, quæ ex se necessitatem habet etiam. Et hoc quidem non repugnat ei, quod dicit in lib. cont. gentiles, scilicet, quòd voluntas Dei determinatur ad aliquid volendum per intellectus sui cognitionem, qui non est extraneus à sua voluntate. Ampliùs per hoc, quòd dixit: voluntas diuina determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam, noluit S. Doctor significare, quòd non determinat seipsam per intellectus sui cognitionem: siquidem sæpissimè (vt patet ex locis alibi citatis) docuit, quòd omnis voluntas, etiam diuina, determinatur per proprij intellectus cognitionem: & sic non repugnat ei, quod in lib. con: gen: dicit, nempe, quòd voluntas diuina ad aliquid volendum determinatur per intellectus sui cognitionem.

Recensentur alia dicta, & rationes eiusdem Ruiz pro sua sententia contra nostram: demonstrantur falsa, falsumque assumere: indeque sequi, saltem in sententia S. Thomæ nullam esse libertatem in voluntate, tam diuina, quàm creata.

1712 22 Postquam hic doctor imposuit S. Thomæ contradictorium doctrinæ eiusdem S. D. illudque supposuit (sequentia sunt ipsiusmet Ruiz. in principio sectionis) *tanquam certum, de quo nulla controuersia reperitur inter auctores*, prosequitur num. 4. suum intentum, & ita habet.

Proponit sententiam, quam nos agnoscimus esse S. Doctoris. *Restat igitur difficultas solummodò, vtrum etiam quoad exercitium actus diuina libertas determinetur à scientia, siue à iudicio intellectus.* Et hic aduerte, quòd hic Doctor id prædictis verbis intelligit, quod nos sequentibus, nempe: Vtrum diuina voluntas quoad exercitium actus determinetur ad aliquid liberè volendum per iudicium intellectus. Ille inordinatè loquitur: sed parum curamus de verbis inordinatè prolatis, dum constat de prædicto sensu. Sequitur: *Affirmant ex recentioribus pauci, vt inde colligant, physicam prædeterminationem non repugnare libertati: siquidem illi non repugnat antecedens, & physica necessitas illationis, per quam volitio consequitur ex scientia, siue iudicio intellectus*, &c. refert pro hac sententia citatis locis Nauarrettum, Aluarez, Cabezudum, & Ledesmam. Nos verò hanc) sed reiecta, non collecta citatorum Recentium physica prædeterminatione) nostrę esse

esse, & S. Thomæ sententiam agnoscimus, quam hactenus explicuimus. Nunc audiamus, quid de ipsa dicat, & quibus rationibus eam impugnat. Nam sequitur.

1713 23 *Verumtamen antiquorum prorsus nemo, cuius inueniuntur scripta, tenuit hanc sententiam, vt magis constabit ex conclusionis probatione.*

Dicit falsũ teste Aristotele, & D. Thoma.

Respondeo, quòd huius dicti non miror: fortè enim antiquos dixit eos, quorum scripta non inueniuntur. Verùm si inter antiquos putat Aristotelem, D. Thomam, Thomistasque, qui exortam controuersiam inter Molinam, & Bannes præcesserunt, quales sunt Caietanus, Capreolus, Ferrariensis, Gonradus, & similes, scriptis ipsorum falsum dixisse conuincitur. Videri possunt loca Aristotelis, & S. Doctoris relata, & citata disp. præcedenti §. 23. a num. 77. fol. 280. ad num. 93. fol. 283. & quæ ex D. Thoma, & Ferrariensi retulimus eadem disp. §. 22. num. 16. & 17. fol. 258. & quæ ex Aristotele, & S. Doctore transcripsimus in hac disp. §. 3. a num. 6. ad 17. fol. 327. & 328. & à num. 24. ad 29. fol. 330. & 331. Sed audiamus nunc rationes quibus nostram, quæ est S. Thomæ, impugnat sententiam: nam inquit num. 10.

1714 24 *Ratione probatur, primò. Quoniam creata voluntas non necessariò eligit, quod sibi proponitur ab intellectu, quasi melius hic, & nũc, neque datur aliquod iudicium intellectus, antecedens liberam volitionem nostram, ex quo iudicio necessariò sequatur electio &c. Qua propter, nec in Deo dabitur necessaria cõsecutio volitionis à scientia, per quam efficaciter amentur creaturæ.*

Prima ratio Ruiz.

1715 25 Sed huius rationis in primis, prima pars antecedentis est contra Aristotelem, & D. Thomam, verbis relatis disp. 1. §. 11. num. 22. & 23. fol. 118. & notanda sunt verba D. Th. scilicet: *Manifestum est enim, quòd homo* (imitatur) *ideſt desiderat id, quod est magis in bonitate, & id, quòd est melius.* Itaque contradictorium eius, quod S. Doctor dicit, esse manifestè verum, assumit iste Doctor, vultque, sibi concedi. Sed quis concedet contradictorium manifestę veritatis? Secunda etiam pars est contra eosdem locis relatis disp. præcedenti §. 23. à num. 75. & 93. & aliis ibidem citatis a fol. 280. ad 283. Præterea eam repugnare manifestæ experientiæ probauimus in hac disp. §. 5. toto dubio primo fol. 345. Circa consequens deinde debet aduerti, quòd si nomine scientiæ veniat cognitio diuina, qua cognoscit creaturas possibiles, (quod intelligit iste Doctor, vt patebit ex secunda, mox subijcienda, eius ratione) consequens quidem verum est; sed non est contra nos, qui non ad iudicium talis scientiæ, quæ est ars diuina; sed ad iudicium

Antecedẽs est contra Aristotelẽ, & D. Thomam.

prudentiæ, quo iudicatur aliquid eligendum ad finem, dicimus, quòd sequitur actus voluntatis liber. Si verò veniat secundùm; falsum est consequens, & consequentia bona est: sed falsum antecedens.

1716 26 Secundam rationem ponit nu. sequenti 11. & sic habet. *Probatur secundò &c. Iudicium intellectus diuini, tam speculatiui, quàm practicum (si rerum contingentiam antecedit (prorsus naturale, & necessarium est: quippe quod semper adequatur rerum veritati secundùm esse possibile, quæ veritas est simpliciter necessaria. Quòd si, hoc iudicio posito, necessariò sequitur volitio creandi mundum, illa non potest esse libera.* Et sequitur num. 12.

Secũda ratio fundamentalis.

1717 27 *Hoc fundamentum explicatur, & confirmatur primò: quia nullum iudicium diuini intellectus est formaliter liberum; cum de omnibus necessariò, & euidenter iudicet, quod verum est, nec oppositum iudicare possit. Immò neque vllus intellectus creatus est formaliter liber, vt alijs in locis, tam in Philosophia de Anima, quàm in Theologia tractari solet. Quamobrem, si ex iudicio diuini intellectus necessariò sequitur omnis volitio diuina: consequens erit, quamlibet volitionem Dei esse simpliciter necessariam.*

Prima confirmatio, & explicatio fundamenti.

Ex hoc aduersariorum fundamento infallibiliter sequi, nullum esse in Deo liberum arbitrium, demonstratur auctoritate S. Thomæ.

1718 28 ECce singulare aduersariorum fundamentum. Quid respondebimus? Dico, quòd ex prædicto fundamento inuitabiliter sequitur, Deum nec liberum arbitrium habere, nec prudentiam: ac per hoc, ij, qui tale fundamentum ponunt, coguntur asserere, abstulisse sc à Deo simul prudentiam, & liberum arbitrium.

Quid dicẽdu de prædicto fundamento.

Probatio prædictæ conclusionis.

Probatur ratione desumpta ex D. Thoma.

RAtio est. Quia secundùm dictum fundamentum non datur in Deo iudicium de agendis seu de suis actibus existens in potestate iudicantis: Sed (vt docet S. Doctor relatus in hac disp. §. 7. num. 91. fol. 429.) *ad hoc, quòd aliquid sit liberi arbitrij, requiritur, quòd iudicium de suis actibus sit in potestate iudicantis.* Iudicium ergo, quod requiritur ad hoc, quòd aliquid sit liberi arbitrij, non datur in Deo, & ex consequenti Deus non est liberi arbitrij secundùm prædictum fundamentum. Maior patet ex eo, quòd (vt dicit S. Doctor relatus loco proximè cit.) Deus habet iudicium in potestate iudicãtis per hoc, quod *iudicium de agendis non est præfixum ei ab aliqua* spe-

superiori agente, sicut est in brutis: nec sequitur per modum necessitatis naturam diuinam: At verò secundùm dictum fundamentũ nullum datur iudicium in Deo de agendis à se, quo, scilicet, Deus iudicat, hoc esse, vel non esse eligendum, Omneque iudicium, præcedens actum voluntatis diuinæ, est omnino necessarium, & consequẽs ex necessitate naturam diuinam, vt pote spectans ad scientiam de possibilite creaturarum. Nullum ergo iudicium in Deo præcedens, seu requisitum ad actum voluntatis, est in potestate iudicantis. Minor est S. Thomæ. Ergo saltem in sententia S. Thomæ, ex prædicto fundamento sequitur, non esse liberum arbitrium in Deo.

1719 29 Ampliùs prudentia in Deo (secundùm sententiam S. Thomæ lib. 1. cont. gent. cap. 93. ratione 4. verbis relatis in hoc §. nu. 6.) importat actũ cognitionis, qui determinat voluntatem ad vnum, & eam ordinat ad agendum. At verò secundùm prædictum fundamentum nulla datur talis cognitio in Deo, vt per se constat. Nulla ergo (saltem in sententia S. Thomæ) datur prudentia in Deo, admisso prædicto fũdamento.

1720 30 Quare ad rationem dicendum est, falsum esse, quòd omne iudicium practicum intellectus diuini est necessariũ quoad terminationem in obiecta. Datur enim in Deo duplex iudicium cognitionis practicæ, præcedens actum voluntatis diuinæ: Alterum, quòd repræsentat res producibiles, secundùm modum, quo producibiles sunt: & hoc, quòd est iudicium artis diuinæ, estque practicum virtute, seu in habitu (vt patet ex verbis S. Thomæ relatis in hoc §. num. 7.) est necessarium, etiam quoad terminationem in obiecta. Alterum, quod repræsentat res, vt conuenientes in ordine ad finem voluntatis, seu vt eligendas, vel non eligendas pro fine quod est iudicium prudentiæ diuinæ. Et hoc dicimus esse in potestate iudicantis; negamusque esse necessarium quantùm ad terminationem in obiecta, etiam prout antecedit actum electionis vt patet ex his, quæ diximus in hac disp. §. 2. à num. 5. ad 13. à fol. 321. ad 324. loquentes de iudicio humano, & quæ diximus §. præcedenti de iudicio angelico à num. 52. ad 65. & de iudicio diuino à num. 102. & deinceps.

Soluitur ratio fundamentalis Ruiz.

1721 31 Nec dicas illud, quod in prima cõfirmatione assumitur: *Nullum iudicium diuini intellectus est formaliter liberum, cum de omnibus necessariò iudicet, quod verum est.* Non dicas hoc, inquam: quia inde euidenter sequitur, non dari liberum arbitrium in Deo. Est enim liberum arbitrium principium, seu facultas, quo, seu qua liberè iudicamus, vt habet S. Doctor de Veritate q. 24. art. 4. in cor. Et inde lib. 2. contra gent. cap. 48. volens probare, quòd omnia intellectualia habent liberum arbitriũ, concludit ratione 2. *Intellectualia verò sunt non solùm liberæ actionis; sed etiam liberi iudicij, quòd est liberum arbitrium habere:* & ratione 3. concludit: *Sola igitur intellectualia sunt libera in iudicando: quod est liberum arbitrium habere.* Et citata quæst. de veritate ar. 5. concludit. *Et ideo homo non solùm est causa sui ipsius in mouendo; sed etiam in iudicando: & ideo est liberi arbitrij, ac si diceretur, liberi iudicij de agendo, vel non agendo.* Oportet ergo quòd in habente liberum arbitrium, detur aliquod iudicium liberum. Si ergo in Deo nullum datur iudicium liberum; sed omne est necessarium: nullum in eo dabitur liberum arbitrium. Quod si inquiras cum D. Thoma art. 4. citat. q. 24. de veritate, quid addit liberè iudicare, supra iudicare, seu quid ad iudicium addit, iudicium esse liberum, Dicendum est cum eodem D. Thoma eodem loco, quòd *secundùm hoc aliquid liberè fieri dicitur, quod est in potestate facientis.* Ex quo sequitur, quòd iudicium esse liberum importat, ipsum esse sub potestate iudicantis.

Quid importat liberum arbitrium.

Nota explicationes S. Doctoris.

Iudicium esse liberũ importat, ipsum esse in potestate facientis, seu iudicantis.

1722 32 Et licèt verum sit id, quod docet S. Doctor eadem q. 24. de veritate ar. 6. in corp. scilicet: *Quod dicitur esse principium alicuius actus aliqualiter fiendi, non oportet, quòd sit principium illius actus simpliciter; sed aliqualiter significatur esse principium illius. Sicut grammatica per hoc, quòd dicitur esse scientia rectè loquendi, non sic intelligitur, quod sit principium locutionis simpliciter; quia sine grammatica potest homo loqui: sed quòd sit principium rectitudinis in locutione. Ita & potentia, qua liberè iudicamus, non intelligitur illa, qua iudicamus simpliciter, quod est rationis, sed quæ facit libertati in iudicando, quod est voluntatis.* Iam tamen inde restat, verum esse, quòd in habente liberum arbitrium debet dari iudicium liberum, seu existens in potestate iudicantis, cuius libertas sit à voluntate. Ex quo fit, quòd si nullum sit tale iudicium in Deo, nullum sit in eo liberum arbitrium.

Licet libertas in iudicio sit secũdùm aliquam rationem à voluntate: oportet tamen in habente liberum arbitrium, dari iudicium liberum.

1723 33 Et idem multò efficacius concluditur ex discursu, quo idem Ruiz num. 12. sequenti confirmat secundò idem fundamentum. Inquit enim: *Confirmatur secundò: quia nullum iudicium diuini intellectus est liberum, quasi motum à libera voluntate Dei. Nostrum enim iudicium potest hoc modo liberum esse, quoniam sine euidentia, & certitudine iudicamus, & quoniam possumus cognitionem auertere a quibusdam rationibus, & aduertere ad alias; cæterum quando certò, & euidenter, attentèque iudicamus, aliquid esse verum, non*

Secunda confirmatio Ruiz.

potest

Digitized by Google

potest voluntas humana iudicium illud mutare, nec efficere, vt intellectus dictet oppositum. Sed diuinus intellectus nihil potest non cogitare euidenter, ac certò, cum attentione summa; quamuis igitur imperaret voluntas, non posset intellectus diuinus mutare cognitionem. Quin etiam, si posset intellectus diuinus aliter de rebus iudicare propter imperium voluntatis, id non imperaret diuina voluntas, ne sibi conficisceret imperfectionem cognitionis, aut falsitatem, aut ignorantiam, aut inconsiderationem.

1724 34 Ex hac enim doctrina, qua à diuino iudicio negatur, non solùm illa indifferentia, spectans ad propriam lineam intellectus, quæ est suo modo libertas, & est radicalis in ordine ad libertatem voluntatis, vt probauimus in hac disp. §. 2. a num. 5. ad 7. & ab 8. ad 15. confirmauimus auctoritate Ferrariensis a fol. 321. ad 324. Et §. 6. à num. 61. ad 65. confirmauimus auctoritate D. Thomæ à fol. 377. Sed etiam libertas participata à voluntate; ita vt nulla detur in Deo libertas iudicij, euidentissimè sequitur, quòd, si Deum habere liberum arbitrium, idem importat, quod habere liberum iudicium, seu libertatem iudicij, & in iudicando, vt in auctoritatibus num. 31. præcedenti relatis dicitur à D. Thoma, nullum Deus habeat liberum arbitrium.

Sequitur ex doctrina præcedentis confirmationis, non esse in Deo liberum arbitrium.

1725 35 Quare ad prædictam confirmationem dicendum est, quòd euidenter falsa est illa propositio, in ea assumpta, puta: *nullum iudicium diuini intellectus est liberum, quasi motum à libera voluntate Dei*. Sicut enim in hominibus, ita in Deo (vt diximus §. præcedenti num. 118.) illud iudicium, quòd intelligitur præcedere primam electionẽ (quæ talis est prima ratione ordinis excogitati in obiectis) non potest intelligi liberum libertate proueniente ab actu libero præcedente, vt a mouente: quia tale solùm est liberum libertate, spectante ad propriam lineam intellectus, & libertate participata ab actu libero voluntatis coexistente. Cætera alia iudicia, quæ secundùm ordinem obiectorum supponunt primam electionem, possunt intelligi libera libertate participata ab actu libero, præcedente, applicante &c. Et talia sunt iudicia excogitata ordinantia res in finem siue naturalem, vt est excogitatio diuinæ prouidentiæ: siue supernaturalem, vt est excogitatio diuinæ prædestinationis, vt tetigimus §. præcedenti num. 117. & 118.

Soluitur prædicta confirmatio.

1726 36 Ad rationem, qua talis propositio probatur in dicta confirmatione, dicendum est, quòd falsa est illa propositio causalis, nempe: *Nostrum iudicium potest hoc modo liberum esse; quoniam sine euidentia, & certitudine iudicamus*, &c. Ratio enim, ob quam

Non illa Ruiz, sed alia est ratio, ob quã nos habemus iudicium liberum.

iudicium de agendis, seu eligendis mediis ad finem, potest esse liberum libertate participata ab actu libero voluntatis, applicante intellectum ad iudicandum, est (siue in nobis, siue in Angelis, siue in Deo) quia tale iudicium non est de eligendis immediatè pro fine, naturaliter volito; sed pro fine aliquo intermedio, liberè volito. Cùm enim intellectus applicetur ad inueniendum, quid sit eligendum pro fine ab ipso actu volitionis finis, (vt sæpè diximus) tunc iudicium inuentum dependebit ab actu libero voluntatis, vt ab applicante intellectum, quando volitio finis, à qua applicatur intellectus, est libera. Omitto hic alia capita, ex quibus erratur in hac cõfirmatione: quia nimis longum esset prosequi singula. Vnde ad reliqua transimus.

1727 37 Et quidem tertiam confirmationem, quam prosequitur num. 14. libenter omittimus: licèt enim malè procedat; concedimus tamen ei id, quòd probare intendit, nempe iudicium, quod est liberum, inquantùm supponit existentiam rerum contingentium prouenientem a libera Dei voluntate, non posse determinare voluntatem diuinam. Istud enim iudicium est merè speculatiuum, & a nobis non ponitur determinatiuum voluntatis, sed aliud, puta, quo diuinus intellectus sententiat, aliquid eligendum esse propter finem.

Similiter quartam confirmationem, quã affert num. 15. omittimus: petit enim, qualiter intellectus diuinus suam indifferentiam determinat, quod satis in dubio præcedentis §. explicatum est.

Similiter omittimus quintam: quia eam expresè proposuimus §. 6. huius disp. nu. 3. fol. 360.

1728 38 Prosequitur tandem vltimam confirmationem, & sic habet. *Confirmatur sextò, quia circa mundi creationem duo tantùm practica dictamina sunt in diuina sapientia. Primum est. Mundi productionem esse possibilem, atque consentaneam bonitati diuinæ: præterea que necessariam esse, si Deus consequi velit finem plenioris ostensionis suorum attributorum; nihil tamen dictando de absoluta futuritione mũdi. Iudicium igitur istud ex omni parte necessarium est, propterea que pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ: quòd aliunde nullam omnino necessitatem affert volendi producere mundum; nisi postquam illi superuenit intentio libera, qua Deus decreuerit talem communicationem suæ bonitatis, ac talem ostensionem suorum attributorum.*

Secundum verò dictamen practicum diuini intellectus est, quo iudicat, mundum esse de facto producendum: hoc autem supponit iam constitutum decretum liberum creandi mundum, &

ab

ab illo decreto determinatur dictamen, tanquam ab obiecto: quare dictamen istud secundum non potest determinare ad liberum decretum creandi mundum. Quòd si tertium dictamen practicum fingans, quo iudicet intellectus, mundum esse necessarium ad Dei fœlicitatem, vel ad aliquid incrementum illius; & ideo necessariò volendum, & producendum: illud iudicium erit falsum, & repugnans diuinæ sapientiæ. Hęc & nil aliud Ruizius ad suum fundamentum explicandum, & confirmandum. Quæ retuli, vt industriam, ingenitatemq; aduersarij simul agnoscas.

1729 *Inanis est discursus Ruiz, primò, quia nō probat assumptū.*

39 Itaque nota primò discursus huius vanitatem. Assumit duo tantùm dictamina esse in sapientia diuina. Sed id nec auctoritate aliqua, nec ratione probat, quasi quòd dicta eius sint euidentia. Ecce industriam. Accommodat deinde primū dictamen diuinæ sapientiæ, dicitque esse: *Mūdi creationem esse possibilem, atque consentaneā bonitati diuinæ: præterea que necessariam esse, si Deus consequi velit finem plenioris ostensionis suorum attributorum.* Et subiungit. *Iudicium igitur istud ex omni parte necessarium est.* Nunc videamus; An istud dictamen possit esse in diuina sapientia: an verò sit ipsi diuinæ sapientiæ, & in seipso repugnans.

Conuincitur Ruiz, tribuisse diuinæ sapientiæ dictamen, repugnantiam inuoluens.

Et soluitur argumentum.

1730 *Secundò, quia ponit in Deo repugnātia.*

40 VT hoc videatur peto. An in diuina sapientia sit hoc dictamen; puta: productionem alterius mundi, (relicta productione huius, & omnium aliorum) esse possibilem, atque consentaneam bonitati diuinæ? præterea que necessariam esse, si Deus cōsequi velit finem plenioris ostensionis suorum attributorum? Si respondet sic: Inde sequitur, Deū voluisse producere, ac produxisse aliū mundum, quod est manifestè falsum. Iā enim supponimus, Deum voluisse consequi pleniorem ostensionem suorum attributorū. Si verò dicat non peto: Cur illud non istud est in diuina sapientia, iudicante necessariò, & naturaliter de mundis possibilibus? sic enim est possibilis hic mundus, sicut, & alius: sic etiam est consentanea diuinæ bonitati productio vnius, sicut & alterius; cum vterq; sit participatio diuinæ bonitatis. Amplius cum prædictum dictamen, seu iudicium diuinæ sapientiæ, sit omnino necessarium, & naturale, secundū quod existimat Ruiz; ac per hoc sit iudicij cōforme naturis rerū; oportet, quòd ita sit necessaria productio vnius mūdi possibilis, sicut & alterius possibilis æqualis perfectionis ad finem consequendi pleniorem ostensionem diuinorum attributorū. Cur enim productio huius mūdi possibilis, nō verò alterius possibilis æqualis perfectionis erit necessaria in dictum finem? Num in thesauro infinitæ sapientiæ, & potentiæ, nō est, nisi vnum medium in dictum finem? Si autem sunt plura, nō singula necessaria.

1731 *Tertiò, quia dictamen mētis diuinę p̄cedens per se liberum actum voluntatis ē dictamen prudētiæ, non autem dictamen artis diuinæ.*

41 Sed mittamus hæc: certum est in sententia S. Thomæ, dictamen mentis diuinæ non esse prædictum, sed aliud satis diuersum, ac per hoc malè illud recensuit Ruizius, tanquam indubitatum, & euidenter in diuina sapientia collocatum. Si quidē secundum S. Th. dictamen diuinæ sapientiæ, præcedens perse actum liberum voluntatis diuinæ, est iudicium de agendis, seu iudicium prudentiæ, quæ est recta ratio agibilium; non vero factibilium, quod pertinet ad iudicium artis, ac per hoc non respicit proximè rerum factibilitatē, sed actum electionis, (qui propriè dicitur agibile) inquantùm tale iudicium determinat, & ordinat voluntatem ad eligendum, vt patet ex verbis S. Thomæ relatis in hoc §. nu. 6. Amplius iudicium de agendis importat in Deo illud, cui correspondet in nobis iudicium, ad quod consiliantes deueniunt per inquisitionem consilij. Vt patet ex verbis S. Tho. relatis §. præcedenti num. 100. fol. 434. Tale autem iudicium non potest esse necessarium; nec potest esse illud, quo iudicatur, aliquid esse necessariò agendum, vt demonstrauimus in hac disp. §. 5. toto dubio. 3. à fol. 353.

1732 *Negatur propositio suppositā à Ruiz: & manifestātur dictamina diuinæ sapientiæ.*

42 Et inde apparet, qualiter sit soluenda dicta confirmatio in forma. Neganda est enim illa propositio, quæ supponitur euidens, nempe: circa mundi creationem, duo tantū practica dictamina sūt in diuina sapientia, scilicet illa duo, quæ arguēs enumerat. Et dicēdū est, quòd in vniuersali, & quasi genericè duo dictamina sunt in mēte diuina; Alterum artis; & alterum prudentiæ. Illud pronunciat rem producibilem sub modo producibili, quod fit practicum, seu operans in actu, per hoc, quod ad aliquid applicatur, seu determinatur, per actum electionis. Istud verò pronunciat, aliquid esse, vel nō esse eligendum ad finem naturaliter volitum à diuina voluntate, vt diximus num. 5. & 6. huius §. Nec tamē hoc iudicio iudicat Deus, *mundū esse necessarium ad Dei fœlicitatē, vel ad aliquod incrementum illius: & ideo esse necessariò volendū.* Quis hæc somniari poterit? Diuinus enim intellectus iudicio isto, quod non sequitur ex necessitate naturam diuinam; sed est ab ipsomet intellectu diuino excogitatum, & inuentum, vt in eius potestate existens, dictat diuinæ voluntati, vt in ordine ad diuinam bonitatem, quam ipsa voluntas

Digitized by Google

naturaliter diligit, vt finem, eligat, eandem bonitatem diffundere, & communicare creaturis, sicque suam bonitatem manifestare secundum illum gradum, modum, & ordinem, ab ipso intellectu excogitatum & inuentū circa ea, quæ nec necessaria sunt ad diuinam fœlicitatem, nec ad incrementum illius. Sicut enim cum intellectus humanus per discursum consilij deuenit in finalem sententiam, qua diffinit, & dictat, vt hoc, vel illud agatur, pro fine: seù hoc, vel illud esse, vel non esse agendum; id diffinit de his, quæ sunt in nostra potestate, de quibus est quæstio cōsilij; non autem de his, quæ sunt ex necessitate, de quibus non potest esse quæstio consilij, vt demōstrauimus in hac disp. §. 5. dubio 3. præsertim à num. 70. fol. 356. Ita Deus, dum sine discursu consilij pronunciat sententiam proportionalem ei, in quā consiliantes deueniunt per discursum cōsilij, (vt loquitur S.D.) de iis sentētiat, quòd eligantur, vel non eligantur, seù quòd sint, seù non sint eligenda, quæ non sunt necessaria diuinæ fœlicitati, vel eius augmento; sed quæ sunt in diuinæ voluntatis potestate, ex quibus diuina bonitas non dependet. Vide, quæ diximus loco proximè cit. à fol. 353. ad 359. Et hæc satis de primo puncto.

PVNCTVM SECVNDVM. In quo.

Probatur rationibus ex Angelico Præceptore desumptis, quòd imperium rationis, seu vltimatum, & deliberatum iudicium de agendis, quo diffinitiua sententia dictatur, seù intimatur voluntati, vt hic, & nunc hoc determinatè prosequatur vel fugiat, seù velit, vel nolit ad acquirendum finem, est necessarium libertati actus eiusdem voluntatis.

1733 *Ratio ordinis huius secundi puncti.*

43 DVo quæsiuimus in hac disputatione puta: An imperiū, (explicatū in titulo disputationis, & in hoc proximo titulo) repugnet libertati actus volūtatis imperati, seù actus electionis; & an sit libertati eiusdem actus necessarium. Satisfecimus priori quæsito in primo disputationis puncto, soluendo argumenta, eaq; ostendendo nullius valoris, ac ex principiis procedere, ex quibus sequitur, nullam esse, siue in Deo, siue in creaturis libertatē, Satisfaciemus in hoc secundo disputationis puncto posteriori quæsito; idq; præstabimus, proponēdo rationes, quibus probatur, ita esse prædictū imperium libertati voluntatis necessarium, vt, eo dempto, nulla possit inueniri in eadem voluntate libertas. Et licèt soluentes argumenta, eaq; retorquentes contra aduersarios, ac probantes resolutiones dubiorū, sæpè probauerimus necessitatem prædicti imperij, seù vltimati iudicij de agēdis, inferentis necessaria sequela actum liberum electionis; nihilominus tamen in hoc puncto, tanquam in proprio loco, oportet iterum eadem rationes sub speciali forma ad idem propositum inculcare.

1734 *Memorantur loca in quibus capita rationum præstringimus*

44 Porrò disp. 1 §. 13. num. 16. fol. 137. præstrinximus quatuor precipua capita, ex quibus propositum huius puncti ex doctrina Diui Thomæ, & Aristotelis demonstratur. Horum duo prima explicuimus in hac disp. §. 6. à num. 134. ad 149. à fol. 396. ad 400. quando, probauimus, quòd iudiciū præcedens primam electionē post volitionem vltimi finis, naturaliter voliti, habet illum modum formæ, illumq; modum congnitionis, ex quo præcedit modus libertatis in actu voluntatis. Inculcauimus etiam prædicta duo principia cōtra cosRecentes, qui existimant, voluntatem determinari ad vnum oppositorum per qualitatem, seù motum, sibi impressum ab exteriori principio, disp. præcedenti §. 5. & 6. Idq; postquam §. 4. præcedenti contra eosdem processimus ex alio S. Doctoris principio, quod quarto loco enumerauimus loc. cit. in principio huius num. Quo etiam principio vsi sumus contra Suarium alioſq; oppositæ classis Recentes disp. 1. §. xi. à nu 3. ad 18. à fol. 113. illudq; ex parte explicuimus disp. 2. §. 19. per totum à fol. 237.

§. IX.

Proponitur prima ratio fundamentalis resoluens conclusionem intentam in principium illud: Omne agens agit propter aliquem certum finem, desumpta ex doctrina Angelici Præceptoris in 2. Dist. 25. q. vnica art. 1. in corp.

1735 *Ratio ordinis huius rationis ad alias, explicatur.*

1 IN tegrum corpus citati art. transcripsimus disp. 1. §. 4. num. 9. fol. 150. Ex huius igitur art. doctrina desūpsimus ex dicto principio rationem; cui non immeritò primum locum damus. Procedit enim ex principio spectante ad causam finalem, quæ inter omnes est prima. Amplius rem demonstrat euidētius, reducitq; ad quædā, quæ manifestè experimur. Præterea ex ea Aduersarij manifestius probabunt, verum esse, quod sæpè aduertimus, nēpe, quòd ex prædicti art. doctrina funditùs euertuntur, tam qui cum Molina, Suarez, aliisq; Mediscientiantibus, remouent à liberis actibus creatæ voluntatis præuenientem, seu antecedentem omnipotentis Dei causalitatem; quàm qui cum Aluarez

Sal-

Digitized by Google

Salmaticensibus, alijsq; aduersæ classis doctoribus, eisdem imponunt fluentem qualitatem, præmouentem, prædeterminantemq; ad singulos, voluntatiq; creatæ impressam immediatè ab ipsomet omnipotenti Deo.

1736

Proponitur ratio in forma.

2 Hæc ratio sic formari potest. Necessè est, quòd *Omne agens agat propter aliquem certum, seu determinatum finem*. Ergo necessè est, quòd, si aliquod agens habet aliquã actionem, talis actio sit (quantùm est ex se) apta, proportionata, seu commensurata, & conueniens alicui certo fini. Ergo etiã oportet, quòd talis actio procedat, & sit ab aliqua cognitione, seu iudicio, & sententia, alicuius intellectus, proportionante, commensurante, & determinante eam tali certo fini, eique præstituente dictum finem, in quam cognitionem intellectus procedat ex consideratione finis, & ex cognitione rationis finis, & proportionis, quæ est inter finem, & ea quæ in ipsum finem ordinantur. Ergo oportet, quòd, si aliquod agens habet aliquam actionem seu operationẽ, eam habeat sibi præscriptam, & determinatam à prædicta cognitione, & iudicio intellectus commensurante, & & determinante eam certo fini, eique talem finem præstituente. Ergo necessè est, quòd, si aliquod agens liberum habet aliquem motum, seu actionem liberam, propriæ voluntatis, eam habeat eidem voluntati præscriptam, & determinatam ab aliqua cognitione, seu iudicio sui proprij intellectus, commensurante, & determinante eam certo fini, eique talem finem præstituente. Ergo necessè est, quòd in agente libero, ad habendam actionem liberam propriæ voluntatis, detur iudicium practicum, & imperium, de quo agimus.

Ratio hæc ex principio assumpto, ordinatis consequentijs, intentam conclusionem deducit, solùmque videri posset habere dubium circa aliquam, vel aliquas consequentias. Antecedens enim supponi debet, siue vt demonstratum; siue vt experientia manifestum. Et videri possunt septem rationes, quas ad illud probandum affert S. Doctor lib. 3. con. gent. cap. 2. & quas affert Aristoteles lib. 2. Physic. apud D. Tho lec. 13. & 14.

1737

Differentia, inuẽta in agẽtibus, quorum quædam habẽt intellectũ, quædam non habent, explicatur.

3 Itaque antecedens supponimus, simul cum illa, ab omnibus approbata, doctrina, ipsaque experientia manifesta, puta, quòd in agendo propter finem inuenitur quædam differentia in agentibus. Quædam enim habent intellectum, & cognoscunt, non solùm rem, quæ est finis; sed etiam ipsam rationem finis (videlicet, ipsam cõmunem rationem boni) & proportionem, quæ est inter finem, & ea, quæ in ipsum finem ordinantur. Quædam verò non habent intellectum; ac per hoc, vel nullam habent cognitionem finis, vt insensibilia: vel si aliquam habent, vt sensibilia, cognoscunt solùm rem, quæ est finis: rationem verò finis, seu ipsam communem rationem boni, non cognoscunt; nec proportionem finis ad ea, quæ sunt ad finem: & idcirco non conferunt de agendis ab ipsis, sicut ea, quæ habent intellectum.

1738

Manifestatur, qualiter non habentia intellectũ dicuntur agere propter certũ finem.

4 Et quidem ea, quæ intellectu carent, dicuntur agere propter aliquem certum finem, vt in finem acta, mota, directa, ordinata, determinata, & vt habentia præstitutum sibi finem (hos terminos sparsim vsurpat S. Doctor varijs in locis, quæ inuenies apud Bergomensem in tabula aurea verbo, *agere*, num. 5.) ab aliquo habente intellectum. Habens enim intellectum (puta Auctor naturæ, vel Intelligentia mouens Cœlos) attendens ad aliquem determinatum finem, in quem intendit ordinare rem aliquam, intellectu carentem, & per ipsam rationem finis, (quæ est ratio, qua intellectus mensurat omnes particulares fines) accipiens propriam mensuram talis finis, ipsumque cõferens ad id, quod in talem finem per suã actionem est ordinandum, excogitat iudicium, seu conceptum, quo iudicat, quòd actio proportionata, commensurata, & conueniens huic non habenti intellectum, ad hoc vt per eam tendat in talem finem, est ista, quæ exposcit hæc principia, Et ita format hoc iudicium, nempe: Hac actione, quæ huic non habenti intellectum communicanda est per hæc principia, perducendum est idem non habens intellectum in istum finem. Ex hoc deinde iudicio procedunt in istud, quod caret intellectu (dum producitur, vel mouetur ab eo, quod habet intellectum) principia proportionata, & eis mediantibus, actio apta, proportionata, commensurata, & determinata illi certo fini. Et inde est, quòd tale, non habens intellectum, tali actione agit propter illum finem; sed vt in eundem finem actum, motum, directum, ordinatum, & determinatum ab intellectu, ex cuius cognitione procedunt in ipsũ principia, & his mediantibus actio proportionata, commensurata, ordinata, directa, & determinata ad illum finem. Cognitio autem, seu conceptus, & iudicium illud, puta: Hac actione, communicanda per hæc principia, perducendum est hoc; non habens intellectum, in istum finem, præstituit eidem actioni finem. Est enim ista cognitio, seu iudicium, quoddam statutum, seu sententia, qua intellectus statuit,

tuit, diffinit, & determinat, tali actioni suum finem; & ideo talis cognitio dicitur præstituere, diffinire, & determinare finem actioni. Vide quæ de hac re diximus disp. præcedenti §. 20. à num. 2. & §. 21. à num. 6.

1739

Exemplũ S. Doctoris, ad propositum explicandũ, affertur.

5 Sæpè vtitur S. Doctor ad hoc explicandum exemplo Sagittæ à Sagittante impulsæ in determinatum, & certum signũ. Sagittarius enim ex consideratione signi (in quod intendit sagittam transmittere,) secundùm quod est in hoc, vel illo situ, in tali, & tanta distantia &c. ac etiam ex consideratione quantitatis, & grauitatis sagittæ, & resistentiæ, quam potest habere ex medio, per quod transmittenda est sagitta, (cui plus resistit aqua, quam aer, plusque ventis agitata, quam quiescens) procedit ad iudicandum de mensura, & proportione impulsuũ, per quem potest habere motum in sagitta commensuratũ signo: & tandem statuit sententia suæ mentis, seu suo iudicio, quòd talis, & tantus impulsus, ad quem sequitur talis, & tantus motus, est proportionatus, commensuratus, & conueniens sagittæ ad eam transferendum in signum intentum; sicq; concludens, format hoc iudicium: tanto impulsu, & motu impellenda est hæc sagitta in illud signum. Talis autem cognitio, seu sententia, & iudicium in mente sagittarij, est quædam recta ratio, seu ars, per quam ipse sagittarius est causa imprimens sagittæ illam determinatam mensuram impulsus, & motus, quo determinatè transfertur in signum; ac per hoc impulsus, & motus commensuratus signo, procedit in sagittam à tali cognitione, iudicio, & sententia mentis sagittarij, sicut effectus artis ab arte. Itaque sagitta, inquã processit à cognitione sagittarij impulsus, & motus commensuratus signo, mouetur ad signum, sicut ad finem; & dum penetrat aerem, vt perueniat ad signum, dicitur agere propter finem; sed vt acta mota, directa, ordinata, & determinata, & vt habens præstitutum finem ab illa cognitione, iudicio, & sententia mentis sagittarij.

1740

Notabile, quo explicantur variæ rationes conuenientes cõceptui & iudicio artificis, per quod agit.

6 Et hic nota, quòd, sicut recta ratio in mente artificis, e.g. ædificatoris existens, quæ dictat, e.g. quòd hic lapis collocandus est sic: hic autem alius non sic, ad rectum ædificium construendum, dicitur agens, quatenus est forma, per quam agit ædificator, prout est agens per intellectum, dum construit opus artificiosum. Dicitur mouens, quatenus ab ea procedunt motus artificis, directi ab arte, in constituendo opere, consono eidem arti, & inquantum ab ea procedunt motus instrumentorum, quibus artifex agit, opus. Dicitur dirigens inquantùm est regula, secundùm quam regulantur actiones artificis, vnde ab ea procedunt regulatæ, & directæ ad finem intentum ab artifice. Dicitur ordinans, quatenus ab ea procedunt actiones artificis ordinatæ ad opus.

Dicitur determinans, quatenus per eam præscribuntur, & determinantur actiones artificis, proceduntque ab ea dictæ actiones sub determinatione, & mensura proportionata ad opus arti consonum. Dicitur præstituens actionibus artificis finem, inquantùm est quoddam mẽtis statutum, seu certa sententia, ordinans quamlibet actionem artificis ad certum effectum, qui est finis actionis. Ita illa cognitio, seu iudicium, in mente sagittatoris existens, quod etiam est ratio dictans, tanto impulsu, & motu proijciendam esse hanc sagittam in illud signum, dicitur agens, inquantùm est forma, per quam sagittator agit, vt habens intellectum, dum proijcit sagittam. Dicitur mouens, quatenus per eam sagittator infert motum in sagittam. Dicitur dirigens, quatenus est regula secundùm quam regulatur actio sagittatoris impellentis sagittam, proceditque motus sagittæ regulatus, & directus ad signũ. Dicitur ordinans, inquantum impulsus, & motus procedentes in sagittam à tali ratione, & cognitione, sunt ordinati in signum. Dicitur determinans, inquantùm per eam præscribitur, & determinatur sagittatori certa mensura impulsus & motus, qua impellenda est sagitta ad hoc, vt attingat signum intentum, proceduntque ab ea motus, & impulsus commensurati, & determinati ad illud signum. Dicitur tandem præstituere motui, & actioni sagittæ finem, inquantùm tale iudicium, seu dictamen, est quædam mentis sententia, seu statutum, & præscriptio, ordinans, & commensurans motum, & actionem sagittæ ad attingendum signum, vt ad finem, & sic præfigit, præstituit, & præscribit actioni sagittæ finem.

Applicatur exemplum ad propositũ.

1741

Explicatur, qualiter dicuntur agere propter certum finem, quæ habent intellectum.

7 At verò ea, quæ habent intellectum, dicuntur agere propter aliquam certum finem, vt agentia, mouentia, dirigentia, ordinantia, determinantia seipsa, suasque actiones in finem, vtque sibi, suisque actionibus præstituentia, & præscribentia certum finem: seu dicuntur agere propter certum finem, vt in eundem finem acta, mota, directa, ordinata, determinata, & vt habentia sibi, suisque actionibus præstitutum, & præscriptum finem à seipsis. Ita vt ipsamet sint in finem agentia, & acta, mouentia, & mota, dirigentia, & directa, ordinantia, & ordinata, determi-

Digitized by Google

terminantia, & determinata, præstituentia & præscribentia finem, & habentia finem sibi præscriptum, & præstitutum. Et hoc quidem non respecta vnius, & eiusdem; sed respectu diuersarum partium, quæ in habentibus intellectum inueniuntur. Hæc enim habent, non solùm intellectum; sed etiam alias potentias, motioni, & directioni intellectus subiectas. Vnde sunt sicut sagitta, si in ea fingeremus esse illum intellectum, qui est in sagittario. Hac enim facta fictione, sagittæ, habenti intellectum sagittarij, conuenirent ea, quę conueniunt sagittario, vt habenti intellectum, cuius cognitione agit, mouet, dirigit; ordinat, determinat, sagittæ actionem ad finem, & præscribit, & præstituit finem actioni eiusdem. Et ita sagitta, vt habens intellectum sagittarij, ageret, moueret, dirigeret, ordinaret, determinaret se, suamque actionem in finem, præscriberetque, ac præstitueret sibi, suæque actioni finem. Amplius haberet ea, quæ conueniunt sagittæ in ordine ad intellectum sagittarij: & sic esset acta, mota &c. in finem certum, haberetque sibi, suoque motui, & actioni præscriptum, & præstitutum finem à cognitione proprij intellectus, qui in ipsa fingitur.

Res explicatur exẽplo satis idoneo.

1742

8 Verùm hæc ipsa eminentiori modo sunt in facti realitate in habentibus intellectum; quia, scilicet, in eis sunt præcisis imperfectionibus, quę in illo casu ficto inueniuntur; ac etiam cum maiori amplitudine. Vt pote quia habentia intellectum per suas conceptiones intellectuales, non solùm mouent, diriguntque seipsa, vt habentia alias potentias, rationi subiectas; sed etiam mouent, diriguntque seipsa, vt habentia ipsummet intellectum, secundùm quod ipsemet intellectus habet respectum ad diuersa obiecta, & ad diuersos actus, reflectitque in seipsum, sicque est quasi partitus, & potens habere respectu diuerforum actuum, & obiectorum duas quasi partes, quarum altera est mouens, dirigens, &c. altera verò est mota, directa, &c.

Manifestatur, quòd prædicta conueniũt perfectiori modo, & cum maiori amplitudine habentibus intellectũ.

1743

9 Agunt itaque propter certum, seu determinatum finem, quæ intellectum habent, vt mouentia, dirigentia, &c. in eundem finem, vtque præscribentia, & præstituentia sibi, suisque actionibus certum finem, inquantùm, considerato per intellectum fine, eoque mensurato per rationem finis; atque etiam collato ad ea, quæ sunt ad finem, considerataque proportione inter hæc, & finem, procedunt ad inueniendum suo iudicio actionẽ propriam commensuratam fini; sicque considerasis prædictis, factaque eorum discussione, ferunt iudicium, & sententiam de actionibus propriis, pronunciantque, quòd hæc, non illa, est commensurata, & proportionata tali fini. & ita iudicant. hoc esse sibi agendum, non illud, ad habendum talem finem. Et inde per hoc iudicium, seu dictamen, quod est ratio, seu forma concepta, commensurans, dirigens, ordinans, determinans, & præscribens, & præstituens finem actioni propriæ, mouent suas proprias potentias motioni rationis subiectas, in easque inducunt easdem actiones, seu operationes, commensuratas fini ex proprio iudicio: & sunt agentia mouentia, dirigentia, ordinantia, & determinantia sibi suisque actionibus finem, ac etiam præscribentia, & præstituentia finem actionibus propriis. Sunt verò acta, mota, &c. in finem, & habentia præscriptum, & præstitutum finem à seipsis, inquantùm secundùm illas potentias, rationi subiectas, recipiunt à seipsis agentibus per iudicium proprium, seu sententiam sui proprij intellectus, actiones commensuratas, proportionatas, ordinatas, & determinatas ad finem.

Qualiter habentia intellectũ se determinant & mouent in finem, concluditur.

1744

10 Meminit huius differentiæ, inuentæ in agentibus propter finem, S. Thomas sæpissimè. Hinc 1. 2. q. 1. ar. 2. in corp. sic habet. *Considerandum est, quòd aliquid suа actione, vel motu tendit ad finem dupliciter. Vno modo sicut seipsum ad finem mouens, vt homo. Alio modo, sicut ab alio motum ad finem, sicut sagitta tendit ad determinatum finem ex hoc, quod mouetur à sagittante, qui suam actionem dirigit ad finem. Illa ergo, quæ rationem habent, seipsa mouent ad finem; quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quæ est facultas voluntatis, & rationis. Illa verò, quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem à seipsis; cùm non cognoscant rationem finis; & ideo nihil in finem, ordinare possunt; sed solùm in finem ab alio ordinantur: &c. Et ideo proprium est creaturæ rationalis, vt tendat in finem, quasi se agens, vel ducens ad finem: natura verò irrationalis, quasi ab alio acta, vel ducta, sine in finem apprehensum, sicut bruta animalia, siue in finem non apprehensum, sicut ea, quæ omninò cognitione carent.* Et in 2. dist. 25. q. vnica in art. ex quo hanc rationem desumpsimus, sic habet. *Cognitio determinans actionem, & præstituens finem, in quibusdam quidem coniuncta est: sicut homo finem suæ actionis sibi præstituit. In quibusdam verò separata est, sicut in his, quæ agunt per naturam. Rerum enim naturalium actiones non sunt fruſtra, vt in 2. Physicorum probatur; sed ad certos fines ordinatæ ab intellectu, naturã instituente, vt sic totum opus naturæ sit quodammodo opus Intelligentiæ, vt Philosophus dicit.*

Doctrina S. Thomæ ad propositum.

Sic

Digitized by Google

Sic ergo patet, quòd hæc est differentia in agentibus, quòd quædam determinant sibi finem, & actum in finem illum: quædam verò non. Nec aliquod agens sibi finem præstituere potest; nisi rationem finis cognoscat, & ordinem eius, quod est ad finem ipsum, quod solùm in habentibus intellectum est.

1745 11 Supposito igitur antecedente, nēpe, quòd *necesse est, quòd omne agens agat propter aliquem certum finem*; sed diuersimodè iuxta diuersitatem agentium supra explicatam, prima consequentia, puta: *Ergo necesse est, quòd, si aliquod agens habet aliquam actionem, talis actio sit (quantùm est ex se) apta proportionata, seu commensurata, & conueniens alicui certo fini*; est euidens. Potestque probari ratione, desumpta ex S. Doctore lib. 3. con. gen. cap. 2. ratione 7. a nobis allata disp. 1. §. 1. num. 6. fol. 88. Nam si talis actio non esset (quantùm est ex se) apta, commensurata &c. alicui certo fini, nulla posset assignari ratio, cur talis actio tendit potiùs in talem finem, agitque talem effectum, & non alium; sed esset *frustra* (vt loquitur S. Thomas verbis proximè relatis) seu esset *à casu* (vt idem S. Doctor loquitur q. 1. de Potentia art. 5. in corp. verbis relatis disp. 2. §. 19. num. 7. fol. 240.) seu *à per se vano*, vt loquitur Aristoteles lib. 2. Physicorum apud eundem D. Th. lec. 13. lit. tex. a.

Probatur prima consequentia ratione S. Thoma.

Itaque in agentibus per naturam nulla esset ratio, cur e.g. actione leonis generatur leo potiùs, quàm bos, aut aliud quodcunque, siue animatum, siue inanimatum; sicut nec esset ratio, cur sagitta impulsa à sagittario in tale signum, non procedat ad signum oppositum. Similiter in agentibus liberis nulla esset ratio, cur e.g. ædificator, volendo potiùs, quàm nolendo, ædificat; & cur suis actionibus ædificat potiùs, quàm destruat, aut efficiat aliquid aliud opus; & cur volendo mouere manum, eam potius mouet, quam pedem, &c. Ratio enim cur aliqua actione (quantùm est ex se) potiùs agitur vnum, quàm aliud, hæc vna est; quia, scilicet, talis actio est apta, commensurata, ordinata, & determinata ad hunc finem, & effectū potiùs, quàm ad alium. Aliter autem effectus iste, & non ille esset ex tali actione à casu; quia (vt aduertit S. Doctor lib. 2. Physic. lec. 13.) *quæ accidunt præter intentionem finis, dicuntur accidere à casu*. Facta autem suppositione, quòd aliqua agentis actio (quantùm est ex se) non esset commensurata, ordinata, & determinata ad aliquem certum finem, omnes effectus essent ei præter intentionem finis, & ita essent ei a casu.

Cur esset per accidens effectus actionis, si non esset ordinata in finem.

Probatio secundæ consequentiæ.

1746 12 Secunda verò consequentia, puta: *Ergo etiam necesse est, quòd talis actio procedat, & sit ab aliqua cognitione, seu iudicio, & sententia alicuius intellectus, proportionante, commensurante, & determinante eam tali certo fini, eique præstituente dictum finem: in quam cognitionem, seu sententiam procedat intellectus ex consideratione finis, & ex cognitione rationis finis, & proportionis, quæ est inter finem, & ea, quæ in ipsum finem ordinantur*, continet tres propositiones. Prima est, quòd necesse est quòd talis actio sit ab aliqua cognitione, & sententia alicuius intellectus.

Enumerātur, quæ continentur in secūdo consequenti.

Secunda est, quòd talis cognitio sit commensurans, & determinans eam certo fini, eique præstituat eundem finem.

Tertia est, quòd oportet quòd in dictam cognitionem intellectus deueniat ex consideratione finis &c.

1747 13 Et quidem prima, & secunda propositio deducuntur euidenter ex priori consequentia, iam probata. Nam si talis actio, quantùm est ex se, & non à casu, debet esse proportionata, commensurata, & determinata alicui certo fini, oportet, quòd dependeat, seu procedat, & sit, ab aliqua forma, quæ sit ratio efficiendi, seu effectiua, quòd actio talis agentis sit proportionata, commensurata, & determinata tali certo fini. At verò hæc forma, necesse est, quòd sit apprehensa ab aliquo intellectu per cognitionis, iudicium, seu sententiam dictantem, quòd ista est actio conueniens, proportionata, commensurata, & determinata, qua eundum est à tali agente in talem certum finem, seu hac actione eundum est conuenienter, commensuratè, & determinatè ab hoc agente in talem finem: quæ quidem ratio, seu dictamen, & sententia, est, qua, seu per quam intellectus, eam habens, efficit, seu mouet tale agens in actionem proportionatam, seu est efficiens actionem talis agentis proportionatam, seu eam proportionans, commensurans, & determinans in talem certum finem, eidemque præstituens eundem finem. Ergo si actio talis agentis debet esse proportionata &c. alicui certo fini; oportet, quòd ipsa pendeat, seu procedat, & sit à cognitione, seu iudicio, & sententia alicuius intellectus, proportionante commensurante, & determinante eam certo fini, eique præstituente eundem finem.

Probatur secunda cō sequentia, quantùm ad primā, & secundam propositionem inuentam in consequēti.

1748 14 Maior huius discursus Probatur. Nam si talis actio habet dictam proportionem, mensuram &c. ex propria entitate,

Probatio maioris.

Digitized by Google

tate, & non à casu, oportet, quòd talis entitas secundùm mensuram, quam habet ex se ad talem certum finem, sit ab aliquo principio per se, quod, scilicet, ex vi propriæ formæ, per quam ab eo pendet effectus, habet efficere, quòd actio talis agentis sit commensurata &c. tali certo fini; ergo oportet, quòd actio talis agentis, secundùm entitatem, quam habet proportionatam, & commensuratam tali certo fini, pendeat, procedat, & sit à forma talis principij. Antecedens hoc, simul cum consequentia, sunt euidentia ex ipsa ratione terminorum. Nam cum vnumquodque agat, inquantùm est in actu per formam; oportet, quòd agens per se alicuius effectus sit, quod ex vi formæ, per quam est in actu, tendat in productionem talis effectus; effectusque per se sit, qui procedit ex tali principio ex vi illius formæ, per quam est in actu; ac per hoc per se pendeat à forma talis principij.

1749

Probatio minoris.

15 Minor verò probatur. Nam adaptare, commensurare, ordinare, &c. aliquam entitatem secundùm suos proprios terminos, ad terminos, & exigentiam alterius entitatis, seu efficere, vt aliquid secundùm suos proprios terminos sit ad aliud adaptatum, commensuratum, ordinatum &c. pertinet solùm ad potentiam intellectiuam, seu ad intellectum, qui agit per formam apprehensam illius eiusdem rei, vel actionis, & motus, quæ ab ipso procedunt. Nam non potest adaptare, commensurare, &c. aliquid ad aliud (& in re, de qua loquimur) actionem, seu motum, ad certum determinatum finem, seu efficere per se, & ex vi formæ, qua est in actu, vt actio, vel motus alicuius agentis sit adaptata, commensurata, & determinata certo fini; nisi potentia, quæ potest percipere proprios terminos vtriusque, & applicare actioni, seu motui finem, eoque vti, vt regula, & mensura actionis, seu motus, & discernere excessum, & defectum, propter quos quandoque deficit adaptatio, proportio, & commensuratio inter actionem, seu motum, & finem, vt per se constat. At verò hæc potentia est sola potentia intellectiua, seu intellectus, qui sua cognitione, non solùm apprehendit rem, quæ est finis, sed etiam ipsam rationem finis, quæ est mensura, per quam apprehendit terminos omnium finium, & insuper cognoscit proportionem, quæ est inter actionem, seu motum, & finem. Ergo solus intellectus potest per se, & ex vi propriæ formæ, adaptare, commensurare &c. actionem, seu motum agentiũ ad certum finem, seu efficere ex vi propriæ formæ, vt actio, seu motus alicuius agentis sit adaptata, & commensurata certo fini. Forma autem, per quam est in actu intellectus, ad hoc, vt per eam agat, vel moueat, est forma per suæ cognitionis iudicium, seu sententiam apprehensa, repræsentans illam eandem rem, vel illam eandem actionem, seu motum, quæ ab intellectu fit, dum agit, vel mouet. Ergo forma à qua procedit, seu per quam fit, quòd agens habeat aliquam actionem adaptatam, & commensuratam certo fini, est forma apprehensa per iudicium, & sententiam intellectus, dictantem, quòd hæc est actio conueniens, proportionata, commensurata &c. qua eundum est a tali agente in talem finem &c. quæ sententia (vt per se constat) præstituit actioni finem, estque effectiua actionis commensuratæ, seu commensurativa eiusdem actionis &c.

Doctrina S. Doctoris ad propositum.

Expressit suprædictam rationem quantùm ad principalem discursum S. Doctor quæst. p. de Potentia ar. 5. in corp. his verbis: *Omne agens agit propter finem; quia omnia optant bonum? Actio autem agentis, ad hoc quod sit conueniens fini, oportet, quòd ei adaptetur, & proportionetur, quod non potest fieri nisi ab aliquo intellectu, qui finem, & rationem finis cognoscat, & proportionem finis ad id, quod est ad finem. Aliter conuenientia actionis ad finem casualis esset.*

1750

Manifestatur tertia propositio.

16 Tertia tandem propositio, puta: *Oportet, quòd intellectus deueniat in dictam cognitionem, ex cognitione finis*, &c. quæ ad explicationem nostræ sententiæ spectat potiùs, quàm ad efficaciam rationis, est quidem per experientiam manifesta; vt patet ex ijs, quæ notauimus in hoc §. à num. 4. ad 10. inclusiuè; & euidenter apparet ex eo, quod talis cognitio, seu conceptio, ex prædictis principijs pendet, sicut illa conceptio, qua sagittator concipit, tanto impetu, & motu proijciendam esse talem sagittam in tale signum ex cõsimilibus principijs ab intellectu concipitur. Est enim in nobis prædicta cognitio, seu conceptio, deducta per discursum, præcedentibus in intellectu prædictorum cognitionibus. In alijs verò, puta, Angelis, & Deo, si cognitio, seu conceptio sit de agendis ab ipsis, est inuenta per collationem, vt patet ex ijs, quæ latè diximus in hac eadem disp. §. 7. dub. 2. & 3. à fol. 412. ad 439.

Probatio tertiæ consequentiæ. 1751

17 TErtia autem consequentia, nempe: *Ergo oportet, quòd, si aliquod agens habet aliquam actionem, seu motum, eum, seu eam habeat sibi præscriptam, & determinatam à prædicta cognitione, seu iudicio, & conceptione intellectus commensurante, & determinante,*

Tertia cõsequentia continetur euidenter in discursu S. Doctoris.

Digitized by Google

nante eam certo fini, eique talem finem præstituente, (quæ euidentissimè præsefert illam propositionem D. Thomæ in articulo, ex quo hanc rationem desumpsimus, & quã, veluti maximam, explicuimus, & probauimus disp. præcedenti §. 19. fol. 237. puta; *Determinatio agentis ad aliquam actionem oportet, quòd sit ab aliqua cognitione, præstituente finem actioni*) euidentissimè sequitur ex præcedenti, iam probata.

Probatur. Nam, per hoc ipsum, quòd actio, seu motus, quo, seu qua agens agit, debet procedere ab aliqua cognitione, commensurante, proportionante, & ordinante, seu determinante eam ad certum finem, ac etiam præstituente finem eidem actioni, seu motui; necesse est, quòd talis motus, seu actio sit præscripta, & determinata agentibus ab eadem cognitione.

1753 18 Sicut enim actiones artificis ad cõficiendum determinatum opus, dicuntur esse, & sunt eidem artifici præscriptæ, & determinatæ ab arte, seu à cognitione, & conceptione, quæ est actualis ars, quæ actiones, & motus artificis commensurat, proportionat, ordinat, & determinat ad talem effectum in confiriendo opere: idque nihil aliud importat; nisi quod in cognitione artis; per quam directus artifex prorumpit in motus, & actiones, quibus conficit opus, sunt quædam rationes, determinatæ, dictantes, quòd motus, & actio conueniens ad inducendum hunc effectum, est hæc, seu hic est motus proportionatus, & hæc proportionata actio agenda ad hunc effectum: & ad hunc aliũ, est hæc alia, &c. Vnde in mente fabri, scindentis ascia lignum, ad quemlibet ictum præcedit aliqua conceptio, seu sententia, quæ dictat hic ictus est conueniens ad scindendam hanc partem; & hic alius ad hanc aliam, &c. Et hinc, vel recto, vel transuerso ictu percutit lignum; quia cognitio, & conceptio artis nunc dictat rectum, nunc transuersum. Et hæ quidem rationes, seu conceptiones in mente artificis sunt mensurantes eius motus, & actiones, inquantùm pronunciant conuenientem mensuram cuiuslibet motus, seu actionis ad certum & determinatum effectum. Præscribunt verò actiones, & motus artifici, inquantùm sunt determinata dictamina, seu mentis sententiæ, præfinientes actiones, & motus artifici: determinant etiam artificem ad determinatos motus, & actiones, inquantùm sunt formæ, per quas artifex, vt agens per intellectum, habet eas determinatas actiones, & motus, quas, & quos prædictæ formæ determinatè repræsentãt. Et inde fit, quòd motus, seu actiones artificis sunt eidem artifici præscriptæ, & determinatæ ab aliqua cognitione, præstituente determinatum finem, seu effectum, cuilibet eius motui, seu actioni; quia scilicet quilibet eius motus, seu quælibet eius actio, debet procedere ex aliqua illarum cognitionum, seu rationum, & sententiarum, existentium in mente artificis, quæ sunt præscriptiones, præfinitiones, determinationes, & mensuræ actionum, & motuum artificis. 1753

Exemplũ ad propositum.

Consimiliter ad exẽplum explicatur intentum.

19 Ita in proposito, Quia, si quam actionem habet aliquod agens, debet in ipsũ procedere ab aliqua cognitione, seu conceptione, commensurante, proportionãte, & ordinante eam in certum, seu determinatum finem, seu præstituente eidem certum finem: & prædicta cognitio, seu conceptio importat iudicium, conceptionem, seu statutum & sententiam, quæ pronunciat, quòd hæc est actio conueniens, commensurata, & proportionata huic agenti ad hunc finem; ac proinde importat formam, statutum, & sententiam mentis præscribentem, & prædisponentem agenti determinatum motum, & actionem: ideo est, quòd, si necesse est, vt actio agentis procedat ab aliqua cognitione, præstituente finem eidem actioni; necesse est etiam, quòd, si aliquod agens habet aliquam actionem, eam habeat sibi præscriptam, & determinatam ab aliqua cognitione, præstituente finem eidem actioni. Idque patet in exemplo de sagitta, quæ per hoc ipsum habet motum, & actionem, sibi præscriptam, & determinatam à cognitione, seu conceptione, sententia, & iudicio sagittantis, præstituente ei finem, seu signum, seu ordinante eam ad signum, quòd à tali cognitione procedit in ipsam motus proportionatus, commensuratus, & ordinatus in dictum signũ.

Probatio quartæ consequentiæ.

1754 20 QVarta consequentia, nempe: *Ergo necesse est, quòd, si aliquod agens liberum habet aliquam actionem, seu motum liberum sue propriæ voluntatis, eum habeat eidem voluntati præscriptum, & determinatum ab aliqua cognitione, seu conceptione, sententia, & iudicio sui proprij intellectus, commensurante, & determinante eum certo fini, eique talem finem præstituente*: sequitur ex præcedenti, si addatur id, quod est necessarium agenti libero. *Probatio quartæ cõsequentiæ.*

Nam, si quod habet aliquam actionem; necesse est, quòd eam habeat sibi præscriptam, & determinatam ab aliqua cognitione, seu sententia mentis præstituente finem eidem actioni. Et hoc in quantùm necesse est, quòd actio cuiusuis agentis sit adapta-

adaptata, & commensurata, & ordinata ad aliquem certum finem, quod fieri non potest, nisi ab aliquo intellectu per suam cognitionem, seu conceptionem, & sententiam, a qua necesse est, quòd ipsa actio procedat; inde sit consequens, quòd, cum actio libera agentis per voluntatem, sit actio aliquius agentis, debeatque esse adaptata, & commensurata, & ordinata ad aliquem certum finem; necesse est, quòd talis actio sit, & procedat ab aliqua cognitione adaptante, commensurante, & ordinante ad aliquem certum finem, eidemque actioni præstituente eundem finem: ab quod agens per voluntatem eam habentem voluntati præscriptam, & determinatam ab aliqua cognitione, præstituente finem eidem actioni libere, seu eandem ordinante in certum finem. At vera cognitio, determinans, & præfigens finem actioni libere agentis per voluntatem, non potest esse, quæ est in intellectu alterius agentis, seu agentis separati. Ergo necesse est, quòd sit aliqua cognitio existens in intellectu eiusdem, quod agit per voluntatem. Et ita necesse est, quòd si aliquod agens liberum habet aliquem motum, seu actionem liberam suæ propriæ voluntatis, eam habeat eidem voluntati præscriptam, & determinatam ab aliqua cognitione, sententia, & iudicio sui proprij intellectus, commensurante eam certo fini, eidemque præfigente eundem finem.

1755 21 Sublumptum huius discursus, puta: *At verò cognitio, determinans, & præfigens finem actioni liberæ agentis per voluntatem, non potest esse, quæ est in intellectu alterius agentis*, patet ex illo discrimine inuento in agentibus propter finem, a nobis explicato in hoc §. à num. 4. ad 8. & quod expressit S. Doctor verbis relatis eodem num. 8. puta illis: *Cognitio autem, determinans actionem, & præfigens finem, in quibusdam quidem coniuncta est* &c. & ad vltima verba ibi relata, scilicet, *Quod solum in habentibus intellectum est* subsumit S. Doctor. *Vnde est, quòd iudicium de actione propria non solum in habentibus intellectum, quasi in potestate eorum constitutum sit, eligere hanc actionem, vel illam. Vnde & domini sui actus habere dicuntur. Et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur; non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus; sed à quibusdam alijs causis prioribus.* Itaque si (vt concluſimus) necesse est, quòd actiones sint præscriptæ, & determinatæ agentibus ab aliqua cognitione, præstituente finem actioni; & hæc cognitio, præscribens, & determinans actionem agentibus actione libera, non potest esse, quæ est in alio agente, seu in alijs causis prioribus, quia per hanc præscribentur actiones agentibus per naturam, sicut præscribitur motus ex cognitione, quæ est in gravibus inde necessario sequitur, quòd talis cognitio sit in eodem agente libero, propter quod oportet, quòd actio libera sit solum in habentibus intellectum.

Probatio eiusdem consequentiæ.

1756 22 VLterius tunc concequentia videtur: *Ergo necesse est, quòd in agente libero, ut habeatur actio libera, sit præcedens aliqua cognitio practica, & imperans, de quo agimus*, sequitur euidenter ex præcedenti. Nam iudicium practicum, & imperium, de quo agimus, nihil aliud importat, nisi habere cognitionem, conceptum mentis, sententiam, & iudicium præscribens, & determinans voluntati actionem commensuratam certo fini, quæ ipsa voluntas libere agit propter talem finem: Illud, scilicet, iudicium, conceptionem, & sententiam intellectus, qua quis mediante aliquem finem, examinata re sub ſi, & discusſo negotio circa bonum pro ſine, & proportione, quæ ſit inter finem, & ea, quæ ſunt ad finem, iudicat, quid hic, & nunc ſit actio conueniens commensurata, & proportionata tali fini, quam eligere hoc, non illud; seu hoc, non aliud eſt eligendum. Præceptum autem iudicij ſeu ſententia, & conceptio intellectus dicitur imperium, secundum quod ex vi præcedentis intentionis finis habet efficaciam ad transmutandam voluntatem in actum liberum eligendi aliquid propter finem, vt habes ex S. Thoma Opuſculo 21. art. 3. verbis a nobis relatis in ſuprà citatione præcedenti §. 18. num. 6. fol. 226. puta illis: *Ipſe autem conceptio intellectus, ſecundum quod habet efficaciam aliquid transmutandi, impellum nominatur.*

Probatur ſubſumptum.

Auctoritas S. Doctoris.

Pro hac probatione vide, quæ diximus in hac diſp. §. 5. dub. primo.

Proponitur eadem ratio ſub breuiori forma reſoluens concluſionem in rationem agentis liberi.

1757 23 HAEC eadem ratio poteſt ſub breuiori forma proponi, reſoluendo concluſionem in rationem agentis liberi, ſic. Determinatio agentis liberi ad actiones, ſeu motus liberos ſuæ propriæ voluntatis, oportet, quòd ſit ab ipſomet agente libero, determinante ſeipſum in dictas actiones, ſeu motus liberos. Sed determinatio cuiuslibet agentis ad aliquam actionem oportet, quòd ſit ab aliquo iudicio, & cognitione, commenſurante, & determinante eam certo fini, eique præſtituente dictum finem. Ergo oportet,

Proponitur ratio.

quòd determinatio agentis liberi ad actiones, seu motus liberos suæ propriæ voluntatis sit à proprio iudicio, & cognitione eiusdem agentis liberi commensurante, & determinante dictas actiones certo fini, eisque præstituente finem. Sed iudicium practicum, & imperium, de quo agimus, importat in agente libero hanc cognitionẽ, & iudicium, commensurans, & determinans actionem liberam alicui certo fini, eique præstituens dictum finem. Ergo oportet, quòd determinatio agentis liberi ad actiones, seu motus liberos suæ propriæ voluntatis sit a iudicio practico, & imperio, de quo agimus. Est ergo hoc iudicium, & imperium necessarium agenti libero, ad habendas liberas actiones, seu motus propriæ voluntatis.

1758 24 Maior huius discursus est euidens. *Probatur maior.* Nam liberum dicimus, quod habet in sua potestate, & dominio, agere, & non agere, & agere hanc actionem, vel illam. Non possent autem esse hæc in sua potestate, & dominio, si alterum horum haberet sibi determinatum tantum ab alio. Oportet ergo, quòd determinatio agentis liberi ad hanc, vel illam actionem, & ad agere, vel non agere spectet ad ipsum met agens liberum: sitque in sua potestate determinans se ad hanc, vel illam actionem, & ad agere, vel non agere: ita vt determinatio propriarum actionum liberarum, sitque ad dictas operationes, seu actiones, & motus liberos sit ab ipsomet agente libero. Hinc S. Doctor verbis relatis proximo nu. 21. concludit: *Et propter hoc in fide intellectum habemus liberum arbitrium inesse, nõ autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus.* Et in 2. dist. 28. q. 1. ar. 1. in corp. verbis relatis Disp. præcedenti §. 22. num. 4. fol. 254. sic habet. *Non enim posset esse in homine libertas arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, vt ex proprio iudicio eligeret hoc, aut illud.*

1759 25 Minor verò, quæ est propositio S. Thomæ patet ex dictis in hoc §. à num. 4. ad x. & à num. 13. potestque sic breuiter demonstrari. Nam omne, habens aliquam actionem, oportet quòd eam habeat sibi præscriptam, & determinatam ab aliquo iudicio, & cognitione, commensurante, & determinante eam certo fini, præstituentque eundem finem eidem actioni; sed determinatio agentis ad aliquam actionẽ oportet, quòd sit ab eo, à quo habet sibi præscriptam, & determinatam eandem actionem. Ergo determinatio agentis ad aliquam actionem oportet, quod sit ab aliquo iudicio, seu cognitione, commensurante eam certo fini, præstituentque eundem finem eidem actioni. Maior patet ex dictis à nu. 17. ad 20. huius §. in probatione tertiæ consequentiæ. Minor verò est nota ex terminis. Quòd autem à tali iudicio, seu cognitione sit determinatio omnium agentium, tam habentium libertatem, quàm libertate carentium ad suas actiones, diffuse explicuimus disp. præcedenti à §. 20. ad 24. fol. 240. ad 254. 1760

Probatur minor.

26 Consequentia verò est manifesta. Nam si ex vna parte præmissi principij, à quo est determinatio agentis liberi, seu agentis per liberam voluntatem, est aliquod iudicium, seu cognitio præstituens certum finem actionibus liberis suæ propriæ voluntatis: & ex alia parte determinatio agentis liberi debet esse à seipso, ac per hoc in seipso debet esse hoc principium, a quo est determinatio sui ipsius ad propias actiones liberas, seu determinatio suæ voluntatis ad suas actiones liberas: inde euidenter habetur, quòd iudicium, seu cognitio, præstituens certum finem actionibus liberis suæ propriæ voluntatis debet esse in ipsomet agente libero. *Probatur consequentia.*

1761 27 Subsumptum autem, nempe, quòd *iudicium practicum, & imperium de quo agimus importat hoc iudicium, seu cognitionem* &c. patet ex dictis num. 22. huius §. in probatione vltimæ consequentiæ. Tandem duæ vltimæ consequentiæ, videlicet, *ergo oportet quòd determinatio agentis liberi ad actiones liberas suæ propriæ voluntatis sit à iudicio practico, seu imperio; & quod tale iudicium practicum, seu imperium sit necessarium agenti libero ad habendas actiones liberas*, euidenter deducuntur ex subsumpto, & ex præcedenti consequentia. *Probatur subsumptũ*

1762 28 Nec dicas prædictam rationem habere instantiam. Nam si ex eo, quòd omne agens agit propter finem, actio cuiuslibet agentis debet esse commensurata certo fini, & inde debet esse ab aliqua cognitione, cum commensurante tali fini videtur sequi, quòd, cum intellectus, iudicando, & cognoscendo, sit operans, & agens agat propter aliquem certum finem, eiusque operatio, siue cognitio, siue iudicium, debeat esse commensurata tali fini, & ex consequenti debeat etiam esse ab aliqua alia cognitione commensurante eam tali fini; & sic debeat dari processus in infinitum. *Instantia*

Non dicas hoc, inquam; quia, sicut ad hoc, quod actio sit ab agente non requiritur alia actio, quia scilicet, est id, quo aliquid est ab agente, vnde hoc ipso ipsa est ab agente; quia aliquid est ab agente per ipsam, & hoc ipso fit: quia aliquid per ipsam fit; ita ad illam cognitionem, qua actiones agentium commensurantur fini, non requiritur alia cognitio commensu- *Prædicta instantia reijcitur.*

rans

ratione finis; sed est per seipsam commensurata tali fini: quia scilicet est mensura, qua aliquid commensuratur fini. Intellectus etiam commensurans aliquam aliã actionem alicui certo fini, per hoc ipsum agit propter finem, quia commensurat actionem fini; vnde agit propter finem, vt regulans, & mensurans aliquam actionem ad finem, eiusque cognitio, & iudicium est etiam propter talem finem, vt id, quo mensuratur aliqua actio ad finem, & sic est per seipsam commensurata eidẽ fini. Adde, quòd quia (vt probauimus in hac disp. §. 6. dubio quinto præcipuè a num. 150. a fol. 401.) prædictum iudicium, non solùm directè iudicat de conuenientia actionis ad certum finem, quòd, scilicet, hoc, vel illud sit agendum, seu conueniens agere ad illum finem: sed etiam reflexè iudicat de seipso, quòd, scilicet, ita est conueniens iudicare, seu ita est iudicandum: ideo est, quòd tale iudicium, non solùm commensurat, & ordinat ad finem actionem, de qua iudicat: sed etiam seipsum ad actionem, & mediante actione ad finem, & sic est suo modo; non solùm mensurans actionem: sed etiam mensurans seipsam ad finem.

Predictæ rationes vrgentur in Aduersarios; eisque omnis fugiendi via occluditur.

1763

Probatur quòd Aduersarij coguntur asserere, actiones voluntatis liberas, vel non esse propter finem, vel non esse liberas.

29 EX prædictis rationibus modò apparet, quòd Aduersarij, remouentes à liberis actibus voluntatis, siue creatæ, siue increatæ, iudicium practicum, voluntatem ordinans, & determinans ad aliquem certum finem, ponentesque, voluntatem determinari ad actionem liberã à seipsa per hoc, quòd, supposito iudicio indifferenti, repræsentante vtranque partem ex oppositis, vt possibilem fieri, elicit hanc, non illam, coguntur asserere, vel quòd voluntas actionibus, seu actibus illis (quos Aduersarij existimant liberos) non agit propter finem, quod repugnat omni habenti aliquam actionem, & maximè agentibus liberis, quæ non agere propter certum finem hoc ipso euidentem contradictionem inuoluit, quòd talia sunt agentia à proposito. Vel, si agit propter finem, tales actiones non sunt liberæ. Et hoc sic apparet. Nam tales actiones, seu actus qui (vt ipsi volunt) procedunt à voluntate, nullo eam determinante iudicio, vel sunt commensurati, & ordinati ad aliquẽ certum finem; vel non. Si non: sequitur, quòd agens prædictis actionibus, seu actibus, non agat propter aliquem certum finem: cùm actiones, seu actus, quibus aliquid agit ad aliquem certum finem, debeant esse commensurati, & ordinati in talem finem. Si sic: debet inueniri principium, quod tales actiones, seu actus cõmensurauit, & ordinauit ad certum finẽ; quod quidem non potest esse aliud; nisi aliqua cognitio intellectus, qui solus cognoscit finem, rationem finis, & proportionem agendorum ad finem, quod requiritur ad hoc, quod suo actu commensuret, & ordinet, actionem ad talem certum finem, seu quòd suo actu efficiat, vt actio sit commensurata, & ordinata in talem finem. Et tunc, hoc ipso, quòd cognitio, commensurans, & ordinans actionem ad certum finem, ponitur non esse in eodem agente, sequitur, quòd tale agens non præstituat suæ actioni finem, nec determinat sibi actionem ad finem: cùm non habeat in seipso principium ordinans, & commensurans suam actionem ad finem; & ita sequitur, quòd non sit agens liberũ, nec habens in sua potestate determinationem suæ propriæ operationis, nec habens in eadem proprias operationes dominiũ: cum non possit propria cognitione, & iudicio proprias operationes gubernare. Gubernatio enim est actus rationis disponentis de rebus gubernatis, & in re nostra est actus rationis disponentis de propriis operationibus voluntatis, & consistit in iudicio practico, disponente, quòd talis actio sit agenda; alia verò non, per quod voluntas disponit proprias actiones.

1764

Non potest determinatio agentis à actione aliquam fieri à iudicio indifferenti excogitato à Recentiibus.

30 Porrò dici non potest, quòd commensuratio, & ordinatio actionis, seu actus liberi voluntatis ad certum finem, fiat à iudicio illo indifferenti, quod Aduersarij credunt necessarium ad liberos actus. Nam ad hoc, vt posset dici, quòd commensuratio, & ordinatio alicuius actionis, seu motus, ad certum finem, fiat ab aliquo iudicio, seu cognitione alicuius intellectus, oporteret, (vt demonstrauimus num. 14. huius §.) quòd talis actio, seu actus, & motus, procederet, seu esset à tali iudicio, & cognitione, sicut procedit motus mobilis à forma agentis, quæ est mensura, & ordinatio sui effectus, seu talis actionis, seu motus. Sicut ad hoc vt commensuratio motuum artificis, eiusque instrumentorum, sit à iudicio, & cognitione artificis, oportet, quòd tales motus procedant à tali iudicio, & cognitione, quæ est actiua commensuratio, & ordinatio eorundem motuum. At verò nec ponitur ab Aduersarijs, nec absolutè poni potest, quòd motus, & actus liber voluntatis procedat, & sit secundùm hunc modum à iudicio illo indifferenti, excogitato ab Aduersarijs; benè tamen à iudicio prac-

Digitized by Google

tico, & imperio, de quo, ex doctrina D. Thomæ, & Aristotelis, ac etiam ex ipsa experientia conuicti, nos agimus. Non ergo potest dici, quòd commensuratio, seu ordinatio actus, seu motus liberi ad certum finem, fiat à iudicio illo indifferenti; benè tamen à iudicio practico, & 1765 imperio, de quo nos agimus.

Probatur minor.

31 Maior patet, ex his, quæ diximus num. 14. Nam id, quod est secundùm suam intrinsecam virtutem, & efficaciam commensuratum, & ordinatum ad alterum, non potest suam commensurationem, & ordinationem habere; nisi ab eo, à quo est, & procedit, formaque, per quam procedit sit mensura, & ordinatio actiua eius, quod ab ipsa procedit. Oportet enim, quòd forma agentis, seu mouentis præhabeat id, quod per ipsam communicatur motui, seu ei, quod ab ipsa procedit. Minor verò, inquantum dicit, quòd ab Aduersarijs non ponitur, quòd actus liber voluntatis secundùm prædictum modũ procedat à iudicio indifferenti, ab eisdem excogitato, est euidens, repugnatque suis positionibus. Nam si aliquis actus voluntatis, commensuratus, ordinatus, & determinatus ad aliquem certum finem, procederet secundum prædictum modum à iudicio illo indifferenti; prædictum iudicium esset, attentis dictis eorundem Aduersariorum, causa procedens vsum nostræ libertatis; determinaretque voluntatem ad actum illum commensuratum certo fini, qui ab ipso iudicio in ipsam voluntatem procedit quod quidem secundùm eosdem Aduersarios repugnat libertati. Quod autem absolutè repugnet a prædicto iudicio indifferenti procedere in voluntatem actum aliquem commensuratum, & ordinatum certo fini, ex eo patet: quia nulla posset assignari ratio, cur à tali iudicio procedat hic actus commensuratus tali fini; & non oppositus; cum tale iudicium secundùm Aduersarios iudicet, vtramque partem ex oppositis indifferenter posse esse conuenientem fini, seu fini non repugnare. Denique vltima minoris pars, puta, quòd benè talis actus potest procedere à iudicio practico, & imperio, de quo agimus, iam patet ex dictis.

Motum voluntatis cõmensurari ad finem à iudicio indifferenti repugnat dictis Aduersariorum.

1766

Commensuratio actus voluntatis ad certum finem nõ potest esse ab alio actu voluntatis independenter à iudicio intellectus.

32 Tandem minimè dici potest, prædictam commensurationem, & ordinationem actus, seu motus liberi voluntatis ad certum finem fieri per aliquem actũ voluntatis independenter à iudicio intellectus, vt ab operatione ministri, seu instrumenti coniuncti in eodem agente. Nam est proprium munus intellectus mensurare, & ordinare, cuius est percipere, & apprehendere terminos, & proportiones rerum, & in re, de qua agimus, cuius est apprehendere rationem finis, eamque assumere, vt mensuram, ad inuenienda proportionata, & commensurata media ad finem, applicando ipsis rationem finis, & sic percipere proportionem, quæ est inter actionem voluntatis, sibi in eodem agente coniunctæ, & finem, proportionemque proximi finis eligendi ad remotum, seu vltimum, propter quem est eligendus. Et inde est, quòd si qua commensuratio, ordinatio, dispositio, & gubernatio propriarum operationum, seu actuum, & motuum attribuitur voluntati; hoc ideo oportet esse; quia voluntas habet sibi coniunctum in eodem agente intellectum, qui est eius minister, & instrumentum, cuius operatione iuuatur, sicut artifex operatione serræ ad conficiendam arcam, vt diximus disp. præcedenti §. 11. nu. 4. fol. 254. & num. 8. fol. 256. & explicauimus §. 13. sequenti a num. 61. ad 73. a fol. 277. ad 279. Vnde voluntas ex vi volitionis finis applicans intellectum ad inueniendo proportionata media, quibus est ad eundem finem, determinat seipsam, & præstituit finẽ suis propriis actibus, seu motibus, commensurans, ordinans, disponens, & gubernans eos per iudicium intellectus, ab ipsomet intellectu inuentum per rationem finis, seu per collationem ad finem.

denter à iudicio intellectus.

§. X.

Proponitur secunda, ratio conclusionem resolues in illud principium per se notum. Vnũquodque agit, inquantùm est in actu per formam.

1 SEcundam rationem (quam sequenti præfecimus: quia procedit ex vniuersaliori principio) desumpsimus ex doctrina Angelici Præceptoris, quam sæpiùs supra disp. præcedenti §. 5. & 6. contra vtranque classem Recentium inculcauimus, eamque retulimus in hac disp. §. 6. num. 134. fol. 396. Hæc ratio sic formari potest. Vnumquodque agit, inquantùm est in actu per formam. Ergo oportet, quòd forma, qua agens est in actu, sit proprium principium, seu causa, ad quam sequitur actio, seu operatio eiusdem agentis. Ergo oportet, quòd secundum modum formæ, qua agens oportet esse in actu, sit modus actionis, seu operationis sequentis formam. Ergo oportet, quòd, si alicuius agentis actio, seu operatio talem modum essendi habeat, vt sit in potestate, & dominio ipsius agentis, forma, qua idem agens oportet esse in actu, & à qua sequitur sua actio, & operatio,

1767

Secunda ratio in forma.

Digitized by Google

tio, fit ab eodem agente. Ergo si alicuius agentis actio, seu operatio, est in potestate eiusdem agentis, puta libera; oportet, quòd forma, qua tale agens debet esse in actu, & à qua sequitur talis actio, seu operatio, existens in suo dominio, seu libera, sit per iudicium practicum, & imperium, de quo agimus.

1768

2 Hunc discursum expendimus disp. præcedenti §. 6. à nu. 140. ad 143. fol. 398. Et primum quidem antecedens est propositio immediata, & per se nota: sicut etiam primum consequens, quod solùm explicat ly *inquantùm*, positum in antecedente, vt reduplicat proprium principium, seu causam, ex qua, seu ex quo, aliquid habet, quòd sit agens, seu ad quam sequitur actio, seu operatio agentis. Vnde est illud vulgatum axioma: *Operatio, seu actio, sequitur formam*. Sequitur, inquam, sicut ad causam hoc ipsò, quòd forma ponitur esse actu in aliquo; si tamen operatio, seu actio non indiget aliquo extrinseco, in quo recipiatur, vt optimè aduertit S. Doctor lib. 2. contra gen. cap. 30. paulò post medium, vbi post verba relata disp. præcedenti §. 20. num. 22. fol. 246. quæ, & infrà sequenti num. referemus, sic habet. *Differenter hoc accidit in actione, quæ in ipsa agente manet, sicut intelligere, & velle, & in actione, quæ in alterum transit, sicut calefacere. Nam in primo genere actionis sequitur ex forma, per quam agens fit in actu, necessitas actionis ipsius &c. In secundo autem genere actionis sequitur ex forma necessitas actionis, quantùm ad virtutem agendi. Si enim ignis est calidus, necessarium est, ipsum habere virtutem calefaciendi: tamen non necesse est, ipsum calefacere, eo quòd ab extrinseco impediri potest.* Si autem nullum impedimentum adest, siue ex agente extrinseco, siue ex indispositione eius, in quo debet recipi actio, sequitur ex forma, qua agens est in actu, actio ipsa ex necessitate, vel absoluta, vel ex suppositione, vt parùm infra S. Doctor concludit, inquiens. *Ex prædictis igitur patet, quòd necessitas, quæ est ex causa agente, in quibusdam dependet ex dispositione agentis tantùm,* (scilicet in ijs, quorum actiones manent in ipsis agentibus) *in quibusdam verò ex dispositione agentis, & patientis,* (scilicet in ijs, quorum actiones transeunt in externam materiam. *Si igitur talis dispositio, secundùm quam de necessitate sequitur effectus, fuerit necessaria, & absoluta in agente, & patiente, erit necessitas absoluta ex causa agente, sicut in ijs, quæ agunt ex necessitate, & semper. Si autem non fuerit absolutè necessaria; sed possibilis remoueri, non erit necessitas ex causa agente; nisi ex suppositione dispositionis vtriusque, debitæ ad agendum.*

Primū antecedens est propositio immediata.

Operatio sequitur formam, hoc ipso, quòd ponitur in actu, si operatio non indiget extrinseco subiecto, in quo recipiatur.

3 Itaque primum antecedens est propositio immediata; quia proprium principium, seu causa, ex qua aliquid habet, quòd sit agens, seu ex qua habet, quòd procedat ab eo actio, seu operatio, est forma, qua est in actu. Sicut hæc propositio: homo est risibilis, inquantùm est rationalis; est immediata; quia proprium principium, seu causa, ex qua homo habet, quòd sit risibilis, est rationalitas. Vnde necessitas consecutionis actionis, seu operationis à forma, qua agens est in actu, est sicut illa, qua accidentia propria consequuntur ex principijs formalibus, seu essentialibus, vt habet S. Thomas ante verba supra relata. Inquit enim: *Necessitas verò agentis consideratur quantùm ad ipsum agere, & quantùm ad effectum consequentem. Prima autem necessitatis consideratio similis est necessitati accidentis, quam habet ex principijs formalibus. Sicut enim aliqua accidentia ex necessitate principiorum essentialium procedunt, ita actio ex necessitate formæ, per quam agens est in actu.*

1769

Explicatur, qualiter primū antecedēs est propositio immediata.

1770

4 Est etiam dictum antecedens per se notum, inquantùm apparet, cognitis terminis. Et quidem ly *vnumquodque* propriè significat suppositum, cuius propriè est esse, seu per se esse, & subsistere. Hoc enim propriè dicitur agere, & operari. Vnde est vulgatum axioma, quòd, *Actiones sunt suppositorum*. Ex quo fit, quòd si ad alia transferatur, sit minùs propria locutio, debeatque transferri, proportione seruata, quam habet id, in quod trasfertur, ad suppositum agens. Et ita, si dicatur: Vnumquodque agit, inquantùm est in actu per formam; sed calor agit (impropria est hæc locutio) dū aliquid ab eo calefit. Ergo calor est in actu per formam. Non valet. Quia calor dicitur agere, vt id, quo calidum calefacit, seu vt forma, qua est in actu suppositum calefaciens, ratione cuius ab eo emanat actio; ac per hoc non oportet, vt calor sit in actu per formam, ad hoc, vt ei tribuatur actio; sed solùm vt sit forma, qua est in actu suppositum calefaciens.

Explicatur qualiter sit per se notum.

1771

5 Porro transferri potest (licèt semper impropria sit locutio) ad formas naturales, ad actiones, & inclinationes, seu appetitus, sequentes easdem formas, ad potentias cognoscitiuas, seu apprehensiuas, ad potentias appetitiuas, & ad operationes, seu motus, & actus earundem potentiarum. Horum omnium, potentiæ apprehensiuæ, siue partis sensitiuæ, siue intellectiuæ, habent quandam proportionem cum suppolitis agentibus; quia sicut hæc fiunt in actu per aliquas formas ad agendum, ita tales potentiæ indigent formis

Explicatur qualiter possit in analogo sensu trasferri ad alia.

Digitized by Google

mis intentionalibus, seu speciebus, fiantque in actu per ipsas, ad hoc, vt prorumpant in suas operationes. Vnde ad intelligendum non sufficit supposito substantiali, habere potentiam intellectiuam, vt formam, qua est in actu; sed etiam requiritur, vt ipsa potentia intellectiua sit in actu per formam, sibi proportionatam; & ita intelligat per intellectum, factum in actu per suam propriam formam. Ex quo fit, quòd, loquendo de potentijs apprehensiuis, est verum cum aliquali proprietate, quòd ipsæ agunt, inquantùm sunt in actu per formam, & hoc inquantùm prædictæ potentiæ non sunt cõpleta principia, quibus supposita subsistentia operantur; nisi inquantùm ipsæ sunt, in actu per suas proportionatas formas. Formis verò intentionalibus, prædictis potentijs impressis, quibus, factæ in actu, prorumpunt in suas operationes, conuenit agere illo simili modo, quo præcedenti numero diximus conuenire calori, alijsque formis naturalibus, quibus conuenit agere, quatenus sunt, quo aliquid constituitur in actu, ad agendum.

1772 6 Et hinc fit, quòd; quia actiones, & inclinationes naturales sequuntur formas naturales, supposítis tamen causis superioribus, vt explicuimus disp. præcedenti §. 20. à num. 8. ad 16. á fol. 242. ad 244. si prædictum principium transferatur (licet satis impropriè) ad dictas inclinationes, & actiones naturales, subsumaturque sub eo, quòd actiones, & inclinationes naturales agunt, non debet inferri: ergo sunt in actu per formam; sed: ergo sunt à forma, qua agens est in actu, sic enim conuenit, actioni, & inclinationi naturali agere.

1773 7 Aduerte hic circa hæc agentia naturalia, quorum actiones sunt ad mouendum, suntque subordinata per se primis corporibus, scilicet, cœlestibus, quòd per formas permanentes non constituuntur sufficienter in actu ad actionem, qua agũt mouendo. Cum enim tota series agentium, per se ordinatorum ad aliquem effectum, se habeat veluti vnum completum agens, coalescens ex omnibus sub illo ordine constitutis; fit inde, quòd forma, qua constituitur tale agens ad agendum, debeat esse vna secundùm ordinem. Et hinc sequitur, quòd ad habendam actionem in vltimum effectum, nec agens intermedium per suam formam permanentem est completè in actu; nisi inquantùm stat sub ordine superioris, seu primi; nec agens superius vsque ad primum in genere, seu obligatum ad talem ordinem (quod dico, vt excludam Deum, qui est supra omnes ordines) est sufficienter in actu ad dictam actionem in vltimum effectum; nisi inquantùm habet sub suo ordine inferiora mouentia. Forma autem, quæ est vna secundùm ordinem in inferioribus mouentibus coalescit ex forma permanenti veluti parte materiali, & ex motu ordinante, veluti parte formali. Vnde sicut agens per plura instrumenta ordinata sibi necessaria sub illo ordine ad aliquem effectum, non dicitur esse completè in actu per virtutem suæ formæ; nisi inquantùm talis forma habet virtutem diffusam, per omnia instrumenta ordinata; nec instrumenta per suas formas instrumentales; nisi inquantùm subordinantur agenti principali, participando ab eo motum, & per motum virtutem formæ principalis agentis, quæ se habet ad virtutem instrumentorum, vt formale ad materiale. Ita in prædictis agentibus, per se ordinatis in ordine ad actionem producentem vltimum effectum: nec primum in genere, vt est Intelligentia, mouens Cœlos, est completè potens per suam formam, si sit præcisa à diffusione suæ virtutis in inferiora mouentia, quam in ea diffundit per motum: nec intermedia mouentia, vsque ad infimum, per suas formas permanentes, si sint præcisæ à virtute formæ superioris, participatæ per motum. Sic ergo omnia intermedia mouentia, qualia sunt omnia sublunaria, constituuntur in actu ad agendum, non per solam formam permanentem, quæ est pars materialis principij motiui, estque instrumentalis tantùm, vt ex D. Thoma notauimus disp. præcedenti §. 20. num. 11. fol. 243. sed per formam permanentem, participantem virtutem superioris agentis per motum, per quem ordinatur tota series agentium ad actionẽ in vltimam effectum.

Prædicta agentia non sunt completè in actu per formã permanẽtem; sed indigens motu sibi impressò à superioribus causis.

Aduertentia circa ea, quæ agunt mouendo.

1774 8 Amplius considerari debet doctrina S. Thomæ lib. 2. con. gent. cap. 30. parùm post verba relata primo loco num. 2. huius §. qua circa hoc principium: *Vnumquodque agit, inquantùm est in actu per formam*, pro vt se extendit ad plura agentia, quæ simul vniuntur ad vnam actionem, sicut plures trahunt nauim, sic adnotat. *Nec ad propositum differt, vtrum agens sit vnus tantùm ad actionem sufficiens per suam formam, vel oporteat multos agentes ad vnam actionem agendã congregari, sicut multi homines ad trahendam vnam nauim. Nam omnes sunt vt vnus agens, qui fit actu per adunationem eorum ad actionem vnam.* Sed sint hæc adnotata pro intelligenda doctrina S. Thomæ circa prædictũ principium.

Notabile ex doctrina S. Thomæ.

1775 9 Denique si transferatur dictũ principium ad potentias appetitiuas habentiũ cogni-

Digitized by Google

cognitionem, siue saltim sensitiuam, vt bruta; siue etiam intellectiuam, vt homo; tunc aduerti debet, quòd sicut eorum virtutes appetitiuæ sunt radicatæ in apprehēsiuis, eaſque conſequuntur, ſicut paſſiones eſſentiam, ita earum operationes, ſeu actiones, quæ ſunt quædam actuales inclinationes in res apprehenſas, conſequuntur formam apprehenſam conuenientis, vel nociui, qua fit in actu potentia apprehenſiua: propter quod ipſæ potentiæ apprehenſiuæ, quatenus ſunt in actu per dictam formam apprehenſam dicuntur mouere, & reducere in actum potentias appetitiuas. Et hinc fit, quòd potentia appetitiua dicitur agere, inquantùm eſt in actu per formam, propter hoc, quòd habet ſuam actionem, ſeu operationem, qua actualiter inclinatur, procedentem à forma apprehenſa, quæ eſt in actu potentia apprehenſiua; ad quam formam dicta inclinatio ſequitur, ſeu ab ea procedit, ſicut à mouente, ſeu reducente ipſam potentiã appetitiuam in actum. Sicut enim ipſum animal apprehendens bonum, vel malum, ſeu conueniens, vel nociuum, ex vi talis apprehenſionis habet in parte appetitiua motum proſecutionis, vel fugæ, & ſic ex vi formæ apprehenſæ per talem apprehenſionem, qua eſt in actu ſua virtus apprehenſiua, dicitur ſuo modo mouere ſeipsũ, & moueri à ſeipſo ad motum proſecutionis, vel fugæ, qui eſt in parte appetitiua. Et ſic mouet ſeipſum, inquantùm eſt in actu per formam, propriè loquendo. Ita virtus appetitiua dicitur agere, ſeu appetere, & inclinari, impropria locutione, quatenus eſt in actu per formam, inquantùm ſuus motus appetitionis, ſeu ſua inclinatio ſequitur formam apprehenſam, ab eaque procedit, vt à mouente ipſam potentiam appetitiuam. Tandem ſi dictum principium transferatur ad actiones ipſas, ſeu operationes appetitus, dicendum eſt, vt num. 6. diximus de actionibus formarum naturalium.

1776 10 Itaque (vt diximus) prædictum antecedens propriè intelligitur de ipſo agente, vt quod, ſeu de ſuppoſito. Quod dicitur agere, *inquantùm eſt in actu per formam*; non quia ad omnem formam, qua aliquid eſt in actu, ſequitur aliqua actio, ſeu operatio (hoc enim eſt falſum, cum euidens ſit, quantitatem in corporalibus non eſſe actiuam, & in ſpiritualibus, formas apprehenſas intellectu ſpeculatiuo) ſed quia omnis actio, ſeu operatio ſequitur aliquã formam, qua aliquid eſt in actu, vt ad proprium principium. Hinc S. Doctor loco, num. 5. huius §. cit. ſuam rationem incepit, inquiens. *Principium cuiuslibet operationis eſt forma, qua aliquid eſt in actu; cum omne agens agat, inquantùm eſt in actu per formam*: vt ſignificaret, quòd hoc eſt verum, & contentum in principio aſſumpto, ſcilicet, quòd principium cuiuslibet operationis eſt forma; non autem quòd omnis forma ſit principium alicuius operationis. Hoc autem modo intellecto prædicto antecedenti aſſumpto (vt diximus) eſt per ſe notum, & vt tale aſſumitur paſſim ab omnibus, eſtque à nobis, & à D. Thoma in hac ratione aſſumptum. Primum verò conſequens eandem continet euidentiam, vt diximus num. 2.

Probatur ſecunda, & tertia conſequentia.

1777

11 SEcunda verò conſequentia, videlicet; *Ergo oportet, quòd ſecundùm modum formæ, qua oportet agens eſſe in actu, ſit modus operationis, ſeu actionis, ſequentis formam*, quam ſub eiſdem terminis deduxit ex eodem antecedenti Angelicus Præceptor, probata fuit à nobis in hac diſputatione §. 6. num. 140. & 141. fol. 398. nec oportet aliquid addere. Tertia autem conſequentia, quæ immediatè ex ſecundo conſequenti ſequitur, nempe: *Ergo oportet, quòd, ſi alicuius agentis operatio, ſeu actio, talem modum eſſendi habet, vt ſit in poteſtate, & dominio ipſiuſmet agentis, formæ, qua ipſum agens oportet, eſſe in actu, & à qua ſequitur ſua actio, ſeu operatio, ſit ab eodem agente*, probata etiam fuit à nobis ibidem num. 42. Quatenus probauimus, quòd ex eo, quòd *ſecundùm modum formæ eſt modus operationis, ſequentis formam*, & ex eo quod ad ipſam rationem agentis liberi pertinet habere dominium ſuæ operationis, rectè inferuntur illæ duæ propoſitiones S. Doctoris, puta: *Forma igitur, quæ non eſt, ab ipſo agente per formam, cauſat operationem, cuius agens non eſt Dominus*: & quòd, *Si qua fuerit forma, quæ ſit ab eo, qui per ipſam operatur, etiam conſequentis operationis dominium habebit*. Nam ſi ex eo, quòd, *ſecundùm modum formæ eſt modus operationis, ſequentis formam* (quòd idem ſignificat, vt loco cit. num. 141. notauimus, quòd hæc duo alia axiomata, in ſolis verbis diſtincta, puta: *Modus actionis eſt ſecundùm modum actus*: & *Modus operandi ſequitur modum eſſendi*) ſequitur, quòd modus formæ, & actus, quo debet eſſe in actu agens, habens dominiũ ſuæ operationis, eſt, quòd ſit ab eodem agente, qui agit per talem formam, & ſi datur talis forma, qua agens agit, datur agens, habens dominium ſuæ operationis; & aliàs non datur: Iam inde rectè infertur, quod ſi aliqua agentis actio expoſcit,

Referũtur loca, vbi ſecũda, & tertia conſequentia probantur.

vt

vt sit in dominio, & potestate agentis, forma, qua debet esse in actu tale agens, debet esse ab eodem agente.

1778 12 Et sanè talis consequentia est omnino necessaria. Nam modus formæ, à qua, vt a proprio principio, & causa, procedit operatio, seu quæ causat operationem, cuius agens est dominus, alius esse non potest, nisi iste, secundùm quem est ab eodem agente, quod agit per talem formam. Nam si, ex vna parte, ponimus, quòd proprium principium, seu causa cuiuslibet operationis est forma, qua agens est in actu; ac per hoc ponimus, quod operatio consequitur ad talem formam; cum effectus sit consequens suum proprium principium, & causam: Et ex alia parte poneremus, talem formam, cuius est consequens operatio, & qua agens sit in actu, non esse ab eodem agente; sed esse illi illatam ab aliquo alio agente: inde euidenter sequeretur, talem operationem non esse in potestate eius, qui est in actu, & operatur per talem formam, à quo non est ipsa forma; sed in potestate alterius agentis, quod infert formam. Nam, si illud infert formam, quam consequitur operatio, istud, quod recipit ab illo formam, sit in actu agens, & operans; si verò non infert; istud sit non agens, & non operans. Istud denique, à quo non est forma, quam consequitur operatio, non habet potestatem inferendi sibi talem formam, & sic non habet potestatem efficiendi se agens, & operans, & ex consequenti neq habebit potestatem efficiendi se non agens, & non operans, & sic non erit in sua potestate agere; & non agere, operari, & non operari, quod requiritur ad hoc, vt quis habeat dominium suæ operationis.

Probatur necessitas prædictæ consequentiæ; quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis.

Probatio vltimæ consequentiæ.

1779 13 VLtima denique consequentia, puta: *Ergo, si aliqua operatio alicuius agentis est libera, oportet, quòd forma, qua tale agens debet esse in actu, & per quam operatur, sit in eodem agente per iudicium practicum, & imperium, de quo agimus*, pendet ex proximo consequenti, iam probato, & ex eo, quòd in ordine ad prædictam operationem nulla alia forma dari potest, quæ sit ab eo, quod per eam fit in actu, & per eandem operatur; nisi forma boni; vel mali, seu conuenientis, vel nociui, apprehensa ab eodem agente per iudicium practicum, & imperium, de quo agimus. Etenim si sub præcedenti consequenti, puta: *Oportet, quòd si alicuius agentis actio, seu operatio, talem modum essendi habet, vt sit in potestate, & dominio ipsius agentis, forma, qua ipsum agens debet esse in actu, & à qua sequitur ipsa sua actio, seu operatio, sit ab eodem agente*, subsumatur: *Sed in ordine ad dictam operationem nulla alia forma dari potest, quæ sit ab eo, quod per eam fit in actu, & à qua procedit operatio, nisi forma boni, &c. apprehensa ab eodem agente per iudicium practicum, & imperium, de quo agimus*: consequens, quod inde sequitur, est ipsissima conclusio probanda. Sumpta: *Ergo, si alicuius agentis actio, seu operatio, talem modum essendi habet, vt sit in potestate, & dominio ipsius agentis, puta, libera, forma, qua ipsum agens debet esse in actu, & à qua sequitur ipsa sua actio, seu operatio, sit forma boni, vel mali, &c. apprehensa ab eodem agente per iudicium practicum, & imperium, de quo agimus.*

Hæc consequentia sequitur ex priori, & ex eo, quòd nulla alia potest dari forma, quæ sit ab eodē agēte, &c.

1780 14 Quare solùm remanet probandum subsumptum. Hoc autem in primis patere potest ex iis, quæ notauimus contra vtranque classem Recentium disp. præcedenti §. 6. a num. 1. ad 6. a fol. 160. ad 161. & in præsenti disp. §. 6. à num. 136. ad 140. fol. 397. Potest secundò in forma demonstrari à sufficienti diuisione. Pro qua debet primò in memoriam reuocari doctrina Angelici Præceptoris, cuius meminimus disp. præcedenti §. 21. à num. 2. ad 7. à fol. 247. Similiter illa eiusdem S. Præceptoris doctrina, qua docet, quod omnis inclinatio sequitur aliquam formam, siue naturalem, siue apprehensam per sensum, vel intellectum vt habes loco proximè cit. num 6. fol. 248. & §. 23. num. 90. fol. 283. Idque adnotant Salmaticenses 1. 2. Trac. x. disp. 1. Dub. 1. num. 3. his verbis, *Nota secundò, quòd omnis inclinatio consequitur aliquam formam, &c.* Itaque secundùm citatam S. Thomæ doctrinam, Formarū, quas consequitur aliqua inclinatio in rebus, quædam habent modum essendi naturalem, vt grauitas, & leuitas; & has consequitur inclinatio naturalis, vt motus sursum, & deorsum. Quædam habent modum essendi apprehensum, secundùm illum modum, quo consueuit dici, quòd cognoscentia, hoc ipso, quòd apprehensiua, & cognoscitiua sunt; non solùm habent formas proprias naturales, per quas constituuntur in aliquo esse naturali, habentque per eas inclinationes naturales; sed etiam formas aliarum rerum, quas apprehendunt, per quas fiunt alia in esse apprehenso, inclinanturque in res apprehensas, vt patet ex locis S. D. relatis locis proximè citatis.

Reuocantur ad memoriam loca S. Doctoris faciēntia ad propositum.

1781 15 Et circa hoc notari debet, quòd, sicut in intellectu speculatiuo, apprehendente res naturales, dicuntur esse formæ naturales in esse apprehenso: ita in intellectu practico, e.g. artificis dicuntur esse, siue

Inculcatur idoneū exemplum ad propositum.

Digitized by Google

siue in habitu, siue in actu, formæ apprehensæ rerum artificialium. Et similiter in intellectu practico affectiuo, apprehendẽte bonum, & malum, conueniens, & nociuum, in quo est recta ratio agibilium, quæ est prudentia, & etiam non recta, quæ spectat ad vitia opposita eidem prudentiæ, dicuntur esse formæ apprehensæ boni, vel mali, conuenientis, vel nociui; seu formæ apprehensæ agibilium. Sicut & in sensu, qui est potentia æstimatiua, seu imaginatiua animalium, qua apprehendunt conuenientia, vel nociua, dicuntur esse formæ sensatæ, vel imaginatæ, vt patet ex verbis S. Thomæ, mox num. 18. subijciendis.

1782 16 Amplius considerari debet, quòd inter formas boni, vel mali, conuenientis, vel nociui, apprehensas ab intellectu, inuenitur differentia. Nam quædam sunt adinuentæ, & apprehensæ collatiuè, & facta discussione causæ, seu conferendo ad aliquem finem: quædam verò non sunt adinuentæ; sed apprehensæ nulla facta collatione ad finem. Et circa hoc vide loca D. Thomæ disp. 1. §. 11. num. 19. fol. 117. & disp. 2. §. 22. num 6. fol. 255. Denique debet considerari discrimen, quòd ex eodem S. Doctore notauimus eadem disp. 2. §. 24. à num. 10. ad 21. a fol. 287. inter formam apprehensam per simplex dictamen conscientiæ, & formam apprehensam per dictamen liberi arbitrij.

Alia considerandæ ex doctrina S. Thomæ.

1783 17 His consideratis, prædictum subsumptum patet ex sufficienti diuisione, sic. Nam forma, per quam aliquod existens in actu, ab eaque procedit aliqua actio, seu operatio, aut habet modum essendi naturalem, vel apprehensum: & si apprehensum, aut per sensum, aut per intellectum. Et si per intellectum, aut est de factibilibus, aut de agibilibus: Et si de agibilibus, aut non est adinuenta per industriam intellectus, & facta collatione ad finem aliquem, aut est secundùm hunc modum adinuenta. Et si est de agibilibus per industriam intellectus adinuenta, facta collatione ad aliquem finem, vel procedit ex fine, cui voluntas eiusdem agentis, habentis intellectum, non inhæret, vel procedit ex fine, cui voluntas eiusdem agentis inhæret. Sed in ordine ad operationem liberam, quæ est in dominio agentis, nulla ex enumeratis formis, excepta vltima, potest esse ab eodem agente, quod per eam fit in actu, & à qua procedit operatio. Vltima autem importat formam boni, vel mali apprehensam ab eodem agente per iudicium practicum, & imperium, de quo agimus. Ergo in ordine ad operationem liberam nulla alia forma, excepta forma

Probatur consequentia à sufficienti diuisione.

boni, vel mali &c. apprehensa ab eodem agente per iudicium practicum, & imperium, potest esse ab eodem agente, quod per eam fit in actu, & à qua procedit operatio libera, & quæ est in dominio agentis.

1784 18 Maior huius discursus est sufficiens enumeratio cuiuslibet generis formæ, à qua, agentibus per eam factis in actu, procedit aliqua actio, seu operatio. Minor verò probatur, excludendo omnes alias formas ex enumeratis, præter vltimam. Porrò formæ, quibus fiunt in actu agentia naturalia, quæ, scilicet, habent modum essendi naturalẽ, non possunt esse ab eisdem agentibus, quæ per tales formas agunt. *Formæ enim naturales* (verba sunt S. Doctoris relata §. 3. huius disp. num. 134. fol. 396.) *non sunt ab ipsis, quorum sunt formæ; sed ab exterioribus agentibus totaliter: cum per formam naturalem vnumquodque habeat esse suæ naturæ: nihil autem possit sibi esse causa essendi.* Amplius, non potest esse aliqua forma, apprehensa per iudicium virtutis sentitiuæ, qualiter sunt formæ apprehensæ, mouentes appetitum brutorum. *Nam* (verba sunt eiusdem S. D. relata eodem loco) *in animalibus brutis formæ sensatæ, vel imaginatæ, mouentes, non sunt adinuentæ ab ipsis animalibus brutis, sed sunt receptæ in ipsis ab exterioribus sensibilibus, quæ in sensum agunt; & diiudicant per naturalem æstimatiuam. Vnde, licèt quodammodo dicantur mouere seipsa, inquantùm eorum vna pars est mouens, & alia mota; tamen mouere non est eis ex seipsis; sed partim ex exterioribus sensatis, & partim à natura.*

Probatur minor, excludendo omnes formas, præter vltimã.

Excluditur forma naturalis.

Excluditur forma apprehensa per sensum.

1785 19 Præterea, non potest esse forma apprehensa ab intellectu de factibilibus; quia actiones liberæ, quarum debet esse principium forma, qua agens est in actu, sunt actiones, seu operationes voluntatis eiusdem agentis, quæ non sunt factibilia, quorum forma per quam agens est in actu, & à qua ipsa procedunt, appellatur ars; sed agibilia nominantur, quorum forma apprehensa, si sit recta ratio, appellatur prudentia; si verò non sit recta, est aliquod vitium prudentiæ oppositum. Insuper non potest esse forma apprehensa ab intellectu de agibilibus, quæ non est per industriam intellectus inuenta, facta collatione ad aliquem finem; quia hæc non potest absolutè dici, quòd sit ab eo, quod per eam agit. Formæ enim apprehensæ, quæ non sunt ab intellectu per industriam inuentæ, vel sunt apprehensæ naturaliter, vt sunt prima principia, per se nota agibilium, & aliquæ apprehensiones absolutæ quorundam bonorum, conuenientium naturaliter habenti intellectum, vt est sci-

Excluditur forma apprehensa de factibilibus.

Excluditur forma apprehensa, non inuenta ab intellectu per collationem ad finem.

Digitized by Google

re, viuere, esse beatum, non esse miserum, &c. quæ habens intellectum absolutè, & nulla facta collatione ad finem, ex instinctu naturæ iudicat bona, ac per hoc procedunt ab auctore naturæ: vel sunt quædam apprehensiones repentinæ conformes apprehensionibus sensualibus, vt repentina apprehensio, qua delectationes venereæ absoluta apprehensione iudicantur prosequendæ, & hæ suo modo sunt immissæ à sensibus; ac per hoc non possunt dici propriè, quòd sunt ab eodem agente, quod per dictas formas habet motus repentinos velleitatis circa prædicta bona apprehensa; & circa hoc vide loca D. Thomæ, quæ citauimus in hac disp. §. 6. num. 148. fol. 400. & quæ citauimus in hoc §. num. 16.

1786 20 Tandem non potest esse forma apprehensa agibilium, inuenta ab intellectu agentis per collationem ad finem, cui voluntas non inhæret, qualis est forma apprehensa per dictamen conscientiæ, purè, & præcisè acceptum. Quoniam (vt loco cit. num. 16. huius §. ex S. Doctore diximus de dictamine cõscientiæ, & sæpe alibi notauimus) ad prædictam formam non consequitur operatio libera voluntatis, vt pote quia non est perfectè, & vltimatè practica; sed suo modo in pura cognitione consistens, vt patet ex verbis S. D. relatis loco cit. scilicet disp. 2. §. 24. num. 83. fol. 287.

Excluditur forma apprehensa per collationẽ ad finem, cui voluntas non inhæret.

1787 21 Quare remanet, quòd forma, qua debet esse in actu agens, vt ex ea habeat operationem liberam, quæ scilicet est in suo dominio, sit forma apprehensa de agibilibus ad finem, inuenta ab intellectu eiusdem agentis per collationem ad finẽ, cui voluntas eiusdem agẽtis inhæret. Hęc autem est ipsissimum iudicium practicũ, & imperium, de quo agimus, quod nihil aliud est, quàm, conceptio intellectus perfectè practica de agibilibus ad finem, seu ratio perfectè practica agibilium, quæ dividitur in rectam, & non rectam, & recta quidem est actualis prudentia, vt sæpè diximus; non recta verò oppositum actuale vitium. Et hęc quidem conceptio, seu ratio practica agibilium, benè circumscribitur illis verbis; forma apprehensa de agibilibus ad finem inuenta &c. Nam cõceptiones, seu rationes, in intellectu existentes de agibilibus ad finem, sunt conclusiones, seu veluti conclusiones intellectus practici, cuius principia sunt rationes finium: conclusiones autem, seu veluti conclusiones (quod addimus propter intellectum angelicum, & diuinum, in quibus tales rationes non sunt propriè cõclusiones, quæ per discursum acquiruntur, sed cum illis proportionalitatem habent) sunt adinuentæ, siue per discursum, siue per simplicem collationem ad finem: ac proinde, in hoc, quòd dicitur, conceptio, seu ratio agibilium, includitur totum hoc, scilicet, inuenta ab intellectu agentis per collationem ad finem. In eo verò, quod dicitur perfectè practica (quæ tunc talis est, quando est actualiter ordinata ad inducendam operationem) includitur illud, per collationem ad finem, cui voluntas agentis inhæret. Siquidem conceptio, seu ratio prędicta agibilium est perfectè practica, seu inducens in operationem, per hoc, quod procedit ex volitione finis, ac per hoc collatio est facta per ordinem ad finem, cui voluntas inhæret.

Concluditur intentum.

1788 22 Remanet, inquam, hęc sola forma. Siquidem hęc sola in ordine ad operationes, seu motus voluntatis alicuius agentis, quę dicuntur agibilia, est, vt à principio, ab ipsomet agente: Vt pote quia est ab ipsomet agente habente voluntatem per proprium intellectum inuenta, & excogitata; procedit etiam à voluntate eiusdem agentis per volitionem finis; insuper semper est, & durat vt approbata, & electa per actum liberum voluntatis eiusdem agentis; non quidem præcedentem formam, sed formæ prędictæ coexistentem. Est quidem ab agente per proprium intellectum inuenta, & excogitata, sicut formæ artificialium, seu eorum rationes in mente architecti, sunt inuentę, & excogitatæ ab ipso architecto, habentque proprium principium, eius intellectum, ipsas excogitantem, & adinuenientem. Vnde dantur aliqui primi inuentores aliquarum formarum, vt patet in picturis, quæ dicuntur inuentiones, primam originem habentes ab hoc, vel ab illo. Vide quę diximus in hac disputatione §. 6. num. 138. fol. 397. Est à voluntate per volitionem finis; quia talis forma, apprehensa, seu conceptio, & iudicium, habet etiam originem à volitione finis, per quam voluntas eiusdem agentis applicat suum proprium intellectum ad inueniendum, & excogitandum, quid expediat eidem voluntati, seu sit ab ea agendum pro fine volito, quod intellectus facit, conferendo ad eundem finem volitum, eoque vtendo, vt principio, & mensura conuenientiæ actionis, agendæ ab eadem voluntate pro eodem fine. Vnde finis volitus in ordine ad agenda, inuenta pro eodem fine, se habet in appetibilibus, sicut principium indemonstrabile in ordine ad conclusiones intelligibilium, vt sæpe ex Aristotele docet S. Doctor. Amplius, talis forma apprehen-

Explicãtur modi, quibus talis forma est ab eodem agente.

Digitized by Google

prehensa, seu conceptio, & iudicium participat (vt sæpe diximus ex eodem Aristotele, & D. Thoma) efficaciam, ad inducendam voluntatem eiusdem agentis in actum, seu operationem, iudicatam, agendam esse, à volitione finis, ex qua habet vim mouendi voluntatem ad exercitium actus. Tandem semper est, & durat, vt liberè volita, & electa per actum liberum voluntatis eiusdem agentis coexistentem eidem conceptioni, seu formæ, & iudicio, ad quod consequitur; quia (vt probauimus in hac disp. §. 6. dub. quinto, præcipuè a num. 150. à fol. 401.) cùm talis forma sit apprehensa per iudicium, virtualiter reflexum, seu per sententiam, & conceptionem iudicantem de seipsa; ac per hoc, non solùm sit, qua actio, seu operatio voluntatis iudicatur conueniens fini, & agenda; sed etiam, qua ipsummet iudicium, seu sententia, & conceptio iudicatur conueniens, ideſt, quòd ita sit iudicandum: ideo actus, seu operatio voluntatis libera, consequens dictum iudicium, conceptionem, & formam, oportet, quòd non solùm tendat directè in actionem agendam pro fine; sed etiam reflexè in ipsum iudicium, seu conceptionem, eam approbans, eligens, & volens. Considera nunc, quot modis forma, qua est in actu agens, & per quam procedit in actionem, existentem in suo dominio, sit ab eodem agente.

§. XI.

Proponitur tertia ratio S. Doctoris, procedens ex ipsa ratione actus voluntarij.

1789 1 TErtia ratio desumi potest ex discursu S. Doctoris, relato disp. præcedenti §. 23. num. 87. fol. 282, & ex relato in hac disp. §. 7. num. 91. fol. 429. ac etiam ex alijs locis modò infra referendis. num. 6. & 7.

Formatur tertia ratio. Hæc ratio sic formari potest: Proprium principium, ex quo est, quòd aliquis motus, seu actus, & operatio appetitus alicuius agentis sit voluntarius, est iudicium cognitionis, seu apprehensionis, quo ab eodem agente apprehenditur bonum, seu conuenies, in quod tendit per talem motum, seu actum; vel apprehenditur malum, seu nociuum, à quo per talem motum recedit. Ergo secundùm modum iudicij cognitionis, seu apprehensionis, quo ab aliquo agente apprehenditur bonum, vel malum, est modus motus, seu actus voluntarij appetitus eiusdem agentis. Ergo ille motus, seu actus voluntarij appetitus, qui hoc modo est, puta existens in potestate ipsius agentis, seu appetentis, est secundùm quod iudicium cognitionis, seu apprehensionis, quo ab eodem agente apprehenditur bonum, vel malum, in quod tendit, vel a quo recedit per talem motum, seu actum, hoc modo est, puta, existens in potestate eiusdem iudicantis, seu apprehendentis. Ergo oportet, quòd, si aliquod agens habet motum, seu actum, & operationem sui appetitus in potestate sui appetentis, habeat iudicium cognitionis, seu apprehensionis boni, vel mali, in quod per suum appetitum tendit, vel à quo recedit, in potestate sui iudicantis. Ergo oportet, quòd si aliquod agens habet motum, seu operationem sui appetitus, in potestate sui appetentis, puta liberam, habeat iudicium practicum, & imperium, de quo loquimur. 1790

Manifestatur primũ antecedẽs, quod est fũdamentum rationis. 2 Huius rationis antecedens, ex quo prædictæ consequentiæ recto ordine deducuntur, explicat propriam radicem, ex qua est, quòd aliquis motus, seu actus appetitus, qui est ab agente ab intrinseco, sit voluntarius. Illa enim est cognitio, seu apprehensio boni, vel mali existens in eodem agente. Motus enim, seu actus, & inclinatio appetitus voluntarij alicuius agentis (qui exposcit, vt sit ab eo ab intrinseco) per hoc distinguitur à motu, & inclinatione naturali non voluntaria (quæ appellari solet pondus naturæ, & exposcit etiam, vt sit ab intrinseco) quòd motus, seu inclinatio, & operatio voluntaria exposcit in principio intrinseco agentis cognitionem, seu apprehensionem eius, in quod tendit, motus verò, seu inclinatio, quæ est pondus naturæ, exposcit in principio intrinseco carentiam cognitionis, seu apprehensionis eius, in quod tendit motus. Vnde motus voluntarius a non voluntario differt, vt per principium à quo desumitur differentia eorum, quòd voluntarius est à principio intrinseco cũ cognitione: non voluntarius verò est à principio intrinseco sine cognitione: vnde differunt per habere cognitionem, & non habere cognitionem in principio intrinseco; ac per hoc cognitio, seu apprehensio eius, in quod tendit actus, est proprium principium ex quo procedit ratio voluntarij in eodem actu appetitus. Inde motus voluntarius, diffiniri solet, qui est ab intrinseco cum cognitione. Idque apparet ex obiectis vtriusque appetitus. Obiectum enim formale appetitus voluntarij est bonum, vt apprehensum ab ipsomet appetente per iudicium suæ propriæ cognitionis; ita vt ly esse apprehensum per

Digitized by Google

dictum iudicium per se pertineat ad obiectum actus voluntarij. Et inde est, quòd diuersitas obiectorũ secundùm genus apprehensionis, quale est genus apprehensionis sensitiuæ, & intellectiuæ (vtor voce generis largè) diuersificet genus appetitus sensitiui, à genere appetitus intellectiui, vt optimè docet S. Thomas 1. p. q. 80. art. 2. verbis relatis in hac disp. §. 3. nu. 22. fol. 329. At verò obiectum appetitus non voluntarij, seu merè naturalis, & ponderis naturæ, vt est motus deorsum in lapide, est aliqua res secundùm esse reale non apprehensum. Vt optimè Docet S. Thomas de Veritate q. 25. art. 1. in corp. Ita vt hoc, quod est, esse non apprehensum ab appetente, per se pertineat ad obiectum appetitus naturalis. Patet ergo, quòd proprium principium, ex quo est, quòd aliqua inclinatio alicuius agentis sit voluntaria, est iudicium cognitionis, quo appetens cognoscit esse bonum id, in quod inclinatur. Nam si aliquis inclinatur in aliquid ex eo, quòd illud iudicat sibi conueniens, inclinatio est voluntaria. Si verò inclinatur, & inclinationis principium non est cognitio conuenientiæ, seu non inclinatur ex hoc, quòd illud percipit esse sibi conueniens, sed vel ex eo, quòd habet aliquam formam naturalem; vt inclinatur lapis deorsum per grauitatem; vel ex eo, quòd ab extrinseco mouetur, passo non conferente vim, vt inclinatur graue sursum, tunc inclinatio non est voluntaria, sed vel naturalis, vel violenta.

Probatio primæ consequentiæ.

1791

Probatur, quia principiatum debet esse commensuratum proprio, & per se principio.

3 PRima verò cõsequentia illo eodem modo demonstratur, quo §. 6. huius disputationis num. 141. fol. 398. demonstrauimus illam consequentiam S. Thomæ, qua ex eo, quòd *proprium principium operationis est forma, per quam aliquid est in actu*, intulit; *Oportet igitur, quòd secundùm modum formæ sit modus operationis, sequentis formam*. Nam (vt ex Augustino eodem loco concluſimus) modus importat determinationem secundùm aliquam mensuram. At verò principiatum procedit à proprio principio, vt illi commensuratũ, & proportionatum: vnde habens propriũ, & per se principium habet suam determinationem & mensuram, iuxta mensuram, & determinationem sui proprij, & per se principij. Ergo modus procedentis a tali principio, est secundùm modum sui proprij, & per se principij, à quo habet suam determinationem, & mensuram. Sed proprium, & per se principium, ex quo est, quòd aliquis actus, operatio, & motus alicuius agentis sit voluntarius, est iudicium cognitionis, quo ab eodem agente apprehenditur bonum, seu conueniens, in quod tendit per talem motum &c. Ergo secundùm modum iudicij cognitionis, quo ab ipsomet agente apprehenditur bonum, in quod per suum motum voluntarium tendit, est modus voluntarij motus talis agentis.

Probatio secundæ consequentiæ.

1792

Probatur, inferri ex proximo illato consequenti.

4 SEcunda autem consequentia, nempe: *Ergo ille motus, seu actus voluntarij appetitus, qui hoc modo est, puta, in potestate ipsius agentis, seu appetentis, est secundùm quod iudicium cognitionis, quo ab eodem agente apprehenditur bonum, in quod tendit per talem motum, &c. hoc modo est, puta, in potestate eiusdem agentis, seu iudicantis*, patet ex consequenti, proximè illato. Nam, si secundùm modum, quo est iudicium cognitionis apprehensiuum boni, in quod tendit actus, seu motus voluntarius agentis, est modus, quo est ipsemet motus voluntarius eiusdem agentis, ex vna parte: & ex alia, motus voluntarius hoc modo est, puta, in potestate ipsiusmet agentis, sequitur euidenter, quòd iudicium cognitionis boni, in quod tendit ipsemet actus voluntarius eiusdem agentis, hoc modo sit, puta: in potestate ipsiusmet iudicantis. Aliàs modus essendi voluntarij motus, non esset secundùm modum essendi iudicij cognitionis boni, in quod tendit actus voluntarius, vt in præcedenti consequentia intulimus.

1793

Confirmatur auctoritate S. Thomæ.

5 Hinc Angelicus Præceptor perpetuò docuit, quòd ad hoc, vt aliquis sit liberi arbitrij (cuius actus voluntarius exigit, esse in dominio, & potestate sui agentis) requiritur, vt iudicium cognitionis, quod tale agens habere debet de proprijs actibus, sit in dominio, & potestate ipsius iudicantis. Recole verba ipsius S. D. ex lib. 2. ad Annibaldum dist. 25. q. vnica art. 1. in corp. relata in hac disp. §. 7. nu. 9. fol. 429. puta: *Dicendum, quòd, sicut supra dictum est, ad hoc, quòd aliquis sit liberi arbitrij, duo requiruntur, scilicet, quòd habeat iudicium de suis actibus: & quòd huiusmodi iudicium sit in potestate iudicantis*. Locus autem, ad quem ipse S. D. se refert est eodem 2. dist. 24. q. vnica art. 2. in corp. vbi sic habet.

1794

Alius locus S. D. ad propositũ.

6 *Dicendum, quòd quædam res sunt, quæ operantur absque iudicio, sicut inanimata: quædam verò cum iudicio, sed non libero; immo ex ipsa natura determinato ad vnum, sicut bruta, quæ ex naturali æstimatione vnum appetunt, & aliud refugiunt. Homo verò & iudicium de suis operibus habet, & libertatem in iudicando.*

Quæ

Quæ quidem libertas prouenit, tum ex ratione, qua ad opposita viam habet, tum ex voluntate, quæ non est determinata ad vnum. Vnde homo est dominus sui iudicij; quia potest sic, & aliter iudicare de agendis; & pro tanto dicitur esse liberi arbitrij. In quibus verbis S. Doctor duo docet requiri ad hoc, vt aliquis sit liberi arbitrij, videlicet, quòd habeat iudicium de proprijs operationibus, seu actibus, & libertatem in iudicando, seu quòd huiusmodi iudicij sit dominus: seu (& idem est) quòd huiusmodi iudicium habeat in sua potestate, & hoc inquantùm potest de proprijs actibus, seu de agendis à se, sic, & aliter iudicare. Et quòd, *pro tanto homo dicitur esse liberi arbitrij*, Idque nota, & adde, simul cum dicendis numero sequenti, ad loca eiusdem S. D. quæ contra dicta Ruiz retulimus in hac disputatione §. 8. num. 31. fol. 447. quibus etiam confirmabis dicta ibidem num. 34.

1795

7 Et inde est, quòd ipse S. Doctor eodem 2. ad Annib. dist. 35. q. vnica art. 2. in corp. docet de animalibus brutis, quòd ideo carent libero arbitrio; quia licèt habeant iudicium de proprijs actibus, habeantque propterea quodammodo, & aliqualiter in sua potestate, eosdem actus agere, vel non agere; non habent tamen tale iudicium in eorum potestate, ita vt possint sic, vel aliter iudicare: & sic habet. *Dicendum, quòd in quolibet cognoscente est actio, & iudicium de actione. Actio autem illa, quæ subditur agentis iudicio, est quodammodo in potestate agentis, vt scilicet possit eam agere, vel non agere. Sed iudicium non est in potestate iudicantis; nisi in habentibus intellectum, & rationem, qua super iudicium suum reflectitur, ipsum discutiendo. Actio ergo brutorum aliqualiter est in eorum potestate, inquantùm possunt quiescere, vel mouere. Sed iudicium de agendo nullatenus est in eorum potestate; sed ex æstimatione naturali procedit. Vnde brutum non est liberi arbitrij.* Habes ergo, quod bruta, ideo non sunt liberi arbitrij; quia eorum iudicium de agendis, seu de proprijs actibus, non est in potestate iudicantis: & quòd ideo non est in potestate iudicantis, quia virtus eorum iudicatiua non reflectitur supra proprium iudicium ipsum discutiẽdo, quod solùm inuenitur in habentibus intellectum. Idque est, quod nos supra sæpiùs inculcauimus.

Confirmatur alio loco S. D.

1796

8 Hæc omnia expressit S. Doctor loco relato disp. præcedenti §. 23. num. 87. fol. 282. ex quo hanc rationem desumpsimus. Nam postquam posuit sequens notabile, nempe: *Sciendum est, quòd cùm ad operationem nostram tria concurrant, scilicet cognitio, appetitus, & ipsa operatio, tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet*: ac etiam huius rationem subiunxit, dicens: *Appetitus enim cognitionem sequitur; cùm non sit, nisi boni, quod sibi per vim cognitiuam proponitur*, &c. *Appetitum autem, si non sit aliquid prohibens, sequitur motus, vel operatio*, concluſit, Et ideo *si iudicium cognitiuæ non sit in potestate alicuius; sed sit aliunde determinatum, nec appetitus erit in potestate eius: & per consequens, nec motus, nec operatio absolutè.* Et dixit *absolutè*, quia *quodammodo*, & *aliqualiter*, actus appetitus, & operatio possunt dici esse in potestate agentis, etiamsi iudicium de tali actu, & operatione, non sit in potestate ipsiusmet agentis, seu iudicantis, vt patet ex verbis num. præcedenti relatis, & modò infra referendis.

Idem confirmatur ex alia doctrina S. Thomæ.

1797

9 Ampliùs, postquam eodẽ loco subiunxit S. Doctor: *Iudicium autem est in potestate iudicantis, secundùm quod potest de suo iudicio iudicare. De eo enim, quod est in nostra potestate possumus iudicare. Iudicare autem de iudicio suo est solius rationis, quæ super actum suum reflectitur, & cognoscit habitudines rerum, de quibus iudicat, & per quas iudicat. Vnde tota libertatis radix est in ratione constituta. Vnde secundùm quod aliquid se habet ad rationem, sic se habet ad liberum arbitrium.* Sic subsequitur. Ratio autem *plenè, & perfectè inuenitur solùm in homine.* (videlicet inter animalia) *Vnde in eo solùm liberum arbitrium plenariè inuenitur. Bruta autem habent quandam similitudinem rationis, inquantùm participant quandam prudentiam naturalem, secundùm quod natura inferior attingit aliqualiter ad id, quod est naturæ superioris. Quæ quidem similitudo est, secundùm quod habent iudicium ordinatum de aliquibus. Sed hoc iudicium est in eis ex naturali æstimatione; non ex aliqua collatione: cùm rationem sui iudicij ignorent. Et similiter est in eis quædam similitudo liberi arbitrij, inquantùm possunt agere, vel non agere vnum, & idem, secundùm suum iudicium: vt sic sit in eis quasi quædam conditionata libertas. Possunt enim agere, si iudicant esse agendum; vel non agere, si non iudicant. Sed, quia iudicium eorum est determinatum ad vnum, per consequens & appetitus, & actio ad vnum determinantur.* Hæc S. Doctor.

1798

10 In quibus (vt vides) repetit, & vberiùs explicat dicta in præcitatis auctoritatibus, dum probat, quòd *tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet*. Ita quidem, vt secundùm modum iudicij virtutis cognoscitiuæ sit modus appetitus voluntarij eiusdem cognoscentis. Nota autem in recitatis auctoritatibus quattuor, quæ supra sæpiùs inculcauimus, & ex quibus colligitur veritas, quam probare intendimus. Primò, quòd illi motus, siue actiones, siue operationes, alicuius agentis sunt in eiusdem agentis potestate, quæ sub-

Inculcantur suprà dictæ auctoritates ad propositum.

Digitized by Google

subduntur agentis iudicio, de quibus, scilicet, ipsemet agens potest iudicare, & ferre sententiam; quasi habens in seipso tribunal iudiciale, cuius sententiæ subduntur proprij motus, siue actiones, siue operationes: Ideoque habeat in sua potestate, quidquid suo tribunali iudicatorio subijcitur. Vnde notanda sunt illa verba: *De eo enim, quod est in nostra potestate, possumus iudicare*: & illa alia, relata num. 7. *Actio autem illa, quæ subditur agentis iudicio, est quodammodo in potestate agentis, vt scilicet possit, eam agere, vel non agere.* Secundò (idque ex præcedenti sequitur) quòd illud agens habet in sua potestate iudicium illud, quo iudicat de actibus sui appetitus, quod habet tale iudicium subiectum suo tribunali iudicatorio, ita vt non solùm iudicet, quòd sibi conuenit appetere, vel non appetere, agere, vel non agere; sed etiam, quòd ita sibi conuenit iudicare, vel non iudicare, ita vt iudicet de suo proprio iudicio. Et notãda sunt illa verba S.D. *Iudicium autem est in potestate iudicãtis, secundùm quod potest de suo iudicio iudicare.* Tertiò (idque sequitur exprædicenti) quòd quia, quæ carent ratione, seu intellectu, vt bruta, non possunt de suo iudicio iudicare; possunt autem iudicare de actibus sui appetitus, & operationibus, ipsum appetitum cõsequẽtibus; ideo habent aliquo modo in sua potestate actus appetitus, & operationes; non autem habent in sua potestate iudicium de prædictis actibus: & ex consequenti non habent in sua potestate absolutè, & simpliciter, actus sui appetitus, & operationes, quæ consequuntur iudicium, sed solùm secundum quid, & conditionatè. Quarto (& hoc etiam sequitur exprædicenti) quòd, quia bruta non habẽt in sua potestate absolutè, & simpliciter iudicium, quo iudicãt de actibus sui appetitus voluntarij, non habent ex consequenti aliquem actum voluntarium, habentem istum modum essendi, puta: essendi absolutè, & simpliciter in potestate agentis, quod est habere actum voluntarium, habentem modum perfectæ libertatis, de cuius ratione est, vt sit absolutè, & simpliciter in potestate sui agentis. At verò, quia homo habet in sua potestate iudicium, quo iudicat de actibus sui appetitus, vt pote, quia iudicat de suo proprio iudicio, discutiens illud, inquantum cognoscit habitudines actuum sui appetitus, de quibus iudicat: habitudines, inquam, quas habent ad fines; & habitudines finium, per quos iudicat, ad actus proprij appetitus, de quibus iudicat, & sic iudicat de actibus sui appetitus ex ratione discussa in suo tribunali iudicatorio; ideo habet ex consequenti absolutè, & simpliciter in sua potestate actus proprij appetitus voluntarij, & ita habet aliquem actum sui appetitus voluntarij, habentem istum modum essendi, puta: essendi absolutè, & simpliciter in potestate sui agentis, quod est habere actum voluntarium sui appetitus perfectè liberum. Et inde tandem apparet, quòd modus essendi liberè actus voluntarij à suo agente, seu modus, quo talis actus procedit, vt existens absolutè, & simpliciter in potestate sui agentis, procedit ex modo, quo iudicium cognitionis de actibus appetitus eiusdem agentis est in potestate iudicantis. Et sic habemus conclusionem, quam probare intendimus, puta: *Ergò ille actus voluntarij appetitus, qui hoc modo est, puta, in potestate ipsius agentis, est secundùm quod iudicium cognitionis, quo ab eodem agente iudicatur de proprio actu, seu quo cognoscitur bonum, in quod tendit per talem actum, hoc modo est, nempe: in potestate eiusdem agentis, seu iudicantis.*

Probatio tertiæ, & quartæ consequentiæ.

11 TErtia consequentia, videlicet, *Ergo oportet, vt agens, quod habet in sua potestate actus voluntarios proprij appetitus, habeat iudicium de dictis actibus in potestate sui ipsius iudicantis*, patet ex præcedenti, à qua non diuersam enunciat veritatem. Etenim, si actus voluntarij appetitus est in potestate agentis, secundùm quod iudicium cognitionis, quod idem agens habet de eodem actu, est in eiusdem agentis potestate, iam clarè indè habetur, quòd oportet, vt agens, quod habet in sua potestate actus voluntarios sui appetitus, habeat iudicium de dictis actibus, illudque sit in potestate sui ipsius, iudicantis. 1799 *Probatur tertia consequentia.*

12 Quarta denique, seu vltima consequentia, nempe; *Ergo oportet, vt in agente, quod habet aliquem actum voluntarium sui appetitus in sua potestate, puta liberum, detur iudicium practicum, & imperium, de quo agimus*, ex eo patet; quia prædictum iudicium practicum, & imperium, nil aliud importat, & est, quàm iudicium de agendis existens in iudicantis potestate, quo, scilicet, quis, supposita voluntate finis, iudicat de actibus sui proprij appetitus, conueniens esse, eos hic, & nunc, agere, vel non agere, seu eos esse à se agendos, vel non agendos. Vt patet ex iis, quæ diximus circa vltimas consequentias præcedentium rationum. 1800 *Probatur quarta consequentia.*

13 Nec dicas ex D. Thom. 1. 2. q. 17. art. 1. in corp; actum imperij explicari *per* *Instantia.*

verbum

Digitized by Google

verbum imperatiui modi, puta cùm alicui dicitur; fac hoc. At verò prædictum iudicium practicum non explicatur per verbum imperatiui, sed indicatiui modi; quippe quia eo sententiat intellectus ex vi volitionis finis; hoc esse hic, & nunc appetendum, vel non appetēdum, seu agendum, vel non agendum ad finem. Ergo prædictum iudicium non est imperium,

Soluitur, & explicatur, qua liter propositio S. Thomæ habeat veritatem.

Non dicas hoc, inquam: quia verum quidem est, non habere rationem imperij iudicium illud, quo ratio practica denunciat absolutè, aliquid esse agendum, vt quando, vel cognitione absoluta, ideſt, nulla facta collatione ad aliquem finem, seu negocio per eam non discusso, iudicat, aliquid esse agendum, vel non agendum, ad quod iudicium sequitur volitio, vel nolitio indeliberata, vt docet S. Doctor locis relatis disp. 1. §. 11. num. 19. fol. 117. & disp. 2. §. 22. num. 6. fol. 255. & disp. præsenti §. 3. num. 52. fol. 338. Vel quando, licèt iudicet facta collatione ad finem; confert tamen ad aliquem finem absolutè; non autem ad finem, cui voluntas inhæret, secundùm quem modum profert iudicium cōscientia, pro vt distinguitur à iudicio liberi arbitrij, de quo egimus disp. 2. §. 24. à num. 10. à fol. 287. Verumque est etiam, quòd prædicta iudicia, quibus absolutè denunciat ratio practica, aliquid esse, vel non esse agendum, non possunt explicari per verbum imperatiui, sed solùm indicatiui modi, vt cum conscientia dictat absolutè, non esse furandum, adulterandum &c. Idque est, quod docet S. Doctor loco citato ex 1. 2. inquit enim, *Ratio potest aliquid intimare, vel denunciare, dupliciter. Vno modo absolutè, quæ quidem intimatio exprimitur per verbum indicatiui modi; sicut si aliquis alicui dicat: hoc est tibi faciendum.* Nota ly *absolutè*, & inde clarè habebis, S. Thomam sentire, non habere rationem imperij iudiciū illud cognitionis practicæ, quod locis supra citatis appellat absolutum,

1801

Explicatur, qualiter propositio sit falsa in sententia S. Th.

14 Cæterum falsum est, etiam in sententia S. Thomæ, non habere rationem imperij iudicium illud, quo ratio practica, discusso negocio, & facta collatione ad aliquem finem, cui voluntas inhæret, sententiat conclusiuè, aliquid esse, vel non esse agendum, seu sententiat ex vi præcedentis volitionis finis, à qua applicatur ad inueniendum, quid sit agendum pro fine. Tale enim iudicium, licèt proferatur, per verbum indicatiui modi; habet tamen efficaciam ad mouendam, seu ordinandam voluntatem in actum iudicatum, ex vi volitionis finis, & sic habet rationem imperij. Hinc D. Thomas in 3. dist. 33. q. 2. ar. 4. quæstiuncula 4. ad 1. habet. *Dicendum, quòd ratio etiam practica præcipit mediante voluntate, inquantùm sententiat, aliquid esse faciendum.* Et lib. 6. Ethic. lec. 9. litera tex. d. loquens de præcepto Prudentiæ, sic ait: *Dicitur, quòd Prudentia est præceptiua, inquantùm scilicet finis ipsius est determinare, quod oporteat agere.* In quibus, vt vides, iudicium rationis practicæ, habens vim præceptiuam, explicat per verbum indicatiui modi.

1802

Confirmatur propositum.

15 Nec sanè potest esse dubiū in sententia S. Thomæ, tale iudicium habere rationem imperij; quoniam (vt notauimus §. 9. huius disp. num. 22 fol. 457.) in sententia S. Doctoris, *Ipsa conceptio intellectus, secundùm quòd habet efficaciam aliquid transmutandi, imperium nominatur.* Conceptio autem intellectus, importata per dictum iudicium, iam habet efficaciam impellendi voluntatem in actum iudicatum, vt patet ex doctrina eiusdem S. Doctoris, à nobis allata disp. præcedenti §. 23. à num. 61. ad 93. à fol. 276. ad 283. & ex duplici ratione, à nobis adducta in hac disp. §. 5. à num. 13. ad 18. a fol. 346. Prædictum ergo iudicium est imperium in sententia S. Thomæ. Nec obstat, quòd dictum iudicium consueuit explicari per verbum indicatiui modi. Nam dum ex vi præcedentis actus voluntatis habet vim mouendi, & applicandi eandem voluntatem ad actum eligendi aliquid propter finem, hoc ipso, quòd ab intellectu dicto iudicio, facto impetu ad actum iudicatum, concluditur, hoc esse, vel non esse agendum, virtualiter denunciatur voluntati; Ergo age, vel non age hoc. Cum enim voluntas, volens finem, facto impetu in intellectum ad inquirendum, ab eo inquirat, quid sibi hic, & nunc, sit agendum pro fine; & intellectus, facta collatione agendorū, ex vi eiusdem impetus concludens, respōdeat, impellendo in actum iudicatum: ergo hic, & nunc, hoc est tibi agendum; virtualiter concludit; ergo age hoc. Non potest sic explicari dictamen conscientiæ, dum concluditur non esse furandum. Nam tale dictamen, cùm per se non procedat ex volitione finis, cui voluntas inhæret, non facit impetum ad actum; ac per hoc non potest habere rationē imperij. Vide doctrinam S. Thomæ 1. 2. quæst. 17. art. 2. ad 3.

(†)

§. XII.

Digitized by Google

§. XII.

Proponitur quarta ratio, procedens ex ratione actus deliberati, sumpta ex doctrina Aristotelis, & S. Thomæ, relata à nobis disp. 1. §. x1. à num. 18. ad 28. à fol. 117.

1803

Supponit ratio, dari in nostra voluntate actus aliquos indeliberatos, & aliquos deliberatos.

1 SVpponit hæc ratio (idque est euidentissimum) dari in nostra voluntate aliquos actus deliberatos, quos perfectè liberos dicimus: aliquos verò indeliberatos, quos, vel non liberos, vel imperfectè liberos existimamus. Hinc cõmuniter aliquos actus voluntatis de obiecto mortaliter turpi excusamus à mortali culpa, si sint indeliberati, a qua non excusamus, si sint deliberati. Actus voluntatis deliberatus est, quem præcedit rationis deliberatio: indeliberatus verò, quem talis deliberatio non præcedit.

Proponitur ratio in forma.

Hæc ratio breuiter sic proponi potest. Ad hoc, vt homo habeat aliquam actionem, seu actum suæ voluntatis deliberatum, qui est perfectè liber, oportet, quòd in se habeat deliberationem, seu actum rationis deliberantem de tali actu. Sed deliberatio de tali actu, vel est, vel includit ipsissimum iudicium practicum, & imperium, de quo agimus. Ergo ad hoc, quòd aliquis homo habeat aliquem actum suæ voluntatis deliberatum, seu perfectè liberum, oportet, quòd in se habeat iudicium practicum, & imperium de quo agimus.

1804

Probatur maior.

2 Maior patet ex terminis. Ideo enim aliquis actus dicitur deliberatus ab aliquo, quia de illo deliberat; ac per hoc habet deliberationem de tali actu. Præterea eandem maiorem confirmant loca Aristotelis, Damasceni & S. Doctoris adducta loco cit. in titulo huius §. præcipuè num. 18. 19. 20. & 21. Minor verò ex eo probatur, quòd deliberatio rationis, vel sumitur adæquatè, & sic importat consilium, seu discursum rationis practicæ, terminatum ad iudicium, seu sententiam dictantem, hoc esse, vel non esse hic, & nunc agendum: vel sumitur completiuè, & sic importat dictam sententiam, seu iudicium, conclusum per discursum consilij, seu syllogismi operatiui, vt patet ex eisdem locis Aristotelis, Damasceni, & D. Thomæ, à nobis adductis loco proximè citato, & ex alijs eiusdem Aristo: & D. Thomæ relatis eodem loco num. 22. 23. 25. 26. & 27. Talis autem sententia, seu iudicium est (vt sæpè diximus) ipsum iudicium practicum, & imperium, de quo agimus.

Probatur minor.

1805

Proponitur instantia, & soluitur.

3 Dices primò; Hanc rationem non esse absolutè efficacem; quippe quia videtur fundata in auctoritatibus citatis. Respondeo: Prædictas auctoritates ad hoc valere, vt proprium significatum huius vocis, *deliberatio*, habeamus, quo supposito procedit ratio. Certum est autem, quòd quantùm ad proprium significatũ nominum stare debemus primis auctoribus, quales sunt prædicti. Num dices, non dari consilium rationis de agendis, terminatum ad suam conclusionem, seu sententiam, iudicantem, aliquid esse, vel non esse hic, & nunc agendum; ac per hoc non potuisse nomine deliberationis significari? Sed quis ita desipiet, vt seipsum, vel non discursiuum de agendis proprijs existimet, vel discursiuum, numquam suo discursu quæsita inuenientem? Porrò si sic diceretur, periisset virtus Eubuliæ, quæ ad rectè consiliandum de agendis datur. Periissent Sinesis, & Gnomin, quæ sunt virtutes ad rectum iudicium cõclusionis consilij deseruientes. Periisset Prudentia, cuius magna pars imprædictis virtutibus consistit. Periisset ex consequenti tota scientia moralis, quæ est de virtutibus, & actibus humanis, quæ nullam possent habere rectitudinem, Prudentia pereunte. Sed vide, quæ in hac disp. §. 5. dubio primo à fol. 345. diximus aduersùs Ruizium, & alios, qui dixerunt iudicium vltimatũ de agendis esse quoddam figmentum, & impossibile.

1806

Proponitur secunda exceptio.

4 Dices secundò: rationem nostram consiliari, & inquirere de agendis; suo autem consilio, & inquisitione peruenire, vt ad conclusionem, non ad illud iudicium, & sententiam, positam ab Aristotele, D. Thoma, & Thomistis, qua alteram partem oppositorum definit agendã; sed ad iudicium indifferens, quo, scilicet, iudicat quòd id, quod occurrit agendum, sit indifferens, potestque fieri, & non fieri. Ideoque deliberationem rationis importare consilium rationis, terminatum ad illud iudicium indifferens.

1807

Impugnatur, & probatur oppositum.

5 Sed contra est. Quia quæstio consilij non est; An hoc, vel illud sit indifferens; vel An possit, vel non possit fieri liberè: sed, An hoc, vel illud expediat hic, & nunc agere propter aliquem finem, vt, An expediat mihi, salutis desiderium habenti, ingredi religionem, vel non. An expediat sumere vxorem, vel sine vxore castè viuere. An expediat consentire, vel non consentire hortanti. An expediat eligere, vel non eligere &c. Et hoc sicut in bonis, ita in malis. Vt, volens committere adulterium, consiliando, inquirit; An expediat ad amasiam hic, & nunc mittere lenonem. An cum donis, vel sine donis. An expediat ire cum socijs, vel sine socijs &c. Et inde fit, quòd conclusio consilij, seu

seu decisio, & resolutio quæstionis sit sententia de altera parte, puta: hoc expedit, vel hoc non expedit hic, & nunc agere. Idque experientia est manifestissimum. Vide quæ diximus in hac disp. §. 5. dub. 3. præsertim nu. 70. & 82. à fol. 356. Quare, cùm deliberatio completa, seu terminata, & (vt loquitur S. Thomas verbis relatis disp. prima §. xi. num. 19. in fine) *finita*, sit ipsum consilium de agendis completum, terminatum, & finitum: oportet, quòd deliberatio includat iudicium, & sententiam, qua altera pars quæstionis, examinatæ per consilium, concluditur.

1808 6 Ampliùs, si iudicium illud indifferens esset deliberatio; vtique non esset deliberatio de altera tantùm parte oppositorum: esset ergo deliberatio de vtraque. Et ita fieret, vt, qui sic iudicasset de aliqua sua actione, hic, & nunc sibi occurrente, de ea deliberasset vtranque partem oppositam, quo quid absurdiùs? Idque manifestæ experientiæ opponitur, qua dicimur, deliberasse hoc, non verò oppositum.

Idem probatur alia ratione.

1809 7 Quoniam autem sæpissimè alterum oppositorum est malum, & alterum bonũ (vt odisse Deum, & non odisse Deum, quorum vtrumque potest homo facere, salua libertate actus: non enim ex necessitate odit; nec ex necessitate non odit; tunc fieret, quòd, qui sic iudicaret de tali suo actu, haberet deliberationem, quæ simul esset bona, & mala. Num dices, talem deliberationem, vel esse, nec bonam, nec malam: Vel esse tantùm bonam, vel tantùm malam? Verùm, cùm secundum responsionem, quam impugnamus, omnis deliberatio terminaretur ad iudicium indifferens, inde fieret, quòd, vel omnis esset nec bona, nec mala, quod manifestæ experientiæ opponitur, qua dicimur quãdoque benè, quandoque malè deliberasse: Vel omnis esset bona, vel omnis mala. Horum autem duorum si diceretur primum, sequeretur, quòd posset dari bona deliberatio de eo, cuius mala esset electio: Si verò diceretur secundum, sequeretur, quòd posset dari mala deliberatio de eo, cuius bona esset electio; & ita posset dari actus deliberatus bonus, deliberatus deliberatione mala; & actus deliberatus malus, deliberatus deliberatione bona. Quæ quis somniabit? Sequela probatur. Nam secundum doctrinam responsionis, quam impugnamus, cum illo iudicio indifferenti, ad quod terminaretur deliberatio, posset homo componere quemlibet actum ex oppositis (aliàs non esset liber in tali actu, & ex consequenti actus eius non esset deliberatus) Et inde sequeretur, quòd, siue bona, siue mala esset deliberatio, posset homo eidem deliberationi cõponere oppositum actum ex illis, quorum alter est bonus, & alter malus; & ita posset componere cum deliberatione bona, si omnis esset bona, actum deliberatum malum; & cum deliberatione mala, si omnis poneretur mala, actum deliberatum bonum.

Confirmatur propositum.

1810 8 Nec dicas, Ruizium, alioſque eius sectatores respondere posse: deliberationem rationis importare consilium rationis de agendis, terminatum ad iudicium, seu dictamen particulare vltimatè practicum: *contingere tamen posse, vt voluntas operetur contra quodcunque dictamen, & iudicium rationis, tam vniuersale, quam particulare, & vltimatè practicum.* Vt ait ipse Ruiz disp. 54. de Scientia Dei sec. 6. num. 4. à nobis relatus in hac disp. §. 5. num. 9. fol. 346. Inde enim sequeretur, vel quòd dari posset aliquis actus voluntatis liber, nulla deliberatione deliberatus; ac per hoc esset simul indeliberatus, & liber: vel quod posset voluntas agere actu non libero; non autem actu libero contra omne dictamen practicum: quòd ipsam excogitationem Ruizij funditùs euertit. Siquidem, si deliberatio rationis importaret consilium de agendis terminatum ad iudicium, seu dictamen particulare vltimatè practicum, quælibet deliberatio esset de illo particulari agendo, de quo esset illud particulare iudicium, seu dictamen. Ille autem actus voluntatis, in quem voluntas prodiret contra omne iudicium, seu dictamen particulare vltimatè practicum, vtique non haberet de se aliquod iudicium, & dictamen vltimatè practicum; non haberet ergo de se aliquam deliberationem. Vel ergo talis actus voluntatis esset liber, vel non. Si liber: ergo esset liber non habens de se deliberationem: & sic esset simul liber, & carens deliberatione. Si vero non esset liber, tunc sequeretur, quòd voluntas posset actu non libero agere contra quodcũque dictamen, non autem actu libero, vt vult ipse Ruiz, qui, vt saluaret libertatem voluntatis in suis actibus, posuit eã posse contra quodcunque dictamen.

Euasio aduersariorũ eiusque impugnatio.

Aliqua notabilia pro prædicta ratione.

1811 9 Denique, vt perfectè sciatur, quid nomine deliberationis, veniat, & qualiter deliberatio sit necessaria, ad actum liberum, debet primò considerari doctrina S. Thomæ, qua, sicut de consilio rationis docet, quòd electio per se sequitur, non ad inquisitionem consilij, quæ non semper requiritur ad electionem; sed ad sententiam de agendis, vt patet locis à nobis relatis disp. prima §. xi. num. 31. & 32. fol. 120. ita etiam docet, quòd actus deliberatus sequitur rationem deliberantem,

Deliberatio requiritur ad actum liberum, non ratione inquisitionis sed ratione sententiæ, ad quam terminatur inquisitio.

Digitized by Google

tem, non ratione inquisitionis, quæ inuenitur solùm in deliberatione intellectus dubitantis; sed ratione certi iudicij, quod est deliberationis terminus; & inuenitur in omni intellectu, siue angelico, siue diuino. Vt patet Quæst. 16. de Malo ar. 4. in corp. illis verbis. *Intellectus humanus est discursiuus: & ideo sicut procedit, arguendo in speculatiuis; ita etiam procedit, consiliando, siue deliberando in agendis. Nam consilium est inquisitio quædam, vt dicitur in 2. Ethic. Intellectus autem Angeli apprehendit veritatem absque discursu, & inquisitione; & ideo nihil prohibet, quin Angelus in primo instanti, quo veritatem intelligit, possit eligere, quod est actus liberi arbitrij. Sicut & homo in illo instanti, quo certificatur per consilium, quid est faciendum, eligit. Et si certum esset, quod oporteret fieri absque consilio, statim in primo instanti eligeret, vt patet in arte scripturæ, & alijs huiusmodi, in quibus non indigemus consilio.* In quibus nota, quòd electio in hominibus sequitur deliberationem in illo instanti, quo certificatur per consilium, quid faciendum est; & quòd si certum esset, quid oporteret fieri absque consilio, statim eligeret. Innuit enim per hoc, quòd ratio, consiliando, deliberat, seu deliberationem complet, cùm peruenerit ad certum iudicium, iudicans, quid faciendum est; ita vt deliberatio cõpletiuè sit istud certum iudicium.

1812 *Confirmatur auctoritate S. Thomæ.*

10 Idque expressè posuit S. Doctor de Veritate q. 29. ar. 8. ad 1. iuquiens, *Ad primum dicendum, quòd deliberatio duo importat, scilicet, perceptionem rationis cum certitudine iudicij de eo, de quo fit deliberatio; & sic potest esse in instanti in eo, in quo non est dubitatio de agendis; & sic fuit in Christo. Potest etiam dicere discussionem, siue inquisitionem; & sic importat discursum quendam; vnde nõ potest esse in inst. iti. Et tali deliberatione Christus nõ indigebat.*

1813 *Explicatur qualiter deliberatio sit in Angelis, & in Deo.*

11 Amplius, vt videas, quòd sicut in Deo, ita in Angelis in ordine ad actus liberos ponenda est suo modo, idest seclusis imperfectionibus, deliberatio, ita vt actus eorum liberi, dici possint deliberati; considera, quòd in nobis deliberatio idem est, quòd inquisitio rationis de agendis, terminata ad sententiam, qua dicitur; hoc esse, vel non esse agendum, quæ inquisitio appellatur consilium. Sicut ergo consilium, seclusis imperfectionibus, tribuitur Deo, & ex consequenti etiam Angelis; ita tribuitur eisdem deliberatio. Qualiter autem tribuatur Deo consilium, vide à D. Thoma explicatum locis, à nobis relatis in hac disp. §. 7. num. 110. & 111. fol. 434. & §. 8. num. 6. fol. 441.

1814 *Deliberatio potest esse perfecta, & imperfecta, sicut etiam imperium.*

12 Nota secundo, quòd rationis deliberatio potest esse perfecta, & imperfecta. Sicut enim imperium rationis, præcedens electionem, seu quo intellectus imperat volnntati, vt velit, seu eligat hoc, vel illud; seu etiam consentiat, vel dissentiat, potest esse perfectum, quod, scilicet perfectè imperat, & imperfectum, quod imperfectè imperat: ex quo est, quòd quando perfectè imperat, semper voluntas procedit in actum, quem imperat non autem quando imperfectè imperat, vt docet S. Doctor 1. 2. quæst. 17. ar. 5. ad 1. ex doctrina Augustini. Ita deliberatio (quæ in iudicio concluso coincidit cum imperio, licèt ab eo ratione differat) potest esse perfecta, & imperfecta. Perfecta est illa rationis sententia, seu ille discursus consilij, terminatus ad sententiam, in quã, seu in quem ratio practica prorumpit, mota ex efficaci volitione finis; & ad istam deliberationem semper sequitur electio, seu actus deliberatus voluntatis. Imperfecta verò est, tam illa inquisitio consilij, quæ non dum est finita, & terminata per sententiam; sed est quasi in fieri: quàm illud iudicium practicum singularis agibilis, quod ratio practica non reducit in finem, cui voluntas inhæret. Ex quo est, quòd ex tali deliberatione non mouetur voluntas in actum.

1815 *Confirmatur ex doctrina S. Thomæ.*

13 Hinc inuenies apud D. Thomam in 2. dist. 24. quæst. 3. ar. 1. verbis relatis disp. 1. §. 11. num. 19. fol. 117. quòd *quando ratio, inquirendo, deliberat; tunc non potest sequi appetitus ante deliberationem finitam.* Inuenies etiam in quæst. 24. de Veritate art. 12. in corp. quòd aliquæ deliberationes non sufficiunt ad hoc, vt refrænent voluntatem, nè in peccatum labatur ex impetu habitus mali, seu ex vi deliberationis præconcepti finis eiusdem habitus. Hoc enim secundum ideo est; quia iudicium mali, quod supponitur occurrere, ad frænandam voluntatem, ne labatur in operationem, ad quam sub quadam specie boni inclinat impetus præconcepti, seu prædeliberati finis mali habitus, indiget tempore ad hoc, vt perfectè concludatur, & sic reducat voluntatem: deliberatio autem præconcepti finis habitus velociùs reducitur in actum: & ita fit, quod antequam adhibeatur tanta deliberatio, quanta requiritur ad concludendum iudicium, mouens voluntatem ad desistendum ab operatione mala, deliberatio præconcepti finis mali habitus, quæ inquantùm est in habitu, est promptior, inducit voluntatem in operationem malam, sibi occurrentem conformem habitui, & ita illa deliberatio imperfecta non sufficit ad frænandam voluntatem, ne labatur in malum ex impetu habitus, habentis promptam deliberationem ex præconcepto fine malo eiusdẽ habitus, vt habes ex D. Th. eodẽ loco.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO QVARTA.

An Deus, *gubernando causas liberas, & contingentes, motu proportionato earum contingentiæ, & libertati, motu, scilicet, impedibili, & defectibili ab effectu, & quo causæ liberæ possunt, & de facto faciunt successiuè vnum, & alterum ex oppositis, & nunc bonum, nunc malum (vt diximus disp. 2. §. v. n. 32. fol. 159. & 1. p. huius T. §. x. a fol. 58. ad 53.) possit infallibiliter, certitudinaliter, & determinatè peruenire ad effectus earundem causarum, quos ipsæ causæ, ab ipso Deo gubernatæ, producunt fallibiliter, contingenter, & liberè, & in ordine ad quos, attento motu, quo gubernantur, sunt indifferentes, & indeterminatæ.*

Seu, & in idem recidit.

An certus, & infallibilis ordo, secundùm quem Deus *sua altissima sapientia, & prouidentia, supponente suæ voluntatis decreta absoluta (ideſt non supponentia scientiam vsus creatæ libertatis sub conditione futuri) disponit causas contingentes, & liberas, ac per eas sic dispositas, assequitur infallibiliter, & certitudinaliter earundem causarum effectus; rectè cohæreat cum resolutionibus secundæ nostræ disputationis, alüsque nostris dictis in hoc Tractatu.*

1816

Doctrina S. Thomæ difficultatem inculcans.

Quid deduxerunt aliqui ex dicta doctrina.

INcipientes hunc Tractatum, statim prima linea diximus, quòd in dubio proposito, *punctus difficultatis oritur, ex quadã D. Thomæ, & in eius schola stabilita sententia, puta. Quòd Deus, dum, vt prima, & vniuersalissima omnium causa, mouet, & inclinat voluntatem creatam in actus liberos bonos, est per sua decreta absoluta, & antecedentia (quæ scilicet, non supponunt, sed antecedunt scientiam vsus, & determinationis voluntatis creatæ, sub conditione futuri) vera causa efficiens, efficacissima omnium bonorum liberorum actuum ipsiusmet voluntatis creatæ. Causa, inquam, antecedens, & præueniens ipsumet vsum, & determinationem libertatis creatæ.* Ex hac autem doctrina moti fuere quamplures ex Thomistis (vt notauimus disp. 2. §. 2. num. 10. fol. 145. ad excogitandum, quòd à diuinæ voluntatis decretis, quibus Deus vult, per causas contingentes, & liberas procedere in actus, & effectus earundem causarum contingentes, & liberos, emanent (sic diuina prouidentia, seu sapientia gubernante, & disponente) quædam motiones, seu qualitates per modum fluxus, spectantes ad motum Primi mouentis, quæ, vt gerentes eorundem decretorum vicem, exequuntur quidquid est determinatum per ipsa decreta, ac definitum, & dispositum per sapientiam, seu prouidentiam: ac per hoc dixerunt, dictis motionibus Primi mouentis competere munus determinandi, & applicandi infallibiliter ipsas causas contingentes, & liberas ad effectus præfinitos. Inde deduxerunt, quòd voluntas, siue prouidentia, seu sapientia diuina, habet certum ordinem ad effectus, procedentes a dictis causis, inquantùm motiones illæ, seu qualitates per modum fluxus, quibus Deus, sua prouidentia, seu sapientia gubernans prædictas causas, eas mouet, determinant easdem causas, & certitudinaliter applicant ad effectus, & actus præfinitos. Verùm nos disputatione secunda huius Trac. specialiter ex doctrina Angelici Præceptoris, & Aristotelis, rationibusque ab eisdem desumptis, ostendimus repugnare motui primi mouentis munus determinandi, & certitudinaliter applicandi causas contingentes, & liberas ad actus earundem. Probauimus etiam ex doctrina eiusdem S. Doctoris, prædictas qualitates per modum fluxus, seu motiones, habentes illa duo munera, repu-

Digitized by Google

Difficultas exoriens ex doctrina S. Thomæ supposita, & ex nostris dictis.

gnare libertati. Quare, supposita, ex vna parte, D. Thomæ, Thomistarumque doctrina circa diuina decreta absoluta, tam de actibus liberis, quàm de non liberis causarum contingentium: & ex alia parte, relegato à motione Primi mouentis illo duplici munere determinandi, & applicandi infallibiliter, & certitudinaliter causas liberas, & contingentes ad effectus, præfinitos per decreta diuina, videtur, quòd non restat nobis via, inuenta per diuinam sapientiam, & prouidentiam, qua defendi, & saluari possit certitudo, & infallibilitas ordinis causalitatis, quam habent decreta, præfinitionesque diuinæ ad effectus contingentes, & liberos, qui sunt à Deo voliti, & præfiniti. Amplius videtur quasi communis animi conceptio Recentium, quòd ad saluandam certitudinem ordinis prædicti, recurrendum sit, vel ad modum dicendi Molinæ Suarij, aliorumque Mediscientiantium, capientium certitudinem à, prætensa per ipsos, scientia media; vel ad modum dicendi Bannes, Aluarez, Salmaticensium, aliorumque imponentium motui Primi mouentis munus determinandi, & infallibiliter applicandi causas contingentes, & liberas ad effectus præfinitos per decreta diuina. Inde inualuit modus argumentandi, quo, inuenta aliqua repugnantia in altero ex prædictis dicendi modis, inferatur sequendus alter, sibi è regione oppositus. Excitamus igitur hanc disputationem, non solùm vt Thomistis, sed etiam alijs omnibus satisfaciamus. Intendimus sanè (vt sic studiositati Recentium fiat satis) ostendere veram, planamque viam, quam secundùm celsam, claram, firmamque S. Thomæ sententiam, euidenti ratione demonstratam, tenet Diuina voluntas, prima, & vniuersalissima omnium causa, vt per causas fallibiles (quæ, scilicet, deficere possunt a suis effectibus, vt sunt contingentes, & liberæ) perueniat ad effectus earundem causarum certitudinaliter, & infallibiliter, ita vt implicet contradictionem, aliter in eosdem effectus peruenire: & nihilominus non oporteat, vel scientiam mediam admittere; vel munus determinandi, & infallibiliter applicandi easdem causas ad actiones, & effectus earundem, in motu primi mouentis ponere. Hanc igitur disputationem quattuor punctis absoluemus. Primò resolutorie proponemus viam hanc, secundùm quam in sententia manifesta S. Thomæ, Deus ad actiones, seu effectus, quos vult habere per causas contingentes, & liberas (illas, scilicet, quæ possunt deficere ab effectu; & etiam illas, quæ proprias operationes habent in sua potestate) procedit certitudinaliter, & infallibiliter: resolutionemque probabimus expressis locis, & rationibus S. Doctoris. Secundò specialiter eam probabimus, quantum ad causas liberas: explicabimusque quæ ad hoc propositum spectant. Tertiò responsionem principalis quæsiti, & aliqua corollaria notatu digna, & his temporibus desiderata, deducemus. Quartò tandem dubia residua, & obiectiones soluemus.

Intentio disputationis.

Agenda in hac disputatione

PVNCTVM PRIMVM.

TRia præstabimus in hoc puncto. Primò, adnotatis quibusdam, quæ supponimus ex mente S. Doctoris, punctum difficultatis ex eiusdem S. Doctoris sententia resoluemus; idque §. p. Secundò referemus loca ipsius S. D. quibus expressè nostram resolutionem docet, & hoc §. 2. Tertiò resolutionem probabimus rationibus ex ipsomet S. D. desumptis §. 3. & 4.

§. I.

Adnotantur quædam, quæ ex mente S. D. supponuntur: puntusque difficultatis resoluitur.

1817

Quæ primo supponimus ex doctrina S. Thomæ.

1 QVantum igitur ad primum, aduertimus nos supponere consuetam Angelici Præceptoris doctrinam, qua docet: quòd ideo in vniuerso aliqui effectus sunt necessarij, aliqui verò contingentes: quia Deus aliquos voluit esse necessarios, & aliquos contingentes. Et quoniam ita voluit; ideo ad quos voluit esse necessarios ordinauit, præparauit, seu adaptauit causas necessarias, & indefectibiles; ad eos verò, quos voluit esse contingentes non liberos, ordinauit, & præparauit causas defectibiles, non habentes actiones in sua potestate; ad eos tandem, quos voluit esse contingentes, & liberos simul, ordinauit, & præparauit causas, quæ simul essent defectibiles, & habentes operationes proprias in sua potestate, eas agere, & non agere. Supponimus etiam eiusdem S. Præceptoris doctrinam, qua ex eo, quod Deus aliquos effectus vult esse contingentes, seu a causis defectibilibus, vel vult aliquos esse liberos, & à causis, habentibus eos in sua potestate, docet, infallibiliter, & necessario inferri, non solùm, quòd tales effectus sint, sed etiam, quòd sint contingentes, & à causis proximis defectibilibus, & quod aliqui sint liberi, & à causis proximis, eos habentibus in sua potestate agere, & non agere. Ita 1. p. q. 19. ar. 8. & lib. 3. cont. gent. cap. 94. lib. 6. Metaphy. lec. 3. lib.

Digitized by Google

lib. 1. Perihermenias. cc. 14. In compendio Theologiæ verbis §. sequenti num. 1. referendis, & alibi sæpissimè. Pro hac doctrina, vsurpata à Thomistis; vide etiam ex P. P. Societatis P. Iosephum Augustinum loco cit. primæ partis difficultate 2. fol. 276

1818 2 Amplius supponimus eiusdem S. Thomæ doctrinam, qua sæpissimè docet: quòd hæc est differentia inter prouidentiam (sub prouidentia intelligo etiam prædestinationem) & gubernationem diuinam, quòd prouidentia importat rationem ordinis in finem, pro vt ordo est à diuina mente præconceptus; ac per hoc nil ponit in rebus prouisis, siue prædestinatis. At verò gubernatio importat executionem, seu explicationem ad extra dispositionis, & ordinis præconcepti per prouidentiam; ac per hoc ponit aliquid in rebus gubernatis. Illa æterna est: hæc verò temporalis. Ordo rerum in finem, prout est præconceptus, est formalissimè prouidentia: prout verò est explicatus in rebus per diuinam gubernationem, est formaliter fatum, in bona significatione acceptum. Hinc S. Doctor 1. p. q. 22. art. 1. ad 2. sic habet: *Ad curam duo pertinent, scilicet, ratio ordinis, quæ dicitur prouidentia: & dispositio, & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio. Quorum primum est æternum; secundum temporale.* Et idem docet art. 3. sequenti in corp. Et q. 23. eiusdem 1. par. 2. in corp. inquit. *Prouidentia non est in rebus prouisis; sed est quædam ratio in intellectu prouisoris: sed executio prouidentiæ, qua gubernatio dicitur, passiuè quidem est in gubernatis: actiuè verò in gubernante.*

Diſcrimen inter prouidentiam, & gubernationem ex S. Thoma.

1819 3 Et q. 116. eiusdem 1. p. art. 2. vbi agit de fato, sic habet. *Potest ipsa ordinatio effectuum dupliciter considerari. Vno modo secundùm quòd est in ipso Deo: & sic ipsa ordinatio effectuum vocatur prouidentia: secundùm verò quòd prædicta ordinatio consideratur in mediis causis, à Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos, sic habet rationem fati. Et hoc est, quod Boetius dicit 4. de Consolatione [sive famulantibus quibusdam prouidentiæ diuinæ spiritibus fatum exercetur, seu anima, seu tota inseruiente natura, siue cœlestium siderum motibus, seu angelica virtute, seu demonum varia solertia, seu aliquibus eorum, seu omnibus, fatalis series texitur] de quibus omnibus per singula in præcedentibus dictum est. Sic manifestum est, quòd fatum est in ipsis causis creatis, inquantùm sunt ordinata à Deo ad effectus producendos.* Et opus 2. vel 3. in Compendio Theologiæ cap. 138. sic habet. *Quia non solùm res naturales; sed etiam res humanæ diuinæ prouidentiæ subduntur, quæ casualiter in rebus humanis accidere videntur, in ordinationem diuinæ prouidentiæ reducere oportet. Et sic necesse est, ponere fatum ponentibus, diuinæ prouidentiæ omnia subiacere. Fatum enim, sic acceptum, se habet ad diuinam prouidentiam sicut proprius eius effectus: Est enim explicatio diuinæ prouidentiæ rebus adhibita, secundùm quòd Boetius dicit: quòd fatum est dispositio, ideſt, ordinatio immobilis, rebus mobilibus inhærens. Sed quia cum infidelibus quantùm possumus, nec nomina debemus habere communia,* &c.

Confirmatur superior doctrina S. Thomæ ex dictis eiusdem de Fato.

1820 4 His omnibus ex S. Doctore suppositis, id quod intendimus explicare, & resoluere, est; quæ sit via, per quam Deus in executione suæ voluntatis, & prouidentiæ, seu in gubernando suum vniuersum, procedit infallibiliter ad effectus causarum contingentium, & liberarum, in ordine ad quos prædictæ causæ sunt fallibiles, eosque habentes in sua potestate agere, & non agere. Idque est, quod videtur valdè difficile. Cùm enim viæ, seu media diuinæ prouidentiæ, sint ipsæ causæ secundæ, quibus mediantibus procedit in aliquos effectus, vt patet ex S. Doctore 1. p. q. 22. ar. 3. in corp. illis verbis. *Quantùm ad secundum, sunt aliqua media diuinæ prouidentiæ* &c. non videtur intelligibile, quòd simul hæc duo componi possint, nempe: quòd causæ mediæ sint fallibiles, & defectibiles: & quòd Deus procedens ad effectus per dictas causas, vt per viam ad eosdem effectus, procedat certitudinaliter, & infallibiliter. Et quidem (vt diximus) Thomistæ quidam crediderunt, quòd ad hoc, vt Deus per viam causarum defectibilium certitudinaliter incedat in effectus earum, oportet, quòd eis imprimat motum, seu qualitatem, per quam certitudinaliter, & infallibiliter fiat, non solùm quòd tales effectus à prædictis causis sint; sed etiam, quòd contingenter, & liberè ab eis sint. At verò Patres Societatis crediderunt: Deum minimè posse, per prædictas causas certitudinaliter procedere in effectus earum, nisi præsuppositâ scientia media, per quam ab æterno Deus sciuit; quòd si tales causæ in talibus circumstantijs constituerentur, esset tales effectus facturæ.

Inculcatur punctus difficultatis resoluendæ.

Resoluitur difficultas ex sententia Sancti Thomæ.

1821 5 VErùm dicendum est, quòd in sententia S. Thomæ propter neutrum ex dictis capitibus (quæ vel sunt falsa, vel saltem valde incerta; & ideo minimè congrua ad fidem tuendam contra hæreticos, siue priscos, vt sunt Pelagiani: siue nouos, vt sunt Caluinistæ, & Luterani) Deus habet certitudinem, dum gubernando vniuersum, & explicando ad

Modi dicendi Recentium incongrui ad defendendam fidem contra priscos & nouos hæreticos.

ad extra ordinem suæ diuinæ prouidentiæ, procedit per causas fallibiles, & defectibiles, vt sunt contingentes, & liberæ, in effectus earum; sed ex alio capite, per experientiam manifesto, & euidentibus rationibus demonstrato. Videlicet ex eo, quòd cùm Deus sit per suam voluntatem, & prouidentiam vniuersalissima causa, & prima simpliciter in omni genere, ordinans, & disponens omnes causas secundas, quibus vtitur, vt ministris ad assequendos effectus per suam voluntatem volitos, & per sapientiam, ac prouidentiam dispositos, & ordinatos; sic disponit omnia, tam circa causas defectibiles, & liberas, per quas decreuit procedere in effectus volitos, quàm circa alias causas, quas ad illas disposuit occurrere, vt in hac sua causarum dispositione, & congressu, res sic sint præparatæ, & dispositæ, vt prædictæ causæ, per quas decreuit Deus procedere in effectus contingentes, inueniantur habere ex ocursu aliarum causarum proportionata adminiculantia, tam scilicet illa, quæ causas prædictas defectibiles adiuuant, ne deficiant, tàm quæ contrarias arcent, ne eis defectum inducant, impediantque effectus, quos Deus vult habere per tales causas. Et sic Deus, gubernans vniuersum, explicansque ad extra ordinem suæ prouidentiæ, inuenitur quidem, quòd, ahibitis proportionatis adminiculis, seruat causas defectibiles sine defectu; ac per hoc procedat certitudinaliter per illas in effectus ipsarum: causa enim defectibilis, si inueniatur in illa dispositione, qua est causa, seu à propria dispositione non deficit: nec impeditur ab effectu, certitudinaliter habet effectum suum. Non autem inuenitur, quòd causis defectibilibus imprimat principium aliquod indefectibile ab effectu, & sic vertat eas in indefectibiles. Quoniam autem implicat contradictionem, quòd Deus non ita res disponat circa causas defectibiles, per quas ipsemet decreuit procedere in effectus earum; ideo implicat contradictionem, Deum non procedere certitudinaliter, dum ad effectus à se volitos procedit per causas, quæ quantùm est ex se, sunt defectibiles, vt sunt contingentes, & liberæ. Et ideo etiam necesse est, quod omnes prædictæ causæ, per quas Deus decreuit procedere in actus earum contingentes, & liberos, non aliter contineantur sub ordine diuinæ prouidentiæ, & gubernationis; nisi vt seruatæ sine defectu.

1822

Explicatur resolutio exemplis.

6 Itaque Deus, per suam sapientiam, & prouidentiam gubernans vniuersum, procedit certitudinaliter per causas defectibiles in effectus earum, illo simili, sed longè perfectiori modo, quo nos humana prudentia, & industria, habemus aliquando aliquos effectus certitudinaliter. Sicut enim ego, dum studeo nocte, seruo lumen candelæ inextinctum, infundendo oleum, extrahendo cautè bombicem, obtruncando fungulos, claudendo fenestrã, defendendo eam à papilionibus, & similibus adminiculis, quibus seruatur quidem certitudinaliter lucerna inextincta, non autem fit inextinguibilis. Et sicut peritus medicus, & industrius agricola possunt sic res disponere, ille circa curam infirmi, & iste circa culturam alicuius arboris, vt indeficienter quandoque assequantur intentum. Et hoc ita certò, quòd non aliter possent ab effectu deficere; nisi propter hoc, quòd aliqua esset causa, inducens defectum, quæ vel ignoraretur, vel non contineretur sub dispositione medici, vel agricolæ. Ita Deus, *cuius sapientiæ non est numerus, & cuius prouidentia in sua dispositione non fallitur*, eiusque ambitu omnis causa concluditur, sic circa effectus, quos vult habere per causas contingentes, & liberas, disponit singula, vt in vniuersali dispositione vniuersi prædictæ causæ inueniantur proportionatis adminuculis ex occursu aliarum causarum munitæ, & seruatæ sine defectu. Et ita certitudinaliter procedit Deus per dictas causas in effectus earum, nulla in eo præsuppolita scientia media, nec imposito in motu primi mouentis munere determinandi, & infallibiliter applicandi causas contingentes ad effectus.

§. II.

Referuntur loca S. Doctoris, quibus expressè nostram resolutionem docet.

1 NOstræ huius resolutionis doctrinam, non quidem totam in vno loco; sed in pluribus totam expressè docuit Angelicus Præceptor. Quo circa nos adnotabimus præcipua, vt veritatem agnoscas. Primò ergo adnota doctrinam, quam habet Opusculo 2. vel 3. scilicet in Compendio theologiæ parte prima cap. 140. 1823

Doctrina S. Thomæ in compendio Theologiæ, valde consideranda.

Vbi sic habet. *Neo tamen effectuum contingentia, vel causarum, certitudinem diuinæ prouidentiæ perturbare potest. Tria enim sunt, quæ prouidentiæ certitudinem præstare videntur, scilicet, infallibilitas diuinæ præscientiæ, efficacia diuinæ voluntatis, & sapientia diuinæ dispositionis, quæ vias sufficientes ad effectum consequendum adinuenit, quorum nullum contingentiæ rerum repugnat. Nam scientia Dei infallibilis*

bilis est, etiam contingentium futurorum; inquantùm Deus intuetur in suo æterno futura, prout sunt actu in suo esse, vt supra expositum est. Voluntas etiam Dei, cum sit vniuersalis rerum causa, non solùm est de hoc, quòd aliquid fiat; sed vt sic fiat. Vult autem quædam fieri necessariò, & quædam contingenter; quia vtrunque requiritur ad completum esse vniuersi: Vt igitur vtroque modo res prouenirent, quibusdam adaptat necessarias causas: quibusdam verò contingentes; vt sic, dum quædam fiunt necessariò, quædam contingenter, diuina voluntas efficaciter impleatur (nunc nota, qualiter diuina sapientia adinuenerit congruentes vias ad effectus per causas contingentes, nam subdit) *Manifestum est etiam, quòd per sapientiam diuinæ dispositionis prouidentiæ certitudo seruatur, contingentia rerum manente.* (Audi hoc manifestum, subdit enim) *Nam si hoc per prouidentiam hominis fieri potest, vt causæ, quæ deficere potest ab effectu, sic ferat auxilium, vt interdum indefectibiliter sequatur effectus, sicut patet in medico sanante, & in vineæ cultore, contra sterilitatem vitis adhibendo remedium; multò magis hoc ex sapientia diuinæ dispositionis contingit, vt quamuis causæ contingentes deficere possint; tamen, quibusdam adminiculis adhibitis, indefectibiliter sequatur effectus, quod eius contingentiam non tollit. Sic ergo patet, quod rerum contingentia diuinæ prouidentiæ certitudinem non excludit.* Hæc S. Thomas, valde quidem notanda.

1824 2 Et in primis nota illa verba; *sapientia diuinæ dispositionis vias sufficientes ad effectum* (scilicet contingentem) *adinuenit.* Deinde nota, quas vias sufficientes ad certitudinaliter eundum in talem effectum adinuenerit sapientia dispositionis diuinæ. Inspice, an illam adinuenerit, qua, suppolita scientia media, collocat causas in illis circumstantijs, in quibus scit, eas fore operaturas? vel illam, qua per motum prædeterminantè infallibiliter induxit causas contingentes in effectus determinatos per decreta diuina? Neutram planè. Quælibet enim, non solùm non est manifesta, & quàpluribus implicata difficultatibus; ita vt nec ipsis viæ inuentoribus satisfaciat; sed etiam falsa, & in seipsa repugnans, vt de motu primi mouentis prædeterminante probauimus disp. 2. & de scientia media in Tractatu speciali, Deo dante probabimus. Quam ergo? aliam manifestam, de qua potuit dicere S. Doctor *manifestum est enim*, quæ habet exemplum in medico sanante, & in vineæ cultore: qua scilicet *ex sapientia diuinæ dispositionis contingit, vt quamuis causæ contingentes deficere possint, tamen, quibusdam adminiculis adhibitis, indefectibiliter sequatur effectus.* Quod nos explicuimus exemplo lucernæ. Manifestum est enim, quòd illa adminicula, lucernæ adhibita, non tollunt à lucerna contingentiam: & tamen per ea certitudinaliter seruatur inextincta. Si enim contingeret extingui, non aliter, quàm ex defectu alicuius ex adminiculis contingeret, vt per se patet. Et ideo Sanctus Doctor concludit: *Sic ergo patet: quòd rerum contingentia diuinæ prouidentiæ certitudinem non excludit.* Num dices, locum hunc esse singularem? 1825

Inculcatur predicta doctrina ad propositum contra Recentes.

3 Sed idem, & luculentiùs docet ad Annibaldum in 1. dist. 40. q. vnica ar. 2. quo quærit. An prædestinatio habeat certitudinem. Et respondet in corpore, inquiens. *Dicendum, quòd, sicut supra dictum est, prædestinatio non solùm respicit ordinem ad finem; sed etiam exitum, vel euentum ordinis, qui est consecutio finis. Hæc autem finis consecutio habet quidem certitudinem per ordinem ad causam primam: sed non per ordinem ad causam proximam. Causa enim proxima liberum arbitrium est, quod in se consideratum deficere potest à finis consecutione: adhibentur tamen plurima beneficia, quibus conseruatur ne à fine deficiat, vt puta: intercessiones sanctorum, exhortationes, & gratiæ dona, quæ omnia, simul collecta, certum ordinem habent ad consecutionem salutis. Et quia prædestinatio hæc omnia ab æterno prouidet, & præparat, proponendo: ideo prædestinatio respectu sui effectus certitudinem habet.* Hæc in corp. S. Doctor.

Altus locus S. Doctoris confirmans dicta in Resolutione.

1826 4 Argumentum autem secundum sic proponit: *Omnis causa, habens certum ordinem ad suum effectum, de necessitate suum effectum includit, si causa prædicta ponatur. Si ergo prædestinatio certum ordinem habeat ad suum effectum: cum prædestinatio sit posita; quia est ab æterno; sequitur, quod eius effectus necessitatem recipiat à prædestinatione. Hoc autem est falsum: cum effectus eius sit contingens. Ergo prædestinatio non habet certitudinem.* Respondet verò: *Ad secundum dicendum quòd secundum Dionysium, prouidentiæ non est, naturam perdere, sed seruare. Et ideo, ita per causas contingentes aliquid faciendum ordinat, vt causæ contingentiam non tollat, sed ex alijs concurrentibus causis defectum causæ contingentis impedit. Et per hunc modum prædestinatio certissimum modum habet ad effectum: & tamen libero arbitrio nulla necessitas imponitur.* Hæc S. Doctor, valde considerandæ: quia valde intentum nostrum illustrant, præsertim quantùm ad causas liberas.

Idem confirmatur doctrina responsionis ad secundum.

1827 5 Primò igitur considera, quòd ad hoc prædicta doctrina tendit, vt difficultatis punctum soluat, quem nostra resolutione enodauimus: nempe, vt explicet modum, quo per viam causæ defectibilis, qualis est liberum arbitrium, procedat diuina prædestinatio certitudinaliter in actus eiusdem causæ, puta, liberos.

Expende primo, quòd loquitur S. D. de causis liberis.

Consi-

Digitized by Google

1828

2. Expende adminicula, quibus seruatur liberum arbitrium, ne à fine deficiat.

6 Considera secundò, quòd concludit diuinam prædestinationem habere viã eundi certitudinaliter ad actus liberi arbitrij (per ipsam prædestinationem præparatos iis, quos ordinauit in finem salutis) per illa beneficia, seu adminicula (sic enim hæc ipsa appellat verbis, sequenti auctoritate adducendis) *quibus*, inquit, *conseruatur liberum arbitrium, nè à fine deficiat, vt puta, intercessiones sanctorum, exhortationes, & gratiæ dona, quæ omnia, simul collecta, certum ordinem habent ad consecutionem salutis.* Et hìc considera, quòd non dixit, quæ omnia habent certum ordinem ad consecutionẽ salutis, supposita scientia, qua præuidit fore, vt, si liberum arbitrium poneretur in talibus circumstantijs, consentiret: sed absolutè, quòd illa *omnia, simul collecta, certum ordinem habent ad consecutionem salutis*, vt significaret, quòd illa, simul collecta, absolutè habent certum ordinem ad consecutionem salutis, quod verum esse, infra veris demõstrationibus ostendemus. Cõsidera etiam, quòd non dixit, vt puta, motus primi mouentis, qui ex se, & vi, qua exit à voluntate Dei prædestinantis, habet certum ordinem ad actum liberi arbitrij præfinitum; sed, *vt puta intercessiones sanctorum, exhortationes, & gratiæ dona, quæ omnia, simul collecta, habent certum ordinem*; vt significaret, quòd hæc certudo non habetur ex vno ex prædictis adminiculis, seu beneficijs; sed ex pluribus, simul collectis, vt patet in exemplo lucernæ, quod locum habere in causis liberis infra ostendemus ex euidenti doctrina S. Thomæ.

3. Expende ly omnia simul collecta.

1829

Considera argumentum in forma.

7 Considera tertiò argumentũ, quod in forma est sequens. Omnis causa habens certum ordinem ad suum effectum, & est posita, de necessitate suum effectum includit: sed prædestinatio habet certum ordinem ad effectum, & est posita ab æterno: ergo de necessitate includit effectum suũ. Sed hoc est falsum, cùm effectus eius sit contingens, puta actus liberi arbitrij, ac per hoc non potest esse inclusus ex necessitate in sua causa: ergo falsum est, quòd prædestinatio habet certum ordinem ad effectũ. Considera, inquam, quòd petit, vt explicetur, qualiter prædestinatio sit causa, habens certum ordinem ad effectum, & tamen non includat de necessitate effectum suum.

1830

Explicatur qualiter responsio sit adaptãda argumento.

8 Considera quartò, quòd prædictam difficultatem soluit per doctrinam nostræ resolutionis: & vt hoc videas, inspice, qualiter responsio argumentum prædictum euacuat: & qualiter possit adaptari propositionibus assumptis. Et quoniam totum argumenti pondus est in maiori; ideo pensa; An neget, vel distinguat maiorem. Euidens sanè est, in responsione nihil esse, quod minori adaptari possit. Solùm igitur pensare debes, qualiter possit adaptari maiori. Scias ergo, quòd S. Doctor distinguit maiorem: & alterum membrum distinctionis, habens sensum, in quo est falsa maior, & vera minor ponit expressè; alterum verò membrum, in quo est vera maior, & falsa minor, subtãcet, & solùm explicat verum sensum minoris, in quo supponitur asserta in argumento, in quo venit neganda maior.

1831

Explicatur ex doctrina S. D. distinctio, qua vtitur in responsione.

9 Distinctio autem est, qua ipse S. Doctor vtitur, docens expressè nostram resolutionem, q. 6. de Veritate ar. 3. in corp. verbis statim referendis. Est igitur distinctio, quòd dupliciter aliqua causa potest habere certum ordinem ad suum effectũ. Vno modo per rectum descensum in effectum, & eo modo, quo vna causa particularis procedit in suum effectum. Alio modo, quo seruat certitudinem, non quidem inquantùm per rectum descensum, & eo modo, quo causa particularis procedit in effectum; sed secundùm quòd, vt causa vniuersalis, sic disponit occursum aliarum causarum in ordine ad causam, quæ posset deficere, quòd eam seruat sine defectu, seu eius defectum impedit, proportionatis adminiculis. Causa, seruãs certum ordinem ad effectum primo modo, includit effectum suum ex necessitate, & excludit contingentiam ab effectu: sed nõ sic habet certum ordinem ad suum effectum prædestinatio: quia eius *non est naturam perdere* (vt inquit Dionysius) *sed seruare*. Causa verò, habens certum ordinem ad effectum secundo modo, non includit ex necessitate, sed cùm suo modo contingentiæ effectum suum; & ex consequenti non excludit contingentiam: & hoc modo habet certum ordinem ad effectũ prædestinatio. Et inde subiungit S. Doctor. *Et ideo ita per causas contingentes aliquid faciendum ordinat, vt causæ contingentiam non tollat*. Sed si non tollit contingentiam ex causis, quo modo seruabit certitudinẽ? & ad hoc respondet subdens: *sed ex alijs concurrentibus causis defectum causæ contingentis impedit*. Ecce modum in nostra resolutione expressum. Et inde optimè subdit. *Et per hunc modum prædestinatio certissimum modum habet ad effectum, & tamen libero arbitrio nulla necessitas imponitur*. Hic ergo est modus, quo prædestinatio (& idem est, de prouidentia) habet non solùm certum, sed etiam certissimum ordinem ad effectum, & libero arbitrio necessitatem non imponit, quo scilicet, alijs concurrentibus causis, defectum causæ contingentis impedit: non autem ille, quo Deus per se ipsum

Expenditur, & inculcatur doctrina responsionis contra Recentes.

ipsum immediatè, nulliſque mediantibus cauſis, imprimit cauſæ contingenti, ſeu libero arbitrio, motum inducentem infallibiliter effectum. Quo enim modo aliis concurrentibus cauſis, defectum cauſæ contingentis impedientibus, habet hunc certiſſimum ordinem Deus, quando illũ motum prædeterminatiuum, per quem (ſecundùm hos Recentes) habetur certitudo ordinis, ſolus Deus ipſe præſtat cauſis contingentibus, & maximè libero arbitrio? Sed audiamus verba S. Doctoris, quibus & diſtinctionem reſponſionis proximè inductam, & reſolutionem noſtram explicatiùs docet.

1832 10 Porrò art. 3. qu. 6. de Veritate cit. quærit S. Doctor *Vtrum prædeſtinatio habeat certitudinem*. In corpore autẽ articuli proponit punctum difficultatis, eumque reſoluit, inquiens: *In prædeſtinatione inuenitur certitudo reſpectu ſingularis finis; & tamen cauſa proxima, ſcilicet liberum arbitrium, non producit effectum illum, niſi contingenter. Vnde difficile videtur, concordare infallibilitatem prædeſtinationis cum libertate arbitrij. Non enim poteſt dici, quòd prædeſtinatio ſupra certitudinem prouidentiæ nihil aliud addit; niſi certitudinem præſcientiæ, vt ſi dicatur: quòd Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut & quemlibet alium: ſed cum hoc de prædeſtinato ſcit, quòd non deficiet à ſalute. Sic enim dicendo, non diceretur prædeſtinatus differre à non prædeſtinato ex parte ordinis: ſed tantùm ex parte præſcientiæ euentus, & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis: nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis, quod eſt contra auctoritatem ſcripturæ, & dicta Sanctorum. Vnde præter certitudinem præſcientiæ ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem; nec tamen cauſa proxima ſalutis ordinatur ad eam neceſſariò; ſed contingenter, ſcilicet liberum arbitrium*. Sic S. Doctor difficultatem reſoluit. Probat deinde, & explicat reſolutionem: Nunc ergo audiamus: an ordinem diuinæ prædeſtinationis, doceat, eſſe infallibilem, vel ex vi præſcientiæ conditionatæ vſurpatæ à Mediſcientiantibus; vel propter motum impreſſum cauſis liberis, ad eas inducendas infallibiliter in actus liberos, vt dicitur à quibuſdam Thomiſtis: An verò propter doctrinam noſtræ reſolutionis. Subiungit enim.

1833 11 *Quod hoc modo poteſt conſiderari. Inuenimus enim ordinem infallibilem eſſe reſpectu alicuius dupliciter. Vno modo, inquantùm vna cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine diuinæ prouidentiæ. Alio modo, quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium, & deficere poſſibilium, peruenitur ad vnum effectum; quarum vnamquamque Deus ordinat ad conſecutionem effectus loco eius, quæ deficit, vel nè altera deficiat. Sicut videmus, quòd omnia ſingularia ſunt corruptibilia, & tamen per ſucceſſionem vnius ad alterum poteſt in eis ſecũdum numerum ſaluari perpetuitas ſpeciei, diuina prouidentia taliter gubernante, quòd non omnia deficiant, vno deficiente*. Nota modo ſequentia: nam ſubdit. *Et hoc modo eſt in prædeſtinatione*. Audiſti? ſequitur. *Liberum enim arbitrium deficere poteſt a ſalute; tamen in eo, quem Deus prædeſtinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel ſi cadat, (ita ſcilicet ipſo Deo permictente) quòd reſurgat*. Sed quæ ſunt hæc adminicula? planè ea, quæ ſupra appellauit beneficia. Vnde ſubdit. *Sicut exhortationes, & ſuffragia orationum, donum gratiæ, & aliæ huiuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem. Si ergo conſideremus ſalutem reſpectu cauſæ proximæ, ſcilicet liberi arbitrij, non habet certitudinem; ſed contingentiam. Reſpectu autem cauſæ primæ, quæ eſt prædeſtinatio, habet certitudinem*. Hæc Angelicus Præceptor.

Doctrina S. Thomæ conſideranda, qua proponit difficultatem.

Reſolutio difficultatis.

Explicat S. D. modum, quo diuina prædeſtinatio ſeruat certitudinem, ſalua liber tate, & cõtingentia cauſarum proximarũ idque per doctrinam noſtræ Reſolutionis.

1834 12 In quibus, vt vides, & diſtinctionem num. 15. huius §. inſinuatam, & doctrinam noſtræ reſolutionis docet, qua ſcilicet, dicimus, quòd infallibilitas ordinis prædeſtinationis ad effectus, nec ex ſuppoſitione ſcientiæ mediæ habetur, nec ex aliquo vno determinato medio, habente ordinem infallibilem ad determinatum effectum; ſed ex pluribus adminiculis defectibilibus diuina prædeſtinatione præparatis, quibus, ipſa prædeſtinatione gubernante, fit, quòd liberum arbitrium, cùm poſſit deficere, non deficiat à conſecutione ſalutis. Idque ſecundùm illum modum, quo, diuina prouidentia gubernante, ſeruat Deus perpetuitatem alicuius ſpeciei, efficiendo, nè omnia indiuidua talis ſpeciei ſimul deficiant, vno deficiente? & ſecundùm illum modum) exemplum eſt deficiens) quo medicus ſua prudentia quandoque indeficienter ſanat, & agricola indeficienter agit contra ſterilitatem vitis.

1835 13 Itaque circa prædictam auctoritatem, expende primò verba, quibus modum certitudinis, conuenientem ordini prædeſtinationis, explicat S. Doctor, puta: *Alio modo, quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium, & deficere poſſibilium peruenitur ad vnum effectum, quarum vnamquamque Deus ordinat ad conſecutionem effectus, nè altera deficiat*. Expende, inquam, illa verba: *ex concurſu cauſarum multarum contingentium, & deficere poſſibilium*. Deinde conſidera, quas S. Doctor enumerauit cauſas contingentes, & deficere poſſibiles, ex quarum concurſu, diuina prædeſtinatione gubernante, fit, vt liberum arbitrium, quod eſt cauſa contingens, & potens

Expenditur prædicta doctrina, vrgeturque in Aduerſarios.

Digitized by Google

tens deficere à consecutione salutis, non deficiat. Inuenies enim enumerasse sequentes, puta: *exhortationes, suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi.* Omnes ergo prædictæ causæ sunt contingentes, & deficere possibiles. Non ergo inter has causas potest connumerari illud auxilium, excogitatum à modernis, quod (secundùm suos auctores) implicat contradictionem deficere ab effectu: sicut implicat contradictionem, diuinam voluntatem efficacem, & absolutam (cuius illud auxilium, secundùm dictos auctores, vicem gerit) deficere à suo effectu. Præciso ergo hoc auxilio, habet diuina prædestinatio infallibilem ordinem ad effectus liberi arbitrij secundùm Sanctum Thomã. Vel si velles tale auxilium esse donum gratiæ à S. Thoma connumeratum, oporteret te illud ponere inter causas deficere possibiles ab effectu (quales sunt exhortationes, suffragia orationum, ipsum liberum arbitrium, omnesque aliæ causæ contingentes) si secundùm mentem S. Thomæ loqui velles.

1836 14 Expende secundò, qualiter conseruat Deus perpetuitatem speciei E.g. leoninæ, ne simul omnes leones morientur, vno moriente. Num dices, Deum imprimere qualitatem morienti, qua fit, ne alij moriantur, ipso moriente? vel imprimere qualitatem alijs, qua fit, ne moriantur, dum vnus moritur? Quis hæc dicet? Si ergo hæc minimè dici possunt; cur ad seruandum liberum arbitrium, ne deficiat à consecutione salutis, oportet, Deum imprimere qualitatem libero arbitrio, qua fit, ne deficiat, quando secundum illum modum seruat Deus liberum arbitrium, ne deficiat, secundùm quem seruat perpetuitatem speciei, ne simul omnia illius individua deficiant, vno deficiente?

Iterum expenditur: & confutantur Recentes.

1837 15 Sed prosequamur loca S. Doctoris, quibus alias partes resolutionis docet. Porrò diximus, quòd *si causa defectibilis inuenitur in illa dispositione, qua est causa, seu à propria dispositione non deficit, nec impeditur ab effectu, certitudinaliter habet effectum suum.* Hoc autem docuit S. Doctor sæpissimè, vt 1. p. q. 19. ar. 6. in corp. vbi habet: *Si aliqua causa particularis deficiat à suo effectu, hoc est propter aliam causam particularem impedientem* & q. 22. ar. 2. ad 1. habet: *Ordinem causæ particularis aliquid potest exire; non autem ordinem causæ vniuersalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis; nisi per aliquam aliam causam particularem impedientem: sicut lignum impeditur à combustione per actionem aquæ &c.* quæ infra ex alia occasione referemus. Et q. 49. eiusdem 1. p. ar. 1. in corp. sic habet. *Quod autem aliquid deficiat à sua naturali, & debita dispositione, non potest prouenire, nisi ex aliqua causa trahente rem extra suam dispositionem. Non enim grauia mouentur sursum, nisi ab aliquo impellente. Nec agens deficit à sua actione, nisi propter aliquod impedimentum.* Et quæst. 103. ar. 7. in corpore, inquit: *Præter ordinem particularis causæ nihil prouenit, nisi ex aliqua alia causa impediente.* Et idem inuenies sæpe à S. Doctore assumi tanquam certum, & indubitatum, quod ita esse S. sequenti manifestabimus.

Alia loca S. Doctoris, pro Resolutione.

1838 16 Tandem nostra resolutione concludimus, quòd, quia Deus per suam voluntatem, & prouidentiam est causa vniuersalissima in omni genere, subordinans sibi omnes causarum series, *necesse est, quòd omnes causæ defectibiles, per quas ipse Deus decreuit procedere in actus earum contingentes, & liberas, non aliter continentur sub ordine diuinæ prouidentiæ, & gubernationis; nisi vt seruata sine defectu.* Et hoc docuit expresè etiam S. Doctor sæpè, præsertim sequentibus tribus locis, si simul componantur. Itaque in p. dist. 47. q. 1. ar. 1. tertio loco profert sequens argumentum. *Omnis causa prima, quæ producit effectum mediante causa secunda, qua impediri potest, non producit efficaciter effectum. Sed voluntas Dei est causa prima non excludens causas secundas, quæ deficere possunt. Ergo videtur, quòd non efficaciter producat effectum.*

Afferuntur tria testimonia S. Doctoris, stabilientia vltimam partem Resolutionis.

Respondet autem *Ad tertium dicendum, quòd voluntati diuinæ non solùm subiacet expletio effectus, sed omnium causarum precedentium ordo, secundùm illas conditiones, quibus determinantur ad effectum, sine defectu. vt quòd talis volens, & merens saluetur, saluetur. Voluntati enim consequenti subijcitur effectus cum omnibus causis suis, secundùm quod sunt non impedita.*

1839 17 Et eodem loco ad Annibaldum art. 2. primo loco proponit idem argumẽtum his verbis. *Omnis causa prima, quæ producit effectum suum mediante causa secunda contingente, potest deficere à suo effectu, quamuis in se sit necessaria. Sicut floritio arboris, propter defectum virtutis plantæ, quandoque deficit, quamuis causa prima, scilicet motus solis, sit necessaria; Sed voluntas Dei producit suum effectum volitum mediantibus causis secundis contingentibus, sicut libero arbitrio & alijs huiusmodi. Ergo voluntas Dei deficit à suo volito.* Respondet autem: *Ad primum dicendum, quòd ratio illa procedit, quando causa prima efficit effectum causa secundæ, & non ipsam causam secundam: Sed voluntas diuina, non solùm est de effectibus causarum contingentium; sed de ipsis causis contingentibus, pro vt ordinantur ad suos effectus. Vnde voluntas diuina de effectu causæ contingentis excludit omnem*

Digitized by Google

tem defectum, qui causę posset accidere.

1840 18 Prima etiam parte q. 19. art. 6. tertio loco proponit idem argumentum, dicens. *Voluntas Dei, cùm sit causa prima, non excludit causas medias, vt dictum est. Sed effectus causæ primæ potest impediri per defectum causæ secundæ, sicut effectus virtutis motiuæ impeditur propter debilitatem tibię. Ergo & effectus diuinę voluntatis potest impediri propter defectum secundarum causarum.* Respondet verò. *Ad tertium dicendum, quod causa prima tunc potest impediri à suo effectu per defectum causæ secundæ, quando non est vniuersaliter prima, sub se omnes causas comprehendens: quia sic effectus nullo modo posset sumum ordinem euadere: & sic est de voluntate Dei, vt dictum est.* Ita Angelicus Præceptor.

1841 19 Ex industria autem retuli tria argumenta, tresque responsiones, licèt sint in substantia idem argumentum, eademque responsio; quia omnia ad rem nostram faciunt. Verùm vt videas, docuisse S. Doctorem resolutionem nostram. Consídera primò, quòd siue in argumentis, siue in responsionibus loquitur S. Doctor expressè de omni causa contingenti, etiam libera. Considera secundò, quòd argumentum, secundùm formam, primo loco relatam, tentat excludere à diuina voluntate efficaciam, ad quam saluandam circa actiones causarum contingentium, & specialiter liberi arbitrij, crediderunt quidam Recentes, necessariò requiri aliquid impressum in causa, etiam libera, puta qualitatem per modum motus, quam crediderunt à diuina voluntate, cuius vices gerit, habere efficaciam quandam intentionalem, ad inducendum efficaciter, & infallibiliter in actum causas, in quibus recipitur.

Primum considerandum in relatis auctoritatibus.

Secundùm considerãdum.

1842 20 Considera tertiò, qualiter argumentum soluendum esset à Recentibus, qui sequuntur inuentores, vel scientiæ mediæ, vel qualitatis prædeterminantis. Quando quidem, ad euadendam difficultatem inculcatam in relato argumento, prædictas vias inuenerunt. Etenim, existente diuina voluntate causa efficacissima, & infallibili, non excludente causas contingentes, & liberas, cæperunt perquirere medium, quo talis efficacia, & infallibilitas haberetur à Deo, agente per causas liberas. Et aliqui quidem concluserunt, haberi per motum primi mouentis, impressum libero arbitrio. Aliqui verò concluserunt haberi, præsuppositâ in Deo scientia media, qua, priusquam aliquid decerneret circa actus creati arbitrij, præsciuit, quòd, si liberum arbitrium in his, vel illis circumstantijs, adiutum his, vel illis auxilijs, collocaretur, hoc determinatè ageret, vel non ageret. Hac autem scientia præsuppositâ, dixerunt: quòd hoc ipso Deus habet medium infallibile, auxiliaque efficacia ad actus, quos vult habere per creatum arbitrium, quòd dictum liberum arbitrium collocat in illis circumstantijs, & cum illis auxilijs, sub quibus scit, quòd sic esset operaturum, si in illis, & sub illis constitueretur.

Tertium considerandum.

1843 21 Considera, inquam, qualiter argumentum soluendum esset in horũ Recentium sententia. Percipies enim, quòd non aliter à Mediscientiantibus solui potest, quàm per distinctionem illius propositionis: *Omnis causa prima, quæ producit effectum mediante causa secunda, quæ impediri potest, seu potest deficere ab effectu, non producit efficaciter effectum suum,* seu potest deficere ab effectu: dicendo scilicet, quòd est vera de illa causa prima, quæ non scit, quòd si causa secunda esset posita in his, vel illis circumstantijs, hunc, vel illum produceret effectum; non autem de illa, quæ hoc scit, qualis est Deus. At verò alij non aliter possent soluere, quàm dicendo: quòd prædicta propositio est vera de illa causa prima, cuius motus, quo mouet secundam, non habet efficaciam mouendi, & applicandi infallibiliter ad effectum, qualis est motus cœli, non autem de illa, cuius motus talia munera habet, qualis est, quo Deus mouet sibi inferiores causas.

Explicatur qualiter esset soluendum argumentum in sententia Recentiũ.

1844 22 Et indè tandem percipies, S. Thomam secundùm neutram ex predictis vijs; sed solùm secundùm doctrinam nostræ resolutionis argumentum soluere. Dicendo scilicet, quòd prædicta propositio non est vera de causa prima vniuersalissima, comprehendente sub se omnes causas, quæ scilicet non solùm est causa effectus; sed etiam ipsius causæ secundæ, & totius ordinis omnium præcedentium causarum secundùm omnes conditiones, quibus determinantur, seu ordinantur ad effectum contingentis causæ. Tali enim causæ, quæ est voluntas diuina, subijciuntur effectus cum omnibus causis suis, secundùm quòd sunt non impeditæ, seu excludit omnem defectum, quæ causæ contingenti (per quam ipsa procedit in effectum) posset accidere ex quauis alia causa; quia omnis alia causa comprehenditur sub suo ordine. Est autem vera de omni causa prima, quę non est vniuersaliter prima, seu prima in aliquo genere, extra cuius ordinem inueniuntur aliæ causæ, ex quibus prętèr intentionem suam potest prouenire impedimentum, & defectus causę contingentis, & sic non potest excludere omnem defectum, quæ causæ secundę contingenti

Concluditur, S. Thomam soluisse argumentum per doctrinam nostræ Resolutionis.

Digitized by Google

posset accidere. Verum tota huius responsionis doctrina pendet ex vna ratione fundamentali Sancti Doctoris §. 4. sequenti proponenda.

§. III.

Consideratur ad resolutionem probandam ratio fundamentalis, qua S. Doctor sæpè probat: Diuinam voluntatem semper impleri: Nihil posse contingere præter ordinem diuinæ prouidentiæ, & gubernationis; Prouidentiam diuinam habere certissimum ordinem ad omnes effectus causarum contingentium, & liberarum per ipsam dispositos: Omnes effectus contingentes, & liberos subijci fato, in bona significatione accepto &c.

1845

1 VT igitur totam resolutionem nostram in doctrina S. Thomæ manibus ipsis attrectes, rationemque fundamentalem, proponendam, qua tota probatur, ab eodem S. Doctore nos accepisse, & ad idem propositum ab eo adductam fuisse, oculis ipsis videas, considerandam proponimus doctrinam, qua ipse Angelicus Præceptor 1. p. q. 19. ar. 6. respondet sequenti quæsito, videlicet. *Vtrum voluntas diuina semper impleatur*: ita, scilicet, vt sit impossibile, eam non consequi effectum suum, seu deficere, & falli in suo effectu. Sic enim habet.

Doctrina S. Thom. qua probat, diuinam voluntatem non falli in cõsequendis effectibus volitis.

Respondeo dicendum, quòd necesse est, voluntatem Dei semper impleri. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd, cùm effectus conformetur agenti secundùm suam formam, eadem ratio est in causis agentibus, quæ est in causis formalibus. In formis autem sic, quòd licèt aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari; tamen à forma vniuersali nihil deficere potest. Potest enim esse aliquid, quod non est homo, vel viuum: non autem potest esse aliquid, quod non sit ens. Vnde hoc idem in causis agentibus contingere oportet. Potest enim aliquid fieri extra ordinem alicuius causæ particularis agentis: non autem extra ordinem causæ vniuersalis, sub qua omnes causæ particulares cõprehenduntur. Quia si aliqua causa particularis deficiat à suo effectu, hoc est propter aliquam aliam causam particularem impedientem, qua continetur sub ordine causæ vniuersalis. Vnde effectus ordinem causæ vniuersalis nullo modo potest exire, &c. Cùm igitur voluntas Dei sit vniuersalis causa omniũ rerum, impossibile est, quòd diuina voluntas suum effectum non consequatur. Vnde, quod videtur recedere à diuina voluntate, secundùm vnum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium.

1846

2 Eandem doctrinam repetit eadem 1. p. q. 22. ar. 2. ad p. vt probet, nullum effectum cuiusuis causæ posse dici casualem, vel fortuitum in ordine ad diuinam prouidentiam: sed omnem dicendum esse prouisum, & ordinatum. Et sic habet. *Dicendum, quòd alter est de causa vniuersali, & de causa particulari. Ordinem enim causæ particularis aliquid potest exire: non autem ordinem causæ vniuersalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis, nisi per aliquam aliam causam impedientem: sicut ignis impeditur à combustione per actionem aquæ. Vnde cum omnes causæ particulares concludantur sub vniuersali causa, impossibile est, aliquem effectum ordinem causæ vniuersalis effugere. Inquantùm igitur aliquis effectus ordinem alicuius causæ particularis effugit, dicitur esse casuale, vel fortuitum respectu causæ particularis: sed respectu causæ vniuersalis, à cuius ordine subtrahi non potest, dicitur esse prouisum: sicut & concursus duorum seruorum, licèt sit casualis, quantùm ad eos, est tamen prouisus à domino, qui eos scienter sic ad vnum locum misit, vt vnus de alio nesciat.*

Eadem doctrina pro bat S. Doctor, nullũ effectum posse dici fortuitum, vel casualem in ordine ad primã causam: omnẽque in ordine ad ipsam dici prouisum, & intentum.

1847

3 In eandem doctrinam incidit ratio, qua in corp. eiusdem art. probat, quòd *necesse est dicere, omnia diuinæ prouidentiæ subiacere, non in vniuersali tantùm; sed etiam in particulari.* Subiungit enim. *Quod sic patet. Cùm enim omne agens agat propter finem, tantùm se extendit ordinatio effectuum in finem, quantùm se extendit causalitas primi agentis. Ex hoc enim contingit, in operibus alicuius agentis aliquid prouenire, non in finem ordinatum, quia effectus ille consequitur ex aliqua alia causa præter intentionem agentis. Causalitas autem Dei, qui est primum agens, se extendit ad omnia entia, non solùm quantùm ad principia speciei; sed etiam quantùm ad individualia principia: non solùm incorruptibilium; sed etiam corruptibilium. Vnde necesse est, omnia, quæ habent quocunque modo esse, ordinata esse à Deo in finem, secundùm illud Apostoli ad Romanos 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Cùm ergo nihil aliud sit Dei prouidentia, quàm ratio ordinis rerum in finem, vt dictum est, necesse est, omnia, inquantùm participant esse, intantùm subdi diuinæ prouidentiæ.*

Ratio, qua S. Doctor probat; omnia subijci diuinæ prouidentiæ, procedit ex eadem doctrina.

1848

4 Repetit etiam priorem doctrinam q. 103. eiusdem 1. p. ar. 7. quo quærit. *Vtrũ diuina gubernatio cassetur in aliquo.* Quod quæsitum in principio articuli sequentibus verbis proponit: *Videtur, quòd aliquid præter ordinem diuinæ gubernationis contingere possit.* Vnde dat intelligere, quod vnum, idemque vtroque modo loquendi intendit quærere S. Doctor. Et respondet. *Dicendum, quòd præter ordinem alicuius particularis causæ aliquis effectus euenire potest: non autem præter ordinem causæ vniuersalis. Cuius ratio est; quia præter ordinem particularis causæ nihil prouenit, nisi ex aliqua alia causa impediente, quam quidem causam necesse est reducere*

Diuinam gubernationem nõ cassari in aliquo, probat S. D. ex eisdẽ principijs.

ducere in primam causam vniuersalem. Sicut indigestio contingit præter ordinem virtutis nutritiuæ ex aliquo impedimento, puta ex grossitie cibi, quam necesse est reducere in aliquam causam, & sic vsque ad causam primam vniuersalem. Cum igitur Deus sit causa prima vniuersalis, non vnius generis tantum; sed totius entis: impossibile est, quòd aliquid contingat præter ordinem diuinæ gubernationis. Sed ex hoc ipso, quòd aliquid, ex vna parte, videtur exire ab ordine diuinæ prouidentiæ, qui consideratur secundùm aliquam particularem causam, necesse est, quòd in eundem ordinem relabatur, secundùm aliam causam.

1849 5 Debet etiam considerari ex hoc articulo argumentum tertium eiusque responsio. Argumentum est. *Ordo diuinæ prouidentiæ est certus, & immutabilis; quia est secundùm rationem æternam: si igitur nihil possit contingere in rebus præter ordinem diuinæ gubernationis, sequitur, quòd omnia ex necessitate eueniant, & nihil in rebus sit contingens, quod est inconueniens. Potest igitur in rebus aliquid contingere præter ordinem gubernationis diuinæ.* Responsio verò est. *Ad tertium dicendum, quòd dicuntur aliqui effectus contingentes per comparationem ad proximas causas, quæ in suis effectibus deficere possunt; non verò propter hoc, quòd aliquid fieri possit extra totum ordinem gubernationis diuinæ; quia hoc ipsum, quòd aliquid contingit præter ordinem causæ proximæ est ex aliqua causa, subiecta gubernationi diuinæ.*

Effectus dicuntur contingentes per ordinem ad causas, quæ deficere possunt.

1850 6 Igitur circa hanc doctrinam, quàm considerandam proposuimus expẽde primo. Quòd ad probandum, *necesse esse, voluntatem Dei semper impleri*, seu (vt in corp. relati art. concludit) *impossibile esse, quòd diuina voluntas suum effectum non consequatur*, quod idem est, ac, necesse esse, quòd voluntas diuina habeat certum, & infallibilem ordinem ad effectum suum. Et similiter ad probandum, *quòd diuina gubernatio non cassatur in aliquo*, seu quòd eius ordo est certus & infallibilis; ac etiam, quòd in ordine ad diuinam prouidentiam nullus effectus est, siue casualis, siue fortuitus; sed omnis intentus, & ordinatus in finem, his duobus principijs vtitur, nempe: *quòd diuina voluntas*, seu etiam diuina prouidentia *est causa vniuersalis in omni genere, seu totius entis, comprehendens sub se*, seu sub suo ordine, *omnes causas*: Et quòd *si aliqua causa particularis deficiat ab effectu, hoc est propter aliam causam particularem impedientem, quæ continetur sub ordine causæ vniuersalis*, seu, *quam necesse est reducere in causam primam vniuersalem*. Expende, inquam, & manibus ipsis attrecta, quòd ex prædictis principijs (quæ nos ex industra in nostra resolutione ex pressimus, vt ex quibus quoad omnes partes probatur) infert S. Doctor omnes prædictas conclusiones, coincidentes cum his, quæ nostra resolutione statuimus: non autem ex eo, quòd, vel præsupponitur in Deo scientia de contingentibus sub statu conditionato, seu sub conditione futuris: vel causa vniuersalis imprimit causis contingentibus, & liberis, qualitatem, seu motum, per quem certitudinaliter prorumpunt in effectus proprios.

Expende, prædictas conclusiones probari ex principijs nostræ resolutionis: non verò ex eo, quia datur vel scientia media, vel motus prædeterminans.

1851 7 Et sanè perdidisset oleum altissimũ Angelici Præceptoris ingenium, stabiliendo rationibus metaphysicalibus tam multa de causa vniuersali, & ex ipsa ratione vniuersalis causæ deducendo prædictas conclusiones: quando vel essent inutilia, vel saltem multùm difficilia, ad propositum ostendendum: potuissetque immò & debuisset (quia aliter non potuisset secundùm hos Recentes) prædictas conclusiones facillimè probare. Vel dicendo: Quia in Deo præsupponitur scientia de effectibus contingentibus, & liberis sub conditione futuris; & voluntas diuina vult ponere causas contingentes, & liberas in illis circumstantijs, sub quibus scit, eas esse hoc, vel illud, operaturas, vel non operaturas: ideo necesse est, eam semper impleri, & impossibile, eam non consequi effectum suum, vel in ordine ad ipsam esse aliquid casuale, vel diuinam gubernationem cassari in aliquo. Vel dicendo: Quia diuina voluntas per sua decreta imprimit causis contingentibus, & liberis qualitatem, seu motum, per quem, vt per eorundem decretorum vicarium, fit, vt certitudinaliter prorumpant in effectus proprios, præfinitos per decreta: ideo necesse est, diuinam voluntatem semper impleri &c. Debuissetque ex consequenti S. D. totis viribus solùm probare: vel dari in Deo scientiam mediam: vel diuina decreta imprimere causis defectibilibus, & liberis qualitatem, seu motum, inducentem infallibiliter easdem causas in effectus præfinitos, vt faciunt prædicti Recentes. At verò S. D. nec in prædictis locis, nec alibi prædictas, vel similes conclusiones, sic probauit, sed semper ex ipsa ratione causæ vniuersalis, cuius causalitatis ordinem nullus effectus potest exire. Vt autem robur discursus S. Doctoris, reducentis prædictas conclusiones in principia per se nota, videas; rationemque eiusdem S. D. pro nostra resolutione infra proponenda facilius capias.

Si, vel scientia media, vel motus prædeterminans, requireretur infallibilitati ordinis diuinæ prouidentiæ, vanus & inutilis esset labor S. Doctoris.

1852 8 Considera secundò: quòd discursus ipsius S. D. verbis relatis num. 1. huius §. in forma est sequens. Impossibile est, quòd causa vniuersalis, comprehendens sub se, seu sub suo ordine omnes causas, suum effectum

Discursus S. Doctoris.

Digitized by Google

fectum non consequatur, illum, scilicet, quem, vt causa vniuersalis simpliciter, seu absolutè, intendit. Sed diuina voluntas est causa vniuersalis comprehendens sub se omnes causas. *Cum Dei voluntas sit causa vniuersalis omnium rerum* seu (vt loquitur S. D. verbis relatis num. 4.) *Cum Deus sit prima causa vniuersalis, non vnius generis tantùm; sed totius entis. Ergo impossibile est, quòd diuina voluntas suum effectum non consequatur.* Illum, scilicet, quem, vt causa vniuersalis simpliciter, seu absolutè, intendit. Et ex consequenti, necesse est, voluntatem Dei (puta absolutam) semper impleri.

1853

Probatur euidenter, prædictũ discursum esse S. Doctoris.

9 Circa hunc discursum nota primò, quòd certissimum est, eum esse S. Doctoris verbis relatis. Regula enim est dialecticorum, quod habitis conclusione, & medio termino, habetur syllogismus in forma primæ figuræ, si fiat dispositio medij termini cum extremis conclusionis; ita, vt prædicatum conclusionis sit prædicatũ maioris, & subiectum conclusionis sit subiectum minoris. Cùm igitur, verbis proximè notatis caractere cursiuo, nobis offerat S. Doctor conclusionem, & medium terminum, in quibus, seruata prædicta regula, præfatus discursus conficitur, dubitari minimè potest, eum intentum fuisse à S. Doctore.

1854

Causa explicationis additæ explicatur. Causa vniuersalis potest sumi dupliciter, scilicet, adequatè, & secundùm totũ ordinem, & inadequatè, & secundùm aliquẽ ordinem.

10 Nota secundò, quòd ex industria addidimus maiori, & conclusioni illam explicationem: *Illum, scilicet, quem, vt causa vniuersalis simpliciter, seu absolutè, intendit.* Quippe quia explicat verum sensum, quo assumitur principium, & quo infertur conclusio, secundùm mentem S. D. expressam in eodem art. Considerari enim debet, quod causa vniuersalis, comprehendens sub suo ordine omnes causas, potest dupliciter accipi, seu considerari, vt habes ex S. Doctore verbis relatis num. 4. & 5. huius §. Vno modo adequatè, & secundùm totum suum ordinem, pro vt scilicet in suo ordine comprehenduntur omnes causæ ordinatæ ad suos effectus: & vt sic, habet peruenire ad effectum aliquem, quando in eum procedit attento toto suo ordine. Vt si accipiamus influentiam primi Cœli, pro vt procedit per omnes orbes stellarum, & planetarum, simul sumptos. Et hæc est acceptio causæ vniuersalis simpliciter, & absolutè. Alio modo inadequatè, & partialiter, & inquantùm procedit præcisè per aliquam determinatam seriem causarum. Vt si accipiamus, seu consideremus influentiam primi Corporis, prout procedit præcisè per orbem Lunę, non considerando eam, quatenus procedit per orbes aliarum stellarum, & planetarum, quæ fortè possent habere, vel repugnantiam, vel conuenientiam ad influentiam Lunæ. Et hæc est acceptio causæ vniuersalis, secundùm quid, ideſt, pro vt est vniuersalis, & prima, precisè quantùm ad aliquam, vel aliquas determinatas series causarum, secundùm quam rationem induit conditionem illius determinatæ seriei causarum, per quã procedit.

1855

Dupliciter dicitur aliquid esse intentum à causa vniuersali: scilicet simpliciter & secundùm quid.

11 Et inde fit, quòd causa vniuersalis dupliciter potest dici, quòd intendit, seu tendit in aliquem effectum (intentio enim causæ, seu agentis, ad effectum, nil aliud importat, quàm illam tendentiam, inclinationem, & ordinationem, quam habet ad effectum). Vno modo absolutè, & simpliciter. Et est, quando ipsa sumpta adequatè, & attenta tota dispositione sui ordinis, comprehendentis in se omnes causas ordinatas ad proprios effectus, tùm, scilicet, eas, quæ alias adiuuant, tùm eas, quæ alias oppugnant, & impediunt, seu attentis omnibus simul, conspirat, tendit, & inclinatur in talem effectum. Sicut Cælum tunc dicitur absolutè, & simpliciter intendere aliquem effectum, quando attenta tota cælesti periodo, & computatis omnibus, siue adiuuantibus, siue impedientibus eius influentiam in effectum, tendit & inclinatur, quasi conspirans, in talem effectum. Alio modo, secundum quid, & conditionatè. Et est, quando accepta inadequatè, & partialiter, & pro vt præcisè procedit per aliquam specialem causarum seriem, habet tendentiam in effectum, cuius oppositum posset contingere absolutè, & simpliciter, inquantùm attenta dispositione totius ordinis, includentis omnes alias causas, forte inuenitur aliqua, sic disposita, vt effectum illius prioris impediat, & sic attenta tota dispositione sui ordinis inuenitur inclinata ad oppositum effectum. Sicut si Astrologus diceret: Hoc sic deberet esse, quantùm est ex vi influentiæ Lunæ præcisè sumptæ: & tamen absolutè alio modo res est, attenta scilicet tota Cœlesti periodo, in qua inueniuntur stellæ effectum Lunæ impedientes, retorquentesque eius influentiam in oppositum. In quo casu talis effectus diceretur, secundùm quid intentus à primo corpore; inquantum, scilicet, eius influẽtia procedit per orbem Lunæ præcisè: & absolutè, & simpliciter diceretur non intentus, seu intentus oppositus; inquantùm attenta tota periodo, in oppositum tendit.

1856

Voluntas diuina, inquantùm causa, sumitur du-

12 Subindè fit, quòd quia diuina voluntas est ista causa vniuersalis, comprehẽdens sub suo ordine omnes causas; ideo potest dupliciter accipi, seu considerari.

Vno

pliciter & vno modo dicitur aliquid velle absolutè; alio verò secundùm quid.

Vno modo adæquatè, & secundùm totum suum ordinem comprehendentem omnes causas. Alio modo secundùm quid, & inadæquatè, pro vt scilicet procedit per aliquam determinatam seriem causarum, quam eadem diuina voluntas ordinauit ad aliquem effectum. Voluntatem diuinam primo modo acceptam appellamus voluntatem absolutam, seu consequentem, idque, in quod sic tendit, dicimus, & est, absolutè, & simpliciter, volitum, seu volitum voluntate consequenti. Acceptam verò secundo modo, appellamus voluntatem secundùm quid, seu antecedentem, idque, in quod sic tendit, dicimus esse volitum secundùm quid, seu voluntate antecedenti. Vnde D. Thomas q. 23. de Veritate ar. 2. in corp. verbis relatis prima parte huius Tractatus §. 16. num. 7. fol. 70. sic habet. *Id ad quod Deus creaturam ordinauit, quantùm est de se, dicitur esse volitum à Deo, quasi prima intentione, siue voluntate antecedenti.* Hancque voluntatem in art. quem expendimus, sed in responsione ad primum, appellat velle secundùm quid, priorem verò, velle simpliciter, & absolutè. E.g. Quia diuina voluntas ordinauit creaturam rationalem ad beatitudinem, donans ei in primo Parente gratiam, propagandam per originem naturalem, per quam, nisi amisissent, possent omnes saluari, dicitur velle omnes homines saluos fieri. Sed hoc dicitur velle secundùm quid, & conditionatè, seu ex prima intentione; quia Deus quantùm est de se, ex vi huius gratiæ, creaturam rationalem ordinauit ad gloriam. Vnde diuina voluntas, considerata præcisè, quatenus eleuauit creaturam rationalem ad ordinem huius gratiæ, dicitur intendere, & velle eidem creaturæ gloriam. At verò, quia non omnes homines; sed aliqui tantùm sunt à diuina voluntate ordinati ad gloriam, attenta tota dispositione sui ordinis, seu computatis omnibus in suo ordine comprehensis; ideo non omnes; sed aliquos tantùm dicitur absolutè, & simpliciter voluisse ad gloriam.

Locus Sancti Doctoris ad propositum.

Manifestatur exemplo.

Concluditur ratio explicationis additæ.

Igitur, quia ita res se habet circa acceptionem causæ vniuersalis, & intentionis eius ad effectus: & D. Thomas in suo discursu accipit causam vniuersalem adæquatè, & pro vt est vniuersalis absolutè, & simpliciter, vt constat ex contextu, & ex responsione ad primum; ideo nos, vt rationem secundùm eius intentionem proponeremus, prædictam explicationem suis propositionibus adiunximus. Redeamus modò ad discursum S. Doctoris.

1857

Probatio maioris.

13 Maior ergo, puta: *Impossibile est, quòd causa vniuersalis, comprehendens sub se omnes causas, suum effectum non consequatur.* Sic probatur. Impossibile est, quòd causa illa, extra cuius causalitatis ordinem nõ potest aliquid fieri, seu cuius ordinem nullus effectus potest exire, suum effectum non consequatur. Sed causa vniuersalis, comprehendens sub se, seu sub suo ordine omnes causas, est ista causa, extra cuius ordinem non potest aliquid fieri, seu cuius ordinem nullus effectus potest exire. Ergo impossibile est, quòd causa vniuersalis, cõprehendens sub suo ordine omnes causas, suum effectum non consequatur. Maior huius discursus à S. Thoma supponitur euidens, & re vera ita est. Nam si aliquis effectus non potest exire ordinem alicuius causæ, oportet, quòd causa per suum ordinem illum assequatur, ipsumque comprehendat; nec posset aliter ipsum non assequi, & non cõprehendere, nisi per hoc, quòd extraheretur à tali ordine; quòd tamen est impossibile, dum talem ordinem exire non potest.

Maior præsentis discursus manifestatur euidenter.

1858

Eadem maior manifestatur alio discursu.

14 Potest etiam ex doctrina eiusdem articuli sequenti discursu manifestari. Illa causa, quæ est tam vniuersalis, vt omnis effectus cuiuslibet causæ particularis sit effectus suus; & quæ, deficiente ab effectu, seu non assequente effectum proprium quacunque causa particulari, assequitur effectum suum; ita vt, siue causæ particulares assequantur effectum proprium, siue non assequantur, & ab eo deficiant, ipsa assequitur effectum suum, impossibile est, quòd suum effectum non assequatur. Non enim restat causæ vniuersali aliqua via deficiendi ab effectu intento, si neutro ex prædictis modis deficere potest ab eo. Sed causa, extra cuius causalitatis ordinem non potest aliquid fieri, seu cuius ordinem nullus effectus exire potest, est ista causa tam vniuersalis, vt effectus cuiuslibet causæ particularis sit effectus suus, & deficiente quacunque causa particulari ab effectu proprio, ipsa assequatur suum effectum. Ergo &c. Minor, quantùm ad illam partem, qua asserit, quòd *effectus cuiuslibet causa particularis est effectus suus*, est euidens ex terminis: inuoluitur enim in ipsa ratione subiecti. Si enim non potest aliquid fieri extra ordinem causalitatis talis causæ vniuersalis, oportet, quòd quidquid fit à quacumque causa, fit intra ordinem suæ causalitatis, & sic sit effectus suus.

Probatur minor quoad primam partem.

1859

Probatur quoad secundam partem.

15 Quantùm verò ad aliam partem, qua asserit, quòd *deficiente quacunque causa particulari à proprio effectu, ipsa assequitur effectum suum*. Sic demonstratur ex verbis S. D. Nam, *si aliqua causa particularis deficit à proprio effectu, hoc est propter aliquam aliam causam particularem impedientem, qua continetur*

Digitized by Google

tur sub ordine causæ vniuersalis. Causa ergo vniuersalis per suum ordinem assequitur effectum suum in ista causa, qua impeditur alia causa particularis: deficiente ergo causa aliqua particulari à proprio effectu, causa vniuersalis per suũ causalitatis ordinem assequitur effectũ suum, illũ scilicet, quẽ ipsa absolutè intendit. Iã enim (vt aduertimus num. 18. huius §.) Effectus absolutè, & simpliciter, intentus à causa vniuersali, accepta vt vniuersalis simpliciter, est, in quem ipsa tendit, attenta tota dispositione sui ordinis: sicut & non intentus simpliciter, & absolutè, est, in quẽ non tẽdit, attẽto toto suo ordine, simul sumpto. Inde autem fit, quòd effectus intentus simpliciter à causa vniuersali, includente sub suo ordine omnes causas, sit solus ille, qui à nulla causa sui ordinis impeditur. Ille autem, qui ab aliqua causa, contenta in suo ordine, impeditur, sit absolutè, & simpliciter non intentus. Subinde fit, quòd effectus causæ particularis, habens causam impedientem, contentam sub ordine causæ vniuersalis, sit absolutè, & simpliciter non intentus ab eadem causa vniuersali. Causa verò impediens, contenta sub suæ causalitatis ordine, sit absolutè, & simpliciter intenta. Atque ex his apparet, quòd deficiente aliqua causa particulari à proprio effectu, causa vniuersalis, comprehendens sub suo ordine omnes causas, assequitur effectum suum, à se intentum absolutè, & simpliciter, dum assequitur causam impedientem. Illum autem, quem non assequitur, puta effectum causæ particularis impeditæ, ipsa causa vniuersalis absolutè, & simpliciter assequi non intendit; licèt fortè illum intendat secundùm quid. Et sic, per hoc ipsum, quòd illum non assequitur, intentio absoluta vniuersalis causæ non deficit.

1860 16 Restat modo probanda minor discursus formati num. 13. puta. *Sed causa vniuersalis, comprehendens sub suo ordine omnes causas, est causa, extra cuius ordinem non potest aliquid fieri* &c. Eam autem probat S. Doctor ratione fundamentali, ex qua desumitur ordo per se in agentibus. Quo circa ipsam afferemus sub formalibus verbis ipsius S. D. simulque explicabimus verum eius sensum, & efficaciam. Sic ergo procedit. *Cùm effectus conformetur agenti secundùm suam formam*, ideſt, cum effectus sit conformis, & similis agenti secundùm formam, qua ipsum agens est in actu. Cũ enim, ex vna parte, omne agens agat in quantùm est in actu per formam (vt explicuimus disp. præcedenti §. x. a num. 2. ad x1.) & ex alia, omne agens agat sibi simile; necesse est, quòd factum, seu effectus, sit conformis, & similis agenti, vel secundùm rationem specificam, vt contingit in agentibus vniuocis, vel secundùm aliquam rationem genericam, vel magis communem, vt contingit in agentibus æquiuocis. *Eadem ratio est in causis agentibus, quæ est in causis formalibus*. Ideſt, eadem ratio procedit in causis agentibus, quæ procedit in illis rationibus formalibus, secundùm quas attenditur similitudo, & conformitas inter effectus ad agentia; eadem quidem, quantùm ad hoc, quòd necesse sit, rem esse ab istis, vel illis agentibus, & esse cum istis, vel illis rationibus formalibus, secundùm quas attenditur similitudo, & conformitas ad agentia. *In formis autem sic*, ideſt, in illis rationibus formalibus res sic se habet, *quòd licet aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari*, ideſt aliqua ratione formali particulari; *tamen à forma vniuersali nihil deficere potest. Potest enim esse aliquid, quod non est homo, vel viuum: non autem potest esse aliquid, quod non sit ens. Vnde hoc idem in agentibus contingere oportet. Potest enim aliquid fieri extra ordinem alicuius causæ particularis agentis*: cui effectus deberet assimilari, & conformari, vt homo, vel viuum: *non autem extra ordinem causæ vniuersalis, sub qua omnes causæ particulares comprehenduntur*: cui debet conformari, & assimilari effectus sub ratione entis, quæ est ratio vniuersalissima, sub qua, vt sub ratione formali obiecti virtutis vniuersalis, & primi agentis, comprehẽduntur omnes rationes inferiores, sub quibus effectus correspondet virtutibus omnium inferiorum agentium, vt obiectum proprium.

Minor principalis rationis probatur discursu S. Doctoris, relato sub formalibus verbis eiusque efficacia demonstrata.

1861 17 Hanc rationem puto verè demonstratiuam, solùmque posset videri obscura, quantùm ad primam consequentiam, qua, ex eo, quòd effectus conformatur agenti, seu est similis agenti secundùm suã formam, infert, quòd eadem ratio est in causis agentibus, quæ est in causis formalibus, ideſt (vt nos explicuimus) in illis rationibus formalibus, secundùm quas attenditur conformitas, & similitudo inter effectus, & agentia. Est tamen euidens, si consideretur doctrina eiusdem S. D. quam tradidimus disp. 2. §. 8. a nu. 12. ad 28. a fol. 177. ad 181. Hoc enim loco num. 15. inuenies, quòd nomine formarum, secundùm quarum ordinem sunt per se ordinata agentia, intelligit S. Doctor rationes formales, seu prædicata magis, vel minus vniuersalia ordinata in serie prædicamentali substantiæ, vt homo, animal, viuens, &c. Et inde concludes explicationem supra à nobis datam verbis S. Thomæ, non solùm esse conformem exemplis,

Euidens bonitas primæ consequẽtiæ demõstratur.

Digitized by Google

plis, quibus explicat formas, per ly *homo*, & ly *viuum*, sed etiam expresè modo loquendi ipsiusmet S. Doctoris. Ampliùs nu. 12. & 13. habes, quòd; *Cùm vnumquodq; agat* (verba sunt S. D. ibi citata) *secundùm quod est in actu, oportet, secundùm hoc accipere ordinem causarum agentium, secundùm quod est ordo earum in actualitate*, Et inde est) vt ibidem ex S.D. inferebamus) quòd, quantò causa est actualior, eò est superior; ita vt suprema sit actus purus; seu ipsum esse per se subsistens. Quoniam autem, quantò causa est actualior, eò habet maiorem virtutem, & quò virtus est maior, eò ad plura se extendit: ideo oportet, quòd quātò causa est altior, seu superior, eò obiectum virtutis eius sit communius; ita vt obiectum virtutis supremi agentis, quæ fundatur in actu puro, & in ipso esse subsistenti, sit communissimum, puta esse participatum à primo ente: obiecta verò virtutum aliorum inferiorum agentium sint aliquæ rationes minus communes, sed magis, vel minus vniuersales, secundùm quod agentia, ordinata sub supremo, & primo, sunt magis, vel minus actualiora, seu superiora in ordine, vt deduximus nu. 17. & 18. secundùm verba S. D. relata nu. 22. 25. & 26. Ita vt sit aliqua causa vniuersalis sub prima, cuius obiectum virtutis sit genus generabilium, & corruptibilium, & aliqua minus vniuersalis, cuius obiectum virtutis sit genus viuentium, & aliquæ minus vniuersales, quarum cuilibet virtuti correspondet aliqua tota species, vt leo, bos, &c. vt patet ex verbis S.D. relatis nu.

1862 10. & 15. loci citati.

18 Ex his autem sequitur primò, quòd quantùm ad hoc, quòd aliquid fiat ab istis, vel illis agentibus, & quòd contineatur sub hoc, vel illo genere, vel specie, secundùm quorum rationes effectus debent assimilari, seu conformari suis agentibus, eadem ratio sit de agentibus, & de causis formalibus, seu istis prædicatis, secundùm quæ effectus continentur sub obiectis virtutum eorundem agentium. Idq; patet ex eo; quia id, quod fit, oportet, quòd ab illa virtute, & agente procedat, sub cuius virtutis obiecto per se continetur, & sic eadem ratio est, quod fiat ab agente, & quod contineatur sub obiecto suæ virtutis: & ideo, sicut non potest esse aliquid nō participans esse, quod est obiectum virtutis supremi, & vniuersalis agentis; ita non potest esse aliquid, non effectum à tali agente, quasi extra ordinem virtutis, seu causalitatis talis agentis existens.

1863 19 Sequitur secundò: quòd in ordine ad talem causam vniuersalem non potest dari aliquis effectus casualis, & per accidens; sed omnis est intentus, & certus. Et quidem, quòd non sit possibile, dari aliquem effectum casualem, seu per accidens in ordine ad talē causam, oporteatq; omne, quod quomodolibet participat *esse*, esse intentum ab ipsa, sic patet. Nam effectus casuales, & per accidens, in ordine ad aliquod agens sunt, qui eueniunt præter intentionem agentis, seu præter intentionem finis ipsius. Inquit enim S. Doctor relatus disp. præcedenti §. 9. num. 11. fol. 454. *Quæ accidunt præter intentionem finis, dicuntur accidere à casu*. Sicut si intendens fodere sepulchrum, inueniat thesaurum, dicimus, talem inuentionem esse à casu, & per accidens. At verò in ordine ad illud agens, seu causam vniuersalem, cuius virtutis obiectum est ens participatum à primo ente, ac per hoc ordo causalitatis talis virtutis se extendit ad quodlibet, quod quomodolibet participat esse, impossibile est, euenire aliquid præter intentionem. Nam intentio causæ vniuersalis, vt vniuersalis, fertur in omnia, quæ sub ordine suæ causalitatis continentur. Impossibile est ergo, quòd aliquid eueniat, participando aliquo modo esse, & quòd sit non intentum, seu per accidens, in ordine ad dictam causam vniuersalem simpliciter.

1864 20 Quòd autem etiam sequatur, nullum effectum esse incertum, in ordine ad eandem causam vniuersalem, extra cuius causalitatis ordinem non potest fieri aliquid: seu cuius virtutis obiectum est ens participatum, sic patet. Nam causa efficiens (quæcunq; sit illa) per hoc solùm posset esse incerta in consequendo effectum, quem per ordinem suæ causalitatis intendit, quòd præter eius intentionem, seu ordinem suæ causalitatis, posset ei occurrere aliquid, impediens suum ordinem causalitatis, nè perueniat ad effectum intentum. At verò in ordine ad dictam causam vniuersalem, sumptam, vt vniuersaliter agentem, seu, vt agentem secundùm totum suum ordinem, extra quem non potest aliquid fieri, seu aliquid habere esse, implicat euidentem contradictionem, quòd aliquid sit ei occurrens præter eius intentionem, seu præter ordinem suæ causalitatis. Siquidem, quidquid ei occurrit, oportet, quòd sit effectum, & habeat esse, & si est tale, oportet, quod non sit extra, sed intra ordinem suæ causalitatis; & si est intra ordinem suæ causalitatis, oportet, quod sit secundùm eius intentionem: per hoc ipsum enim cadit aliquid sub intentione agentis, quod est sub ordine suæ causalitatis. Ergò per hoc ipsum, quòd causa est vniuersalis simpliciter, extra cuius ordinem non potest aliquid fieri, & sic mitur

Concluditur intentum.

Manifestatur, qualiter ex eo-dem principio sequatur, nullum effectum esse casualē in ordine ad causam vniuersalissimam.

Manifestatur, qualiter sequatur, omnē effectum causarum defectibilium esse certissimū in ordine ad eandem causam vniuersalissimam.

Digitized by Google

mitur secundùm totum ordinem, & ambitum, propter quod implicat contradictionem, quòd ei occurrat impedimentum, implicat etiam contradictionem, eam non habere certum ordinem ad effectum, in quem, vt causa vniuersalis absolutè, & simpliciter, tendit; ac per hoc impossibile est, quòd talis causa, sic sumpta, suum effectum non consequatur, vt concludit S. Doctor in articulo, cuius doctrinam expendimus. Vide dicenda §. 6.

1865 21 Eundem discursum fundatum in principio relato proximo num. 17. versat S. Doctor lib. 6. Metaphy. lec. 3. post medium. Vbi, occasione desumpta ex doctrina Aristotelis, assumit probandum, quòd in ordine ad causam vniuersalem secundùm quid, seu in aliquo genere, qualia sunt corpora cœlestia, dantur aliqua, quæ sunt per accidens; non autem in ordine ad causam vniuersalem simpliciter, & in omni genere; in ordine ad quam oportet, quòd omnia, quæ esse habent, etiam in singulari hìc, & nunc, & quæ in ordine ad aliquas alias causas sunt merè per accidens, sint ordinata, & intenta. Vt autem hoc euidenter probet, primò fundamentum ponit principium illud cuius meminimus disp. 2. §. 8. num. 13. fol. 177. & sic inquit; *Ad horum euidentiam considerandum est, quòd quantò aliqua causa est altior, tantò eius causalitas ad plura se extendit. Habet enim causa altior proprium causatum altius, quod est communius, & in pluribus inuentum. Sicut in artificialibus patet: quòd ars politica, quæ est supra militarem ad totum statum communitatis se extendit. Militaris autem solùm, ad eos, qui in ordine militari continentur. Ordinatio autem, quæ est in effectibus ex aliqua causa, tantùm se extendit, quantùm extendit se illius causæ causalitas. Omnis enim causa per se, habet determinatos effectus, quos secundùm aliquem ordinem producit.* Ex hac doctrina (quæ plura principia, in recta philosophia certissima, continet) deducit deinde, tanquam manifestè contentum (vt re vera est) in eadem doctrina, quòd possunt dari aliqui effectus, qui sint per accidens coniuncti, si referantur ad causas inferiores: per se autem, si referantur ad causam superiorem, & sic prosequitur.

1866 22 *Manifestum igitur est, quòd effectus, relati ad aliquam inferiorem causam, nullum ordinem habere videntur; sed per accidens sibi ipsis coincidunt. Qui, si referantur ad superiorem causam, & communem, ordinati inueniuntur, & non per accidens coniuncti; sed ab vna per se causa simul producti sunt. Sicut floritio huius herbæ, vel illius, si referatur ad particularem virtutem, quæ est in hac planta, vel illa, nullum ordinem habere videntur: immo videtur esse accidens, quòd, hac herba florente, illa floreat. Et hoc ideo, quia causa virtutis huius plantæ extendit se ad floritionem huius, & non ad floritionem alterius. Vnde est quidem causa, quòd hæc planta floreat, non autem quòd simul cum altera. Si autem ad virtutem corporis cœlestis, quæ est causa communis, referatur, inuenitur hoc non esse per accidens, quòd hac herba florente, illa floreat; sed esse ordinatum ab aliqua prima causa, hoc ordinante, quæ simul mouet vtranq; herbam ad floritionem.*

1867 23 Deniq; his suppositis, & ex eo, quia corpus cœleste, licèt sit causa vniuersalis, non est tamen vniuersalis simpliciter; sed solùm in aliquo determinato genere, se extendens dumtaxat ad ea, quæ per motum producuntur, infert, quòd in ordine ad ipsum possint aliqui effectus esse per accidens: tùm quia, dum agit per motum, requirit determinatam materiam, in quã agat, & sic potest ei aliquid accidere præter intentionem suæ causalitatis, ex indispositione materiæ: tum quia datur aliqua causa, puta liberum arbitrium hominis, quod per se non subijcitur causalitati Cœli; ex quo est, quòd homo per liberum arbitrium potest inclinationi, illatæ sibi ex actione cœlestis corporis, resistere: & sic potest aliquid euenire præter intentionem causalitatis cœlestis corporis. Quia verò Deus sua voluntate, & prouidentia est causa vniuersalis simpliciter, se extendens ad omne, quod quomodolibet participat esse, nullaque est possibilis causa, quæ sibi non sit subiecta, infert, quòd in ordine ad ipsum impossibile est, aliquid euenire non per se intentum, seu per accidens, & sic habet.

1868 24 *Quia etiam virtus corporis cœlestis, & incorruptibilis est, & impassibilis: non potest exire aliquis effectus ordinem causalitatis eius propter defectum, vel debilitatem ipsius virtutis. Sed quia agit mouendo, & omne tale agens requirit materiam determinatam, & dispositã; potest contingere, quòd in rebus naturalibus virtus cœlestis non consequatur suum effectum propter materiæ indispositionem, & hoc erit per accidens. Quamuis igitur multa, quæ videntur esse per accidens, reducendo ipsa ad causas particulares, inueniantur non esse per accidens, reducendo ipsa ad causam communem vniuersalem, scilicet, virtutem cœlestem; tamen, etiam hac reductione facta, inueniuntur aliqua esse per accidens, sicut superiùs est habitum à Philosopho. Quando enim agens aliquod inducit effectum suum, vt in pluribus, & non semper, sequetur, quòd deficiat in paucioribus, & hoc per accidens est. Si igitur corpora cœlestia effectus suos inducunt in inferiora corpora, vt in pluribus, & non semper, propter materiæ indispositionem; sequitur, quòd ipsum sit per accidens, quia virtus cœlestis effectum suum non consequatur,* (Cir-

Refertur discursus S.D. procedentis ex eodẽ principio ad easdem cãclusiones.

Nota principia à nobis supra assumpta.

Nota discursum S. D. quo probat, aliquos effectus esse casuales & per accidens in ordine ad causas inferiores, et se verò per se intentos in ordine ad superiorẽ.

Explicatur intentio discursus S. Doctoris.

Doctrina S. Th. qua explicat, qualiter aliqui effectus in ordine ad aliquas causas inferiores sint per accidens; in ordine verò ad aliquam superiorem sint per se intenti.

In ordine ad corpora cœlestia, possunt inueniri effectus per accidens.

Digitized by Google

(Circa hoc vide eundem D. Thomam de Veritate q. quinta ar. 9. argumento 2. eiusq; responsionem. Deinde attende ad ea, quæ hìc subdit; sequitur enim): *Licet etiam ex hoc aliqua inueniantur per accidens, facta reductione ad corpus cœleste; quia in istis inferioribus sunt aliquæ causæ agentes, quæ possunt per se agere absq; impressione corporis cœlestis, scilicet, animæ rationales.* &c. & post pauca, quæ

1869 non oportet transcribere, sic subdit.

In ordine ad causam altissimã, puta Deũ non potest inueniri effectus per accidens.

25 *Sed si vlterius ista contingentia reducantur in causam altissimam diuinam, nihil inueniri potest, quod ab ordine eius exeat: cùm eius causalitas extendat se ad omnia, inquantùm sunt entia. Non potest igitur sua causalitas impediri per dispositionem materiæ: quia, & ipsa materia, & eius dispositiones non exeunt ab ordine illius agentis, quod est agens per modum dantis esse, & non solùm per modum mouentis, & alterantis. Non enim potest dici quòd materia præsupponatur ad esse, sicut præsupponitur ad moueri, vt eius subiectum; quin immò est pars essentiæ rei. Sicut igitur virtus alterantis, & mouentis non impeditur ex essentia motus, aut ex termino eius; sed ex subiecto, quod præsupponitur: ita virtus esse dantis non impeditur à materia, vel à quocunq; quod adueniat qualitercunq; ad esse rei. Ex quo etiam patet, quòd nulla causa agens potest esse in istis inferioribus, quæ eius ordini non subdatur. Relinquitur igitur, quòd omnia, quæ hìc fiunt, prout ad causam diuinam referuntur, inueniuntur ordinata, & non per accidens existere; licèt per comparationem ad alias causas per accidens esse inueniãtur. Et propter hoc secundùm fidem catholicam dicitur, quòd nihil fit temerè, siuè fortuitò in mundo. Et quòd omnia subduntur diuinæ prouidentiæ.*

Consideratur doctrina Angelici Præceptoris, qua lib. 3. cont. gen. cap. 94. probat, diuinam prouidentiam habere certum ordinem ad effectus prouisos.

1870

Considerãda circa verba S. Th. quibus inculcat difficultatem contradicta circa diuinã Prouidẽtiam.

26 DEniq; considerandam proponimus rationem S. Præceptoris, qua hoc ipsum, quod desideramus probat cap. citato. Siquidem hoc loco difficultatem proponit, inquiens: *Difficultas autem quædam ex præmissis suboritur. Si enim omnia, quæ hìc inferiùs aguntur, etiam contingentia, prouidentiæ diuinæ subduntur; oportet, (vt videtur) vel prouidentiam non esse certam, vel omnia ex necessitate contingere.* Affert etiã quinq; rationes, difficultatem hanc inculcantes, quarum quarta concludit: *Sequitur ergo, quòd tollatur liberum arbitrium, si diuina prouidentia sit certa: & eodem modo sequitur, quòd omnes causæ contingentes tollantur.* Idq; specialiter adnota, vt videas, rationem S. Doctoris, modò infra referendam, includere causas liberas, saluareq; certitudinem ordinis diuinæ prouidentiæ in ordine ad effectus, pendentes ex nostro libero arbitrio.

Quid intendit probare S. D. circa diuinam Prouidentiam

Postquam verò pro oppositа parte prædictas quinq; rationes posuit S. Doctor, sic prosequitur: *Oportet autem ad horum solutionem aliqua repetere ex his, quæ supra posita sunt, vt manifestum fiat, quòd nihil diuinam prouidentiam effugit: & quòd ordo diuinæ prouidentiæ omnino immutari non potest: nec tamen oportet, quòd ea, quæ ex prouidentia diuina proueniunt, ex necessitate cuncta proueniant.* Nunc igitur audiamus, an ad probandum, quòd ordo diuinæ prouidentiæ sit certus; ita vt omninò cassari non possit; & tamen non oporteat imponere omnibus effectibus necessitatem, seu tollere contingentiam, & libertatem ab effectibus, recurrat, vel ad scientiam mediam, vel ad munus determinandi causas ad effectus, impositum à Recentibus motui Primi mouentis. Sic enim subdit.

1871

Proponit S. Doctor considerandа, pro proposita difficultate soluenda.

27 *Primò nanq; considerandum est, quòd; cùm Deus sit omnium existentium causa, rebus omnibus conferens esse; oportet, quòd suæ prouidentiæ ordo omnes res complectatur. Quibus enim esse largius est, oportet, quòd & conseruationem largiatur, & perfectionem in vltimo fine conferat. Cùm autem in quolibet prouidente duo considerare oporteat, scilicet ordinis præmeditationem, & præmeditati ordinis institutionem in rebus, quæ prouidentiæ subduntur: quorum primum ad cognoscitiuam virtutem pertinet; aliud verò ad operatiuam; hoc inter vtrunq; differt, quòd in præmeditando ordinem, tantò est prouidentia perfectior, quantò magis vsq; ad minima ordo prouidentiæ potest produci. Quòd enim nos omnium particularium ordinem præmeditari non possumus circa ea, quæ sunt disponenda à nobis, ex defectu nostræ cognitionis prouenit, quæ cuncta singularia complecti non potest. Tantò autem vnusquisq; in prouidendo solertior habetur, quantò plura singularia præmeditari potest. Cuius autem prouisio in solis vniuersalibus consisteret, parum de prouidentia haberet. Simile autem in omnibus operatiuis artibus considerari potest. Sed in hoc, quòd ordo præmeditatus rebus imponitur, tantò est dignior, & perfectior prouidentia gubernantis, quãtò vniuersalior est, & per plura ministeria suam explicat præmeditationem: quia & ipsa ministeriorum dispositio magnam partem prouisi ordinis habet. Oportet autem, quòd diuina prouidentia in summo perfectionis consistat: quia ipse est simpliciter, & vniuersaliter perfectus, vt in primo libro ostensum est. In prouidendo igitur sua sapientiæ præmeditatione sempiterna, omnia ordinat, quantumcunq; minima videantur; quæcunq; vero aliquid operantur, instrumentaliter agunt*

Digitized by Google

egunt, ab eo mota, & ei obtemperando ministrant, ad ordinem prouidentiæ ab æterno (vt ita dicam) excogitatum, explicandum in rebus. Hæc S. D. repetens, quæ supra scilicet cap. 76. & 77. eiusdem tertij libri posuerat. His autem positis, sic prosequitur.

1872 28 *Si autem omnia, quæ agere possunt, necesse est, vt in agendo ei ministrent; impossibile est, quòd aliquod agens diuinæ prouidentiæ executionem impediat, sibi contrarium agendo. Neque etiam possibile est, diuinam prouidentiam impediri per defectum alicuius agentis, vel patientis: cùm omnis virtus actiua, & passiua sit in rebus, secundùm diuinam dispositionem causata. Impossibile est etiam, quòd impediatur diuinæ prouidentiæ executio per prouidentis immutationem; cùm Deus sit omnino immutabilis, vt supra ostensum est. Relinquitur ergo, quòd diuina prouisio omninò cassari non potest.*

Ratio S. Doctoris, probans, Ordinem Diuinæ prouidentiæ esse omnino infallibilem.

1873 29 Ecce S. Doctoris discursum, quo probat, esse impossibile, quòd diuinæ prouidentiæ dispositio habeat in executione ex aliquo capite impedimentum, & sic deficiat ab effectibus prouisis, reddaturq; irrita, & cassa. Ecce, quomodo ex eo, quòd Deus est vniuersalissima causa omnium existentium, seu omnium quomodolibet habentium esse, infert, oportere, quòd eius prouidentiæ ordo, seu dispositio, tam vt meditata, quàm vt exercita, omnia prædicta complectatur; ac per hoc disponat & ordinet omnia, quæ in prædicto ordine, instituit, esse aliorum causas: & hoc, vt sibi ministrent, ad explicandam in rebus eandem suæ prouidentiæ dispositionem, ab æterno per altissimam sui intellectus sapientiam meditatam, seu excogitatam, & inuentam. Et inde infert, esse impossibile, talis dispositionis executionem impediri posse, siue per actionem agentis contrarij, siue per defectum dispositionis agentis, vel patientis. Ex quibus sequitur, diuinam prouidentiam habere infallibilem, & certissimum ordinem ad effectus prouisos, etiam ad eos, in quos per causas contingentes, & liberas procedit.

Infallibilitatem ordinis diuinæ prouidentiæ deducit S. Doctor ex eius vniuersalitate.

§. IV.

Probatur ex dictis Resolutio ratione.

1874 1 HIS consideratis ex Angelici Præceptoris doctrina, nunc cõsidera: An ex eisdem principijs nostra resolutio tota probetur. Diximus sanè, quòd non ex eo, vel quòd supponitur in Deo scientia media, vel in motu primi mouentis munus determinandi, & infallibiliter inducendi causas contingentes, & liberas in effectus earum, habet diuina prouidentia certum, & infallibilem ordinem ad prædictos effectus: sed *ex eo, quòd, cùm Deus sit per suam voluntatem, & prouidentiam vniuersalissima causa, & prima simpliciter in omni genere, ordinans, & disponens omnes causas secundas, quibus vtitur vt ministris, ad assequendos effectus, per suam voluntatem volitos, & per sapientiam, ac prouidentiam dispositos, & ordinatos: sic disponit omnia, tam circa causas defectibiles, & liberas, per quas decreuit procedere in effectus volitos; quàm circa alias causas, quas ad illas disposuit occurrere; vt in hac sua causarum dispositione, & congressu, res sic sint præparatæ, & dispositæ, vt prædictæ causæ, per quas decreuit Deus procedere in earum effectus contingentes, & liberos, inueniantur habere ex occursu aliarum causarum proportionata adminiculantia; tàm scilicet illa, quæ prædictas causas defectibiles adiuuant, nè deficiant, quàm quæ contrarias arceant, nè eis defectum inducant, impediantq; effectus, quos Deus vult habere per tales causas.*

Reassumitur resolutio, & notatur per singulas partes.

1875 2 Et addidimus, quòd *sic Deus gubernans vniuersum, explicansq; ad extra ordinem suæ prouidentiæ, seruat, adhibitis proportionatis adminiculis, causas defectibiles sine defectu; non autem vertit eas in indefectibiles.*

1876 3 Inde deduximus, quòd Deus per suam voluntatem, & prouidentiam, seruata contingentia, & libertate causarum, *procedit certitudinaliter per illas in effectus ipsarum.* Idq; probauimus; *quia causa defectibilis; si à dispositione, qua est causa, non deficit, nec impeditur ab effectu, certitudinaliter habet effectum suum* (Intellige) seruata eius natura, & modo producendi talem effectum.

1877 4 Inde deduximus, *quòd implicat contradictionem, Deum non procedere certitudinaliter; dum ad effectus, à se volitos, procedit per causas, quæ, quantùm est ex se, sunt defectibiles.* Idq; probauimus. *Quoniam implicat contradictionem, quòd Deus non ita res disponat circa causas, per quas ipsemet decreuit procedere in effectus ipsarum.*

1878 5 Tandem concluſimus. *Et ideo necesse est, quòd omnes prædictæ causæ, per quas Deus decreuit procedere in effectus earum contingentes, & liberos, non aliter contineantur sub ordine diuinæ prouidentiæ; nisi vt seruatæ sine defectu:* resolutionemq; explicauimus exemplis lucernæ, Medici, & Agricolæ. Hæc est tota nostra resolutio, quam in partes, specialibus numeris obsignatas, diuisimus, vt clariùs totam probatam videas.

1879 6 Itaq; pars, signata numero primo (ex qua omnes aliæ dependent) continet conclusionem intentam, eiusq; fundamẽtalem rationem, toties à S. Thoma in locis supra relatis repetitam, quæ sic proponi potest. Deus per suam voluntatem, & prouidentiam (quam sumo, vt includit prædestinationem) est causa vniuersalissima,

Proponitur ratio, probans nostram resolutionem

Digitized by Google

ma, & prima in omni genere, seu (vt loquitur S. D. verbis relatis §. præcedenti nu. 1. 4. 25. & 27.) *est causa vniuersalis, sub qua omnes causæ particulares comprehenduntur: seu, causa omnium rerum; totius entis, cuius causalitas se extendit ad omnia, inquantùm sunt entia; causa omnium existentium, rebus omnibus conferens esse*, disponens, & ordinans omnia, quæ sub suæ causalitatis ordine continentur; & inter hæc omnes causas, quibus, earum seruata natura, vtitur, vt ministris, ad assequendos effectus, per suam voluntatem volitos, & prouidentiam dispositos, & ordinatos. Ergo oportet, quòd Deus circa illas causas defectibiles, & liberas, per quas vult procedere in aliquos earum determinatos effectus, naturis proprijs congruentes, sic omnia sua sapientia, & prouidentia præparet, disponat, & ordinet; vt prædictæ causæ, in ordine ad dictos effectus, inueniantur, considerata tota dispositione sui ordinis, absolutè, & simpliciter non impeditæ, & seruatæ sine defectu, qui eis ex quouis capite, occasione, & causa posset accidere, seu inueniantur munitæ opportunis adminiculis, earũ defectum impedientibus. Ergo oportet, quòd, præcisa, immò excluſa à Deo scientia media; ac etiam præciso, & excluso à motu primi mouentis (requisito in causis agentibus, vt motæ agant, & moueant) illo duplici munere, scilicet, determinandi, & infallibiliter inducendi causas defectibiles in effectus earum: immo etiam, posito (vt nos docuimus, & demonstrauimus loco, in titulo huius disputationis citato,) quòd talis motus sit defectibilis, & impedibilis ab effectu, quantùm est ex se: sicut, quantùm est ex se, sunt ipsæ causæ, in quibus recipitur: oportet, inquam, quòd Deus, vt agens per suam voluntatem, & prouidentiam, habeat certissimum modum, & viam procedendi indefectibiliter, & infallibiliter per causas, quæ quantùm est ex se, sunt defectibiles, in effectus earum. Modum quidem per hoc, quòd disponit, & ordinat omnia: viam verò per hoc, quòd ex vi dispositionis omniũ, contentorum sub diuinæ causalitatis vniuersalissimo ordine (extra quem nihil omnino est, quod ad impediendum possit occurrere) causæ illæ defectibiles, per quas Deus vult procedere in effectus earum, sunt opportunis adminiculis, sibi præparatis, non impeditæ, & seruatæ sine defectu. Ita vt via procedendi certitudinaliter in effectus causarum defectibilium, sit ipsamet causa impedibilis, quantùm est ex se; sed non impedita, prout subest ordini dispositionis diuinæ prouidentiæ, extra quem non est possibile, quòd occurrat aliquid ad impediendum; ac per hoc est ex suppositione inimpedibilis; non quidem ab intrinseco; sed ex defectu extrinseci.

1880

7 Antecedens, quantùm ad id, quod pronunciat circa diuinam voluntatem, supponimus demonstratum discursu S. D. relato §. præcedenti num. 1. & expenso à num. 8. ad 18. à fol. 484. & 485. vbi num. 17. concluſimus, eum verè esse demonstratiuum. Quantùm verò ad ea, quæ dicit de diuina prouidentia, idem supponimus ex discursu eiusdem S. D. diuerso modo repetito, & relato à nobis eodem §. num. 3. 25. 27. & 29.

Antecedẽs supponitur esse demõstratum à S. Doctore.

Probatio primæ consequentiæ.

1881

8 PRima autem consequentia, præterquam quòd eam deduxit ex eodem principio ipsemet S. D. verbis relatis §. 2. huius disp. num. 16. & 19. fol. 482. & 483. quæ componi debent cum ijs, quæ ex eodem S. D. retulimus eodem §. a num. 1. ad 15. a fol. 478. est etiam manifesta. Nã si poneretur oppositum consequentis, nẽpe: quòd causæ defectibiles, per quas Deus vult procedere in effectus earum, essent impeditæ ex aliquo contento sub vniuersalissimo ordine causalitatis diuinæ; sequeretur oppositum antecedentis, & quòd deberent admitti contradictoria simul, nempe, quòd Deus absolutè, & simpliciter simul vellet, & nollet procedere per causas defectibiles in earum effectus; & causæ secundæ ministrarent, & simul repugnarent ministerio diuino; parteſq; prouidentiæ summmi, & sapientissimi prouisoris minimè cohærerent, sibiq; inuicem repugnarent.

Prima cõsequentia probatur; quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, & quòd essent ponenda contradictoria simul.

Siquidem, si ex vna parte, ponamus, Deum voluisse aliquos determinatos effectus contingentes, seu defectibiles, & liberos, ad eosque ordinasse causas defectibiles, illasq; quæ eos haberent in sua potestate, vt per istas in illos procederet: & ex alia parte, poneremus, prædictas causas, in ordine ad eosdem effectus, esse ex aliquo, contento sub ordine diuinæ causalitatis, impeditas: tunc sequitur, quòd Deus absolutè, & simpliciter voluisset tales effectus, vt supponitur; & quòd simul absolutè, & simpliciter illos nollet, seu noluisset. Etenim ipsemet per aliquid ordinis suæ causalitatis impediret tales effectus, efficeretq; nè sint. Et vtiq; volendo impediret, & efficeret, nè sint. Vt enim aduertimus, & manifesto exemplo demõstrauimus §. præcedenti num. 11. & 15. fol. 486. & 487. ille effectus, qui ab aliqua causa, contenta sub ordine causæ vniuersalis, seu attento toto ordine causæ vniuersalis,

Manifestãtur absurdi, & primi, quod Deus simul idẽ vellet, & nollet efficeretq; quòd simul sit, & non sit.

salis, est absolutè, & simpliciter impeditus, est absolutè, & simpliciter non intentus à causa vniuersali. Essent ergo prædicti effectus absolutè, & simpliciter voliti, seu intenti à Deo, vt supponitur, & simul essent absolutè, & simpliciter non intenti ab ipsomet Deo; quia per aliquid sui ordinis, seu attento toto suæ causalitatis ordine, essent impediti.

1882 9 Ampliùs, causæ illæ, impedientes causas, per quas Deus (vt supponitur) vult procedere in effectus earum, ex vna parte deseruirent Deo, illiq; ministrarent per actionem, suæ naturæ conuenientem. Siquidè, hoc ipso, quòd in dispositione diuinæ prouidentiæ cõtinentur, sunt ordinatæ ad hoc, vt per actiones naturales, quas ab ipso Deo prouisore habẽt, eidẽ Deo ministrent. Ex alia vero parte intẽtioni ipsiusmet Dei prouisoris repugnarent, impediẽdo ab effectibus causas illas, per quas ipsemet Deus vult in earum eosdem effectus procedere; sicq; partes diuinæ prouidentiæ sibi inuicem repugnarent. Oportet ergo, quòd Deus sic res disponat circa causas illas defectibiles, & liberas, per quas decreuit procedere in aliquos determinatos effectus ipsarum, seruata earum natura; vt nihil sit in suo vniuersalissimo causalitatis ordine ab ipso dispositum, quod, seruata sua natura, prædictas causas à dictis determinatis effectibus impediat. Et sic oportet, quòd prædictæ causæ, prout sunt sub ordine dispositionis diuinæ prouidentiæ, sint à dictis effectibus non impeditæ, seu opportunis adminiculis, earum defectum impedientibus, munitæ.

Secundò, quod causæ simul ministrarent, & repugnarent Deo.

Probatio secundæ consequentiæ.

1883 10 SEcunda verò consequentia ex hac sola propositione dependet, nempe: quòd *via procedendi certitudinaliter in effectus causarum defectibilium, sit ipsamet causa impedibilis, quantùm est ex se; sed non impedita, prout subest ordini dispositionis diuinæ, extra quem non est possibile, quòd occurrat aliquid ad impediendum.* Ex quo deduximus, quòd *est ex suppositione inimpedibilis; non quidem ab intrinseco; sed ex defectu extrinseci.* Etenim, si ex vna parte oportet, quòd causæ illæ defectibiles, per quas Deus decreuit procedere, seruata earum natura, in effectus earum, sint non impeditæ, prout sunt sub ordine dispositionis diuinæ, extra cuius ordinem omninò nihil est, quod possit ipsas impedire: & ex alia parte causa defectibilis habet pro illo statu, & tempore, quo est non impedita, certum, & infallibilem ordinem ad effectum; iam habet Deus medium infallibile, seu viam certam, per quam in executione suæ prouidentiæ pergat per causas, quæ quantùm est ex se, sunt defectibiles, in effectus earum. Idq; secluſis à Deo scientia media, & illo duplici munere à motu primi mouentis.

Secunda consequentia pendet ex hac propositione: à causa impedibili, non impedita, sequitur certitudinaliter effectus.

1884 11 Prædicta autem propositio in primis, tanquam axioma demonstratum, assumitur sæpissimè a S. Thoma, vt patet ex locis relatis in hac disputatione §. 2. num. 9. & 15. fol. 482. Quibus adde, egregium eiusdem S. D. locum, quo ex ea, tanquam ex manifesto principio probat, Deum cognoscere futura contingentia. Itaq; lib. primo con. gen. cap. 67. ratione 3. sic discurrit. *Sicut à causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter; ita à causa contingenti completa, si non impediatur. Sed, cùm Deus cognoscat omnia, vt ex supradictis patet, scit non solùm causas contingentium; sed etiam ea, quibus possunt impediri. Scit ergo per certitudinem, an contingentia sint, vel non sint.* In quibus, vt vides, assumit propositionem, quam probare intendimus, ipsamq; vt manifestam, improbatam relinquit.

Dicta propositio probatur egregio loco S. D.

1885 12 Dices ex P. Ioſepho Augustino 1. p. q. 14. ar. 13. difficultate 4. num. 94. fol. 100. prædictum locum non esse ad propositum. Siquidem assumpta propositio sic debet intelligi (verba sequentia sunt prædicti doctoris) *sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter, ita ex causa contingenti completa, si non impediatur, sequitur effectus suo modo, scilicet, non certitudinaliter* & subdit rationem prædictæ glossæ, inquiẽs: *Alioqui, si effectus sequeretur certitudinaliter, causa esset necessaria, non contingens, vt supra vidimus ex S. Thoma*, & hìc citat adnotata à se ipso difficultate 3. proximè præcedenti num. 68. in fine fol. 94.

Responsio ex P. Ioſepho Augustino, glossante prædictã propositionẽ.

1886 13 Sed quid dicemus contra tam altam, & profundam interpretationem egregij huius commentatoris S. Thomæ? Quid validæ rationi, qua ipse ad sic interpretandum conuincitur, respondebimus? Verùm interpretationi nil aliud opponimus, nisi argumentum, quod oporteret, fecisse S. Thomam, posita explicitè illa interpretatione in propositione assumpta. Siquidem argumentum esset, *Sicut à causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter; ita à causa cõtingenti cõpleta, si non impediatur, sequitur effectus non certitudinaliter. Sed, cùm Deus cognoscat omnia, scit non solùm causas contingentium; sed etiam ea, quibus possunt impediri. Scit ergo per certitudinem, an contingentia sint, vel non sint.* Hoc planè argumentum, ad probandam conclusionem non solùm lumine naturali cognitam; sed etiam lumine fidei confitendam, fecisset S. Doctor & breuiùs esset, *A causa contingenti completa, si non*

Obiectitur, quale esset argumentum S. D. addita explicatè prædictæ glossa.

Digitized by Google

si non impediatur; sequitur effectus non certitudinaliter: Sed Deus cognoscit causas contingentium completas, & ea, quibus possunt impediri. Ergo Deus scit certitudinaliter, An contingentia sint, vel non sint.

1887 14 Nunc dicat iste S. Thomæ commentator (talem se profitetur hic doctor tom. 1. in præfatione ad lectorem inquiens, *Commentatorem ago eius ad mirabilis doctrinæ*, &c.) dicat, inquam, cur ex eo, quòd Deus cognoscit causas contingentium, & ea, quibus possunt impediri: & quia à causa contingenti completa, si non impediatur, sequitur effectus non certitudinaliter; infertur, scit certitudinaliter: non verò potiùs scit non certitudinaliter? Hoc est ergo, quòd prædictæ interpretationi opponimus, scilicet quia ex ea, nõ illa, quæ infertur à S. Thoma, sed opposita sequitur; illata verò à S. Thoma, non ab alia, quàm ab ista inferri potuit, nempe: *Sicut à causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter, ita certitudinaliter sequitur à causa contingenti completa, si non impediatur.*

Reiicitur; quia inferret oppositam cõclusionem.

1888 15 Rationi verò, qua ad sic interpretandum conuincitur doctor hic, aliàs sapientissimus, non aliud, quàm ipsam suam rationem opponimus, puta: *alioqui, si effectus sequeretur certitudinaliter*, scilicet, à causa contingenti completa, si non impediatur, *causa esset necessaria: non contingens*. Peto, si causa necessaria est, à qua sequitur certitudinaliter effectus; si non impediatur; ita vt certitudinalis sequela effectus necessarij à sua causa necessaria sit solùm sub ista conditione, & ex hypothesi, quòd non impediatur ab aliqua alia causa naturali? Dicat, si benè quis diceret, quòd ex motu corporum cælestiũ sequitur certitudinaliter Eclipsis Solis, & Lunæ, si non impediatur ab alijs causis naturalibus? Quis hoc dicet? Qui enim hoc diceret, sentiret, motum corporum cœlestium posse impediri ab alijs causis, ne ex eo procedat eclipsis Solis, & Lunæ; & quod ex eo sequitur certitudinaliter, facta hypothesi, & sub ista conditione, si non impediatur. Igitur, quia causa necessaria est, quæ impediri non potest, absolutè, & simpliciter loquendo, inquantùm in ipsa non est potentia passiua naturalis, ad recipiendum impedimentum, nec in alijs potentia actiua naturalis ad impediendum, & sic est ex vi suæ naturæ absolutè, & simpliciter inimpedibilis: ideo absolutè, & simpliciter, & non requisita, illa conditione, *si non impediatur*, sequitur ab ea certitudinaliter effectus, absolutè necessarius, & inimpedibilis. At verò, quia propter oppositam rationem causa contingens (quæcunq; sit illa) est absolutè, & simpliciter impedibilis; ideo non sequitur ab ea effectus certitudinaliter, nisi ex hypothesi, & sub ista conditione, *si non impediatur*. Ex hoc ergo, quòd à causa contingenti completa sequitur certitudinaliter effectus, si non impediatur, malè, & ex nullo fundamento infertur, eam esse necessariã. Quippe quia hæc est natura causæ contingentis, nempe, quòd sit talis dispositionis, etiam dum est completa, quòd impediri potest, & quòd nõ sequitur ab ea certitudinaliter effectus, nisi sub hac hypothesi, & conditione, *si non impediatur*.

Deiicitur fundamentum prædicti gloss. matis.

1889 16 Nec sanè, vel leue fundamentum habet imaginatio hæc in D. Thoma (vt in eo immeritò eam se vidisse existimat præfatus commentator relatus proximo nu. 13.) Siquidem, vt eodem nu. notauimus, ipse se refert ad ea, quæ adnotauit difficultate 3. præcedenti num. 68. vbi refert aliqua verba S. Thomæ ex ar. 3, q. 6. de veritate, quæ simul cum alijs ex corp. eiusdem art. nos retulimus in hac disp. §. 2. nu. 10. & 11. fol. 481. Illis autem relatis, sic subiungit: *In quibus verbis illud aduertendum est, quòd apud ipsum hæc duo coniunguntur, ordinari contingenter, & non ordinari cum certitudine; & sic repugnat habere certitudinem, & contingentiam: immò pro eodem videtur accipere ordinari necessariò, & ordinari cum certitudine*. Verba autem S. D. ex quibus se mouet, sunt. *In prædestinatione inuenitur certitudo respectu singularis finis, & tamen causa proxima, scilicet, liberum arbitrium, non producit effectum illum; nisi contingenter. Nec tamen causa proxima salutis ordinatur ad eam necessariò; sed contingenter, scilicet liberum arbitrium. Si ergo consideremus salutem respectu causæ proximæ, scilicet liberi arbitrij, non habet certitudinem; sed contingentiam*. Sed planè, licèt ex prædicta doctrina habeatur, quòd hæc duo coniunguntur: nempe; ordinari contingenter, & non ordinari cum certitudine, absolutè, vt præseferunt verba sancti doctoris, absolutè prolata: Non tamen, habetur, quòd coniungantur hæc alia duo, nempe; ordinari contingenter, & non ordinari cum certitudine sub conditione, si non impediatur. Hoc autem non solùm est falsum in sententia S. Thomæ, vt patet ex hoc loco, & ex citatis proximo num. 12. sed etiam patet ad sensum. Ignis enim est causa contingens, potest enim impediri à combustione, vel ob defectum materiæ, in quam agat, vel ex actione contrarij agentis, puta per infusionem aquæ: si tamen supponatur nullum habere impedimentum, certitudinaliter comburit. vt patet ex verbis S. Th. relatis Disp. præced. §. x. num. 12. in fine, fol. 461.

Imaginatio huius commentatoris nullũ habet fundamentum in S. Thoma.

1890 17 Et ratio est (vt sic prædictam propo-

Digitized by Google

positionem demonstremus) quia causa sufficiens, seu completa, est, ad cuius esse ex necessitate sequitur aliquid; seu qua posita, necesse est, effectum poni, adminus, quando non est impedita. Hinc S. Doctor q. 3. de Malo ar. 3. ad 3. inquit. *Propriè causa dicitur, ad quam de necessitate sequitur aliquid.* vt notauimus disp. 2. §. 23. num 78. fol. 280. Ampliùs lib. 2. cont. gent. cap. 32. tertio loco sic assumit, *Posita causa sufficienti necesse est effectum poni.* Assumptum autem demostrat; quia ex oppositio sequitur oppositum: & sic prosequitur. *Si enim adhuc, posita causa, non necesse est effectum poni: possibile igitur erit, causa posita, effectum non esse: consecutio igitur effectus ad causam erit possibilis tantùm. Quod autem est possibile, indiget aliquo, quo reducatur in actum: oportebit igitur ponere aliquam causam, qua fiat, vt effectus reducatur in actum. Et sic prima causa non erat sufficiens.*

1891

18 Dixi: *ad minus quando non est impedita*; quia prædicta diffinitio, & demonstratio S. Thomæ, prout comprehendunt causas contingentes, intelliguntur de causa sufficienti, seu completa, & non impedita. sic expresè ipsemet S. Doctor 1. 2. q. 75. ar. 1. vbi secundo loco sic proponit argumentum. *Causa est, ad quam necessitate sequitur aliud: sed quod est ex necessitate, non videtur esse peccatum: eo quod omne peccatum est voluntarium. Ergo peccatum non habet causam.* Respondet autem: *Ad secundùm dicendum, quòd, si illa diffinitio causæ vniuersaliter debeat verificari, oportet, vt intelligatur de causa sufficienti, & non impedita. Contingit enim, aliquid esse causam sufficientem alterius; & tamen non ex necessitate sequitur effectus propter aliquod impedimentum superueniens. Alioquin sequeretur, quod omnia ex necessitate contingerent, vt patet in 6. Metaphy. Sic igitur, & si peccatum habeat causam; non tamen sequitur, quod sit necessaria: quia effectus potest impediri.*

Illa diffinitio: Causa est, ad quã ex necessitate sequitur aliud, intelligenda est de causa completa non impedita. Egregius locus S. Thomæ.

1892

19 Idem probat ipse S. Doctor quantùm ad rationem, qua prædictam diffinitionem probauit num. præcedenti, q. 6. de Malo ad 15. Nam quintodecimo loco sibi obijcit, vt insia. *Si voluntas respectu ad aliqua volita non necessario moueatur; necesse est dicere, quòd se habeat ad opposita: quia, quod non necesse est esse, possibile est non esse. Sed omne, quod est in potentia ad opposita, non reducitur in actum alicuius eorum; nisi per aliquod ens actu, quod facit illud, quod erat in potentia esse in actu. Quod autem facit aliquid esse in actu, dicimus esse causam eius. Oportebit ergo, si voluntas aliquid determinatè vult, quòd sit aliqua causa, quæ faciat, ipsam hoc velle.* Considera obiter prædictam rationem. Ipsa enim est, qua illi Recentes, contra quos egimus disp. 2, credunt probari, Deum imprimere voluntati creatæ, existenti ad vtrumlibet, motum, seu qualitatem, qua fit, vt ipsa voluntas infallibiliter velit alteram determinatam partem. Subinde considera, qualiter posita conclusione prædictæ rationis, obiectionem proponat. Subdit enim; *Causa autem posita, necesse est effectum poni, vt Auicenna probat; quia si causa posita, adhuc est possibile effectum non esse, indigebit adhuc alio reducente de potentia in actum, & sic primum non erat sufficiens causa. Ergo voluntas ex necessitate mouetur ad aliquid volendum.* Et hìc etiam obiter considera, quòd hoc est argumentum, quo alij Recentes, contra quos egimus disp. 1. vtuntur contra priores Recentes. Quia enim hoc vltimum consequens est falsum: & insuper ipsi habent sibi à prioribus Recentibus concessum, quòd, posita illa qualitate, seu motu in voluntate, necesse sit, actum voluntatis determinatum sequi, inferunt, falsam esse illam propositionem, deductam per priorem discursum, puta: *Oportebit ergo, si voluntas aliquid determinatè vult, quòd sit aliqua causa, quæ faciat, ipsam hoc velle.* Vt videre est apud Ruiz de Scientia Dei disp. 24. & 57. & apud Fasolum 1. p. q. 14. ar. 13. dub. 17. ferè per totum. Idq; magis patet ex his, quæ tam ex dictis doctoribus, quam ex Suario P. Iosepho Augustino, & alijs, conantibus soluere prædictam rationem, retulimus dicta disp. 1. à §. 3. ad 8. Nunc ergo audiamus S. Doctoris responsionem. Sic enim habet,

Aliud cõsiderandũ.

1893

20 *Ad quintumdecimum dicendum, quòd non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiamsi sit causa sufficiens: eò quòd causa potest impediri, vt quandoq; effectum suum non consequatur. Sicut causæ naturales, quæ non ex necessitate producunt suos effectus; sed vt in pluribus: quia in panioribus impediuntur. Sic ergo illa causa, quæ facit aliquid velle, non oportet, quòd ex necessitate hoc faciat; quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel remouendo talem considerationem, quæ inducit eam ad volendum: vel considerando oppositum, scilicet, quòd hoc, quod proponitur vt bonum, secundùm aliquid non est bonum.* Hæc S. Doctor valde considerandа.

Responsio S. Thomæ valde expẽdenda.

1894

21 Habes enim in primis id, quod intendimus probare, nempe: quòd, licèt ratio in argumento allata ex Auicenna, concludat, quòd causa completa, seu sufficiens, sit, à qua ex necessitate sequitur aliquid, seu, qua posita, necesse est effectum poni; attamen de causa contingenti debet intelligi sub conditione, si non sit impedita. Siquidem, ideo S. Doctor dicit, quòd non omnis causa, etiam si sit sufficiens, seu completa, non inducit ex necessitate effectum, quia potest impediri: si ergo

Elicitur intentum.

Discursus S. Doctoris valde considerãdus ad propositum.

Considerã dum obiter.

Digitized by Google

Confirmatur ratio Auicennæ à sufficienti diuisione

ponatur non impediri, sequetur, ea facta suppositione, ex necessitate effectus. Idq; probat euidenter ratio allata ex Auicenna. Nam, tali suppositione facta, quòd à causa non sequatur effectus, aliunde prouenire non potest, quàm ex insufficientia eius. Quod sic apparet. Nam aliquid dicitur causa efficiens dupliciter. Vno modo directè, & per se, & sicut illud, quod inquantùm est in actu, reducit aliquid de potentia in actum: sicut Sol, qui, inquantùm est actu lucidus, illuminat hanc aulam. Alio modo indirectè, & per accidens, & sicut remouens prohibens, seu remouens impedimentum. Vt dicitur illuminare aulam aperiens fenestras. Inde autem fit, quòd aliquid est solùm possibile, & non in actu, vel propter hoc, quòd ei deficit illud, quod est in actu, quod ipsum reduceret de potentia in actum; vel propter hoc, quod ei deficit remouens prohibens, seu impedimentum. Si ergo supponatur, quòd ei non deficit remouens prohibens; quia illud, quod ponitur esse causa, non est impeditum, oportet, quòd ei deficiat id, quod, inquantùm est in actu, reduceret ipsum de potentia in actum: & sic oportet, quòd id; quod est positum, vt causa, non sit completè in actu, seu non sit causa sufficiens.

Concluditur intentum expressè loco S. D.

Idque docuit expressè S. Doctor, mota in proprijs terminis quæstione, 6. Metaphy. lec. 3. post principium ad illam doctrinam Aristotelis, qua ibi docet, quòd non necesse est, posita causa, effectum poni, Et sic habet. *Sciendum tamen, quòd Auicenna probat in sua Metaphysica, quòd nullus effectus sit possibilis in comparatione ad suã causam; sed solùm necessarius. Suenim, posita causa, possibile est, effectum non poni, & poni: id autem, quod est in potentia inquantùm huiusmodi, reducitur in actum per aliquod ens actu: oportebit ergo, quòd aliquid aliud à causa faciat ibi sequi effectum in actu. Causa igitur illa non erat sufficiens. Et hoc videtur contra id, quod Philosophus hic dicit. Sed sciendum, quòd dictum Auicennæ intelligi debet, suppositio, quòd nullum impedimentum causæ adueniat. Necesse est enim, causa posita, sequi effectum, nisi sit impedimentum.* Quid clarius?

Corollarium incidens, notatu dignum, ex Doctrina D. Thomæ contra vtranque classem Recentium.

1595 22. OBiter habes secundò, quòd Recentes, tàm primo, quàm secundo loco notati num. 19. conuincuntur recessisse à doctrina S. Thomæ: Primi quidem, qui, vt veri Thomistæ, conuincuntur illa S. Thomæ ratione (quam, vt existimamus, ostendimus esse demonstratiuam disp. 1. §. x. fol. 109.) ad asserendum, quòd *oportet, si voluntas aliquid determinatè vult, quòd sit aliqua causa, quæ faciat ipsam hoc velle*, conuincuntur à S. Doctore recessisse, dum talem causam posuerunt esse formaliter motum primi mouentis, ipsumque dixerunt habere ex se ordinem infallibilem ad effectum voluntatis. Huius oppositum docet S. Doctor in responsione, dum concludit: *Sic ergo illa causa, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quòd ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel remouendo talem considerationem, quæ inducit eam ad volendum* &c. causa ergo ista, quæ, vt reducens voluntatem de potentia in actum (vt dicitur in ratione) facit eam hoc velle, non habet ex se infallibilem ordinem ad effectum; vt potè quia potest impediri, seu potest ei impedimentum præstari per eandem voluntatem. Ampliùs, non potest consistere in illa qualitate, seu motu primi mouentis, ab ipsis excogitato; sed in iudicio, seu consideratione propria. Siquidem hæc ponitur causa inducens voluntatem ad volendum: ac etiam per hoc probat, quòd voluntas potest impedimentũ præstare prædictæ causæ, quia potest remouere talem considerationem. Si enim S. Doctor existimasset, causam, inducentem voluntatem ad aliquid volendum ex vi rationis allatæ, esse illam qualitatem, seu motum primi mouentis, ab istis Recentibus explicatum, oportuisset, per hoc probare, quòd voluntas potest impedimentum præstare prædictæ causæ, quia potest impedimentum præstare prædictæ qualitati: & insuper oportuisset explicare modum, quo voluntas posset prædictæ qualitati impedimentum præstare, ad hoc vt satisfaceret argumento. At verò S. Doctor nec verbum habet circa prædictam qualitatem. Causa ergo inducens, seu reducens voluntatem ad aliquid determinatè volendum, non est dicta qualitas; sed consideratio, & iudicium proponens voluntati bonũ, quod in prædicta responsione S. D. & affirmat esse prædictam causam, & de eo docet, qualiter ipsi possit voluntas impedimentum præstare.

Ponentes qualitatẽ prædeterminantem conuincuntur recessisse à Doctrina S. Thomæ.

Conuincũtur alij recentes ab eodem S. Doctore recessisse.

Recentes verò, secundo loco relati, conuincuntur etiam doctrina prædictæ responsionis ab eodem S. Doctore recessisse, dum, volentes agere contra Recentes primo loco relatos, ex impossibilitate inconuenientis, ad quod ducit argumentum, retrocedendo peruenerunt, ad asserendum, esse impossibile consequens

Digitized by Google

primæ rationis, nempe; esse impossibile *quòd, si voluntas aliquid determinatè vult, detur causa, quæ faciat, ipsam hoc velle.* Non sic autem S. Doctor; sed prædicta conclusione posita, vt demonstrata, soluit argumentum, negando illud, quod Recentes primo loco relati vltrò confitentur, & alij accipiunt, vt ab ipsis concessum, nempe: quòd causa, inducens voluntatem ad aliquid determinatè volendum, sit inimpedibilis. Sed redeamus, vnde discessimus.

Concluditur, quòd resolutio est probata quoad omnes partes: & explicatur, qualiter causæ contingentes, & liberæ, per quas procedit Deus in effectus earum, sint ex suppositione inimpedibiles; non ab intrinseco, sed ex suppositione extrinseci.

1896 23 DEmùm apparet, resolutionem nostram esse probatam quoad omnes partes. Nam, si consideras rationem, allatam num. 6. huius §. probationemque primæ consequentiæ, allatam nu. 8. & 9. percipies, partem resolutionis, notatam num. 4. & 5. fuisse conclusam. At verò pars notata num. 2. & 3. probatur ratione, à S. Thoma allata verbis, relatis nu. 17. & 18. ac etiam ex discursu, quo contra P. Iosephum Augustinũ probauimus, quòd propter hoc, quòd à causa contingenti completa, si non sit impedita, sequitur certitudinaliter effectus, minimè inferri potest, eam esse necessariam. Inde enim liquet, quòd à tali causa non impedita sequitur effectus certitudinaliter, seruata eius natura, vt diximus circa partem resolutionis notatam num. 3. De hoc etiam redibit sermo §. sequenti.

1897 *Causas cõtingentes sub ordine diuinæ prouidentiæ nõ impeditas esse inimpedibiles ex suppositione, probatur.*

24 Illud autem, quod deduximus num 6. puta: quòd causa defectibilis, quæ, vt subest ordini diuinæ prouidentiæ, est seruata sine defectu, seu est in ordine ad aliquem determinatum effectum non impedita, sit ex suppositione inimpedibilis, non ab intrinseco, sed ratione extrinseci, manifestum est ex eo, quòd extra ordinem prouidentiæ Dei, qui est immutabilis, nihil omninò est, quod possit occurrere ad impediendum. Posito ergo, quòd intra ordinem prouidentiæ Dei, qui supponitur immutabilis, non habet impedimentum, iam remanet, quòd nullum aliud potest habere; quia extra illum nullum potest esse. Et sic remanet in ordine ad talem effectum inimpedibilis ex suppositione: non autem ab intrinseco, & absolutè. Quia Deus potuisset nolle procedere per dictam causam in dictum effectum, sicque res disponere, vt in suo ordine haberet impedimentum, quod naturæ talis causæ non repugnaret. Remanet igitur inimpedibilis solùm ex suppositione immutabilitatis Dei, & quia extra ordinem causæ vniuersalissimæ nihil potest esse. Et inde est, quòd quælibet causa contingens, siue libera sit, siue non libera, si prout subest ordini diuinæ prouidentiæ, adæquatè sumpto, seu prout connotat omnia alia, quæ per diuinam prouidentiam disponuntur, inuenitur non impedita, in ordine ad aliquem determinatum effectum, potest esse in ordine ad talem effectum via infallibilis, quia, facta tali suppositione, est inimpedibilis à tali effectu. Idque est, quod longo discursu probat S. Doctor loco citato ex lib. 6. Metaphy. & ex lib. 3. contra gentiles. Et hæc satis sint de primo puncto.

PVNCTVM SECVNDVM in quo.

Manifestatur prædicta verificari in causis liberis.

1898 *Punctus difficultatis inculcatur ex doctrina S. Thomæ.*

1 QVAE præcedenti puncto probauimus de omnibus causis contingentibus, debemus in hoc puncto manifestare, verificari in speciali de causis liberis, in quibus est specialis difficultas. Quia earum contingentia non ex imperfectione, vt in alijs, sed ex perfectione est, vt optimè docuit S. Doctor lib. 3. cont. gent. cap. 73. ratione prima, inquiens. *In rebus inanimatis causarum contingentia ex imperfectione, & defectu est. Secundùm enim suam naturam sunt determinata ad vnum effectum, quem semper consequuntur; nisi sit impedimentum, vel ex debilitate virtutis, vel ex aliquo exteriori agente, vel ex materiæ indispositione: & propter hoc causæ naturales agentes non sunt ad vtrumque, sed vt frequentiùs eodem modo suum effectum producunt; deficiunt autem rarò. Quòd autem voluntas sit causa contingens, ex ipsius perfectione prouenit; quia non habet virtutem limitatam ad vnum; sed habet in potestate producere hunc effectum, vel illum; propter quod est contingens ad vtrumlibet.* Hæc S. Doctor. Quæ quidem in re, de qua agimus, magnam videntur afferre difficultatem. Siquidem videtur inde sequi, quòd doctrina illa, qua diximus, quòd via infallibilis ad procedendum per causas contingentes in effectus earum, sint ipsæmet causæ contingentes non impeditæ, prout subsunt ordini diuinæ prouidentiæ, habeat locum solùm in causis contingentibus inanimatis, seu non liberis, & determinatis ad vnum effectum, vt in pluribus, *quem*, vt in auctoritate inducta docet S. D. *semper consequuntur*,

Digitized by Google

tur, *nisi sit impedimentum*: non autem in voluntate, cuius contingentia est ex perfectione, ex qua habet in sua potestate agere hunc effectum, vel illum. Etenim, quantùmuis hæc causa ponatur non impedita, non videtur posse poni, habere ordinem infallibilem ad aliquem determinatum effectum.

1899 2 Hinc Suarius parte 2. de Diuina gratia lib. 3. cap. 40. num. 24. fol. 191. concedit, quantùm ad causas naturales, nostram ex S. Doctore doctrinam, hactenùs explicatã, licèt malè, & contra eiusdem S. D. mentem intermisceat concursum suum simultaneum oblatum, & sic habet. *Quando Deus efficaci voluntate statuit, causam secundam* (scilicet contingentem) *aliquid naturaliter facere, eo ipso sua prouidentia cæteras causas disponit, vt aliam non impediant*, &c. *Nam, remotis impedimentis, & applicata materia, & oblato Dei concursu, infallibiliter sequitur effectus*. Et inde consequenter docet eadem 2. parte. Prolegomeno de scientia conditionata cap. 7. num. 16. fol. 33. quòd talis effectus certò cognoscitur, cognitis omnibus causis, per diuinam prouidentiã dispositis, seu (vt ipse loquitur) *cognito toto causarum cumulo*, seu, *toto causarum ordine*, & sic habet.

Deductio Suarij ex præcedenti doctrina.

1900 3 *Hinc sequitur alia differentia; quia effectus naturalis contingens habet in sua propria causa per se, & precisè sumpta, quandam determinationem ad vnum, ratione cuius in illa dignosci potest, vt certò futurus, certitudine quadam naturali, & includente conditionem hanc, ni impedimentum aliunde interueniat. Vnde si effectus comparetur, non ad solam causam per se, ac precisè spectatam; sed cum omnibus requisitis ad agendum, in quibus includitur impedimentorum ablatio, & quòd concursus Dei sit paratus: in toto illo cumulo causarum habet talis effectus omnimodam determinationem ad vnum: quia hanc habet per se ex propria causa; contingentiam autem per accidens ex impedimentis, vel effectibus aliarum causarum. Quibus ablatis, vt in hypothesi supponitur, manet integra determinatio: & ideo poterit in illo toto causarum ordine cognosci certissimè effectus futurus. Quia, licèt respectu propriæ causæ sit contingens dicto modo, nihilominus non cognoscitur vt contingens; quia per concursum omnium causarum, & conditionum antecedentium ad actionem, tollitur contingentia effectus, & resultat necessitas.* Hæc Suarius. In quibus, licet multa misceat, & præcipuè hoc vltimum, quæ, vel sunt falsa, vel incongruis verbis explicata, ob quod ducitur in falsum sensum; apparet tamen, eum velle, causam contingentem naturalem (si sit non impedita, & considerata, vt subest toti causarum ordini, seu toti causarum cumulo) esse viam infallibilem ad procedendum in eius effectum.

Asserta à Suario circa causas contingentes naturales seu non liberas.

4 At verò quantùm ad causas liberas, seu voluntatem, acceptam in ordine ad illas operationes, quas habet in sua libera potestate, seu quarum est principium ad vtrumlibet, putat, similem doctrinam nullum locum habere posse. Vnde num. 17. sequenti sic prosequitur. *At verò effectus contingens ex libertate causæ, non solùm est contingens comparatus ad suam propriam, ac proximam, & per se causam, præcisè spectatam; sed etiam ad totum cumulum causarum, vel cõditionum necessariarum, vel de facto concurrentium, ex parte actus primi ad talem effectum. Et ideo nunquam potest talis effectus habere absolutam determinationem in causa, vt est in actu primo: siue in ordine ad solam proximã causam per se, vt est per se notum: siue in ordine ad totum cumulum causarum, conditionum, aut circumstantiarum, ex parte actus primi concurrentium.* 1901

Asserta à Suario circa causas liberas.

5 Idque probat primò, subdens: *Quia si effectus esset determinatus in actu primo in cumulo causarum, &c. iam. vt sic, non esset contingens, & consequenter nec liber. Esset enim omninò necessarius in causa, & positis omnibus prærequisitis ad agendum, quod repugnat libertati.* 1902

Prima ratio Suarij

6 Probat secundò, inquiens: *Item in illo cumulo causarum necesse est includi voluntatem liberam.* Ergo *non obstantibus omnibus, quæ illi coniunguntur in actu primo, illa potest semper se impedire, nè agat, vel hoc agat; quia hoc habet per intrinsecam potestatem: vel si per coniunctionem aliarum conditionum, aut causarum. quæ illi coniunguntur in actu primo, illa est priuata hac potestate se impediendi, consequenter est priuata libertate; & ita iam non contingenter operatur propria, & perfecta contingentia libertatis.* 1903

Secunda ratio.

7 Subdit denique. *Vnde concluditur, effectum liberè futurum, non solùm non cognosci posse cum certitudine in determinatione in actu primo, quam habeat in sua causa proxima, verùm etiam nec in ea, quam habeat in collectione omnium causarum, ad illum concurrentium, prout in actu primo respectu talis effectus considerantur.* 1904

Conclusum à Suario.

8 *Probatur* (iuquit) *quia illa causa adequata, vt conflata ex omnibus concurrentibus, adhuc est indifferens, & retinet in se principium contingentiæ. Ergo impossibile est, in illa, quantùmuis propensa, & inclinata sit in actu primo, infallibiliter cognosci effectum futurum: cùm semper ab intrinseco possit talis effectus impediri per intrinsecam potestatem causæ proximæ, ideſt, potentiæ liberæ, in illo cumulo causarum inclusæ.* 1905

Prima ratio.

9 *Confirmatur* (subdit) *Quia effectus futurus à causa naturali, etiam determinata ad vnum, si impedibilis sit, non potest in tali causa* 1906

Confirmatio.

Digitized by Google

certò sciri futurus; nisi aliunde præsciatur, talem causam non fore impediendam: at verò in causa libera hoc non habet locum; quia virtus se impediendi est intrinseca, & inseparabilis ab illa, manente libertate. Ergo quandiu in illo causarum cumulo includitur voluntas libera, & salua relinquitur eius libertas, nunquam potest in illa causa effectus esse omninò determinatus; ac proinde neque in illa infallibiliter cognosci; nisi aliunde præsciatur, ipsam voluntatem non esse impedituram.

Ordo dicendorum.

Ita Suarius: qui licèt (vt arbitramur) non ad sententiam S. Thomæ, supra explicatam; sed ad modum dicendi aliorum Recentium attendens, prædicta scripserit; attamen reuera quædam in suo discursu intermiscet, quæ & veritati, & doctrinæ S. Thomæ repugnant, possentque, nisi reijcerentur, aliqualem (saltem in doctrina S. Thomæ non versatis) difficultatem afferre in intelligenda nostra, & D. Thomæ sententia circa causas liberas; ideo nos in hoc puncto (vt eandem sententiam defendamus, & explicemus) primò detegemus, & reijciemus quædam specialia puncta, in quibus recedit Suarius à veritate, & mente S. D. ex quibus in alias malas cõsequentias ducitur: & hoc in sequenti §. 5. Deinde explicabimus, qualiter in causis liberis ratio, sæpè allata à S. Doctore, efficaciter concludat; sitque verum in eisdem causis dictum illud eiusdem S. Doctoris: *a causa contingenti completa sequitur effectus certitudinaliter, si non impediatur*; & qualiter voluntas possit impediri ab alijs causis, illasque causas impedire, à quibus mouetur determinatè in alteram partem.

§. V.

Submissum inter philosophicas veritates fundamentum Suarij, reijcitur; Quia contra D. Thomam; Quia contra Aristotelem, & Peripateticos; Quia falsum, & ad Stoicos spectans.

1907 1 SCimus Suarium in hisce quæstionibus, quas cum recentibus sui temporis habebat, non semel à Peripateticorum principe recessisse, vt ipsemet fatetur Parte secũda de Diuina gratia prolegomeno de scientia conditionata cap. 7. num. 11. fol. 32. Vbi sibi, asserenti alteram definitè propositionum contradictoriarũ de futuro contingenti esse veram, & alteram falsam, opponit doctrinam Aristotelis ex lib. p. Perihermenias, quam nos, vt satisfaceremus Fasolo, ex parte retulimus disp. 2. §. 12. num. 6. fol. 123. & respondet: *De hac sententia Aristotelis dixi in lib. primo de Scientia Dei cap. 2. & ingenuè falsus sum, me in hac parte ab Aristotele dissentire.* Et nihilominus in hoc §. in eum. inculcare intendimus doctrinam Aristotelis eiusdem loci, qua statuit, dari contingens possibile ad esse, & non esse: illamque positionem, quæ hoc tollit, esse impossibilem. Intendimus sanè, quòd excusatio illa, ob quam ab Aristotele se dissentire fatetur Suarius, inquiens; *quia eius sententiam fidei veritati repugnare sentio*, locum non habeat, quantùm ad istum punctum: immo quòd nec illum habeat, quantum ad punctum denegandi veritatem in altera definitè singularium propositionum contradictoriarum de futuro contingenti, quando Aristotelem sequuntur Peripatetici in fide præclari, quales, inter alios, sunt Boetius, Albertus Magnus, & D. Thomas. Quis enim audebit suspicari de Boetio, Alberto, & D. Thoma, quod de Aristotele suspicatur Suarius, puta, eos sentire, non cognoscere Deum certitudinaliter futura contingentia? Quis dicet (sicut de Aristotele inquit Suarius) *ingenuè fateor, me à Boetio, Alberto, & D. Thoma dissentire; quia eorum sententiam fidei veritati repugnare sentio, qua docet, Deum cognoscere futura contingentia*? Et tamen qui ita diceret, suæ potiùs opinioni, quàm prædictorum theologorum derogaret sententiæ; cum euidens sit, eos non solùm millies alibi, sed etiam in commentario huius eiusdem loci Aristotelis, docuisse, Deum certò cognoscere futura contingentia. Quod autem ipsi simul sequantur doctrinam Aristotelis, eamque existiment ab eodem Aristotele demonstratam, demonstratione, ducente ad illa impossibilia, nempe non dari contingens, seu possibile ad esse, & non esse: non dari liberum arbitrium; non dari casum in rebus, patet. 1908

Suarius fatetur, se recedere à doctrina Aristotelis.

Excusat se; quia sentit, eum fidei repugnare,

Refellitur excusatio Suarij, quia Aristotelem sequuntur Boetius Albertus Magnus, & D. Thomas.

Auctoritas Boetij ad propositum.

2 Nam Boetius ad illa verba Aristotelis primi Perihermenias, quæ apud D. Thomam inueniuntur lec. 14. lit. e, &, f, puta: *Et quoniam est omninò in his*, &c. sic concludit in fine commentarij. *Ita ergo possibilitate, & casu, & libero arbitrio, contradictionem in vna parte definitè non esse veram, vel falsam, per firmissimam, & validissimam argumentationem constituit.* Et ad illa verba eiusdem Aristotelis parum post, puta. *Horum enim necesse est, alteram partem contradictionis veram esse; non tamen hoc, vel illud*, quæ apud D. Thomam inueniuntur lec. 15. lit. tex. c. sic concludit Boetius. *Manifestum est, in futuris, & contingentibus propositionibus non esse veram vnam, & alteram falsam. Hoc enim in principio, vt monstraret, validissima argumentatione constituit.*

3 Albertus verò lib. p. Perihermenias 1909

Trac.

Auctoritas Alberti Magni.

Tract. V. à cap. 4. cui titulus. *Vtrum in singularibus contingentibus de futuro sit determinata veritas*, vsque ad 7. cui titulus: *De solutione dubitabilium, quæ sunt contra prædicta*, non solùm sequitur sententiam Aristotelis, eamque probat rationibus, ab eodem Aristotele desumptis, quas (vt ex contestu patet) existimat efficaces, & necessarias; sed etiam soluit dubitationes, quæ contra prædictam doctrinam poterant obijci.

1910 4 Denique D. Thomas nō solùm sententiam Aristotelis, eiusque rationes approbat, vt patet lec. 13. lit tex. b, c, &, d, sed etiam propria ratione confirmat lit. tex. e, circa finem, ab illis verbis; *Ad cuius euidentiam considerandum est*. Sed sint hæc per transitum dicta: veniamus ad rem.

Auctoritas D. Thomæ.

1911 5 Vt igitur refutanda in recitata doctrina Suarij seligamus, considera, quòd sicut Pater Ioseph Augustinus, vt auctoritate S. Thomæ posset agere in suos recētes aduersarios, asserentes, actum liberum voluntatis sequi certitudinaliter ad liberum arbitrium, seu voluntatem completam per motionem primi mouentis, quā dicebant physicam prædeterminationem, tentauit (licèt inutiliter, & falsò, vt ex dictis constat) submittere inter doctrinas D. Thomæ; quòd nullus effectus contingens sequitur certitudinaliter ad suā causam completam, etiamsi sit non impedita. Ita non minori industria Suarius (quē quantùm ad istum punctum, sequuntur ferè omnes PP. Societatis) vt posset contra eosdem agere ratione naturali, conatur inter Philosophicas veritates, lumine naturali notas, summittere, quòd effectus causæ naturalis impedibilis habet *determinationem per se ex propria causa, contingentiam autem per accidens ex impedimentis, vel effectibus aliarum causarum*, & quod, *ablatis impedimentis, manet in eo integra determinatio*, ideſt absoluta necessitas: Ita vt *comparatus ad causam, sumptam cum omnibus prærequisitis ad agendum, in quibus includitur impedimentorum ablatio, seu cum toto cumulo, & ordine causarum, habeat omnimodam determinationem ad vnum*, seu necessitatem; *quia per concursum omnium causarum, & conditionum antecedentium tollitur contingentia effectus, & resultat necessitas*. Vnde ex consequenti inter easdem philosophicas veritates conatur summittere, quòd prædicta causa naturalis habet indeterminationem, seu contingentiam in ordine ad suum effectum, si sumatur sola, seu præsisa à prærequisitis ad agendum: At verò si sit sumpta cum omnibus prærequisitis ad agendum, in quibus includitur impedimentorum ablatio, non est contingens; sed necessaria, habens omnimodam determinationem ad vnum, qua tollitur contingentia, & resultat necessitas in effectu. Denique quòd effectus contingens ex libertate causæ sit, qui in causa sumpta cum omnibus prærequisitis ad agendum, seu cum toto causarum cumulo concurrentium, quæ præcedunt actionem, non habet determinationem.

Seliguntur impugnanda in doctrina Suarij.

Probanda contra Suarium.

1912 6 Dicendū est igitur primò, quòd effectus naturalis causæ impedibilis sicut per se, & ex intrinseca natura ad neutrum est omninò determinatus nec scilicet, ad esse, nec ad non esse: ita est per se, & ex intrinseca natura contingens, seu possibilis ad esse, & non esse. Vnde falsum est, & contra Aristotelem, & D. Thomam, in re, quam ipsi existimant demonstratam, id, quod veluti certum, & lumine naturali notum, summittit Suarius, puta: quòd talis effectus *habet per se ex propria causa determinationem; contingentiam autem per accidens ex impedimentis, vel effectibus aliarum causarum*. & quòd, *ablatis impedimentis, habet omnimodam*, seu *integram* ideſt, perfectam, *determinationem*, per quam tollitur ab eo contingentia, quæ ei accidit ex impedimentis, & resultat necessitas, quasi ei per se conueniens ex propria causa.

Prima conclusio. Quod est contingēs, est ex sua propria natura contingens, & ideo fundamentum summissum a Suario est falsum, &c.

1913 7 Dicendum est secundò, quòd effectus simpliciter necessarius, prout contradistinguitur ab eo, qui est absolutè, & simpliciter contingens, non est, qui impediri non potest, quin sit à sua causa, dum non est impedita; sed qui ex sua natura est determinatus solùm ad esse, ita vt absolutè, & simpliciter (ideſt, non facta suppositione, quòd non sit impeditus) non possit impediri, quin procedat in esse; estque à causa, quæ eodē modo ita est ex natura determinata ad reducendum effectū suum in esse, quòd absolutè, sit inimpedibilis per naturam. Ille verò effectus, qui necessè est, vt procedat in esse, seu qui impediri non potest, ne procedat in esse, dum non impeditur, dicitur necesse esse, & impediri non posse, necessitate, & impossibilitate suppositionis, qua necesse est aliquid procedere, dum non impeditur procedere, & impossibile est impediri, dum non impeditur, quæ necessitas, & impossibilitas non tollunt ab effectu contingentiam, sed simul stant cum ea.

Secunda conclusio. Effectus necessarius est, qui ex propria natura habet quòd absolutè, & simpliciter impediri non potest.

Qui verò impediri non potest dum non impeditur, est necessarius ex suppositione.

1914 8 Dicendum est tertiò, quòd Suarius inquantùm asserit, quòd talis effectus cōparatus ad totum cumulum, seu ordinem causarum concurrentium (quem credit significari per causam, sumptam cū omnibus

Tertia conclusio. Suarius ex modo loquē

Digitized by Google

di, & ex eo, quod existimat dicere, incidit in errorem Stoicorum.

nibus prærequisitis ad agendum) habet omnimodam, seu integram determinationem ad vnum, seu, & idem significat, habet euentum necessarium, incidit ex modo loquendi, & in eo, quod existimat asserere, in errorem Stoicorum.

Doctrina Aristotelis, & D. Thomæ pro præfatis dictis confirmandis, proponitur.

1915 9 HIS tribus dictis confutamus Suariũ, quantùm ad id, quod veluti manifestum, & per se notum supponit, vt ex eo possit probare, non dari in toto cumulo causarum, concurrentiũ ad actum liberum voluntatis, causa determinans, & infallibiliter inferens ipsummet actum liberum. Vt autem ipsa probemus euidentibus rationibus, & expressa auctoritate Aristotelis, & D. Thomæ, proponimus primò doctrinam ipsius S. Thomæ, quam lib. 9. Perihermenias lec. 14. litera tex. 5. dicit esse considerandam circa doctrinam Aristotelis, quam nos agentes contra Requesenium ex parte retulimus disp. 1. §. 12. num. 13. fol. 125. sic enim habet.

1916 10 *Est autem considerandum, quòd (sicut Boetius dicit hìc in commento) circa possibile, & necessarium diuersimodè aliqui sunt opinati. Quidam enim dixerunt ea secundùm euentum, sicut Diodorus, qui dixit: illud esse impossibile, quod nunquam erit: necessarium verò, quod semper erit; possibile verò, quod quandoque erit, quandoque non erit. Stoici verò dixerunt hoc secundùm exteriora prohibentia. Dicunt enim: necessarium esse illud, quod non potest prohiberi, quin sit verum; impossibile verò, quod semper prohibetur à veritate; possibile verò, quod potest prohiberi, vel non prohiberi. Vtraque autem distinctio videtur esse incompetens. Nam prima distinctio est à posteriori. Non enim aliquid est necessarium, quia semper erit; sed potiùs ideo semper erit, quia est necessarium: & idem patet in alijs. Secunda autem assignatio est ab exteriori, & quasi per accidens.* Nota. *Non enim ideo aliquid est necessarium, quia non habet impedimentum.* Adde hic, vt dicit Suarius. *Sed quia est necessarium, ideo impedimentum habere non potest.* Nota, quòd non dixit, quia est necessarium, ideo impedimentum habere non potest, dum nõ habet impedimentum; sed absolutè, *ideo impedimentum habere non potest.* Et inde concludo, quòd per discursum à posteriori solùm ex hoc, quòd aliquid absolutè impedimentum habere non potest, infertur, tale esse necessarium: non autẽ ex eo, quòd impedimentum habere nõ potest sub ista conditione, dum non est impeditum, vt

Considerãda doctrina S. Thomæ, qua primò refert, & cõfutat modos dicendi antiquorum circa necessariũ, & contingens.

Inter Stoicos confutandus venit Suarius.

credit Suarius. Sed audiamus, quæ subsequitur S. Doctor subdit enim.

1917 11 *Et ideo alij melius ista dixerunt secundùm naturas rerum: vt, scilicet, dicatur illud necessarium, quod in sua natura determinatum est solùm ad esse.* Nota bene. *Impossibile autem, quod est determinatum solùm ad non esse. Possibile autem, quod ad neutrum est omninò determinatum, siue se habeat magis ad vnum, quàm ad alterum; siue se habeat æqualiter ad vtrunque, quod dicitur contingens ad vtrumlibet. Et hoc est, quod Boethus attribuit Philoni. Sed manifestè* (nota) *hæc est sententia Aristotelis in hoc loco. Assignat eum rationem possibilitatis & contingentiæ, in his quidem, quæ sunt à nobis* (ideſt, in effectibus, quorum nos sumus domini, & procedunt a nobis libere agentibus) *ex eo, quod sumus consiliatiui.* Ecce radicem contingentiæ actuum liberorum secundùm Aristotelem. Ecce quòd non est illa, quam machinatur Suarius. Subdit S. Doctor: *In alijs autem ex eo, quòd materia est in potentia ad vtrunque oppositorum.* Nota igitur hìc, quæ sit vera ratio entis, seu effectus necessarij, & quæ contingentis secundum sententiã S. Thomæ, quæ (vt ipsemet S. D. ait) *est manifestè Aristotelis in hoc loco.* Deinde attende ad reliqua. Nam, vt Sanctus Doctor explicaret veram rationem necessarij, & contingentis per ordinem ad causam agẽtem; contra radicem contingentiæ, quæ desumitur ex possibilitate materiæ ad vtrunque, proponit dubium, inquiens.

Secũdò explicat quid verè sit necessarium; Quid impossibile: Quid contingens.

Hæc est manifestè sententia Aristotelis.

1918 12 *Sed videtur hæc ratio* (qua, scilicet, dicitur, quòd possibilitas materiæ ad vtrũque sit radix contingentiæ) *non sit sufficiens. Sicut enim in corporibus corruptibilibus materia inuenitur in potentia se habens ad esse, & non esse; ita etiam in corporibus cœlestibus inuenitur potentia ad diuersa vbi: & tamen nihil in eis euenit contingenter; sed solùm ex necessitate. Vnde dicendum, quòd possibilitas materiæ ad vtrunque, si communiter loquamur* (ideſt, prout est cõmunis omnibus corporibus, tam corruptibilibus, quàm cœlestibus) *non est sufficiens ratio contingentiæ; nisi etiam addatur ex parte potentiæ actiuæ, quòd non sit omninò determinata ad vnum: alioquin, si ita sit determinata ad vnum, quòd impediri non potest, consequens est, quòd ex necessitate reducat in actum potentiam passiuam eodem modo.*

Tertiò proponit, & soluit dubium.

1919 13 Et hic nota, quod si responsio huius dubij coniungitur cũm supradictis circa rationes proprias necessarij, & contingentis, concluditur, quòd necessarium est, quod in sua natura est determinatum solùm ad esse, inquantùm potentia actiua naturalis, in qua continetur, est omninò determinata ad reducendum illud in esse, ita quòd impediri non potest. Contin-

Concludũtur ex dictis propriæ rationes necessarij, impossibilis, & contingentis.

gens.

Digitized by Google

gens verò, cuius contingentiæ radix est possibilitas materiæ ad vtrunque, quale est contingens naturale, est, quod ex sua natura ad neutrum est omninò determinatum, licèt magis ad vnum, quàm ad alterum; inquantùm potentia actiua naturalis, à qua reducendum est in esse, non est omninò determinata ad vnum, ita quòd impediri non potest; sed ita, quòd impediri potest; non quidem, dum non est impedita; quia impossibile est, aliquid impediri, dum non impeditur, vt ex doctrina Aristotelis, secundo loco adducenda, demonstrabitur; sed absolutè.

Inculcantur verba S. Thomæ ad propositum.

Quare considera verba illa S. Thomæ. *Alioquin, si potentia actiua,* scilicet naturalis, *sit ita determinata ad vnum, quòd impediri non potest, consequens est, quòd ex necessitate reducet in actum potentiam passiuam eodem modo.* Considera, inquam, quòd absolutè, *impediri non potest,* dixit: non autem impediri non potest, dum non est impedita. Et inde conclude, quòd potentia actiua, ad quam consequitur, quòd eius effectus sit ex necessitate, excludente contingentiam, est, quæ ita est determinata ad vnum, quod impediri non potest, absolutè. His autem consideratis attende ad reliqua. Nam ad prædictam solutionem dubij immediatè subiungit S. Doctor.

1920 14 *Hoc igitur quidam attendentes, posuerunt, quòd potentia, quæ est in rebus naturalibus, sortitur necessitatem ex aliqua causa determinata ad vnum, quam dixerunt fatum. Quorum Stoici posuerunt fatum in quadam serie, seu commistione causarum,* (Nota fatum stoicum) *supponentes, quòd omne, quod in hoc mundo accidit, habet causam; causa autem posita, necesse est effectũ poni: & si vna per se non sufficit, multæ causæ ad hoc conuenientes accipiunt rationem vnius causæ sufficientis: & ita concludebant, quòd omnia ex necessitate eueniunt.*

Quarto refert errorẽ Stoicorum.

1921 15 Et hìc considera hanc Stoicorum positionem, illamque compone cum doctrina, & positione Suarij, supra relata. Porrò Suarius inquit. *Si effectus naturalis* (scilicet horum inferiorum, in quibus est contingentia, & casus) *comparetur, non ad solam causam per se, & precisè sumptam; sed cum omnibus requisitis ad agendum, in quibus includitur impedimentorum ablatio, & quòd concursus Dei sit paratus, in toto illo cumulo causarum habet talis effectus omnimodam determinationem ad vnum.* Ex quo infert, *Et ideo poterit in illo toto causarum ordine cognosci certissimè effectus futurus,* & rationem assignat: *Quia per concursum omnium causarum, & conditionum antecedentium ad actionem, tollitur contingentia effectus, & resultat necessitas.*

Refertur positio Suarij.

16 Compone, inquam, hanc doctrinam Suarij, cum positione Stoicorum, ac considera, quid minus mali sit in positione Suarij circa effectus, de quibus ipse loquitur, quàm sit in positione Stoicorum? Considera, quòd vtraque positio imponit his effectibus causam, habentem determinationem ad vnum; sed positio Suarij rem auget, dum dicit, *habet omnimodam determinationem ad vnum.* Vtraque ponit hanc causam, habentem determinationem ad vnum, inuoluere quendam ordinem, cumulum, seriem, seu commistionem causarum, inquantùm si vna sola per se, & precisè sumpta, perfectam, seu omnimodam determinationem non habet, plures ad effectum conuenientes, seu totus cumulus, seu series, & commistio causarum eam habet, licet Stoici hanc seriem, seu cumulum appellent fatum, Suarius verò causam habentem omnia prærequisita ad agendum. Sed quid referret diuersa nominis nuncupatio, si in re conuenirent? Vtraque ponit, quòd tales effectus à prædicta causa, inuoluente ordinem, cumulum, seriem, seu commistionem causarum, eueniunt ex necessitate; sed Suarius auget explicationem per ly *tollitur contingentia effectus.* Ampliùs, vtraq; ponit in prædicta causa determinationẽ, seu necessitatem in ordine ad actionem, seu effectum futurum. Et de Stoicorum positione constat. Nam cùm concludunt omnia euenire ex necessitate, id intelligunt de futuris. De positione verò Suarij id est magis euidens. Expresè enim concludit. *Et ideo poterit in illo toto causarum ordine cognosci certissimè effectus futurus.* Videtur ergo, quòd, quantùm ad hos effectus, de quibus loquitur ipse Suarius, nil minus necessitatis posuit ipse, quàm Stoici.

1922 *Componitur cum positione Stoicorum, & manifestatur qualiter inter se conueniãt.*

17 Dixi, *quantùm ad hos effectus &c.* Quia Stoici loquuntur de omnibus, quæ accidunt in hoc mundo, inter quæ non solùm comprehenduntur illi effectus, qui in vera philosophia ex sententia Aristotelis habent causam per se, licèt non omninò determinatam ad vnum; sed etiam ea, quæ secundùm sententiam Aristotelis non habent causam per se, suntque omninò per accidens, vt ædificatorem esse musicum. At verò Suarius loquitur solùm de prioribus. Quantùm igitur ad hos effectus, de quibus ipse loquitur, non minus necessitatis videtur eis dedisse Suarius, quam Stoici, & in hoc, (vt in tertio dicto num. 8. huius §. diximus *quantùm est ex modo loquendi, & ex eo, quòd ipse Suarius existimat asserere,* incidit in Stoicos.

1923 *Plura includuntur in positione Stoicorum, quàm in positione Suarij.*

18 Quod nos addidimus, quia re vera Sua- 1924

Digitized by Google

Differentia inter Stoicos & Suarium.

Suarius dicit aliud à Stoicis. Nam hi, re vera, tribuunt prædictis effectibus necessitatem absolutam, quæ, si daretur, tolleret à dictis effectibus contingentiam. At verò Suarius tribuit eis necessitatem, quæ re vera non est absoluta, sed solùm ex suppositione, & in re datur, sed non tollit contingentiam; ipse verò existimat, esse absolutam, & tollere contingentiam, eiq; errans attribuit diffinitionem necessitatis absolutæ, & sic deceptus in eo, quod existimat dicere, labitur in errorem Stoicorum. Amplius Stoici loquuntur de determinatione causæ ad effectum, qui, re vera, est futurus in ordine ad illud tempus, quo causa habet determinationem ad illum. Vnde dicunt, quòd omnia, quæ sunt euentura, siue post horam, siue diem, siue mensem, siue annum, vel annos, euenient ex necessitate ex causa fatali, importante seriem, seu commistionem causarum, quarum aliqua est in præsenti, vel fuit in præterito. At verò Suarius loquitur de necessitate, & determinatione, quã habet causa ad effectum, dum est non impedita, cui effectus, re vera, non est futurus; ipse verò existimat, eum esse ei futurum, & in hac existimatione fallitur, & incidit in dictum Stoicorum.

1925

Causa non impedita per hoc quod non est impedita habet in actu effectum suũ: non autem est determinata ad habendum effectum futurum.

19 Explicatur hoc. Nam causa, e.g. ignis, qui nunc non habet impedimentum, ex necessitate, & infallibiliter calefacit in hoc eodem nunc: non autem infallibiliter calefaciet pro tempore futuro. Non enim ignis, qui nunc non est impeditus, ex necessitate calefaciet cras, vel post mensem, vel annum; cum possit ei, qui nunc non est impeditus, accidere impedimentum pro tempore futuro; sed solùm ex necessitate calefacit nunc, dum non habet impedimentum. Et esset, non solùm incongrua; sed etiam falsa locutio, si quis diceret: ignis, qui nunc non est impeditus, necesse est, quòd nunc calefaciet. Sicut esset incongrua, & falsa locutio, si quis diceret: ego crás cucurri. Recta, & vera locutio esset; cras curram. Ita recta locutio est, ignis nunc calefacit: non autem, ignis nunc calefaciet. Actio ergo, seu effectus in ordine ad causam non impeditam non est futurus; sed emanans ab ea illo eodem tempore, quo est non impedita: ita vt mensura suppositionis, qua ponitur non impedita, & mensura actionis causæ, sit idem omninò tempus. Et inde fit, quòd determinatio causæ non impeditæ ad suam actionem, seu effectum, non est determinatio ad effectum futurum; nec est ei similis. Siquidem ista non solùm excludit præsens impedimentũ, sed etiam futurum, ad eamq; sequitur, quòd absolutè non possit habere impedimentum, ne ad effectum futurum perueniat. At verò illa, nec excludit impedimentum futurum, nec ad eam sequitur, quòd absolutè non possit habere impedimentum: sed solùm importat necessariam connexionem, quam habet causa ad effectum, dum non est impedita. Inde est etiam, quòd cognitio effectus in causa non impedita, non est cognitio, qua in causa cognoscitur effectus futurus; sed qua in ipsa cognoscitur effectus actualiter emanans, & procedens ab ea.

1926

Modus discurrendi Suarij, eximantis, effectum esse futurum causæ non impeditæ.

20 Et nihilominus Suarius existimat, quòd actio, seu effectus sit futurus in ordine ad causam, quam ipse supponit non impeditam. Et quoniam à causa non impedita ex necessitate procedit actio, & effectus; ideo existimat, talem causam esse omnimodè determinatam ad effectũ futurum. Et quia causa omnimodè determinata ad effectum futurum excludit cõtingentiam ab effectu, vt patet in motu cœlestiũ corporum in ordine ad eclipsim Solis, & Lunæ; ideo existimat talem causam excludere contingentiam, & inducere necessitatem. Mouetur autem Suarius ad existimandum, actionem, seu effectum esse futurum in ordine ad causam non impeditam; quia causa, vt non impedita, præcedit ordine naturæ suum effectum. Et inde infert, eum esse futurum. Sed euidenter in hac sua illatione decipitur. Nam præsens, præteritum, & futurum sunt differentiæ temporis, distinguentes ea, quæ sunt ordinata secundùm tempus; non autem ea, quæ sunt ordinata solo ordine naturæ, vel originis. Vnde in his, quæ sunt ordinata ordine solius naturæ, vel originis, nec id, quod est prius, habet rationem præteriti in ordine ad id, quod est posterius, nec quod est posterius, habet rationem futuri in ordine ad id, quod est prius. Et ita quia immaterialitas est prior solo ordine naturæ intellectualitate; & Pater æternus prior origine filio: ideo nec immaterialitas potest dici præterita in ordine ad intellectualitatem, nec hæc in ordine ad illam futura, in quocunque inueniantur: Et nec Pater præteritus Filio; nec Filius Patri futurus. Et ita etiam in proposito. Nec causa non impedita, vt non impedita, propter prioritatem naturæ potest dici præterita in ordine ad actionem ab ipsa emanantem, dum non est impedita: nec hæc in ordine ad illam futura. Et inde apparet, quod solùm secundùm suam falsam existimationẽ incidit in positionem Stoicorum Suarius. Denique ex proximè allatis remanet probatum nostrum tertium dictum.

Motiuum Suarij excluditur.

Pro

Digitized by Google

1927 21 Pro primo autem, & secundo dicto debet etiam considerari alia eiusdem Aristotelis, & D. Thomæ doctrina, quam habent hoc eodem loco lib. primi Perihermenias lec. 15. in principio, cuius meminit Anselmus lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. loquens de necessitate, quam appellat sequentem, inquiens: *Hæc est illa necessitas, quæ, vt tractat Aristoteles de Propositionibus singularibus, & futuris, videtur vtrumlibet destruere, & omnia ex necessitate astruere.* Idque obiter nota, vt scias quid intelligit Anselmus per distinctionem necessitatis in præcedentem, & sequentem, quando id intelligit, quod hoc loco Aristoteles, dum tractat de singularibus, & futuris propositionibus. Itaque hoc loco postquam Aristoteles in textu, quem S. Doctor explicat lec. 13. & 14. probauit, sequi, omnia ex necessitate contingere, tolliquè liberum arbitrium, ac etiam hæc esse inconuenientia, si in altera definitè singularium propositionum contradictoriarum de futuro esset determinata veritas, vel falsitas; manifestat deinde in textu, quem explicat S. Doctor lec. 15. qualiter in prædictis propositionibus sit veritas, & falsitas: Rem autem mirandum Aristotelis ingenium incepit ex sequenti doctrina, inquiens.

Anselmus distinguēs necessitatē in præcedentem, & sequētem, refert doctrinam Aristotelis huius loci.

1928 22 *Igitur esse, quod est, quando est, & non esse, quod non est, quando non est, necesse est. Sed non omne, quod est, necesse est esse: nec omne, quod non est, necesse est non esse. Non enim idem est omne, quod est, necesse est esse, quando est: & simpliciter esse ex necessitate. Similiter autem & in eo, quod non est.* Ad quę verba S. Doctor. *Postquam Philosophus ostendit esse impossibilia ea, quæ ex prædictis rationibus sequebantur; hic, remotis impossibilibus, concludit veritatem, &c. Dicit ergo primò, quasi ex prædictis concludens, quòd, si prædicta sunt inconuenientia, vt scilicet, omnia ex necessitate eueniant; oportet dicere, ita se habere circa res, scilicet, quòd omne, quod est, necesse est esse, quando est: & omne, quod non est, necesse est non esse, quando non est. Et hæc necessitas fundatur super hoc principium, Impossibile est, simul esse, & non esse. Si enim aliquid est impossibile, dum est, illud simul non esse; ergo necesse est, tunc illud esse. Nam impossibile non esse, idem significat ei, quod est necesse esse, vt in secundo dicetur. Et similiter, si aliquid non est, impossibile est, illud simul esse: ergo necesse est non esse; quia etiam idem significant. Et ideo manifestè verum est, quòd omne, quod est, necesse est esse, quando est; & omne, quod non est, necesse est non esse, pro illo tempore, quando non est. Et hæc est necessitas, non absoluta, sed ex suppositione. Vnde non potest simpliciter, & absolutè dici, quòd omne, quod est, necesse est esse; & omne, quod non est, necesse est non esse. Quia non idem significant, quòd omne ens, quando est, sit ex necessitate: & quòd omne ens simpliciter sit ex necessitate. Quia primum significat necessitatem ex suppositione: secundum autem necessitatem absolutam. Et quod dictum est de esse, intelligendum est similiter de non esse. Quia aliud est, simpliciter ex necessitate non esse, & aliud ex necessitate non esse, quando non est. Et per hoc videtur Aristoteles excludere id quod supra dictum est: quòd si in his, quæ sunt, alterum determinatè est verum, quod etiam antequam fieret, alterum determinatè esset futurum.* Posset hic addi: vt existimāt quamplures Medi scientiantes.

Doctrina Aristotelis circa necessarium absolutè, & ex suppositione.

Commentariū S. Thomæ in eandem doctrinam.

1929 23 Hanc Aristotelis doctrinam, quam manifestè veram pronunciat S. Doctor, sequuntur communiter omnes Peripatetici, & inter alios Anselmus, vt tetigimus num. 21. & Boetius, non solùm in commentario huius loci; sed etiam lib. V. de Consolatione prosa 6. vbi sic habet. *Duæ sunt etenim necessitates: simplex vna, veluti, quòd necesse est omnes homines esse mortaleis: Altera conditionis, vt si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisq; nouit, id esse aliter, ac notum est, nequit. Sed hæc conditio minimè secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntariè gradientem; quamuis eum tamen, cum graditur, incedere necessarium sit, &c.*

Doctrinam Aristotelis sequuntur communiter Peripatetici, & inter eos, Anselmus, & Boetius. Verba Boetij.

Ex ea autem habetur, quòd aliud significat dicere, quòd aliqua res (siue causa sit, siue effectus) non potest impediri, vel prohiberi; & aliud satis diuersum, quòd non potest impediri, vel prohiberi, dum non impeditur, vel prohibetur. Primum significat necessitatem simplicem, seu absolutam, qua absolutè necesse est rem non impediri, vel non prohiberi, & est cum res ex propria natura talem habet determinationem, quòd de ea absolutè dici potest, res hæc impediri non potest: res hæc prohiberi non potest. Aliud verò non hanc simplicem, sed conditionis, seu suppositionis necessitatem significat, qua necesse est, rem non impediri, nec prohiberi, dum non impeditur, & non prohibetur.

Deducitur diuersa significatio propositionum.

1930 24 Denique aduerti debet, quòd (vt patet ex verbis Boetij proximè relatis, & D. Thomæ, statim referendis) sola necessitas simplex, seu absoluta (siue in causa sit, siue in effectu) excludit contingentiam effectus; non autem necessitas solius suppositionis. Et pro hac re nota rationē S. Thomæ, qua lib. 1. con. gen. cap. 85. ratione 4. probat, diuinam voluntatem non

Necessitas absoluta; non verò solius suppositionis, repugnat contingentiæ effectus.

Digitized by Google

excludere contingentiam ab effectibus; Sic enim habet,

Notanda doctrina S. Thomæ.

Necessitas ex suppositione in causa non potest concludere necessitatem absolutam in effectu. Deus autem vult aliquid in creatura, non necessitate absoluta: sed solùm necessitate, quæ est ex suppositione, vt supra (scilicet, cap. 83.) ostensum est. Ex voluntate igitur diuina non potest concludi in rebus creatis necessitas absoluta. Hæc autem excludit contingentiam. Nam etiam contingentia ad vtrumlibet reduntur ex suppositione necessaria; sicut Sortem moueri, si currit, est necessarium. Diuina ergo voluntas non excludit à rebus volitis contingentiam. Non igitur sequitur, si Deus aliquid vult, quòd illud ex necessitate erit. Sed quòd hæc conditionalis sit vera, & necessaria; Si Deus aliquid vult, illud erit: consequens tamen non oportet esse necessarium. Huius rationis nota maiorem, & subsumptum.

Primum, & secundum dictum probantur, ac improbatur Suarius.

1931 25 DVobus dictis prioribus tribus principijs, inter se connexis, reijcimus Suarium, puta, ex ipsa ratione entis contingentis, ex ratione entis necessarij, & ex ratione necessitatis absolutæ, & conditionis. Primo vtimur in primo dicto; sed duobus posterioribus in secundo.

Assumptū in priori dicto patet ex verbis S. D.

Ex adnotata igitur doctrina S. Thomæ patet in primis nostrum primum dictum, quantùm ad id quod assumimus, vt principium, videlicet, *quòd effectus naturalis causæ impedibilis, sicut per se, & ex propria natura ad neutrum est omnino determinatus, nec scilicet ad esse, nec ad non esse: ita per se, & ex propria natura est contingens*, patet, inquam, ex verbis S. Doctoris, relatis num. xi. inquantùm asserit, esse expressam sententiam Aristotelis illam, quam refert, & sequitur Boetius, attribuitq; Philoni, nempe; quod distinctio inter necessariū, & contingens, attenditur secundùm ipsas naturas rerum. Ita vt necessarium diffiniri debeat: *Quod in sua natura est determinatum solùm ad esse*: Contingens verò, seu possibile; *Quod in sua natura ad neutrum* (ideſt neq; ad esse, nec ad non esse) *est omninò determinatum; siue se habeat magis ad vnum, quàm ad alterum; siue se habeat æqualiter ad vtrumq;* seu (& idem significat) quod in sua natura habet, quòd possit esse, & non esse. Vnde ipsemet D. Thomas, agens de hac eadem re in 2. Physicorum lec. 8. lit. tex. a, sic habet, *Sciendum, quòd quidam diffinierunt necessarium, quod non habet impedimentum; contingens verò vt frequenter, quod potest impediri in paucioribus, Sed hoc irrationabile est.* Qualiter igitur diffinienda sunt? Audi, nam sequitur. *Necessarium enim dicitur aliquid, quod in sui natura habet, quod non possit non esse: contingens autem vt frequenter, quod possit non esse*, ideſt, *quod in sui natura habet, quòd possit non esse.* Contingens ergo, vt frequenter, quod est illud, de quo loquitur Suarius, habet in propria sua natura contingentiam, sicut habet in propria sua natura, quòd ad neutrum sit omninò determinatum, seu quòd ita sit determinatum ad esse, quòd possit non esse.

Nota has diffinitiones: & qualiter debeant diffiniri necessarium, & contingens.

Quod potest esse, potest nō esse, vide D. Th. lib. 2. cont. gen. cap. 30.

Notanda consideratio circa prædicta

Nota hìc obiter differentiam iter hæc tria, puta: habere in sui natura, quòd non possit non esse: habere in sui natura, quòd non possit esse: & habere in sui natura, quòd possit non esse. Nam primum est diffinitio necessarij: secundum verò impossibilis: tertium deniq; contingentis. Ad primum sequitur, quòd non possit impediri, quin sit; Ad secundum verò, quòd non possit impediri, quin non sit: ad tertium deniq; quod possit impediri. Idq; patet ex doctrina D. Thomæ, & Aristotelis, priori loco adnotata.

1932 26 Sed numquid ad illud, quod absolutè dicitur necessarium, sequitur, quòd non possit impediri, quin sit, dum est; vel dum non impeditur esse? Non vtiq; Quia ista conueniunt etiam ei, quod est necessarium ex sola suppositione, vt patet ex doctrina Aristotelis, & D. Thomæ secundo loco adnotata. Et similiter, propter eandem rationem, nec ad id, quod absolutè dicitur impossibile, sequitur, quòd non possit impediri, quin non sit, dum non est, vel dum non impeditur esse. Sed ad necessarium sequitur, quòd absolutè, & simpliciter impediri non potest, quin sit; ad impossibile verò, quòd absolutè impediri non potest, quin non sit. Ita ergo ad id, quod in sua natura est contingens, sequitur quòd possit impediri, non quidem dum est, vel dum non impeditur esse; quia hæc sunt impossibilia, nec possunt in alicuius natura inueniri; sed quòd possit impediri absolutè, & simpliciter loquendo.

Qualiter debet intelligi præcedens doctrina.

1933 27 Sed nunc redeamus ad nostrum primum dictum. Etenim quantùm ad id, quod in eo inferebamus, videlicet; *esse falsum, & contra D. Thomam, & Aristotelem in re, quam existimant demonstratam ad id, quod ponit Suarius, puta, quòd talis effectus habet per se ex propria causa determinationem; contingentiam autem per accidens ex impedimentis, vel effectibus aliarum causarum, quibus ablatis, habet omnimodam, seu integram determinationem ad vnum, per quam tollitur contingentia effectus, & resultat necessitas.* Quantum

Manifestatur id, quod concluditur in primo dicto.

Digitized by Google

tùm ad hoc, inquam, quod inferimus, patet ex ipso assumpto, quod esse in doctrina D. Thomæ, & Aristotelis constat ex dictis. Si enim in eorum sententia effectus dicitur contingens ex eo, quod est in sui propria natura: ita vt distinctio inter ens necessarium, & contingens, sit secundùm distinctionem naturarum eorum, effectus non erit contingens per accidens; sed per se, & ex propria natura. Rursus si id, quod dicitur contingens, in sui propria natura habet, quòd ad neutrũ sit omninò determinatum, dicat Suarius, qualiter sit verum, quod ipse dicit, *effectus habet per se ex propria causa determinationem?*

1934

Explicantur diuersi modi, quibus effectus inueniũtur esse determinati in suis causis

28 Quæro, quem modum determinationis habet effectus (de quo loquimur) per se ex propria causa? Illum ne, quo determinatur ad esse omninò, indefectibiliter, & vt semper: an illum, quo non omninò, & indefectibiliter; sed vt frequenter, seu vt in pluribus? Porrò aliqui effectus per ordinem ad suas causas, sumptas absolutè, hoc modo inueniuntur determinati ad esse, quòd nullum possunt habere impedimentum, & hi sunt, determinati ad vnum omninò, indefectibiliter, & vt semper. Sic sunt ortus, & occasus stellarum, eclipsis Solis, & Lunæ &c. Aliqui verò non prædicto, sed alio modo inueniuntur esse determinati, inquantùm eorum agentia sic per formam, qua sunt in actu, determinantur, & tendunt ad reducendum effectum suum in actu, quòd possunt impediri. Et hi effectus dicũtur esse determinati ad vnum, seu ad esse, non omninò, sed vt frequenter, & vt in pluribus. Illo scilicet modo, quo sagitta, proiecta in determinatum signum: quę sic inuenitur per motum, sibi impressum à proijciente, determinata ad attingendũ signum, quòd potest impediri ab aliquo occurrente, ne perueniat ad attingendum signum. Ex quo est, quòd non necesse est, quòd sagitta mota, & per motum determinata ad signum, attingat signum. Igitur, quia his duobus modis inueniuntur causæ, & effectus habere determinationem, & vnicuiq; causæ, & effectui per respectum ad suam causam propriam debetur suus proprius modus determinationis; Omnia enim Deus (vt habetur sapientiæ xi.) *in mensura, & numero & pondere disposuit*, ideſt (vt explicat ex Augustino S. Thomas) cum modo, specie, & ordine: ideo à Suario, docente, quòd effectus, de quo loquimur, determinationem habet per se ex propria causa, petimus, vt explicet, quem modum determinationis, primum ne, an secundum habet per se a propria causa prædictus effectus?

Exemplũ ad propositum.

Interrogatur Suarius.

29 Si primum diceret, falsum, & contra seipsum responderet, sequeretur enim, quòd hi effectus, quales sunt generationes animalium, & plantarum, ea necessitate euenirent, qua ortus, & occasus Solis, qui spectato ordine ad suam causam, non possunt impediri; quo quid stultius dici potest? 1935

Vrgetur quia non potest dicere primum

Si verò diceret secundum, quod est verum, tunc sequitur, quod talis effectus per se ex propria causa habeat contingentiam. Quippe quia iste specialis modus contingentiæ, quem habet effectus, de quo loquitur Suarius, nil aliud importat, nisi determinationem ad esse, seu ad vnum, secundùm posteriorem modum, Si ergo Suarius diceret, quòd talis effectus habet per se ex propria causa determinationem secundùm posteriorem modum, planè diceret, quòd haberet per se ex propria causa contingentiam. Siquidem determinatio ad vnum secundum posteriorem modum, est determinatio ad vnum, vt frequenter, seu vt in pluribus, hæc autem idem est, quod contingentia, vt in pluribus; sicut determinatum ad vnum, vt in pluribus, & contingens, vt in pluribus idem omninò sunt; sicut diffinitio, & diffinitum, diffinitur enim contingens, vt in pluribus, quod non omninò ad vnum, sed magis ad esse, quàm ad non esse, est determinatum, vt patet ex verbis D. Thomæ relatis num. 25. seu quod sic est determinatum ad esse, quòd potest non esse.

Ex secundo sequitur, effectum habere per se contingentiam.

1936

30 Amplius interrogo Suarium, vt dicat, qualiter ipse intelligit, quòd *effectus determinationem habet per se; contingentiam autem per accidens ex impedimentis; quibus ablatis, manet integra, seu omnimoda determinatio*. In hoc sanè dicto contraponit Suarius contingentiam determinationi, ac per hoc oportet, quòd per ly *contingentiam* intelligat aliquam indeterminationem, velitq; quòd, ablatis impedimentis, talis indeterminatio auferatur, & sic remaneat integra, seu omnimoda determinatio. Quæro modo; An effectus, habitis impedimentis, habeat contingentiam, seu indeterminationem? Si enim effectus habet contingentiam, seu indeterminationem per accidens ex impedimentis, ita vt, ablatis impedimentis, auferatur indeterminatio, seu contingentia, & remaneat omnimoda determinatio, seu necessitas, videtur sequi, quòd habitis impedimentis habeatur hæc contingentia, quæ effectui competit per accidens ex ipsis impedimentis. At verò hoc est repugnans ipsimet Suario. Nam sicut necesse est, quòd, ablatis impedimentis, effectus sit; ita necesse est, quòd habitis, seu positis impedimen-

Interrogatur, & vrgetur iterum Suarius.

Digitized by Google

dimentis, effectus non sit. Si ergo propter hoc, quòd, ablatis impedimentis, necesse est, effectum esse, effectus habet omnimodam determinationem ad esse; ac per hoc est necessarius, ablata ab eo contingentia: propter hoc etiam, quòd habitis impedimentis, necesse est, effectum non esse, effectus habebit omnimodam determinationem ad non esse, ac per hoc erit impossibilis, ablata ab eo contingentia. Quod est euidentissimè falsum, & ipsi Suario repugnans; sed necessariò ex dictis ipsius Suarij illatum.

Effectus euenit contingenter, quia auferuntur eò tingenter impedimẽta: & non euenit contingenter, quia occurrunt contingenter impedimẽta.

Si igitur effectus non habet per accidens contingentiam ex impedimentis, siue habitis, siue ablatis; quia habitis, habet necessitatem ad non esse, sicut ablatis, habet necessitatem ad esse, in sententia Suarij, explicet ipse, qualiter habeat per accidens contingentiam ex impedimentis? Sed quid dicet à veritate non alienum, sibiq; non repugnans, quando in rei veritate per hoc ipsum effectus contingenter euenit, seu contingenter reducitur in esse, & contingenter non euenit: fitq; cum perfectissima contingentia, siue in esse, siue in non esse, quòd ex necessitate euenit à sua causa, ablatis impedimentis, & ex necessitate non euenit, positis impedimentis?

1937

Explicatur, & probatur præcedens doctrina.

31 Etenim licèt verum sit, quòd causa contingens sit, quæ ex sua natura, sic est determinata ad reducendum effectum suum in esse, quòd possit impediri; attamen hoc, quòd est, aliquando habere, & aliquando non habere impedimentum, accidit causæ, sicut licet sequatur ad naturam hominis posse ridere, tamen, quòd quandoq; rideat, & quandoq; non rideat, accidit homini. Quoniam autem causa ex necessitate producit effectum suum, quando contingit ei non habere impedimentum; & ex necessitate non producit, quando ei contingit habere impedimentum; ideo contingens est causæ, producere, & contingens est eidem, non producere suum effectum. Sicut, quia homo ex necessitate habet quendam motum circa os, & pectus, quando contingit, eum ridere, & ex necessitate non habet, quando contingit, eum non ridere; ideo contingens est homini habere, & contingens est non habere talem motum. Et inde est, quòd per hoc ipsum causa, de qua loquimur, habet effectum suum contingenter, quòd eum ex necessitate producit, dum ei contingit non habere impedimentum; & etiam per hoc ipsum contingenter caret effectu, quòd eo ex necessitate caret, quando ei accidit habere impedimentum.

2938

Quod est dictum de causis contingentibus, proportione seruata, dicendum est de earundem effectibus.

32 Et idem dicendum est de effectibus. Nam licèt verum sit, quòd effectus contingens sit, qui in natura sua habet, quòd nec ad esse, nec ad non esse sit omninò determinatus; ac per hoc, posita eius causa, potest ab ea euenire, & non euenire: eò quòd ipsa in sua natura etiam est talis, quòd possit ei accidere impedimentum: attamen quòd, posita eius causa, eueniat, vel non eueniat ab ea, est accidens, sicut est accidens causæ, quòd habeat, vel non habeat impedimentum. Et inde est, quod effectus, posita causa, per hoc ipsum accidentaliter, & contingenter euenit ab ipsa, estq; in ordine ad ipsam perfectissimo modo contingens, quòd ab ipsa ex necessitate euenit, quando ei accidit, non habere impedimentum; Et per hoc ipsum non euenit contingenter, ita vt non esse ipsius effectus sit contingens, quòd ab ipsa non euenit, quando ei accidit, habere impedimentum. Vnde tantùm abest, quod ablatis impedimentis, effectus eueniat necessariò, & necessarius, ea necessitate, quæ excludit ab effectu contingentiam (vt arbitratur Suarius) quòd propter hoc ipsum habeat in actu contingentiam, proceditq; à sua causa, contingenter, & vt contingens, quòd à ab ipsa procedit ex necessitate, dum ei accidit non habere impedimenta.

1939

Vrgetur Suarius ex principijs positis in secundo dicto.

33 Hæc autem euidentiùs probantur, & simul excluduntur responsiones, quæ pro Suario fieri possent, ex principijs positis in secundo dicto, quo duo dicimus; alterum circa effectum absolutè, & simpliciter necessarium: alterum verò circa effectum necessarium ex sola suppositione. Et quidem primum, puta, *quòd effectus simpliciter necessarius prout contra distinguitur ab eo, qui est absolutè & simpliciter contingens, non est qui impediri non potest, quin sit à sua causa, dum non est impedita; sed qui in sua natura est determinatus solùm ad esse, ita vt absolutè, & simpliciter non possit impediri; estq; à causa, sic ex natura determinata ad effectum, quòd sit inimpedibilis per naturam*; quantùm ad id, quod affirmat, in primis patet ex doctrina Aristotelis, & D. Thomæ à nobis expensa à num. 10. ad 14. Patet 2. ex his, quæ diximus num. 25. & 26. vbi retulimus aliam ex D. Thoma diffinitionem, qua necessarium dicitur, *quod in sui natura habet, quòd non possit non esse*. Quantùm verò ad id, quod negat, patet, ex hoc, quòd secundò dicimus, nempe; *Quòd ille effectus, qui impediri non potest, quin sit, & procedat in esse, seu necesse est, vt sit & procedat in esse, dum non impeditur esse, & procedere, dicitur necesse esse, & impediri non posse, necessitate, & impossibilitate suppositionis*,

Digitized by Google

nis, quæ non tollunt ab effectu contingentiam &c. Et hoc quidem patet ex doctrina Aristotelis, D. Thomæ Boetij &c. secundo loco relata à num. 22. ad 25. & ex his, quæ diximus num. 26. huius §.

1940 *Concluditur, quòd non possit esse necessarius necessitate excludente contingentiam effectus, de quo loquitur Suarius.*

34 Ex horum primo euidenter habetur, quòd non possit esse necessarius absoluta necessitate, excludente contingentiam, effectus ille, de quo loquitur Suarius, qui scilicet, est à causa naturali, posito, quòd caret impedimentis, quæ prædictæ causæ possunt accidere. Siquidem (vt constat ex verbis S. Thomæ relatis à num. 10. ad 14.) ad hoc non sufficit, quòd effectus, ablatis impedimentis ex necessitate procedat à sua causa; sed indispensabiliter requiritur, quòd causa, à qua effectus debet reduci in esse, sic sit ex sua natura determinata ad reducendū ipsum effectum in esse, quòd absolutè nullum possit habere impedimentum: seu quòd absolutè sit impossibile, eum habere naturaliter impedimentum,

1941 *Concluditur, quod est necessarius ex sola suppositione: idq; probatur ratione S. Thomæ.*

35 Ex secundo autem habetur euidentissimè, quòd necessitas ista, qua necesse est, effectum esse à sua causa, posito, quòd ab ea sint ablata impedimenta, est necessitas solius suppositionis, qua causa, quæ potest esse, & non esse impedita, ponitur esse non impedita. Hæc autem necessitas ex causa non excludit contingentiam ab effectu, sed solùm in eum inducit necessitatem suppositionis, quæ stat simul cum contingentia. Vnde possumus ad propositum vti ratione Diui Thomæ, quā verbotenus retulimus n. 24. huius §. fol. 506. hoc modo. *Necessitas ex sola suppositione in causa non potest concludere necessitatem absolutam in effectu.* Sed necessitas, quæ est in causa naturali, (de qua loquitur Suarius) ad reducendum effectum suum in esse, est in tali causa ex sola suppositione, quòd non est impedita (vt patet ex ipsomet Suario verbis supra relatis): non autem est in ea absolutè, & simpliciter; cùm, ipsa posita, possit ei vtrunq; accidere, tam, scilicet, habere, quàm non habere impedimentum, & sic potest carere tali suppositione, & necessitate. Ergo dicta necessitas in causa non potest concludere necessitatem absolutam in effectu. *Hæc autem excludit ab effectu contingentiam.* Ergo dicta necessitas in causa non potest concludere necessitatem in effectu, excludentem ab eo contingentiam. Hanc rationem puto verè demonstratiuam: cuius maior (præterquam quòd, vt propositio per se nota, assumitur à S. Thoma) re vera est manifesta, & apparet exemplis. Homo enim, dum loquitur, mouet linguam: & ex necessitate mouet, si loquitur. Necessitas autem hæc, quæ est in ista causa, puta homine, ad mouendum linguam, non potest concludere necessitatem absolutam in motu linguæ; ita vt absolutè sit verum, quòd motus linguæ non potest non esse. Et ratio est; quia necessitas, quæ est in homine ad mouendam linguam, non est in ipso naturalis, seu ex principijs naturæ, & absoluta; ita vt possit dici absolutè, homo ex necessitate mouet linguam, sicut dicimus absolutè homo ex necessitate aliquando morietur, seu homo non potest non mori. Sed est in ipso ex suppositione, quæ ei accidit; & in homine potest absolutè non esse puta, ex suppositione, quòd loquitur: inquantùm, scilicet, verum est, quòd, si loquitur, necesse habet monere linguam, & non potest non mouere linguam, dum loquitur. Et sic apparet, quòd necessitas, quæ est in causa ex sola suppositione, non potest concludere necessitatem absolutam in effectu.

1942 *Explicatur, cur sit dictum, ex sola suppositione.*

36 Dixi, *ex sola suppositione*; quia si non esset ex sola suppositione; sed etiam esset absoluta, vt contingit, quando suppositio inest causæ ex necessitate absoluta, tunc concludet quidem necessitatem absolutam in effectu; sed non ex eo, quia est ex suppositione, sed quia est absoluta. e.g. Homo non potest non mori, si est compositus ex contrarijs. Videtur necessitas hæc in homine ad moriendum ex suppositione. Verùm, quia suppositio inest homini ex principijs naturæ, seu necessitate absoluta; quia absolutè necesse est, hominem esse compositum ex contrarijs; ideo talis necessitas non est ex sola suppositione, sed etiam absoluta, & ex consequenti infert necessitatem absolutam in effectu. At verò quando suppositio inest causæ accidentaliter, vnde, posita causa absolutè, suppositio potest absolutè esse, & non esse; tunc necessitas, quæ est ex tali suppositione, est ex sola suppositione. Et hæc est, quæ non potest concludere necessitatem absolutam in effectu. Maior igitur patet exemplo. Minor verò fuit euidenter probata in discursu. Subsumptum denique quod est S. D. fuit ab eodem S. D. manifestatū in suo discursu, à nobis relato in hoc §. num. 24.

Refellitur iterum positio Suarij; quia sibi ipsi minimè consentit sibique repugnat.

1943 *Referuntur verba Suarij.*

37 QVoniam Suarij positio non solùm hoc malum habet nēpe, quòd repugnat Aristoteli, Peripatetis D. Thomæ &c. Sed etiam aliud, videlicèt

licet, quòd repugnat ſuis proprijs partibus: ideo poſtquam eam in hoc §. reiecimus ex primo capite, reſtat nobis, vt eam in eiuſdem §. calce reijciamus ex ſecundo. Quocirca examinabimus eam per ſingulas partes.

Dicit itaq; Suarius cit. Proleg. de ſcientia conditionata cap. 7. num. 16. fol. 33. *Effectus naturalis contingens habet in ſua propria cauſa per ſe, ac præciſè ſumpta, quandam determinationem ad vnum, ratione cuius in illa cognoſci poteſt, vt certò futurus, certitudine quadam naturali, & includente conditionem hanc, ni impedimentum aliunde interueniat. Vnde ſi effectus comparetur, non ad ſolam cauſam per ſe, ac præciſè ſpectatam, ſed cum omnibus requiſitis ad agendum, in quibus includitur impedimentorum ablatio, & quòd concurſus Dei ſit paratus: in toto illo cumulo cauſarũ habet talis effectus omnimodam determinationem ad vnum.* Et circa hæc peto: An ſi talis effectus comparetur, non ad cauſam, ſumptam cum omnibus requiſitis ad agẽdum, in quibus includitur impedimentorum ablatio; ſed ad ſuam propriam cauſam per ſe, præciſè ſumptam, ſit contingens, & habens contingentiam? Sed certiſſimum eſt, Suarium ſentire, prædictum effectum ſub dicta comparatione eſſe cõtingentem, vt eodem num. parum infra expreſsè dicit illis verbis. *Quia licèt reſpectu propriæ cauſæ ſit contingens* &c. Vnde differentiam inter effectum contingentem ex libertate cauſæ, & effectum contingentem naturalem, conſtituit in hoc, quòd iſte eſt contingens, ſolùm comparatus ad ſuam propriam cauſam per ſe, præciſè ſpectatam; non autem comparatus ad totum cumulum cauſarum cõcurrentium. At verò ille (ſcilicet contingens ex libertate cauſæ) non ſolùm eſt contingens cõparatus ad ſuam proximam cauſam per ſe, præciſè ſpectatam; ſed etiam comparatus ad totum cumulum cauſarum: & ſic habet. *At verò effectus contingens ex libertate cauſæ non ſolùm eſt contingens, comparatus ad ſuam proximam, & per ſe cauſam, præciſè ſpectatam* (quemadmodum, videlicet, dictum eſt, eſſe contingentem effectum naturalem); *Sed etiam ad totum cumulum cauſarum, vel conditionum neceſſariarum, vel de facto concurrentium ex parte actus primi ad dictum effectum.* Quaſi diceret, quemadmodum non eſſe contingentem; ſed neceſſarium effectum naturalem dictum eſt.

Interrogatur Suarius, An effectus, cõparatus ad proximam causã per ſe, ſit contingens.

Concluditur, Suarium ſentire, eſſe contingentem

1944

38 Itaq; ſicut poſitio Suarij circa effectum contingentem ex libertate cauſæ habet duas partes, iuxta duas comparationes, quas (ſecundùm ipſum) habet talis effectus. Et prima parte aſſerit, quòd talis effectus eſt contingens, comparatus ad propriam cauſam per ſe, præciſè ſpectatam; ſecunda verò, quòd etiam eſt contingens comparatus ad totum cumulum cauſarum &c. Ita eiuſdem poſitio circa effectum contingentem naturalem, duas etiam partes continet iuxta eandem duplicem comparationem. Sed harum prima affirmat, quòd talis effectus, comparatus ad ſuam propriam cauſam per ſe, præciſè ſumptam, eſt contingens: ſecunda verò dicit, quòd non eſt contingens; ſed omninò determinatus ad vnum, & neceſſarius, comparatus ad cauſam, ſumptam cum omnibus requiſitis ad agendum, ſeu cum toto cumulo cauſarum, &c. Nec circa hoc poteſt eſſe dubium.

Explicatur, quòd poſitio Suarij habet duas partes.

1945

39 Porrò priorem partem ſuæ poſitionis circa hunc effectum contingentem naturalem ſupponit Suarius, tanquam communiter aſſertam à Philoſophis; ſecundam verò probat. Sed audiamus qualiter. Etenim poſtquam dixit: *in toto illo cumulo cauſarum habet talis effectus omnimodam determinationem ad vnum*, ſubiunxit rationem, inquiens: *Quia hanc*, ſcilicet, determinationem ad vnum, *habet per ſe ex propria cauſa; contingentiam autem per accidens ex impedimentis, vel effectibus aliarum cauſarum, quibus ablatis, vt in hypotheſi ſupponitur, manet integra determinatio.* Siſtat hic Suarius, ac rationem hanc, quam ad ſecundam ſuæ poſitionis partem probandam affert, concordet cum eiuſdem poſitionis parte priori.

Proponitur probatio ſecundæ partis, & vrgetur Suarius.

1946

40 Conſidera, quòd iſta propoſitio: *effectus naturalis determinationem ad vnum habet per ſe ex propria cauſa: contingentiam autem per accidens ex impedimentis*, &c. æquialet huic: *effectus naturalis determinationem ad vnum habet per ſe ex propria cauſa: non autem contingentiam, ſed eam habet per accidens ex impedimentis*, &c. Hæc autẽ propoſitio, quantùm ad partem negatiuam, qua dicit, quòd effectus naturalis non habet cõtingentiam per ſe ex propria cauſa, euidenter contradicit priori parti prædictæ poſitionis, qua dicit, quòd idem effectus, comparatus ad ſuam propriam cauſam per ſe, præciſè ſumptam, eſt contingens, ſeu habens contingentiam. Effectum enim habere contingentiam; & eundem non habere contingentiam in ordine ad eandem ſuam propriam cauſam per ſe, ſunt planè contradictoria.

Probatur, Suariũ aſſumpſiſſe contradictorium primæ partis ſuæ poſitionis ad probandam poſteriorem.

1947

41 Num dices primò; Suarium non incurriſſe contradictionem; quia per ly *ex propria cauſa*, non intellexit propriam cauſam, præciſè ſumptam; ſed cum omnibus requiſitis ad agendum, includentibus ablationem impedimentorum, &c? Sed contra eſt primò; quia Suarius, ponens

Confutatur primus modus eũdendi contradictionem.

Digitized by Google

nens fundamentum suæ rationis, verbis relatis præcedenti num. 37. sic habet: *Effectus naturalis contingens habet in sua propria causa per se, ac præcisè sumpta, quandam determinationem* ad vnum. Quarè, cùm ad probandam secundam partem suæ positionis assumpserit illud, quod ipsemet posuerat, vt fundamentum suæ rationis, dubium esse non potest, quòd per ly *ex propria causa*, intellexerit ipsam causam, præcisè sumptam. Contra est secundò: Quia si intellexisset propriam causam sumptam cum omnibus requisitis ad agendum includentibus ablationem impedimentorũ, assumpsisset pro probatione ipsammet cõclusionem probandam, quo nil stultius; quia sic, nihil probauisset. Porrò conclusio probanda erat: *naturalis effectus si comparetur ad propriam causam per se, sumptam cum omnibus requisitis ad agendum, in quibus includitur impedimentorum ablatio*, &c. *habet in toto cumulo causarum omnimodam determinationem ad vnum*. Si igitur, dum ad prædictam cõclusionem probandam immediatè assumpsit: *quia hanc habet per se ex propria causa*, per ly *ex propria causa*, intellexisset eandem causam, sumptam cum omnibus requisitis ad agendum, &c. hoc assumpsisset, nempe: Quia hanc, ideſt, *omnimodam determinationem ad vnum* habet per se ex propria causa, sumpta cum omnibus requisitis ad agendum &c. quod est ipsamet conclusio probanda. Oportet igitur, quòd per ly *ex propria causa* intellexerit propriam causam per se effectus, absolutè, seu præcisè sumptam.

1948 *Confutatur secundus modus enadendi contradictionem.*

42 Num dices secundò, Suarium euadere contradictionem per hoc, quòd in prima parte suæ positionis dicit, quòd effectus (de quo loquitur) comparatus ad suam propriam causam per se, præcisè spectatam, est contingens; non autẽ, quòd est per se contingens: At verò in assumpta propositione negat, quòd in ordine ad talem causam sit per se contingens?

Sed contra est. Nam si semel est verum (vt asserit ipse Suarius, idque secundùm certam D. Thomæ, & Aristotelis sententiam) quod talis effectus comparatus ad propriam causam per se, absolutè, seu (vt loquitur Suarius) præcisè sumptam, est contingens; non potest ex tali causa, sic sumpta, habere contingentiam, nisi per se. Non enim in propria causa per se effectus, absolutè, seu præcisè sumpta, inuenitur principium, vnde contingentia procedat in effectum per accidens, seu per aliud; sed solùm, vnde proueniat per se: quia in ipsa, sic sumpta, non continetur aliud, nisi ipsa natura causæ secundùm sua intrinseca principia absolutè, seu præcisè sumpta. Ex causa autem secundùm sua intrinseca principia, purè sumpta, non habetur aliquid; nisi per se. Vnde ex tali causa, sic sumpta, sicut effectus habet per se suum proprium modum determinationis ad esse, ita habet per se suum propriũ modum contingentiæ.

1949 *Vrgetur Suarius, quia, vel determinatio, quam habet effectus in causa propria est per se facta, vel imperfecta*

43 Hoc autem vt manifestemus, & simul probemus, Suarium coniunxisse sibi contraria, & inter se repugnantia, dum assumpsit, quòd talis effectus determinationem ad vnum; non autem contingentiam habet per se ex propria causa absolutè sumpta: sic discurrimus. Vel determinatio ad esse, seu ad vnum, quam (vt inquit Suarius) effectus habet per se ex propria causa, est tanta, & tam perfecta, quòd pertingit ad hoc, vt effectus per eam habeat, quòd non possit non esse: vel non est tanta, & tam perfecta, quòd ad istud pertingit; & ita admittit, quòd possit non esse. Non enim potest dari medium inter hæc duo, puta, determinationem ad esse, per quam res non potest non esse; & determinationem ad esse, per quam res potest non esse. Nec potest dici, quòd potest dari ratio determinationis ad esse, præscindens ab vtroque modo. Nam loquimur de determinatione ad esse, quam effectus habet à parte rei in sua propria causa per se. Licèt enim in intellectu detur ratio determinationis ad esse, præscindens ab vtroque modo; attamen à parte rei nõ potest inueniri; nisi secundùm vnum, vel alterum modum determinatè. Sicut licèt in intellectu possit inueniri ratio animalis, præscindens à rationali, & irrationali; in re tamen non inuenitur; nisi secundùm vnum, vel alterum modum determinatè. Istud enim animal, vel est rationale, vel irrationale; non autem præscindens à rationali, & irrationali. Ita in proposito, si res, antequam sit in seipsa, habet in sua propria causa determinationem ad esse; oportet, quòd talis determinatio, vel sit tanta, & tam perfecta, quòd per eam res habet, quòd non possit non esse: vel non est tanta, quòd ad hoc pertingit: & ita est à tali modo deficiens, imperfecta, & admittens, quòd res possit non esse. Sicut si dicerem, Vel perfectio huius animalis est tanta, quòd pertingit ad habendam perfectionem rationalitatis, vel non est tanta, quòd ad rationalitatem pertingit; & ita est à rationalitate deficiens, & habens in se irrationalitatem.

1950 *Probatur non posse dici primum.*

44 Et quidem si diceretur primum, id esset euidenter falsum, & à positione ipsiusmet Suarij alienum. Falsum quidẽ, quia (vt diximus num. 29. huius §.) tunc sequeretur, quòd effectus illi, de quibus loqui-

Digitized by Google

loquitur Suarius (quales, inter alios, sunt generationes animalium, & plantarum) ea necessitate euenirent, qua ortus, & occasus Solis, & similium. Illi enim effectus, qui in sua propria causa præcisè, seu absolutè sumpta, sic sunt determinati ad esse, quòd absolutè non possunt non esse, nullum possunt habere impedimentum, & eueniunt necessariò, vt ortus Solis, qui impediri non potest. Esset verò à positione Suarij alienum; quia ipse, non in causa proxima, præcisè sumpta; sed in toto causarum cumulo, includente ablationem impedimentorum, posuit omnimodam determinationem effectus, de quo loquitur. Oportet ergo, vt dicatur secundum, nempe, quòd dicta determinatio non est tam perfecta, quòd pertingit ad perfectionem illius, per quam res sic est determinata in causa, quòd non potest non esse; ac per hoc oportet, quòd sit à tali perfectione deficiens, imperfecta, non omnimoda, & admittens, quòd effectus possit non esse. At verò ista determinatio ad esse imperfecta, non omnimoda, & admittens, quòd effectus possit non esse, est ipsa ratio contingentiæ vt in pluribus, vt patet ex diffinitione S. Thomæ relata nnm. 25. & 29. huius §. Si igitur effectus, de quo loquitur Suarius, habet per se ex propria causa istam determinationem ad esse, imperfectam, non omnimodam, & admittentem, quòd ipse effectus possit non esse: habet etiam per se ex propria causa contingentiam vt in pluribus. Quidquid enim per se habet rationem, importatam per diffinitionem, per se habet ipsam rationem diffinitam. Sicut quidquid habet rationem animalis imperfectam, non pertingentem ad rationem animalis rationalis, habet rationem animalis irrationalis; quia ratio animalis irrationalis nil aliud importat, quàm rationē animalis minus perfectam, quæ non pertingit ad perfectionem rationalitatis. Recole quæ diximus nu. 28. & 29. huius §.

Concluditur, quòd debet dici secundum, ex quo habetur contradictoriū Suarij.

Ex dictis modò apparet, posuisse Suarium contradictoria simul, dum primò posuit, dictum effectum naturalem, comparatum ad suam propriā per se causam, præcisè sumptam, esse contingentem: & deinde simul posuit, eumdem effectum habere per se determinationem ad vnum; non autem contingentiam ex eadem causa. Immo etiam apparet, ipsum coniunxisse contradictoria in hac vltima propositione; si (vt necesse est) nomine determinationis veniat determinatio illa, quam habet talis effectus in propria causa, puta, determinatio imperfecta; admittens effectum posse non esse, vt iam probatum est.

Explicatur alia repugnantia positionis Suarij.

45 TAndem expendamus qualiter circa hunc effectum contingentem naturalem, intentum suum concluſit Suarius. Siquidem ad verba relata num. 39. huius §. sic subiunxit. *Et ideo poterit in illo toto causarum ordine cognosci certissimè effectus futurus. Quia, licèt respectu propriæ causæ sit contingens dicto modo; nihilominus non cognoscitur, vt contingens; quia per concursum omnium causarum, & conditionum antecedentium tollitur contingentia effectus, & resultat necessitas.* Circa hæc peto, vt concordet ista duo, nempe, quòd dictus effectus *respectu propriæ causæ sit contingens dicto modo*: & quòd *per concursum omnium causarum, & conditionum antecedentium tollitur contingentia effectus, & resultat necessitas.* Ponamus vnum talem effectum, E.g. generationem huius equi: Suarius vult, quod talis generatio habet contingentiam, seu est contingens, comparata ad virtutem generatiuam equi genitoris, seu respectu ipsius equi, qui est propria, & proxima causa per se generationis equi geniti: & quòd per concursum omnium causarum, & conditionum antecedentiū, in quibus includitur ablatio impedimentorum, tollitur contingentia à dicta generatione, & resultat in ea necessitas. Nūc peto: quomodo ista generatio est contingens modo prædicto: & simul tollitur ab ea contingentia per concursum omnium causarum &c.? 1951

Referūtur verba Suarij.

Repugnātia in dictis verbis.

46 Tollitur nè per talem concursum, quòd dicta generatio respectu virtutis equi generantis, seu comparata ad ipsum, sit contingens? si tollitur: non ergo talis generatio *respectu propriæ causæ est contingens dicto modo*. Si non tollitur: non ergo *per concursum omnium causarum* &c. *tollitur contingentia à dicta* generatione, *& resultat in ea necessitas*, vt concludit Suarius: vel si resultat necessitas, ea non erit tollens contingentiam ab effectu; sed simul stans cum contingentia eiusdem. 1952

Manifestatur repugnantia.

47 Dices (nec videtur, aliud dici posse, secundùm positionem, quam impugnamus) quòd cum Suarius dixit: *tollitur contingentia effectus, & resultat necessitas*; noluit per hoc significare, quòd tollitur illa contingentia ab effectu, quæ habetur per respectum ad causam per se: sed quòd per concursum aliarum causarum effectus sit non habens illam contingentiam, quæ habetur per respectum ad totū causarum cumulum. Ita vt fuerit sensus: licet talis effectus respectu propriæ causæ sit 1953

Quid posset responderi ad euandā contradictionem.

Digitized by Google

sit contingens dicto modo: attamen non est contingens; sed necessarius respectu totius cumuli causarum, ex quarum concursu fit carens contingentia, & habens necessitatem respectu eiusdē cumuli &c.

1954

48 Verùm hoc est, quod in dicta positione Suarij maximè implicat contradictionem; nempe dicere: quòd idem effectus sit simul contingens, & necessarius necessitate rei, seù necessitate contradistincta ab ea, quæ est solius suppositionis, seu solius consequentiæ; etiam si hoc velit dicere respectu diuersorum. Hoc enim pari modo implicat, sicut implicat quòd idem contentum sub aliquo genere habeat simul oppositas differentias diuidentes idem genus. Sicut implicat quòd idē animal sit simul rationale, & irrationale: Idem numerus simul par, & impar: eadem figura simul quadrata, & rotunda: idem triangulus simul æquilaterus, & isocheles, &c. Et nil referret ad vitandam repugnantiam, & contradictionem, si quis hæc vellet dicere respectu diuersorum; quia hæc additio esset inutilis, vt per se constat.

Probatur, quod ex dicta euasione habetur id, quod maximè repugnat in dictis Suarij.

1955

49 Hoc autem patet ex eo, quòd sicut rationale, & irrationale sunt propriæ differentiæ animalis inter se oppositæ, cōstituentes suo modo oppositas species, puta, hominem & bestiam: ita necessarium, & possibile, seu contingens, sunt suo modo propriæ differentiæ entis, constituentes diuersas entium naturas. Vnde D. Thomas in mirabili opusculo de Angelis, puta xv. cap. 15. aliquantò ante finem, sic habet. *Necesse sit autem, vt cuicunq; virtuti subijcitur productio generis alicuius, ad ullius etiam virtutem pertineat producere illius generis differentias proprias. Sicut si ad aliquem pertineret constituere triangulum, ad eum etiam pertineret constituere triangulum æquilaterum, vel isochelem. Necessarium autem, & possibile sunt propriæ differentiæ entis: vnde ad Deū, cuius virtus est propriè productiua entis, pertinet secundùm suam præcognitionem attribuere rebus à se productis, vel necessitatem, vel possibilitatem essendi.* In quibus nota ly. *Necessarium autem, & possibile sunt propriæ differentiæ entis:* Ac etiam aduerte primò, quòd per ly *possibile*, intelligit contingens: vnde parum infra rem concludens subiūgit: *Sicut eius prouidentia disponit, vt tales effectus fiant, ita etiam disponit, vt effectus quidam sint necessarij, ad quos causas proprias ex necessitate agentes ordinauit: quidam verò contingentes, ad quos causas proprias contingentes ordinauit.* Aduerte secundò, quòd nō sic prædicta sententia intelligenda est, quasi ens sit proprie loquendo genus, & ly possibile, & necessarium, propriè loquendo, differentiæ. Quia sic esset falsa: cum ens nec sit propriè loquendo genus, nec habeat propriè loquendo differentias. Sed intelligenda est proportionaliter; & ly, *propriæ*, adiectiuum est; non aduerbiū. Et est sensus, quòd sicut e. g. rationale, & irrationale sunt propriæ differentiæ animalis, ita necessarium, & possibile, seu contingens sunt propriæ differentiæ entis, licet nec ens sit propriè loquendo genus, nec necessarium, & contingens propriè loquendo differentiæ, sed solum eam proportionem habeant ad ens, quam habent propriæ differentiæ ad genus.

Doctrina S. Thomæ ex qua vrgetur Suarius.

1956

50 Eandem sententiam replicat S. Doctor loco sæpè supra citato ex lib. primo Perihiermenias lec. 14. aliquantò ante finem, & sic habet. *Voluntas diuina est intelligenda, vt extra ordinem entium existens, veluti causa quædam, profundens totum ens, & omnes entis differentias. Sunt autem differentiæ entis possibile, & necessarium: & ideo ex ipsa voluntate diuina originantur necessitas, & contingentia in rebus, & distinctio vtriusq; secundùm rationem proximarum causarum. Ad effectus enim, quos voluit necessarios esse, disposuit causas necessarias: ad effectus autem, quos voluit esse contingentes, ordinauit causas contingenter agentes: ideſt, potentes deficere.* In quibus nota ly *sunt autem differentiæ entis possibile, & necessarium*. Ex quibus constat, quòd possibile, seu contingens, & necessarium eam habent proportionem ad ens, quam differentiæ propriæ diuisiuæ alicuius generis ad ipsum genus. Subindè inferes, pari modo implicare contradictionem, aliquid esse simul contingens, & necessarium, quo, aliquod animal esse simul rationale, & irrationale: & vniuersaliter, aliquod contentum sub genere habere simul sui generis differentias oppositas.

Alius locus S. Doctoris.

1957

51 Patet hoc magis ex ipsis diffinitionibus necessarij, & contingentis, ab ipso S. D. allatis. Nam secundùm vnum modum diffiniendi ex relatis in hoc §. num. 25. fol. 506. *Necessarium dicitur, quod in sua natura determinatum est solùm ad esse*: Contingens verò, *quod in sua natura ad neutrum* (ideſt, nec ad esse, nec ad non esse) *est omninò*, seu solùm, *determinatum*. Implicat autem euidentem contradictionem, quòd determinatio, quæ est in ipsa natura, seu essentia alicuius, sit solùm ad esse; & quòd eadem determinatio non sit solùm ad esse; quia nec ad esse, nec ad non esse omninò, seu solùm.

Confirmatur ex vna diffinitione necessarij.

1958

52 Secundum verò alium modum diffiniendi: *Necessarium dicitur aliquid, quòd in sui natura habet, quòd non possit non esse*: Contingens verò, *quod in sui natura*

Idem deducitur ex altera diffinitione.

Digitized by Google

habet, quòd possit non esse. At verò euidens est ex regulis dialecticis, quòd non posse non esse, seu impossibile non esse, & posse non esse, seu contingens non esse, possibile non esse (hæc tria idem omnino significant) opponuntur contradictoriè. Ideoq; implicat contradictionem, quòd aliqua res habeat in sua natura aliquid, quod ita sibi conueniat, vt simul non possit non esse, & possit non esse; ac per hoc sit simul necessarium & contingens. Dicamus hoc in clarioribus terminis. Quia homo habet in sua natura, quòd non possit non esse rationalis, risibilis &c. ideo, quod homo sit rationalis, risibilis &c. est necessarium. Quia verò in sua natura habet, quòd possit non esse albus, non esse dormiens &c. ideò quòd homo sit albus, sit dormiens &c. est contingens. Quoniam autem implicat contradictionem, quòd homo habeat in sua natura simul, quòd possit non esse albus & quòd non possit non esse albus, ideo implicat contradictionem, esse simul necessarium, & contingens, quòd homo sit albus. Similiter, quia implicat contradictionem, quòd homo in sua natura habeat hæc duo simul, nempè: quòd non possit non esse rationalis, & quòd possit non esse rationalis: ideo implicat contradictionem, esse simul necessarium, & contingens, quòd homo sit rationalis.

Manifestatur exemplis.

1959 53 Dices: prædicta exempla habere veritatem, quia sunt de necessitate absoluta (ista est diffinita à S. Thoma prædictis diffinitionibus) quæ habetur in natura rei, ratione principiorum essentialium ipsius naturæ, de qua necessitate loquitur ipsemet D. Thomas lib. 2. con. gent. cap. 30. inquiens: *Quia sine suis essentialibus principijs, quæ sunt materia, & forma, res esse non potest, quod ex ratione principiorum essentialium rei competit, absolutam necessitatem in omnibus necesse est habere*. At verò Suarius loquitur de necessitate, quæ habetur ex natura rei, prout est in suis causis antequam sit in suo esse, & præcipuè, prout est in sua proxima causa efficiente, in ordine ad quam dicit aliquid esse simul necessarium, & contingens; loquendo autem de hac necessitate, nulla apparet contradictio, si aliquid ponatur simul necessarium & contingens.

Responsio: quia nõ videntur exẽpla ad propositum.

S. Doctor lib. 2. con. gen. cap. 30

1960 54 Sed contra est. Nam loquendo de necessitate absoluta (quæ sola opponitur contingentiæ, vt ex S. D. diximus in hoc §. num. 24. 35. & 36.) militat eãdem ratio, quæ in necessarijs, cujus necessitas habetur ex principijs essentialibus. Nam (vt docet ipse S. Thomas loco proximè cit. aliquantò ante finem.) illud dicitur habere necessitatem prædictã ex causa agente, cuius ipsa causa agens necessitate absoluta, seu ex propijs principijs essentialibus, habet necessitatem, ad habendum totam dispositionem, sibi requisitam, ad hoc, vt ab ea emanet actio. Et hoc in actionibus immanentibus. In actionibus autem transeuntibus in externam materiam, ex ea causa agente habetur prædicta necessitas, quæ non solùm absoluta necessitate habet totam dispositionem, sibi requisitam ad hoc, vt ab ea emanet sua actio, & effectus; sed etiam sibi correspondet naturale passiuum, receptiuum suæ actionis, & effectus, quod habet, eodem modo, necessitate absoluta totam dispositionem, sibi conuenientem ad recipiendam actionem, & effectum prædictæ causæ agentis. Et notari debent primò verba S. D. quæ requirimus disp. præced. §. x. num. 1. & 3. fol. 461. pun. a: *Necessitas verò agentis consideratur quantùm ad ipsum agere, & quantùm ad effectum consequentem. Prima autem necessitatis consideratio similis est necessitati accidentis, quam habet ex principijs formalibus. Sicut enim aliqua accidentia ex necessitate principiorum essentialium procedunt, ita actio ex necessitate formæ, per quam agens est in actu. Differenter autem hoc accidit in actione, quæ in ipso agente manet, sicut intelligere, & velle; & in actione, quæ in alterum transit, sicut calefacere. Nam in primo genere actionis sequitur ex forma, per quam agens est in actu necessitas actionis ipsius*, &c. Notari debet secundò quòd, explicato discrimine inter actionẽ immanentem, & transeuntem, tandem concludit, dicens: *Ex prædictis igitur patet, quòd necessitas, quæ est ex causa agente, in quibusdam dependet ex dispositione agentis tantùm* (quorũ, scilicet, actiones sunt immanentes, vt intelligere, & velle). *in quibusdam verò ex dispositione agentis, & patientis simul* (in illis, scilicet, quorum actiones sunt transeuntes, vt calefacere). *Si igitur dispositio, secundùm quam de necessitate sequitur effectus, fuerit necessaria, & absoluta in agente, & patiente, erit necessitas absoluta ex causa agente, sicut in ijs, quæ aguntur ex necessitate, & semper*, &c.

Locus S. Doctoris ad propositum.

Impugnatur responsio; quia procedit eadem ratio, quæ in exẽplis.

1961 55 Ex his autẽ habetur primò, quòd necessitas illa, quam dicitur habere effectus ex causa contingente, posito, quòd est completa, & non impedita, seu posito, quòd habeat omnia requisita ad agendum, non est necessitas absoluta ex causa agente. Siquidem dispositio ista, puta, eam esse completam, & non impeditam, seu habere omnia requisita ad agendum, ad quam dispositionem sequitur ex necessitate actio, & effectus talis causæ,

Concluditur, quod necessitas, quæ habetur ex suppositione dispositionis debitæ ad agendũ non est absoluta.

Digitized by Google

causæ, non conuenit agenti, & patienti necessitate absoluta; ita vt non possit in eis non esse, vt per se constat. Non ergo est necessitas absoluta ex causa agente, ad quam, vt habet D.Th. requiritur, quòd *dispositio, secundùm quam de necessitate sequitur effectus, fuerit necessaria, & absoluta in agente, & patiente*. Necessitas ergo ista, quam habet effectus ex causa contingenti, posito, quòd est completa, & non impedita, est necessitas solius suppositionis ex causa agente; vt optimè concludit S. Doctor subiungens ad prædicta verba. *Si autem non fuerit* (dispositio scilicet, illa, secundum quam de necessitate sequitur effectus) *absolutè necessaria, sed possibilis remoueri, non erit necessitas ex causa agente; nisi ex suppositione dispositionis vtriusq; debitæ ad agendum*. Subinde, quia sola necessitas absoluta excludit contingentiam ab effectu, ex mente S. Doctoris locis num. præcedenti citatis; obiter inferes, nullam esse argumentationem Suarij, qua infert, effectum non fore contingentem, si ex necessitate sequeretur ad suam causam, positis omnibus requisitis ad

1962 agendum.

56 Habetur secundò implicare contradictionem, quòd aliquis effectus sit simul contingens, & necessarius necessitate absoluta (quæ est diffinita à S.D.) ex causa agente. Porrò si dicta dispositio, secundùm quam sequitur ab agente de necessitate actio (siue, immanens, siue transiens) fuerit necessaria necessitate absoluta, siue in agente tantùm in ordine ad actiones immanentes, siue in agente, & patiente simul in ordine ad actiones transeuntes; habebitur quidem necessitas absoluta actionis ex tali causa agente; sed repugnabit haberi contingentia actionis ex dicto agente. Si verò talis dispositio non fuerit necessaria necessitate absoluta, habebitur quidem contingentia; sed repugnabit haberi necessitas absoluta ex causa agente, cum talis necessitas exposcat, prædictam dispositionem haberi necessitate absoluta. Implicat autem euidentem contradictionem, quòd dicta dispositio (siue in agente tantùm, siue in agente, & patiente simul) sit simul necessaria, & non necessaria necessitate absoluta. Implicat igitur contradictionem, quòd eadem actio, seu effectus sit simul contingens, & necessaria, seu necessarius necessitate absoluta ex causa agente.

1963

57 Dices primò pro vltima illatione facta precedenti numero. Suarium non intulisse, effectum non fore contingentem, si ex necessitate sequeretur ad suam causam, positis omnibus requisitis ad agendum; sed non fore contingentem propria, & perfecta contingentia libertatis, vt patet ex verbis eius relatis in hac disp. puncto 2. num. 6. fol. 499. Istud autem est valde diuersum à primo. Quare

Concluditur esse impossibile, aliquid esse simul cõtingẽs, & necessariũ necessitate absoluta ex causa agente.

Responsio ad obiecta ex mente Mediscentiantium, insinuata à Suario proponitur.

58 Dices secundò. Non curemus de modo discurrendi Suarij: sed vitatis æquiuocationibus, venientibus ex quæstionibus de nomine, veniamus ad rem. Porrò secundùm responsionem, proximè insinuatam, de mente Suarij, dari debent duæ rationes necessitatis, quarum quælibet habet suam propriam contingentiam sibi oppositam; ita vt debeant similiter dari duę rationes cõtingentię. Vna necessitas est, quam S. Thomas, Boetius, & alij ex Aristotele appellant simplicem, & absolutam, & ipse D. Thomas diffinit prædictis diffinitionibus, & habetur ex ipsa natura rei, sine qua esse non potest: & ex causa agente habetur, quando causa agens est talis, quòd necessitate absoluta habet illam dispositionem, ad quam de necessitate, sequitur, eam habere actionem. Huic autem opponitur sua propria contingentia diffinita à S.Thoma per ly *quod in natura sua habet quòd possit non esse*, vt supra explicatum est. Et ex causa agente habetur, quando ipsa est talis, quòd non habet necessitate absoluta illam dispositionem, ad quam de necessitate sequitur, eam habere actionem; sed potest illam habere, & non habere; & sic impediri, & non impediri ab actione. Altera necessitas est, quam D.Thomas verbis relatis num. præcedenti 55. appellat necessitatem *ex suppositione dispositionis debitæ ad agendum*: quæ ex causa agente habetur, quando ipsa est talis conditionis, quòd licèt non habeat necessitate absoluta dispositionẽ sibi debitam ad agendum, ea tamen habita, de necessitate habet actionem; quia de necessitate sequitur ad illam dispositionem, licèt eam potuisset non habere. Huic etiã necessitati opponitur sua propria contingentia, quæ similiter potest appellari contingentia ex suppositione dispositionis debitæ ad agendum: & habetur ex causa agente, quando ipsa est talis conditionis, quòd, posita in ea quacumq; dispositione, sibi debita ad agendum, non necesse est, ad eam sequi actionem; sed contingit eam agere, & non agere: potestq; componere tam agere, quàm non agere, cum qualibet dispositione sibi debita ad agendum. Et hæc

1964

Responsio aduersariorum reducta ad terminos modi loquendi Sancti Thomæ.

Digitized by Google

contingentia debetur solis causis liberè agentibus, earumq; effectibus, in quibus solis inuenitur, estq; illis necessaria, vt inclusa in ipsa essent a libertatis. Cùm causa libera sit, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere, horumq; quodlibet componere cum prærequisitis ad agendum.

1965 59 Hac posita doctrina (quæ quantùm ad hanc vltimam contingentiam est communis omnium Mediscientiantiũ) dices, facilem esse responsionem. Siquidem, licèt repugnet, aliquid esse simul contingens, & necessarium, necessitate, & contingentia, quæ habentur in ipsa natura rerum; & similiter etiam repugnet, aliquid esse simul contingens, & necessarium, contingentia, & necessitate, quæ habentur ex suppositione dispositionis debitæ ad agendum; attamen non repugnat, aliquid esse simul contingens, & necessarium, contingentia, quæ habetur ex natura rei, & necessitate, quæ habetur ex suppositione dispositionis debitæ ad agendum. Hoc secundum; non verò primum concluditur in doctrina Suarij; esto malè sit illatum ex suo discursu. Ex doctrina etiam S. Thomæ suprà inculcata, probatur, repugnare primum; non autem hoc secundum.

Applicatur superior doctrina ad euadendam implicantiam supra inculcatam.

Respondetur, & impugnatur prædicta responsio, ponendo conclusionem, qua fundamentum vnicum scientiæ mediæ euertitur.

1966 60 Respondemus, quòd, vitatis æquiuocationibus, neglectisq; omnibus, ex quibus malè discurrit Suarius, ad rem venire, placet nobis magnoperè. Et quidem, si quis, spretis aliis, ad solam doctrinam prædictæ responsionis se reduceret: & per necessitatem ex suppositione dispositionis debitæ ad agendum (vt veritas se habet) intelligeret eam, qua ex suppositione, quòd causa sit completa, & non impedita, ex necessitate ad eã sequitur propria actio, seu effectus; nos contra hunc in data responsione nil aliud haberemus; nisi quòd existimamus falsum, merum figmentũ, & implicans contradictionem dari posse contingentiam illam excogitatã, vt prædictæ necessitati oppositam. Et inde etiam existimamus esse falsum, implicantem contradictionem, & causæ ipsi liberæ repugnantem, libertatemq; euertentem, diffinitionem illam, qua causa libera dicitur, quæ, positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere &c. in sensu tamen, quo à sectatoribus scientiæ mediæ prædicta diffinitio intelligitur, vt sæpè aduertimus. Quare probandam proponimus sequentem cõclusionem, tanquam huius §. coronidẽ.

Explicatur, quid, posita præcedenti responsione, restat nobis contra aduersarios.

Conclusio huius §. coronis, qua, & confutantur Mediscientiantium dicta, & difficultas, in hoc puncto proposita, dissoluitur.

1967 61 *Datur quidem, & non solùm ex naturalibus, sed etiam ex liberis causis, necessitas illa, qua ex suppositione, quòd causa defectibilis est cum dispositione sibi debita ad agendum, precedit ab ea ex necessitate propria actio, seu effectus; non autem datur secundùm sententiam S. Thomæ, & veritatem; immo implicat contradictionem, dari contingentiam illam, à Recentibus excogitatam, vt prædictæ necessitati oppositam. Denique differentia, qua (vt dicitur à S. Thoma verbis relatis in principio huius puncti) contingentia in rebus naturalibus ex imperfectione est; in liberis verò ex perfectione, non consistit in eo, quòd in naturalibus inuenitur vna sola ratio contingentiæ, illa scilicet, quæ est ex natura causæ; in liberis verò duplex, idest tùm illa, qua habetur ex natura causæ; tum illa, qua dicitur ab his Recentibus haberi ex suppositione dispositionis debitæ ad agendum. Sed in eo consistit, quòd licèt in omnibus contingentia accipiatur secundùm naturas rerum, & causarum; in ijs tamen, quæ agunt per naturam, radix contingentiæ est possibilitas materiæ ad vtrunq; in nobis verò, quorum actiones sunt in nostro dominio, radix contingentiæ est, quòd sumus consiliatiui de agendis à nobis, in quo nos, vt liberi, superamus in perfectione ea, quæ agunt per naturam; & ex quo habemus, quòd est in nostra potestate, agere quodlibet, quod est determinabile per nostræ rationis consilium.*

Necessitas ex suppositione dispositionis debitæ ad agendum datur in causis liberis.

Repugnat contin oppositæ.

Radix contingentiæ in non liberis, & in liberis.

1968 62 HAC conclusione, sublatis æquiuocationibus, & aduersarios confutamus, & difficultatem, in hoc puncto propositam, ex prima radice resoluimus. Et quantùm quidem ad aduersarios, euertimus vnicum scientiæ mediæ fundamentum, quo euerso, totum, quod ex tali fundamento consurgit, consequenter diruimus. Etenim, non solus Suarius; sed omnes scientiæ mediæ sectatores, ex eo credunt probari necessariam esse Deo scientiam mediam ad hoc, vt habeat infallibilitatem in sua prouidentia, circa actus liberos voluntatis

Manifestatur, quòd ex dicta cõclusione euertitur scientia Media ex suo vnico fundamento.

Digitized by Google

ratis creatę; quia in causa libera inuenitur ista contingentia, qua, posito, quòd ipsa sit completa, & non impedita, seu habeat dispositionem sibi debitam, ad se mouendum in aliquem determinatum actum, E.g. in actum electionis sumendi potionem ad acquirendam sanitatem, talis actus potest ab ea esse, & non esse; ipsaq; causa potest cum prædicta dispositione sibi componere, tùm eligere sumere potionem, tum eligere non sumere potionem, tùm etiam non eligere sumere potionem. Si igitur talis contingentia esset impossibilis, & contradictionem implicans, tota Mediscientiantium machina rueret; quia rueret ipsa scientia media. Rueret enim illud, quod ipsi putant esse proprium obiectum, ad quod cognoscendum est necessaria in Deo scientia media. Nam hoc obiectum est istud sub conditione futurum, puta: quid faceret creata voluntas, si in his, vel illis circumstantijs constitueretur, posito, quòd in eisdem circumstantijs esset causa completa, & non impedita, seu habens dispositionem sibi debitam ad se mouendum in dictum actum sub conditione futurum, in ordine ad quem est causa contingens, ita vt ab ea, vt in tali dispositione existente, possit esse, & non esse. Vnde omnes sectatores scientiæ mediæ communiter fatentur, quòd, si aliquis determinatus actus haberet necessariam connexionem cum dispositione debita alicui causæ ad hoc, vt se moueret in eundem actum, talis actus, sub conditione futurus, non pertineret ad obiectum scientiæ mediæ. Quippe, quia, propter necessariam connexionem, quã haberet talis actus cum sua causa completa, & non impedita, seu habente dispositionem, debitam sibi, ad se mouendum in talem actum, talis actus, vt futurus (vt ipsi putant) cognosceretur à Deo scientia purè naturali in sua causa completa, & non impedita, seu habente dispositionem sibi debitam, ad se mouendum in dictum actum. Et sic ad eum cognoscendum, vt sub conditione futurum ex tali causa, non indigeret scientia media. Ad hoc ergo, vt habeatur secundùm hos doctores proprium obiectum scientiæ mediæ, oportet, quòd in causa libera completa, & non impedita, seu habente dispositionem sibi debitam ad se mouendum in aliquem actum, detur ista contingentia, qua possit ab ea, sic disposita, suus actus esse, & non esse. Sic ergo apparet, quòd, si talis contingentia (vt nos in nostra conclusione dicimus) esset impossibilis, non posset haberi, esseq; impossibile proprium obiectũ scientiæ medię, & ex consequenti esset impossibilis ipsa scientia. Et ita omnia in tali scientia fundata ruerent. Subsisteret verò nostra resolutio, habens oppositum fundamentum, nempe, quòd ab omni causa completa, & non impedita sequitur ex necessitate proprius effectus.

Qualiter resoluitur difficultas ex prima radice.

Deniq; difficultatem, in hoc puncto propositam, ex prima radice resoluimus, inquantùm assignamus primam, propriamq; radicem, vnde in agentibus per naturam sit ex imperfectione contingentia; in agentibus verò liberis ex perfectione: ex qua radice deinde habetur, qualiter in causis liberis sit verum quòd ab habente dispositionem debitam ad se mouendum in aliquem actum, sequitur ex necessitate, ipsum moueri in actum. Sed age iam probemus conclusionem nostram quantùm ad singulas partes. 1969

Manifestatur, quòd dicta conclusio tota constat ex dictis.

63 Sed quid restat nobis probandũ? Tota enim ex dictis constat. Tria enim principaliter continet. Primum: talem necessitatem dari in causis liberis. Secundum: contingentiam illi oppositam esse impossibilem, & implicare contradictionem. Tertium: contingentiam ideo esse in causis non liberis ex imperfectione; in liberis verò ex perfectione; quia in causis non liberis sequitur, vt ad sui propriam radicem, potentialitatem materiæ: in liberis verò sequitur, vt ad sui propriam radicem, ad vim collatiuam, seu (vt in nobis est) consiliatiuam intellectualem, quę, in sententiando de agendis per appetitum earumdem causarum agentium intellectualium, non est determinata ad vnum, sed habet vim ad opposita: & quòd ex hac radice habetur, esse verum in eisdem causis, liberè se mouentibus, quòd ex principio, quo seipsas mouent in proprios actus, completo, & non impedito, seu habente dispositionem debitam, ad reducendum seipsas in eosdem proprios actus, sequitur ex necessitate, eas moueri in eosdem actus. (His terminis res hęc dicitur à S. Thoma, vitatis equiuocationibus, inclusis in modo loquendi Recentium.)

Hęc autem constant ex dictis, tam in hac disputatione, quàm in tribus alijs præcedentibus. Vt autem hoc videas, breuiter recensebimus, & expendemus dicta in alijs locis, idque in sequenti §.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Recensentur, & expenduntur dicta in alijs locis, ex quibus probantur singula, quæ in dicta conclusione continentur, & primò.

Quòd datur, nec potest non dari, in causis liberis ista necessitas, qua à causa, ex suppositione, quòd habet dispositionem sibi debitam ad agendum, seu est completa, & non impedita, necesse est effectum sequi.

1970 Recẽsetur vnus locus huius disputationis ad propositum.

1 PRimum igitur constat auctoritate, & ratione ex locis S. Doctoris relatis, & expensis in hac disp. §. 4. à num. 10. ad 23. a fol. 494. vbi vt probaremus illam propositionem in nostra resolutione positam §. 1. quam nos vniuersaliter intelligimus de omni causa contingenti, etiam libera, nempe: *causa defectibilis, si inueniatur in illa dispositione, qua est causa*, idest, habeat dispositionem requisitam ad agendum, seu sit completa, *nec impeditur ab effectu, certitudinaliter habet effectum suum*, adduximus num. 11. (præter loca, quę citauimus, vt à nobis relata §. 2. nu. 15.) locum expressum, quo S. Doctor assumit. *Sicut à causa necessaria, sequitur effectus certitudinaliter, ita à causa contingenti completa, si non impediatur*. Hanc propositionem num. 17. deinde probauimus ex diffinitione causę communiter tradita, & specialiter à S. Thoma q. 2. de malo ar. 3. ad 3. dicente: *Propriè causa dicitur, ad quam de necessitate sequitur aliquid*, simulq; retulimus verba S. D. quibus ratione, desumpta ex Auicenna, eandem propositionem probat. Probauimus etiam num. 18. sequenti, quòd prædicta diffinitio verificatur, non solùm particulariter, idest, de causa, quæ ex natura sua est necessaria; sed etiam vniuersaliter de omni causa, etiam libera sufficiente, seu completa, & habente dispositionem sibi conuenientem ad agendum, & non impedita. Et ad hoc adduximus expressum locum S. D. ex 1. 2. q. 75. art. 1. ad secũdum. Quoniam autem hic locus expressè sub prædicta diffinitione comprehendit causas liberas: ideo.

1971 Expẽditur intentio S. Thomę in art.

2 Considera primò, quòd S. D. cit. art. quærit, *Vtrum peccatum habeat causam*. In corp. autem. art. in principio supponit, quòd *peccatum est quidam actus inordinatus*. Respondet deinde quæsito affirmatiuè, nempè, quòd peccatum habet causam; & quòd ista est voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ. Et ita circa finem corporis sic concludit, *Sic igitur voluntas, carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum quidem peccati per se; sed inordinationem per accidens* &c. Quæ verba 1. parte huius tractatus §. 11. nu. 4. fol. 54. ad aliud propositum expendimus, & inculcauimus. Nunc autem ea retulimus, solùm vt videas, quòd in prædicto articulo causa actus peccati ponitur voluntas, quæ in ordine ad talem actum non potest esse, nisi libera. Conclusio S. Thomæ, qua respondet quæsito.

1972 Argumentum propositum à S. Thoma cõtra dictam conclusionem.

3 Considera secundò, quòd contra prædictam responsionem quæsiti, seu conclusionem proponit S. D. secundò loco argumentum, quod (vt eodem nu. retulimus) tale est. *Causa est, ad quam necessitate sequitur aliquid. Sed quod est ex necessitate, non videtur esse peccatum: eò quòd omne peccatum est voluntarium. Ergo peccatum non habet causam.* Considera, inquam, & expende, quòd argumentum apertè inculcat punctum difficultatis, quo sectatores scientiæ mediæ mouentur, ad negandum, quòd actus liber sequitur ex necessitate ad suam causam completam, & non impeditam.

1973 Argumẽtum S. Thomæ in forma.

4 Vt hoc videas, considera primò, quòd dictum argumentum in forma est sequens. *Omne, quod habet causam, sequitur de necessitate ad aliquid aliud* (puta suam causam) *eo quòd causa est, ad quam de necessitate sequitur aliquid. Sed nullum peccatum sequitur de necessitate ad aliquid; eò quòd omne peccatum est voluntarium* (idest actus liber) *quod non videtur esse ex necessitate. Ergo nullum peccatum habet causam.*

1974 S. D. in dicto argumento inculcat punctum difficultatis.

5 Considera secundò, quòd Medi scientiantes, qui existimant esse necessariam in causa libera completa, & non impedita, contingentiam istam, non possunt aliter soluere dictum argumentum, quod est in secunda figura in modo *Camestres*, nisi negando maiorem: eiusq; probationem, etiam intellectam de causa contingenti completa, & non impedita. Et hoc patet, si argumentum formetur explicitè de prædicta causa, sic sumpta, puta: *Omne, quod habet causam completam, & non impeditam, sequitur de necessitate ad aliquid, puta, suam causam, sic sumptam: eò quòd causa completa, & non impedita, est, ad quam de necessitate sequitur aliquid. Sed nullum peccatum, immo nullus actus liber, sequitur de necessitate ad aliquid; eò quòd omne peccatum, seu omnis actus liber est contingens, contingentia libertatis, secundùm quam non potest esse ab aliquo ex necessitate, etiam ex sua causa completa, & non impe-* Manifestatur, formando argumẽtum in propijs terminis.

Digitized by Google

impedita. *Ergo nullum peccatum, immo nullus actus liber habet causam completam, & non impeditam*; Considera, inquam, quòd admittentes prædictam contingentiam in causa libera completa, & non impedita, non possunt prædictum argumentum, sic formatum, & cuius conclusio est manifesta hæresis, soluere; nisi negando absolutè Maiorem cum sua probatione. Vtpotè quia, secundùm eos, contradictorium illius est ex necessitate verum, tanquam ingrediens diffinitionem causæ liberæ.

1975 6 Immò etiam prædicti Recentes, seruando regulas dialecticas reducendi argumenta ad impossibile, probant falsitatem maioris, assumendo pro maiori minorem prædicti argumenti, cum sua probatione, vt iacet. Hanc enim (vt sæpè diximus) existimant fundamentum libertatis, quo ablato, rueret libertas causæ. Et pro Minori assumendo contrarium, vel contradictorium conclusionis, & inferendo contrarium, vel contradictorium maioris, sic syllogizando in modo, siue *Felapton*, siue *Ferison*, Nullum peccatum, immo nullus actus liber, sequitur de necessitate ad aliquid, eò quòd omnis talis actus est cõtingens, contingentia libertatis &c. Sed omne, vel aliquod peccatum, seu omnis, vel aliquis actus liber habet causam completam, & non impeditam. Ergo aliquid habens causam completam, & nõ impeditam, non sequitur de necessitate ad aliquid. Quod est contradictorium Maioris prioris argumenti, præcedenti num. formati.

Modus argumentandi Recentium.

Nunc ergo videamus, An S. Doctor soluens argumentum neget Maiorem, eiusq; probationem intellectam de causa completa, & non impedita: an verò eam concedat, vt ex necessitate veram, intellectam de causa, sic sumpta. Solutaq; argumentum secundùm nostram ex Aristotele doctrinam. Respondet enim S. Doctor, vt loco citato retulimus, inquiens.

1976 7 *Ad secundum dicendum, quòd si illa diffinitio causa vniuersaliter debeat verificari, oportet, vt intelligatur de causa sufficienti, & non impedita.* Ecce quòd S. D. non negat maiorem, eiusque probationem (quæ est illa diffinitio causæ) intellectam de causa completa, seu sufficienti, & non impedita (causa completa, & causa sufficiẽs sunt synonyma apud D. Thomam) imò eam concedit, vt necessariam, de causa sic sumpta. Maior ergo argumenti formati num. 5. est vera, & necessaria in sententia S. Thomæ. Oportet ergo quòd in eius sententia sit falsa minor, eiusq; probatio, quæ existimatur ab aduersarijs fundamentum libertatis: aliàs inuitabiliter sequeretur hæresis. Oportet ergo, quòd dicti Mediscientiantes fateantur, se recedere à S. Thoma, tàm dum negant maiorem, vt adstruant dictam contingentiam in causa libera completa, & non impedita, quàm dum concedunt Minorem, eiusq; probationem, quam existimant fundamentum libertatis, ab ipsis excogitatæ.

Responsio S. Thomæ, cuius priora verba euertũt dicta Recentium.

Et hoc quidem patet, si expendas syllogismum, formatum nu. 6. præcedenti, quo vtuntur dicti Recentes, ad probandam falsitatem Maioris. Siquidem, cùm prædicti syllogismi minor, puta; Omnis actus liber habet causam completam, & non impeditam, sit manifesta per experientiam, & eius oppositum sit manifesta hæresis, oportet, quòd in sententia S. Thomæ asserentis, contradictorium conclusionis esse de necessitate verum, sit falsa maior, & illius probatio, puta: nullus actus liber sequitur de necessitate ad aliquid, eò quòd est contingens, contingentia libertatis &c.

Confirmatur intentum.

1977 8 Quòd si inquiras, qualiter S. D. soluit argumentum? Respondemus id esse clarum ex ipsa responsione. Concedit enim prædictam diffinitionem causæ, qua dicitur, *causa est, ad quam de necessitate sequitur aliquid*, verificari vniuersaliter, intellectam de causa completa, & non impedita; & eam negat verificari vniuersaliter de omni causa, etiam completa, absolutè sumpta, vt patet ex verbis eiusdem S. D. soluentis idem argumentum, relatis in hac disp. eodem §. 4. num. 20. & 21. puta illis. *Dicendum, quòd non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiam si sit causa sufficiens; eò quòd causa potest impediri, vt quandoq; effectum suum non consequatur*; & illis alijs, puta; *Sciendum, quòd dictum Auicennæ* videlicet, causa posita, necesse est effectum poni, *intelligi debet, supposito, quòd nullum impedimentum causæ adueniat. Necesse est enim, causa posita, sequi effectum; nisi sit impedimentum.*

Soluitur argumentum in forma ex doctrina responsionis S. Thomæ.

1978 9 Itaq; vult S. Doctor quòd prædicta diffinitio, intellecta de causa, absolutè sumpta, non conuenit omni causæ; quia non conuenit causæ contingenti absolutè sumptæ; cum ista absolutè impediri possit. Licèt eidem conueniat, si intelligatur facta suppositione, quòd sit completa, & non impedita. Et inde est, quòd sub conditione respondet S. D. inquiens: *Si illa diffinitio causæ*

Manifestatur ãplius responsio S. Thomæ.

Digitized by Google

causæ vniuersaliter debeat verificari, oportet, vt intelligatur de causa sufficienti, & non impedita. Et innuit per hoc, quòd si non intelligeretur de causa sufficienti, seu completa, & non impedita; sed de causa, (etiam sufficienti) absolutè sumpta, non verificaretur vniuersaliter; sed solùm de ea, quæ est inimpedibilis, seu quæ absolutè, & simpliciter est necessaria. Et hoc (nimirum, quòd prædicta diffinitio intellecta de causa absolutè sumpta, non verificatur vniuersaliter) probat consequenter, subiungens: *Contingit enim aliquid esse causam sufficientem alterius; & tamen non ex necessitate sequitur effectus, propter aliquod impedimentum superueniens: alioquin* (ideſt si hoc ita non esset) *sequeretur, quòd omnia ex necessitate contingerent, vt patet 6. Metaphy.* Vbi Aristoteles probat, quòd non est vera vniuersaliter illa propositio; *Posita causa, necesse est effectum poni*: quia aliqua causa potest impediri: & alias sequeretur, quòd omnia ex necessitate contingerent. Denique ex his infert S. Doctor solutionem argumenti. Nam si prædicta diffinitio non conuenit omni causæ, absolutè sumptæ; sed soli necessariæ, inde fit, quòd ex eo, quòd peccatum habet causam, non potest inferri, quòd tali causæ absolutè sumptæ conueniat prædicta diffinitio, & ita sit absolutè sumpta necessaria (quæ sola repugnat contingentiæ, & voluntarietati effectus, (vt habet ipse S. Doctor verbis relatis in hac disp. §. 5. num. 24. fol. 506.) Nam causa peccati est ex illis, quæ possunt impediri: & ita concludit S. Doctor, inquiens: *Sic igitur* (ideſt, dum sic res se habet, quòd prædicta diffinitio non verificatur vniuersaliter, & de omni causa absolutè sumpta) *Etsi peccatum habeat causam; non tamen sequitur, quòd sit necessaria; quia effectus potest impediri.*

1979 10 Ex quibus omnibus apparet, S. Doctorem soluere argumentum, non ex eo, quòd à causa peccati completa, & non impedita, non sequitur ex necessitate effectus: cùm expressè concedat, illam diffinitionem causæ, intellectam de causa sufficienti, & non impedita, verificari vniuersaliter. sed ex eo, quòd causa peccati est ex illis, quæ absolutè possunt impediri: & illa diffinitio non conuenit omni causæ absolutè sumptæ; sed soli necessariæ.

Concluditur intentum cõtra aduersarios.

1980 11 Quòd si hic obiter inquiras, qualiter secundum doctrinam prædictæ responsionis sit formaliter soluendum argumentum, formatum num. 4. huius §. Dicendum est, quòd explicanda est maior: *Omne, quòd habet causam; sequitur ex necessitate ad aliquid, seu ad eius causam.* Et si sensus sit, quòd sequitur ex necessitate ad aliquid, seu ad suam causam, absolutè, sumptũ, seu sumptam, neganda est: si verò sensus sit, quòd sequitur ex necessitate, facta suppositione, quòd id, ad quod sequitur non est impeditum: concedenda est. Et similiter dicendum est ad illam diffinitionem, qua dicta maior probatur. Nam si dicta diffinitio intelligatur de causa absolutè sũpta, non est vera vniuersaliter, & sic est neganda: si verò intelligatur de causa sufficienti, & non impedita, est concedenda. Minor deindè etiam est distinguenda: *Sed nullum peccatum sequitur de necessitate ad aliquid*, absolutè sumptum, cõcedenda est. *Nullum peccatũ sequitur ex necessitate ad aliquid*, facta suppositione, quòd est causa sufficiens, & non impeditua, neganda est. Et similiter dicendum est ad eius probationem. Nam, quod est voluntarium, seu liberum, non potest esse ex necessitate ab aliquo, absolutè sumpto, verum est: non potest esse ex necessitate ab aliquo, facta suppositione, quòd est causa eius nõ impedita, falsum est. Deniq; distinguendũ est consequens. Ergo *nullum peccatum habet causam*, & si sensus sit, quòd peccatum nullam causam habet, neganda est consequentia. Nam tale consequens non infertur ex propositionibus concessis: immò ex illis sequitur, quòd omne peccatum habet causam, ad quam ex necessitate sequitur, facta suppositione, quòd non est impedita. Si verò sensus sit, quòd nullum peccatum habet causam, ad quam, absolutè sumptam, ex necessitate sequitur, concedenda est cõsequentia, sed consequens, non est contra determinationem, qua S. Doctor in articulo concluſit, quod peccatum habet causam: estq; omninò verum. Sed sint hæc obiter dicta, redeamus ad rem.

Applicatur doctrina responsionis S. Thomæ formæ argumenti positi nu. 4.

1981 12 Amplius eadem cõclusionis nostræ pars constat ex verbis S. Doctoris, relatis in hac disp. §. 3. num. 1. & 4. quibus ex eo probat, omnia, quæ sub ordine prouidentiæ, & gubernationis Dei continentur, euenire infallibiliter; quia Deus in prouidendo, & gubernando est causa vniuersalissima, continens sub suo ordine omnes causas: & quia si aliqua causa ex contentis sub suo ordine, deficiat à suo effectu, hoc est propter aliquam aliam causam impedientem ex contentis sub eodem ordine. Certum est autem, quòd causa libera, eiusque liberæ operationes continentur secundùm

Recenſetur alius locus, ex quo apparet eadem pars concluſionis.

Digitized by Google

dùm S. Thomam, & veritatem fidei sub ordine prouidentiæ, & gubernationis Dei. Oportet ergo, vt secundùm mentem eiusdem S. Thomæ verificetur etiam de causa libera, quòd si deficiat à suo effectu, hoc est propter aliquam aliam causam impedientem, contentam sub ordine eiusdem prouidentiæ, & gubernationis Dei. Ergo etiam de causa libera est verum, quod ab ea, existente completa, seu sufficiente, & non impedita, ad reducendum se in aliquam operationem liberam propriæ voluntatis, infallibiliter procedet, quòd reducet se in eandem operationem liberam propriæ voluntatis. Si enim ipsa existens sufficiens, seu completa, secundùm quòd est causa, se mouens in aliquam operationem liberam propriæ voluntatis, non potest deficere à se mouendo in eandem operationem; nisi ob hoc, quòd impeditur ab aliqua causa contenta sub ordine prouidentiæ, & gubernationis Dei; sequitur euidenter, & necessariò, quòd si non impeditur, non deficit ab inducendo se in dictam operationem. Sed hæc conclusionis pars euidentiùs constabit ex locis, quæ statim recensebimus pro secunda parte.

Recensentur loca, quibus probatur, quòd secundum mentem Angelici Præceptoris non datur, & implicat contradictionem, quòd detur contingentia illa, secundùm quam ponitur, quòd à causa libera sufficiente, seu completa, & nõ impedita ad se mouendum in aliquam operationem propriæ voluntatis, talis operatio potest non esse, ab eaque non sequi.

1982

Concluditur intentũ ex præditis.

13 ET hæc quidem in primis euidenter habetur ex præcedenti. Nam si necesse est, quòd à causa libera completa, & non impedita ad se mouendum in aliquam determinatam partem ex oppositis, necesse est, eam à seipsa moueri in eandem partem, iam remanet, quòd prædicta contingentia, secundùm quam ponitur contradictorium prædictæ propositionis, puta, quòd, eam moueri in eandem partem potest non esse, sit impossibilis. Si enim vnum ex contradictorijs est necessarium: alterum oportet esse impossibile. Sed nunc recensere debemus alia loca, in quibus hoc expressè probauimus.

1983

Probatur ex principijs Dialecticæ.

14 Sed antequam hoc prestemus, aduertimus, quòd esse impossibile, dari contingentiam, oppositam illi necessitati, qua oportet, quòd effectus sit à sua causa contingenti completa, & non impedita, demonstrari potest ex principijs Dialecticæ, ad quam formaliter talis conclusio pertinet. Porrò cùm prædicta necessitas non habeatur ex ipsa natura causæ, absolutè accepta; sed solùm ex conditione, seu suppositione alicuius, quod potest haberi, & non haberi á causa, quale est id, per quod habet impedimentum, non potest importare in effectu necessitatem rei, seu consequentis: sed solam necessitatem consequentiæ importatam in propositione conditionali, qua dicitur, quod si causa non est impedita, effectus est: sicut cùm dicitur: si Petrus currit, mouetur. Vt sæpissimè docet S. Doctor, & vide fol. 106. in principio. At verò necessitati consequentiæ, non potest dari contingentia opposita. Quippe quia consequentia, aut est bona, & sic est necessaria; aut non bona, & sic est impossibilis: & ita non potest dari consequentia contingens. Contingentia autem, opposita necessitati consequentiæ, non posset esse alia, quàm contingentia consequentiæ. Non potest ergo dari contingentia, opposita prædictæ necessitati.

1984

Maior præcedentis discursus probatur ex eadem Dialectica.

15 Maior huius discursus potest etiã tibi constare ex ipsa Dialectica: & ideo considera primò discrimen inter propositionem cathegoricam, & hypotheticam conditionalem. Porrò datur propositio cathegorica, seu de inesse, necessaria, contingens, & impossibilis: conditionalis verò non datur contingens. Ratio est; quia cathegorica enunciat esse, vel non esse prædicati de subiecto, seu connexionem prædicati ad subiectum: Et quia tale esse, vel non esse, seu talis connexio potest esse necessaria, seu necessarium, contingens, & impossibile: ideo est, quòd datur prædicta distinctio in propositionibus significantibus prædictum esse, vel nõ esse, seu prædictam connexionem. At verò propositio conditionalis solùm enũciat sequelam, seu illationem, qua ex vno posito, sequitur aliud; & quoniam consequentia non potest esse contingens; ideo non datur propositio conditionalis contingens. Considera secundò, quòd necessitas, quæ habetur ex causa contingenti ex suppositione, quòd non est impedita, non potest enunciari per simplicem propositionem cathegoricam; sed solùm per propositionem conditionalem, vel per cathegoricam non simplicem, quæ ratione appositionis circa subiectum, æquiualet conditionali. Vnde non possum verè dicere: necesse est ignem esse calefacientem: & possum verè dicere necesse est, quòd, si ignis non est impeditus, est calefaciens, vel necesse est, ignem non impeditum, esse calefacientem; & hæc vltima propositio ratione appositionis, seu condi-

Digitized by Google

conditionis appositæ subiecto, habet eundem sensum, cum præcedenti. Ex his autem considerationibus apertè apparet, quòd dicta necessitas non est necessitas rei, seu quæ conuenit ipsi esse, vel non esse rei, quæ appellatur necessitas consequentis, & inuenitur in connexione prædicati ad subiectum in propositione consequenti, quæ est cathegorica; sed solius consequentiæ, quæ explicatur per propositionem conditionalem. Minor verò est manifestè supra probata: & ita remanet, quòd non datur contingentia opposita prædictæ necessitati.

1985

Recensentur loca, ex quibus dictis hæc pars conclusionis probatur.

16 Ex alibi autem dictis in hoc tractatu, prædictam contingentiam esse impossibilem, principaliter constat ex tota disputatione prima. Porrò ad hoc, vt posset dari prædicta contingentia in agente libero, oporteret, quod principium illud, quo prædictum agens se mouet in aliquã operationem liberam propriæ voluntatis, posito, quòd esset completum, & non impeditum ad inducẽdum propriam voluntatem in ipsam operationem, esset, inquantùm huiusmodi, indeterminatum, & indifferens ad opposita: & insuper, quòd posset ab eo, vt sub tali dispositione existenti, seu inquantùm huiusmodi, procedere aliqua operatio propriæ voluntatis, absque eo, quòd per aliquid aliud determinaretur ad illam. Nam si ad hoc, vt tale principium induceret voluntatem in operationem, indigeret aliquo, quo determinaretur ad illam; iam inde haberetur, quòd inquantùm huiusmodi, non esset completum, & non impeditum ad dictum effectum inducendum, quia per hoc ipsum esset impeditum, quòd careret eo, quo indiget ad hoc, vt ab eo procedat effectus. Idque vna voce fatentur omnes scientiæ mediæ professores, existimantes; prædictam contingentiam non consistere in alio, quàm in indifferentia principij actiui completi, & perfecti, à quo absque aliquo determinatè procedit, modò vna, modo alia operatio ex oppositis, ad quas est indifferens.

1986

Citantur loca ad propositũ, & concluditur intentum.

17 At verò nos citata disp. prima probauimus esse verum in causis liberis illud axioma: *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur actio, nisi per aliquod, quod illud determinat ad vnum.* Et quidem §. 1. & 2. retulimus quamplura loca S. D. quibus expresse, non solùm asserit; Sed etiam probat, quòd à voluntate tam creata, quàm increata, non procedit actio in ordine ad ea, ad quæ se habet ad vtrumlibet, nisi per aliquid, quod illam determinat ad vnum. Quibus adde locum alium, satis egregium, relatum eadem disp. §. 9. num. 5. & expensum vsque ad num. 16. à fol. 107. Adde etiam, quæ diximus disp 3. §. 8. à num. 14. ad 22. fol. 443. vbi prædictum axioma verificatur de voluntate diuina. Ampliùs adde verba S. D. relata in hac disp. §. 4. num. 19. & 20. fol. 496. Præterea citata disp. prima à §. 9. & deinceps formauimus rationes S. Doctoris à Commentatore acceptas, quibus prædictum axioma probatur (vt arbitramur cùm eodem S. D.) demostratiuè, vt patet legenti. Non potest ergo in causa libera completa, & non impedita admitti prædicta contingentia.

18 Ampliùs disp. 2. §. 22. num 4. fol. 254. in resolutione concluſimus, quòd non aliter agens liberum mouet seipsum determinatè in hanc, vel illam operationem liberam propriæ voluntatis, quàm per formam singularis agibilis, apprehensam per iudicium proprium, à se inuentum per collationem sui intellectus practici, proferentis vltimam sententiam de agendis per voluntatem, prout est iudex, ad quem spectat decisio causæ, seu quæstionis, qua ipsum liberum agens inquirit, quid sibi hic, & nunc, sit per voluntatem agendum: Et quòd ad dictam sententiam sui iudicij sequitur per physicam, & realem sequelam determinatus motus voluntatis. Idque probauimus eodem §. à num. 16. & deinceps à fol. 258. ad 261. & §. 23. à num. 61. à fol. 276. & a num. 77. vsque ad §. finem, à fol. 280. ad 284. Et adde loca Aristotelis, & D. Thomæ, quæ retulimus disp. 3. à num. 6. ad 17. à fol. 327.

1987

Alius locus, ex quo dicta conclusio probatur.

19 Præterea eadem disp. 3. puncto 2. à fol. 450. ad 474. probauimus quatuor rationibus (quas censemus demonstratiuas) quòd prædictum iudicium mouens, & efficaciter inferens voluntatem in actum sententiatum, & iudicatum agendum, est necessarium libertati actus, ita vt eo ablato, nulla esset possibilis in voluntate quacunque (etiam in diuina) libertas, & quantùm ad voluntatem diuinam videnda sunt, quæ diximus eadem disp. §. 7. à num. 89. ad 119. à fol. 429. His autem positis, prædicta contingentia omninò repugnat. Demum toto puncto primo eiusdem 3. disp. soluimus omnia argumenta, quibus prædicti Recentes existimant impugnari necessitas prædicti iudicij. Ampliùs, soluentes prædicta argumenta, intermisimus dubia, quibus difficultates omnes, in argumentis petitæ, resoluuntur. Ex quibus omnibus apparet, qualiter fundamentum vnicum scientiæ mediæ, quod, secundùm ipsosmet Mediscientiantes, est prædicta contingentia, sit a nobis euersum.

1988

Alius locus, in quo prædicta propositio demonstratur.

Concluditur impossibilitas dictæ contingentiæ.

Apparet ex dictis, fundamẽtum scientiæ mediæ esse euersum.

Pro-

Digitized by Google

Probatur, quòd secundùm S. Thomam, non ex eo in causis inanimatis contingentia ex imperfectione, & defectu est; in liberis verò ex perfectione: quia in liberis, præter illam rationem contingentiæ, quæ est in causis naturalibus, datur hæc alia, secundùm quam ab eis completis, & non impeditis, ad se mouendum in aliquam propriam operationem, potest ab eis, sic sumptis, propria operatio esse, & non esse; sed ex alio capite, ab ipso S. Doctore expresso.

1989

20 QVAE hactenus in hoc puncto diximus, eò tendunt, vt (exclusis priùs recentium adinuentis, quæ veritatem occultare potuissent) solueremus difficultatem, quam ex doctrina S. Thomæ in principio huius puncti inculcauimus. Aduertimus sanè in Suario, loco supra citato, nempè, parte 2. de Diuina gratia prolegom. de scientia conditionata num. 15. quòd conatur astruere contingentiam istam in causa libera ex doctrina simili prædictæ S. Doctoris. Et ideo nos, data opera, difficultatem proposuimus ex prædicta S. Doctoris doctrina, ab eaque in speciali exclusimus prædictam contingẽtiam in vltima conclusione §. præcedentis; vt sic soluentes difficultatem, & aduersarios confutaremus, & veritatem resolutionis nostræ, ex S. Thoma desumptam, cum eiusdem S. Thomæ doctrina concordem ostenderemus.

1990

Conceditur doctrina S. Thomæ, vt verissima.

21 Itaque verissima est doctrina illa S. Thomæ, in principio huius puncti relata, puta: *quòd in rebus inanimatis causarum contingentia ex imperfectione, & defectu est.* Idque quia *secundum suam naturam sunt determinatæ ad vnum effectum, quem semper consequuntur; nisi sit impedimentum, vel ex debilitate virtutis, vel ex aliquo exteriori agente, vel ex materia indispositione.* Et similiter, *Quòd voluntas sit causa contingens, ex ipsius perfectione prouenit.* Idque *quia non habet virtutem limitatam ad vnum; sed habet in sua potestate producere hunc effectum, vel illum; propter quòd est contingens ad vtrumlibet.*

1991

Ex ea inferri non potest cõtingentia ab aduersarijs conficta in causa libera; quia oppositum infert S. Thomas.

22 Sed quid inde? Num ex hoc, quòd voluntas est ita perfecta, quòd non habet virtutem limitatam ad vnum, habetque in sua potestate producere hunc effectũ, vel illum, propter quæ est contingens ad vtrumlibet, deducens, quòd ipsa, non determinata ad vnum per aliquod obiectum apprehensum, procedit in aliquem effectum ex illis, ad quos se habet ad vtrumlibet: Et ita datur contingentia illa, qua ab existente ad vtrumlibet, inquantùm huiusmodi, & nulla ei coniuncta causa determinante, procedit aliquis effectus? Oppositum huius deduxit S. Thomas, loquendo expressè de ipsa voluntate, 6. Metaphy. lec. 2. lit. tex. g. verbis, à nobis relatis disp. 1. §. 1. num. 4. fol. 87. dicens. *Contingens ad vtrumlibet, non potest esse causa, inquantùm huiusmodi. Secundum enim, quòd est ad vtrumlibet, habet dispositionem materiæ, quæ est in potentia ad duo opposita. Nihil enim agit secundùm quòd est in potentia. Vnde oportet, quòd causa, quæ est ad vtrumlibet, vt voluntas, ad hoc, quòd agat, inclinetur magis in vnam partem per hoc, quòd mouetur ab appetibili. Et sic sit causa, vt in pluribus.* Hæc D. Thomas. Et vide alia loca, quæ magno numero ibidem retulimus. Sed hæc repetij, vt aduertas ad propositũ eius, quod intendimus hìc explicare, quòd à voluntate, prout ipsa est principium ad vtrumlibet, seu liberum, non procedit aliqua operatio ex oppositis, in ordine ad quos se habet ad vtrumlibet; nisi euadat causa determinata ad vnum, vt in pluribus: determinata, inquam, ad vnum ab appetibili, scilicet apprehenso, vt habes ex eodem S. Thoma, à nobis relato loc. prox. cit. sed §. 2. num. 24. & 9. ex quo nota illa verba. *Bonum apprehensum, voluntatem, vt proprium obiectum determinat.*

1992

Confirmatur, quòd voluntas, si agit, est causa contingens determinata ad vnum vt in pluribus.

23 Idque (scilicet, quòd voluntas, vt coniuncta cum illis causis, quæ ipsam determinant ad vnum sit causa contingens, vt in pluribus, possitque impediri, impediaturque in paucioribus) euidentiùs patet ex verbis S. D. relatis in hac disp. §. 4. num. 19. & 20. & expensis num. 22. fol. 496. & 497. quibus de illa causa, quæ voluntatem determinat ad vnum, docet, quòd, licèt sit causa sufficiens, potest tamen impediri, & quantùm ad hoc, vide dicenda §. sequenti a num. 11. Ampliùs vide loca citata pro præcedenti parte huius conclusionis num. 17. 18. & 19. Ex quibus euidenter habetur, quòd ex eo, quòd voluntas, ratione suæ perfectionis, non habet virtutem limitatam ad vnum, estq: contingens ad vtrumlibet, infertur, necesse esse, quòd ab ea, inquantùm huiusmodi, nulla procedat actio. Ex hoc autem infertur, non quidem, quòd prædicta contingentia detur in causa libera; Sed quòd impossibile est, eam dari in causa libera. Quippe quia prædicta contingentia in alio non consistit, quam in possibili egressione alicuius effectus à principio indifferenti, seu ad vtrumlibet, inquantùm huiusmodi, seu nullo ei coniuncto, quod eam determinet ad alteram partẽ.

Citantur loca, ex quibus infertur oppositum eius, quod intendit deducere Suarius.

1993

Alia deductio.

24 Num dices secundò: ideo debere dari prædictam contingentiam in voluntate, vt causa libera; quia, vt talis, sic est ad vtrumlibet, quòd habet in sua potestate

Digitized by Google

testate producere hunc effectum, vel illum?

Impugnatur, Quia oppositum deducitur, ex doctrina S. Thomæ.

Verùm oppositum infertur ex vi doctrinæ, D. Thomæ, & Aristotelis. nempe, quòd non potest dari in voluntate prædicta contingentia. Voluntas enim dicitur habere dominium sui actus, scilicet volendi, & nolendi, vnum, & alterum ex oppositis, inquantùm ipsa mouet seipsã, & à seipsa mouetur per consilium rationis. quo ratio potest deliberare vnum, & alterum ex oppositis; & intantùm, vt habens potestatem, & dominium agendi vtrumlibet, agit vnum ex oppositis, inquantùm per consilium rationis, quo potest deliberare vnum, & alterum ex oppositis, concludit deliberans: hoc esse agendum. Hoc autem posito, perit illa contingentia excogitata à dictis Recentibus in causa libera, vt per se constat. Ex eo ergo, quòd voluntas habet dominium sui actus, seu habet in sua potestate producere hunc effectum, vel illum, inferri non potest, dari prædictam contingentiã; sed oppositum. Pro hac re Vide loca S. Thomæ, & Aristotelis, quæ aduersus Suarium retulimus Disp. 1. §. x1.a num. 3. ad 34.a fol. 113. ad 121. & ex num. 18. nota illa verba S. Doctoris: *Ex hoc contingit, quòd homo est dominus sui actus, quòd habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim, quòd ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas vtrunque potest.* Vide etiam, quæ diximus disp. præcedenti puncto 2.à fol. 451. ad 474. præsertim §.§. x1. & x11.a fol. 467.

1994

Manifestatur radix, ex qua causæ naturales habent, quòd sunt determinatæ ad vnum.

25 Vt autem videas ex propria radice, vnde est, quòd in causis inanimatis, seu naturalibus, contingentia ex imperfectione, & defectu est: & quòd voluntas ex perfectione habet, quòd sit causa contingens: Considera primò, quòd, idcirco aliquæ causæ dicuntur naturales; quia agunt per formas, per quas habent esse naturale. In quo distinguuntur ab aliis causarum generibus, quæ agunt per formas apprehensas, siue per sensum, siue per intellectum. Et quoniam ex vna parte, omne agens agit sibi simile in forma, per quam agit: & ex alia, vnius rei est vna forma naturalis, per quam habet esse naturale; ideo est, quòd omnis talis causa est per suam formam determinata ad vnum. Quia qualis ipsa est, tale facit, vt habes ex D. Thoma locis, à nobis relatis disp. 2. §. 20. nu. 8. fol. 242. quorum vnum, vel alterum referemus num. 28.

1995

Necessitas causæ naturalis dependet ex dispositione agentis, & patientis.

26 Quòd autem aliqua earum sit necessaria: alia verò contingens in productione sui effectus, procedit ex alia radice. Nam quòd in productione sui effectus sit necessaria, ex duobus dependet (vt habes ex D. Thoma lib. 2. cont. gent. cap. 30, à nobis relato disp. 3. §. x. num. 2. fol. 461. & in hac disp. §. 5. num. 54. fol. 514.) nempe ex modo dispositionis agentis, & patientis. Ad hoc enim quòd causa naturalis habeat effectum suum necessariò, absoluta necessitate, quæ contingentiæ opponitur, oportet primò, quòd illam dispositionem, per quam habet agere, tàm perfecto modo possideat, vt eam amittere non possit, seu eam habeat necessitate absoluta. Et ita oportet, quòd non habeat contrarium, quod in ipsam possit agere, & ab ea expellere prædictam dispositionem. Huius perfectionis causæ sunt sola corpora incorruptibilia, puta, corpora cœlestia. Oportet secundò, vt patiens, quod debet recipere actionem prædicti agentis, habeat illam dispositionem, quæ in ipso exigitur ad hoc, vt recipiat actionem, necessitate absoluta; ac per hoc oportet, vt prædictam dispositionem tàm perfecto modo possideat, vt non possit habere defectum talis dispositionis. Vnde concludit S. Doctor. *Si igitur talis dispositio, secundum quam de necessitate sequitur effectus, fuerit necessaria, & absoluta in agente, & patiente, erit necessitas absoluta ex causa agente, sicut in ijs, quæ agunt ex necessitate, & semper.*

1996

Contingentia causæ naturalis vnde est, explicatur.

27 Quòd verò aliqua earum sit contingens; seu non habens ex necessitate absoluta effectum suum, contingit ex hoc, quòd non habet, vel vtrunque, vel alterum ex prædictis, ex quibus dependet necessitas causæ, vt patet ex eodem D. Thoma eodem loco. Et ita oportet, quòd in prædictis causis contingentia sit ex imperfectione, & defectu, Quia oportet ad hoc, vt talis causa habeat effectum suum contingenter, vel quòd non possideat perfecto modo illam dispositionem, per quam habet agere, & ita possit deficere in virtute, & habere contrarium; vel quòd sui passiuum possit pati defectum dispositionis, in ipso requisitæ ad recipiendum. Atque ex his tandem videre potes, quòd ideo in prædictis causis contingentia est ex imperfectione, & defectu; quia radix prædictæ contingentiæ est possibilitas materiæ ad vtrunque, quam esse radicem contingentiæ in istis causis, posuit Aristoteles, vt apertè refert S. Doctor relatus §. 5. huius disp. nu. 10. fol. 502. Quòd enim agens naturale possit pati debilitatem virtutis ex indispositione materiæ, vel ex actione agentis contrarij, hoc ideo est; quia materia talis agentis est possibilis ad recipiendum contrarias formas intrinsecas, & est principium corruptibilitatis. Quòd etiam aliquod agens naturale, etiam incorruptibile,

Digitized by Google

tibile, posit habere defectum sui effectus, propter defectum dispositionis debitæ in suo passiuo, seu receptiuo actionis, hoc ideo est; quia materia talis passiui est possibilis ad recipiendum contrarias dispositiones.

1997

Explicatur prima radix, ex qua contingentia in voluntate est ex perfectione.

28 Considera secundò (vt sic videas propriam radicem, vnde voluntas habet, quòd ex perfectione sit causa contingens) quòd ratio, ob quam voluntas non est causa agens determinata ad vnũ, est, quia ipsa non agit per formam dantem sibi esse naturale, quæ in vno oportet esse vnã; sed per formam apprehensam ab intellectu, seu formam intellectam, quæ in vno possunt esse plures. Vnde considerari debent verba S. D. 1. p. q. 41. ar. 2. in corp. quæ retulimus loc. cit. num. præcedenti 25. puta: *Voluntas & natura secundùm hoc differunt in causando: quòd natura est determinata ad vnum; sed voluntas non est determinata ad vnũ. Cuius ratio est: quia effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit. Manifestum est autem, quòd vnius rei non est, nisi vnica forma naturalis, per quam habet esse. Vnde quale ipsum est tale facit. Sed forma, per quam voluntas agit, non est vna tantùm; Sed plures, secundùm quòd sunt plures rationes intellectæ.* Et inde est, quòd voluntas potest habere contingentiam in agendo propter hoc, quòd nunc per vnam, nunc per aliam formam apprehensam contingit eam agere: Quoniã autem agentia per voluntatem posse habere plures, & diuersas formas apprehensas, procedit ex eo, quòd sunt immaterialia, quæ est summa perfectio in eis (vt notauimus ex doctrina D. Thomæ disp. 2. §. 2. à num. 4. ad 8. à fol. 247): ideo est, quòd indeterminatio, & contingentia in agendo, qua nunc vnum, nunc aliud agunt, ac etiam desistunt ab actione, quæ est in eis ex eo, quòd nunc vnum, nunc aliud apprehendunt, est in eis ex perfectione; non autem ex imperfectione, & defectu, vt oportet esse in agentibus per formam naturalem.

1998

Debet cõsequenter concedi, quòd contingentia in brutis est ex aliquali perfectione.

29 Verùm quoniam animalia bruta sunt agentia voluntaria volũtario imperfecto, & agunt per formas apprehensas per sensum virtutis æstimatiuæ; ideo oportet dicere, quòd in ipsis inueniatur contingentia, non quidem absolutè, & simpliciter, vt in hominibus, sed secundùm quid, & aliqualiter, ex perfectione. Etenim in brutis contingentia est ex perfectione solùm quantùm ad hoc, quod est, agere, vel non agere; & vel hoc, vel oppositum: non autem quantùm ad hoc, quod est, de agendis à se iudicare. Quantùm enim ad hoc est in eis contingentia solùm ex imperfectione, & defectu, sicut in agentibus determinatis ad vnum per formam naturalem. At verò in homine quantùm ad vtrunque contingentia inuenitur esse ex perfectione: Et ideo inter animalia in solo homine, & quantùm ad actus perfectè voluntarios, qui, scilicet, sunt absolutè, & simpliciter sub sua potestate, & dominio, contingentia est absolutè ex perfectione. Quare

1999

Propria radix, ex qua est, quòd homo iudicat de agendis deliberando, explicatur.

30 Considera 3. quod homo propter virtutem intellectiuam, quæ est perfectè immaterialis, & reflectit super actus proprios, non solùm se extendit ad quædam, vt virtus sensitiua; sed ad omnia. Vnde non solùm apprehendit singularia sensibilia, per virtutes sensitiuas, & adhuc suo modo per intellectum; sed insuper proprios actus, actusque aliarum potentiarum, ac etiam vniuersalia. Vnde confert de agendis singularibus ad plura, & diuersa; iudicatque de eis per rationes vniuersales. Itaut possit facere syllogismum de agendis, quo per vniuersalem rationẽ boni, tanquam per mensuram, & regulam omnium agẽdorum, concludit, hanc, vel illam actionem in singulari esse sibi agendam, vel non agendam; quod est deliberare de agendis per discursum consilij. Vt habes ex Aristotele, & D. Thoma, verbis à nobis relatis disp. 1. §. 11. nu. 22. & 23. fol. 118.

2000

Homo, dum deliberat, iudicat de suo proprio iudicio reflexè.

31 Et hoc quidem, dum facit homo, non solùm iudicat directè de singularibus agendis; sed etiam reflexè de suo proprio iudicio, vt probauimus disp. 3. §. 6. à num. 71. à fol. 379. Homo enim, hoc ipso, quòd apprehendit vniuersalem rationem boni, & reflectit super actus sui proprij iudicij, potest per prædictam rationem non solùm iudicare, an hoc, vel illud sit conueniens agere; sed etiam, an sic, vel aliter sit conueniens iudicare, & sic discutere suum proprium iudicium: vt habes ex D. Thoma, relato loco proximè cit. & adde alia, à nobis relata eadem disp. §. 11. a num. 4 ad 11. à fol. 468.

2001

Explicatur propria radix, ex qua est, quòd bruta non deliberant

32 At verò bruta propter carentiam intellectus, non possunt apprehendere vniuersalia, nec conferre de agendis, nec iudicare de suo iudicio, discutiendo illud; quia hæc sunt propria intellectus. Et hinc est, quòd bruta non consiliant, nec deliberant de agendis, conficiendo syllogismum, cuius iudicium conclusum reflectit supra seipsum; Sed solùm per sensum æstimatiuæ virtutis iudicat de agendis occurentibus directè ex instinctu naturæ, qui est determinatus ad vnum, vt concludunt Aristoteles, & D. Thomas loco nu. præcedenti cit.

2002

33 Indè prouenit primò, quòd licèt bruta

Digitized by Google

Deducitur primò, bruta quantùm ad aliquid habere contingentiã non existente in ipsis aliquo defectu; Et quãtùm ad aliquid non, nisi ex imperfectione, & defectu.

bruta ratione suæ perfectionis, qua superant agentia per formas naturales habeant contingentiam in agendo, quantùm ad hoc, quòd, non existente aliquo defectu, nunc agunt vnum, nunc oppositum, & nunc desistunt ab actione. Vnde nunc prosequuntur, nunc fugiunt, & nunc desistunt prosequi, & fugere. Et hoc inquantum ratione suę immaterialitatis, qua possunt recipere formas aliarum rerum, non habent semper vnam, eandenque formam apprehensam, per quam agunt, sed plures, & oppositas: in quo accedunt ad perfectionem principij actiui humani. Vt optimè notauit S.D. q.6. de malo in corp. art. vnici verbis à nobis relatis disp. 2. §. 21. num. 3. fol. 247. dicens: *Forma apprehensa per sensum est individualis, sicut in rebus naturalibus: & ideo in ea sequitur inclinatio ad vnum, sicut in rebus naturalibus. Sed tamen non semper eadem forma relinquitur in sensu, sicut in rebus naturalibus; quia ignis semper est calidus; sed nunc vna, nunc alia, puta, nunc forma delectabilis, nunc tristis. Vnde nunc fugit, nunc prosequitur, in quo conuenit cum principio actiuo humano.* Attamen quantùm ad hoc, quòd, occurrente tali agendo, sic iudicent, habent contingentiam solùm ex imperfectione, & defectu. Siquidem, quantùm ad hoc, per virtutem æstimatiuæ, quæ semper eis inest, & iudicant ex instinctu naturæ, sunt determinata ad vnum, sicut aliæ causæ agentes per formam naturalem. Quare, si contingeret, quòd ouis, e.g. videns lupum, non iudicaret secundùm instinctum naturæ, eum esse sibi inimicum, & fugiendum, oporteret, id esse ex imperfectione, & defectu: inquantùm, scilicet, pateretur aliquem defectum in organo virtutis æstimatiuæ, ex quo esset, quòd non iudicaret secundum instinctum naturæ. Sensus enim virtutis æstimatiuæ, hoc ipso, quòd est in organo corporali corruptibili, habente contrarium, potest, vel ratione indispositionis materiæ, vel ex actione contrarij agentis, carere dispositione debita organo ad sensationem perfectam, quam exposcit naturalis instinctus; & sic impediri, ex imperfectione, & defectu, ne sic iudicet: Nec aliter id contingere potest, puta, quod deficiat à sic iudicando.

2003

Deducitur secundò, contingentiam esse in voluntate ex perfectione.

34 Prouenit secundò, quòd homo, non solùm habet ex perfectione contingentiam, quantùm ad hoc, quòd, non existente aliquo defectu, nunc agit vnum, nunc oppositum, & nunc desistit agere: & hoc inquãtùm diuersis temporibus habet diuersas, & oppositas formas apprehensas, per quas agit: Sed etiam quantùm ad hoc, quòd vel sic, vel aliter, iudicat de singularibus agendis, sibi occurrentibus. Vnde, quòd sic, vel aliter iudicat de eis, potest contingere, non existente aliquo defectu ex parte virtutis iudicatiuæ. Et hoc inquantùm (vt probauit sæpissimè S. Doctor, à nobis relatus locis citatis num. 30. & 31. huius §.) non iudicat de singularibus agendis ex instinctu naturæ determinato ad vnum, vt bruta. Sed conferendo vnum ad aliud consiliando, & deliberando. Inquantùm enim potest conferre id, quod in singulari occurrit agendum, ad plura, & diuersa; & forma vniuersalis boni, per quam consiliando, & deliberando, assumit iudicium de agendis, potest applicari cuilibet singulari agẽdo, secundùm quamlibet rationem, quam habet, prout confertur ad plura, & diuersa, non habet homo iudicium de agendis determinatum ad vnum. Et ideo siue cõtingat, eum deliberare illud, quod occurrit, esse agendum, siue non agendum, neutrum est ex imperfectione, & defectu; quia id habet ex amplitudine potestatis formæ vniuersalis, per quam iudicium assumit; non autem ex hoc, quòd virtus intellectiua destruitur à contrario agente, vel ex indispositione materiæ, seu subiecti, in quo est, cum sit incorruptibilis, & immaterialis.

2004

Concluditur principale intentum.

35 Quoniam autem ex hoc est, quòd homo habet in potestate propriæ voluntatis producere hunc effectum, vel illum, quòd consiliando, & deliberando iudicat de agendis per voluntatem, vt patet ex dictis, locis citatis num. 30. & 31. Ideo est, quòd contingentia, quæ in homine est per hoc, quòd habet in potestate propriæ voluntatis producere hunc effectum; vel illum, est in illo ex perfectione. Et inde tandem apparet, quòd talis contingentia ideo in homine, vt agente per propriam voluntatem, est ex perfectione; quia radix talis contingentię est ex hoc, quòd sumus deliberatiui, & consiliatiui de agendis, vt docuit Aristoteles, & ex eo D. Thomas locis citatis.

§. VII.

Difficultas proposita in principio huius punctli soluitur in forma. Et quæ sunt infra explicanda proponuntur.

2005

Difficultas soluitur distinguendo consequens.

1 EXclusis falsis Aduersariorum imaginationibus, potest modò ex dictis apparere, qualiter difficultas, proposita ex doctrina S. Thomę, sit soluenda in forma. Concedenda est enim tota

tota S. Præceptoris doctrina. Et cùm dicitur, *videtur inde sequi, quòd doctrina illa, qua diximus, quòd via infallibilis ad procedendum per causas contingentes in effectus earum, sint ipsamet causæ contingentes, non impeditæ, prout subsunt ordini diuinæ prouidentiæ, habeat locum, solùm in inanimatis*, &c. *Non autem in voluntate*, &c. Neganda est hæc consequētia. Et claritatis gratia distinguendum est consequens. *Non habet locum in voluntate*, sumpta præcisè, seu (vt loquitur D. Thomas, cuius est hæc distinctio, q. 3. de Veritate art. 12. in corp. verbis à nobis relatis disp. 1. §. 6. num. 10. fol. 98.) *per se accepta*, & prout in ipsa ponitur ab Aduersarijs contingentia, hactenus a nobis reiecta: concedenda est consequentia. Sic enim implicat contradictionem, eam esse causam, & viam ad suam operationem, vt eodem loco proximè citato probat S. Doctor. Nec hoc modo accepta, ponitur à nobis via infallibilis ad suas operationes liberas. Accepta, vt coniuncta cum illis causis, quæ ipsam determinant ad vnum, seu, quibus ipsa seipsam determinat ad vnum: & considerata, secundùm quòd est cum dictis causis coniuncta, prout subest ordini vniuersalissimo diuinæ prouidentiæ: neganda est consequentia.

Causa ad vtrumlibet per se accepta, nõ est causa, nec via ad suos effectus.

Sumpta cũ causis ipsũ determinãtibus ad vnum est via infallibilis.

2006 2 Cùm enim causa libera, seu voluntas, vt coniuncta cum illis causis, quæ ipsam determinant ad vnum, sit suo modo causa determinata ad vnum, vt in pluribus, vt habes ex D. Thoma relato §. præcedenti n. 22. & 23. fol. 523. sequitur, quod idem dicendum sit de voluntate, accepta vt coniuncta cum prædictis causis, quod dicitur de causis determinatis ad vnum, vt in pluribus. Si ergo hæ causæ consideratæ, vt subsunt toti ordini diuinæ prouidentiæ, sunt via infallibilis ad suos effectus contingentes; voluntas etiam, seu causa libera, vt coniuncta cum causis, quibus determinatur ad vnum, & considerata, vt subest eidem ordini, erit via infallibilis ad suos effectus contingentes, & liberos.

Ostenditur prædictæ responsionis veritas.

2007 3 Nec contra hoc obest, quòd S. D. q. 8. de Veritate ar. 12. citata docet, quòd in causa ad vtrumlibet, vt coniuncta cum causis, quæ ipsam determinant ad vnum, potest cognosci effectus futurus coniecturaliter tantùm, non verò certitudinaliter. Non obstat, inquam, quoniam hoc ipsũ eodem loco docet de causis naturalibus determinatis ad vnum, vt in pluribus. Si igitur, hoc non obstat causis naturalibus, nec etiam obstabit causis liberis, vt coniunctis cum illis causis, quibus determinantur ad vnum: cùm sit de vtrisque eadem ratio. Loquitur enim S. D. de prædictis causis secundùm ea, quæ eis conueniunt, attento proprio ordine, ad effectus proprios, & quia iste est fallibilis, & impedibilis; ideo est impossibile, quòd in talibus causis, sic consideratis, cognoscatur effectus certitudinaliter. Non autem loquitur de prædictis causis secundùm ea, quæ eis conueniunt, prout subsunt ordini diuinæ prouidentiæ vniuersaliter sumpto. Sicut enim hic ordo, sic sumptus, est infallibilis; ita quæcunque tali ordini subsunt, considerata, secundùm quòd tali ordini subsunt, infallibilitatem habent secundùm omnia, quæ quomodolibet eis in tali ordine conueniunt.

Non obstant prædictæ responsioni verba S. Doctoris.

2008 4 Dices secundò: D. Thomam sibi ipsi non cohærere in locis, quæ in prædicta responsione vniuimus. Etenim dicit quatuor.

Primum. *In rebus inanimatis*, seu naturalibus, *causarum contingentia ex imperfectione, & defectu est. Secundùm enim suam naturam sunt determinatæ ad vnum effectum, quem semper consequuntur; nisi sit impedimentum, vel ex debilitate virtutis, vel ex aliquo exteriori agente, vel ex materiæ indispositione.* *Primum dictum S. Doctoris.*

Secundum. *Quòd voluntas sit causa contingens, ex imperfectione est; quia non habet virtutem limitatam ad vnum; Sed habet in sua potestate producere hunc effectum, vel illum: propter quod est contingens ad vtrumlibet.* Hæc retulimus in principio huius puncti. *Secundum.*

Tertium. *Contingens ad vtrumlibet, vt voluntas, non potest esse causa inquantùm huiusmodi.* *Tertium.*

Quartum. Voluntas, vt coniuncta cum causis, quibus determinatur ad vnum, seu ipsa seipsam ad vnum determinat, *est causa contingens, vt in pluribus*, idest, determinata ad vnum, vt in pluribus; ac per hoc potest impediri. Patent hæc alia duo ex verbis relatis §. precedenti num. 22. & 23. *Quartum.*

2009 5 Hæc autem duo posteriora minimè cohærere videntur cum prioribus. Porrò, si (vt dicitur in tertio dicto) quod est ad vtrumlibet, inquantùm huiusmodi, nõ esset causa; voluntas, inquantùm est ad vtrumlibet, non esset causa contingens. Falsum ergo esset secundum dictum, puta: *quòd voluntas sit ex perfectione causa contingens; quia habet in sua potestate producere hunc effectum, vel illum, propter quod est contingens ad vtrumlibet.* Siquidem ex hoc, quòd est ad vtrumlibet, sequitur, quòd inquantùm hujusmodi, seu inquantùm est ad vtrumlibet, non esset causa; & si non esset causa, non esset ex perfectione causa contingens; nec posset habere in sua potestate producere hunc effectum, vel illum. Quod enim non est causa, non est

Proponitur repugnantia inter tertium & secundum.

Digitized by Google

est causa contingens ; sicut quod non est animal non est homo.

2010 *Apparens repugnantia inter quartum & secundũ videtur sequi ex primo.*

6 Ampliùs, si voluntas, quæ inquantùm est ad vtrumlibet, non est causa, vt dicitur in tertio dicto; esset, prout est coniuncta cum illis causis, quibus determinatur, seu ipsa seipsam determinat ad vnum, causa contingens, vt in pluribus, vt dicitur in quarto dicto; sequeretur, quòd esset causa contingens ex imperfectione & defectu; quod est contra secundum dictum. Et quidem hæc sequela videtur euidens. Nam voluntas, vt coniuncta cum causis prædictis, induit illam rationem causæ contingentis, quam habent ipsæ causæ. Ipsæ autem videntur esse contingentes ex imperfectione, & defectu; vt potè quia sunt determinatæ ad vnum, vt in pluribus, quæ (vt habetur in primo dicto) sunt contingentes ex imperfectione, & defectu.

2011 *Explicatur, tertiũ dictum, quantùm ad illas particulas: Inquãtùm huiusmodi.*

7 Verùm, si dictum S. Thomæ, quod tertio loco posuimus, rectè intelligatur, nullæ apparebunt prædictæ repugnantiæ, eluceſcetque mira cohærentia prædictorum. Quarè considera, non dixisse S. Doctorem absolutè: *contingens ad vtrumlibet non potest esse causa* (sic enim coniunxisset contradictoria simul, & insequerentur contradictiones obiectæ); sed addidisse; *inquantùm huiusmodi*. Et voluit per hoc significare naturalem conditionem, seu proprietatem talis causæ. Hæc enim ex hoc suo proprio modo, quo est ad vtrumlibet, habet, quòd sit in causando dependens ab aliquo alio, quod habet determinatè tendere in vnum ex illis, ad quæ ipsa est ad vtrumlibet: & ex cuius coniunctione ipsa etiam habet, quòd tendat in vnum determinatè. Sicut enim causa, quæ ex proprietate, & conditione suæ naturæ est subordinata alteri (quemadmodum est causa instrumentalis: & qualis est E.g. potentia motiua animalis in ordine ad apprehensionem, & appetitum eiusdem animalis) habet ex conditione, & proprietate suæ naturæ, quòd ex se sola, & præcisè sumpta à causa, cui per se subordinatur, non habeat actionem; sicut serra, hoc ipso, quòd est instrumentum artis ad conficiendum scamnum, habet, quòd ex se sola, & præcisè sumpta ab arte, non habeat actionem ad conficiendum scamnum. Similiter potentia motiua animalis, hoc ipso, quòd est subordinata apprehensioni, & appetitui eiusdem animalis, ad mouendum huc, vel illuc, habet quòd ex se sola, & præcisè sumpta ab apprehensione, & appetitu, non moueat. Ita causa, quæ est ad vtrumlibet, habet ex conditione, & proprietate sui modi, essendi ad vtrumlibet, quòd ex se sola, & præcisè sumpta ab aliqua alia causa, per quam habet, vt tendat determinatè in vnum, non habeat actionem. Idque voluit significare S. D. per ly *inquantum huiusmodi*, vt diximus disp. prima §. 13. a num. 8. ad 14. à fol. 134.

Exempla ad propositum.

2012 *Applicantur exempla ad intentum.*

8 Itaque sicut cùm dicimus, quòd instrumentum, (E.g. serra) ex se, & præcisè sumptum à causa principali, non habet actionem, seu non est causa, scilicet in actu, seu non causat; non significamus, quòd, absolutè loquendo, causa instrumentalis non est causa; sic enim diceremus contradictoria simul: cùm causa instrumentalis sit causa, quę causat, vt mota à principali. Sed solùm significamus proprietatem, & conditionem, quam habet instrumentum, inquantùm causat, vt instrumentum; quia, scilicet, non causat; nisi vt motum, & subordinatum principali. Ita, cùm dicimus, causa ad vtrumlibet, inquantùm huiusmodi, seu quantùm est ex se, & præcisa ab alia causa, per quam habet, vt determinatè tendat in vnum, non est causa, seu non causat, non significamus, quòd, absolutè loquendo, virtus illa quę est ad vtrumlibet non est causa: cùm talis virtus sit causa, & causet, dùm habet sibi coniunctam aliã causam, ex cuius coniunctione habet, vt determinatè efficiat vnum. Sed significamus, quòd talis virtus, hoc ipso, quòd est ad vtrumlibet, habet ex suo proprio modo essendi ad vtrumlibet, quòd, si ei non adiungitur aliqua alia causa, ex qua inclinatur in vnum determinatè, non causat. Vide quę diximus contra Fasolum disp. 1. §. 13. a num. 8. fol. 135. supra cit.

2013 *Soluitur in forma prima instantia.*

9 Hoc posito apparet, qualiter deficiant, & soluendę sint prędictę instantiæ. Ad primam enim distinguendum est antecedens, quantùm ad partem consequentem propositionis conditionalis, nempe: *voluntas inquantùm est ad vtrumlibet non esset causa*. Et quidem, si ly *inquantùm est ad vtrumlibet*, significat idem, quòd ly *inquantùm huiusmodi*, positum in parte antecedenti eiusdem conditionalis, seu reduplicat ly ad vtrumlibet, acceptum quantùm est ex se præcisè, & prout non habet aliquam aliam causam, sibi coniunctam, quæ determinat ad vnum: concedendum est antecedens, & neganda est consequentia, nempe: quòd inde sequatur, esse falsum dictum S. Doctoris, secundò loco positum. Si verò non significat idem, quòd ly *inquantum huiusmodi*, seu reduplicat virtutem illam, quæ est ad vtrumlibet, sine tali præcisione, seu limitatione, *quantùm est ex se precisè*, acceptam, prout scilicet impor-

Digitized by Google

importat virtutem, quæ potest producere, tam vnum, quàm alterum ex oppositis, secundùm quòd potest habere sibi coniunctam, tàm aliquam aliam causam, per quam habet determinatè tendere in vnum, quàm aliquam aliam, per quam habet determinatè tendere in alterum ex oppositis: negandum est antecedens, quod explicitè esset: *Si, quod est ad vtrumlibet, quantùm est ex se, precisè, & prout non habet aliquam aliam causam sibi coniunctam, per quam determinatur ad vnum, non esset causa; Voluntas inquantùm est quædam virtus, quæ potest producere tàm vnum, quàm alterum ex oppositis, secundùm quòd potest habere sibi coniunctam, tam aliquam aliam causam, per quam habet tendere determinatè in vnum, quàm aliquam aliam, per quam habet determinatè tendere in alterum ex oppositis, non esset causa contingens.* Hæc enim propositio est euidentissimè falsa, non solùm, quia pars consequens non sequitur ad partem antecedentem; sed etiam, quia in parte consequenti inuoluitur euidens contradictio, vt patet. In hoc autem sensu deberet verificari antecedens, vt ex eo posset inferri esse falsum, dictum secundo loco positum, vt consideranti patet. Nec oportet hic aliquid addere.

2014 10 Et sic etiam dicendum est ad secundam instantiam. Nam si, ly *inquantùm est ad vtrumlibet*, positum in propositione, quæ supponitur in antecedente, quo dicitur, *si voluntas, quæ inquantùm est ad vtrumlibet non est causa*, reduplicet *ad vtrumlibet*, sub illa præcisione, *quantùm est de se*, acceptum, secundùm quem sensum suppositum est verum, neganda est sequela. Et ratio est, quia licèt virtus ad vtrumlibet, sumpta sub illa præcisione, *quantùm est ex se*, non sit causa; ipsa tamen (& maximè si suas operationes habet in sua potestate) sumpta sine tali præcisione, habet ex perfectione, quòd sit causa contingens. Et licèt, prout habet sibi coniunctam illam causam, per quam ipsa à seipsa determinatur ad vnum, (quæ est causa, quæ impediri potest) euadat causa contingens vt in pluribus; non tamen propter hoc fit, vt habeat ex imperfectione, quòd sit causa contingens; sed potiùs sequitur oppositum, quòd, scilicet, habeat ex perfectione quòd sit causa contingens.

Soluitur secunda instantia.

2015 11 Et hoc sic apparet. Nam voluntas (de hac enim virtute ad vtrumlibet loquimur) completiuè, directè, proximè, & vt per formam, ad quam sequitur ipsa operatio eiusdem voluntatis, determinatur ad agendum vnum ex oppositis per obiectum, seu formam boni singularis, apprehensum, seu apprehensam per iudicium sententiatum, seu deliberatum per consilium rationis. Remotè verò, incompletè, indirectè, & per ordinem ad actum futurum, per quodlibet, quod quomodolibet eam inclinat, & mouet ex parte obiecti, vt sunt passiones, exhortationes, inclinationes naturales, influxus cœlestiũ corporum concitantes partem sensitiuam, habitus, siue acquisiti, siue infusi, qui sũt habituales inclinationes in determinata obiecta, suo modo superadditæ siue voluntati, siue alijs potentijs: & alia huiusmodi, ex quibus potest apparere, aliquid esse ipsi appetenti conueniens, & appetendum, vel disconueniens, & fugiendum.

Manifestatur, quòd, & si voluntas euadat causa contingens, vt in pluribus; est tamen ex perfectione causa cõtingens.

2016 12 Et quidem obiectum apprehensum per iudicium deliberatum, licèt, si supponatur esse deliberatum, inferat, virtute præcedentis volitionis finis, per necessariam sequelam ipsum actum voluntatis deliberatum; poterat tamen absolutè impediri, inquantùm erat in potestate voluntatis, & rationis deliberare oppositum, & efficere, ne sit: sicut semper est in potestate eiusdem voluntatis, & rationis, mutare consilium, & deliberare oppositum, & efficere, ne precedens iudicium deliberatum sit, & sic impedire, ne moueat voluntatem. Et hoc, illo modo, quo aqua infusa igni, destruendo formam ignis, impedit ignem, ne comburat. Et inde est, quòd voluntas, quæ seipsam mouet, & determinat per apprehensionem formæ singularis boni, potest seipsam impedire, ne seipsam moueat per talem formam; inquantùm potest se mouere per apprehensionem oppositæ formæ, & per vnam formam destruere oppositam, & se impedire, sicut aqua impedit ignem. Hoc autem non ad imperfectionem, sed ad magnam voluntatis perfectionem pertinet, quæ tanta est, quòd habet in sua potestate habere oppositas formas, per quas se moueat, & sic gerere vicem oppositorum agentium.

Probatur intentum, quantùm ad primũ membrum.

2017 13 Ea verò, quæ voluntatem inclinant, & determinant indirectè, incompletè, remotè, & per ordinem ad actum futurum, licèt absolutè, & secundùm se spectata, possint impediri ab alijs causis eiusdem rationis, idque sit in quibusdam ex imperfectione, & defectu ipsorum: attamen, quantùm ad hoc, quòd mouent, & determinant voluntatem ad vnũ, præcipuum impedimentum possunt habere per ipsammet voluntatem, quæ ad mouendam seipsam vti potest oppositis mouentibus. Ex quo est, quòd si contingit ea non peruenire ad inducendum effectũ, impediente voluntate, (vt contingit cum

Probatur quantùm ad secundum.

Digitized by Google

voluntas resistit impressionibus corporũ cœlestium, in sensum factis); id non erit ex eo, quòd contingentia est in voluntate ex imperfectione, & defectu; sed potius ex eo, quòd est in alijs ex imperfectione, & defectu; quia, scilicet eorum virtus non est tanta, vt superari non possit à voluntate, se mouente per oppositam formam.

2018 14 Atque ex his apparet, quòd hoc, puta; quòd voluntas mouetur, & se mouet per causas, quæ impediri possunt, ex quo est, quòd ipsa inquantùm per illas se mouet impediri potest à seipsa, non repugnat huic, nempè: quòd voluntas est ex perfectione causa contingens: immò primum spectat, & requiritur ad hoc secundum. Etenim voluntas habet ex perfectione, quòd sit causa contingens, inquantùm habet in sua potestate producere hũc effectum, vel illum. Non haberet autem hoc in sua potestate, si ea, quæ ipsam mouent ex parte obiecti, impediri non possent ab eadem voluntate, vt per se constat. Oportet ergo, vt ista impediri possint, ad hoc, vt voluntas habeat ex perfectione, quòd sit causa contingens.

Concluditur intentum.

Proponuntur explicanda.

2019 15 VErum pro intelligenda, & explicanda sententia S. Thomæ, qua docet: *voluntatem, habentem sibi connexam causam, seu causas alias, quibus, seu qua determinatur ad vnum à seipsa, fultam, seu fultas proportionatis adminiculis, sibi præparatis in dispositione vniuersalissimi ordinis diuinæ prouidentiæ ex altissima sapientia diuina, esse, prout subest prædicto ordini, & dispositioni viam infallibilem ad proprios actus liberos*; tria videntur hic explicanda.

Sententia S. Thomæ explicanda in praxi.

2020 16 Primum est; explicare in praxi, qualiter agens liberum gerat vicem oppositorum agentium, seipsumque vt gerit vicem vnius, impediat, secundùm quòd gerit vicem alterius.

Primum explicandũ in praxi.

Secundum est; explicare exemplis, vel ad sensum manifestis, vel ex S. Thoma desumptis, qualiter, data aliqua dispositione causarum circa voluntatem, seu causam liberam, in ordine ad actum futurum, possit ab ea infallibiliter sequi determinatus actus liber, si non fit impedimentum impediendum.

Secundum explicandum.

2021 17 Tertium est; explicare, qualiter, supposita dispositione diuinæ prouidentiæ, voluntas possit esse via infallibilis ad proprios actus peccaminosos, salua immunitate Dei à causalitate peccati. Est enim circa hos actus peculiaris difficultas. Sed horum primum explicabimus §. sequenti 8. Secundum §. 9. Tertium §. 10.

Tertium explicandum.

§. VIII.

Explicatur in praxi primum ex recensitis.

2022 1 ET quantùm quidem ad primũ, constat ex dictis. Recole igitur id, quod sæpe notauimus ex D. Thoma 1. 2. q. 6. ar. 1. ad p. & q. 17. ar. 1. in corp. verbis à nobis relatis disp. 2. §. 24. num. 5. fol. 286. nempè: quòd voluntas, quantùm ad exercitium actus, est primum mouens in genere potentiarum animæ. Vnde sicut secunda mouentia non mouent, nisi virtute primi mouentis, & vt mota ab ipso; ita nulla potentia animæ mouet ad exercitium actus; nisi vt mota in suum proprium actum à voluntate.

Recole, quòd primum mouẽs in genere potẽtiarum animę ad exercitium actus est voluntas.

2023 2 Recole secundò (quod sæpè diximus ex doctrina eiusdem S. Thomæ) quòd voluntas mouet seipsam, & alias potentias animæ sibi subordinatas, virtute quorundam actuum naturalium, in quos, quantùm ad exercitium actus, mouetur per se à solo Deo, & in quos debet fieri reductio, vt ad eos, quibus ipsa voluntas est, primò mouens, tam alias potentias, quàm seipsam. Sicut enim corpus cœleste est primum mouens in genere corporalium per motum, quem accipit ab intelligentia; in quem motum, vt ad primum sui generis, reducuntur omnes motus inferiorum corporum. Ita voluntas est primum mouens in genere potentiarum animæ per illum motum, in quem per se mouetur à Deo auctore naturæ. Et sicut omnes motus inferiorum corporũ reducuntur, vt ad primum in genere, ad illum motũm, quo corpus cœleste mouetur ab intelligentia. Ita omnes motus, seu operationes, siue voluntatis, siue aliarum potentiarum animæ, quæ pendent ab ipsa voluntate, vtiã mouente, reducuntur, vt ad primum sui generis, ad illum motum, seu operationem, in quam, seu quem, voluntas mouetur à Deo.

Recole 2. quòd voluntas mouet se, & alias potentias virtute actuum naturaliũ, in quos per se mouetur à solo Deo.

2024 3 Habet autem voluntas duos motus naturales, alterum circa finem vltimum, puta beatitudinem, seu bonum commune, sic in confuso; ac etiam miseriam sibi oppositam; appetit enim naturaliter bonum, & fugit malum. Alterum circa vtile ad finem, sic in confuso. Sicut enim naturaliter appetit bonum, vt finem, ita naturaliter appetit, vtile, sic in confuso, seu medium (non descendendo ad hoc, vel illud) propter finem, vt optimè docuit S. Doctor, Q. 24. de Veritate, ar. 8. in corp. inquiens. *Inest rationi naturaliter, & im-*

Habet voluntas duos actus naturales, alterum circa finem: alterũ circa media.

Digitized by Google

Locus insignis D. Thomæ ad propositũ.

& immutabiliter sine errore cognitio boni in vniuersali, tam boni, quod est finis, quàm boni, quod est ad finem: non autem in particulari: sed circa hoc errare potest, vt æstimet aliquid esse finem, quod non est finis: vel esse vtile ad finem, quod non est vtile. Et propter hoc voluntas naturaliter appetit bonum, quod est finis, scilicet fœlicitatem in generale: & similiter bonum, quod est ad finem. Vnusquisque enim naturaliter appetit vtilitatem suam. &c.

2025 4 Dixi num. 2. *in quos, quantùm ad exercitium actus, mouetur per se à solo Deo.* Vt innuerem, quòd per accidens, occasionaliter, & ex parte obiecti, voluntas mouetur in prædictos actus ex quauis occasione, qua intellectus practicus reducitur in illos actus naturales, puta: bonum est appetendum; vtile est eligendum. Positis enim prædictis apprehensionibus in intellectu practico, voluntas procedit in naturales motus, appetitus boni, & desiderij eligendi vtile, sicut graue, extra centrum existens, prodit in motum deorsum, ablatis impedimentis. Et sicut graue, dum in talem motum prodit, mouetur à generante per se, quod dedit grauitatem, ex qua fertur deorsum, & à remouente prohibens per accidens, indirectè, & occasionaliter. Ita voluntas, dum prodit in illos actus appetitionis boni, & desiderij eligendi vtile, per se mouetur à dante naturam voluntati, ex qua fertur in tales motus; per accidens verò, occasionaliter, & indirectè, à quouis quomodolibet procedit, vt intellectus practicus reducatur in prædictas apprehensiones. Et sicut ad hoc, vt à graui sequatur motus deorsum, requiritur ista dispositio in graui, puta: quod sit extra centrum, & nullum habeat impedimentum. Ita ad hoc, vt à voluntate procedant prædicti naturales motus, requiritur ista dispositio in habente voluntatem, nempè quòd habeat prædictas apprehensiones. Motus enim naturalis voluntatis (vt docet S. Doctor 1.2.q.x. ar.p.ad 2.) sequitur naturam voluntatis, non semper; sed dum est in quadam determinata dispositione: dispositio, autem quantùm ad prædictos motus, alia esse non potest; nisi prædicta. Quare nota verba S. Doctoris.

Explicatur, cur fuerit dictum, per se mouetur à solo Deo.

Tunc voluntas prodit in motus naturales, quando est in quadã determinata dispositione.

2026 5 Argumentum, quod proponit est. *Id, quod est naturale, inest alicui semper, sicut igni esse calidum. Sed nullus motus inest voluntati semper. Ergo nullus motus est naturalis voluntati.*

Probatur egregio testimonio S. Doctoris.

Responsio verò est. *Ad secundum dicendum, quòd in rebus naturalibus naturale, quasi consequens formam tantùm, semper actu inest, sicut calidum igni. Quod autem est naturale sicut consequens materiam, non semper actu inest; sed quandoque secundùm potentiam tantùm. Nã forma est actus: materia verò potentia. Motus autem est actus existentis in potentia: & ideo illa, quæ pertinent ad motum, vel quæ sequuntur motum in rebus naturalibus, non semper insunt. Sicut ignis non semper mouetur sursum; sed quando est extra locum suum. Et similiter non oportet, quòd voluntas, quæ de potentia in actum reducitur, dum aliquid vult, semper actu velit: sed solùm quando est in aliqua dispositione determinata.* Vnde Commentarium Caietani; & ea quæ diximus contra Suarium in defensionem eiusdem Caiet: disp. 3.§.3.à num.49. ad 63.à fol.337.

2027 6 Dixi num. 4. *Intellectus practicus reducitur in illos actus naturales*, &c. vt innuerem, quòd ad hoc, vt voluntas prorumpat in prædictos actus naturales, non sufficit apprehensio illorum principiorum, habita per intellectum speculatiuum, vel speculatiuo modo illa apprehendentẽ, vt sunt in meo intellectu, dum hæc scribo. Ad apprehensionem enim intellectus speculatiui non mouetur appetitus, vt sæpè notauit S. Doctor ex Aristotele. Sed oportet, quòd talis apprehensio fiat ab intellectu practico, seu operatiuo, practicè existimante, appetendum esse bonum, inquirendum esse sibi vtile. Et hìc nota, quòd, sicut intellectus speculatiuus potest moueri ad apprehendendum primum intelligibile, puta, ens (quod est ex sententia S. Thomæ primum cognitum via originis ab intellectu nostro) á quolibet singulari ente, ac per hoc à quolibet singulari ente potest duci in illud primũ principium vniuersalissimum; impossibile est, idem simul esse, & non esse. Ita intellectus practicus, quantùm ad agibilia, seu appetibilia, ducitur in primum appetibile, puta, bonum, à quolibet singulari appetibili: & similiter in illa principia naturalia, & vniuersalissima: *Bonum est appetendum: Malum fugiendum: Vtile eligendum.* Verùm, sicut ratione dispositionis subiecti, non oportet, quòd intellectus, post quam, procedendo de imperfecto ad perfectum, peruenit ad intelligenda plura intelligibilia, ducatur semper ex quolibet ente in primum intelligibile, sed potest peruenire statim ad aliquod medium, absque eo, quòd perueniat ad primum, vt experientia constat. Ita, ratione eiusdem dispositionis subiecti, non oportet, quòd, postquam intellectus practicus peruenit ad apprehendendum plura appetibilia, appetitusque processit ad eadem appetendum, moueatur ex quolibet appetibili occurrente ad apprehendendum primum appetibile, & appetitus ad idem appetendum. Sed potest contingere, quòd mo-

Motus naturales voluntatis sequuntur ad apprehensionem intellectus practici.

Digitized by Google

ueatur statim ad apprehendendum aliquod intermedium bonum, in quod (vel mediatè, vel immediatè) aliàs peruenit ex apprehensione primi appetibilis. Vt etiam constat experientia. Infirmus enim, qui aliàs iudicauit ex discursu consilij, bonum esse acquirere sanitatem, ipsamque elegit, & appetijt, potest, occurrente sibi medico, statim peruenire in illud iudicium, quo iudicat, bonum esse acquirere sanitatem, & ex appetitu sanitatis iudicare conuenire sibi interrogare medicũ de acquirenda salute, idque eligere, & statim petere, vt ipsum obseruet, & exhibeat oportunum remedium, absque eo quòd consideret vltimum finem, prorumpatque in apprehensionem vniuersalissimorum principiorum. Idque secundùm doctrinam S. Thomæ 1. 2. quæst. 1. art. 6. ad 3.

particularis subordinata, ad inducendã voluntatẽ in operationem.

Causa vniuersalis nõ producit effectum, nisi mediante particulari.

2028

Syllogismus rationis practicæ continet, per se loquendo, tres propositiones.

7 Ampliùs recole, quòd syllogismus, seu discursus rationis practicæ, per quem voluntas, se mouet, & determinat ad agendam aliquam actionem hic, & nunc in singulari, continet, per se loquendo, (vt constat ex locis Aristotelis, & D. Thomæ, relatis disp. 1. §. x1. à num. 22. ad 28. à fol. 118.) tres formas apprehensas agibilium, seu tres propositiones principales. Quarum illa, quæ obtinet locum maioris est vniuersalis, & explicat finem, seu rationem finis, siue vltimi, seu vniuersalissimi, vt *bonum est prosequendum*: siue alicuius intermedij, seu finis minùs vniuersalis, vt, *actus virtutis* (siuè temperantiæ, siue continentiæ, &c.) *est prosequendus*. Illæ verò, quæ obtinent locum minoris, & conclusionis, sunt singulares, vt, *sed hic actus hic, & nunc occurrens, est actus virtutis*, puta continentiæ, &c. *Ergo hic actus est prosequendus*. Quia actiones sunt in singularibus. Et diximus, *per se loquendo*; quia per accidens quandoque internenire debent quatuor propositiones, quarum duæ sint vniuersales, vt contingit in syllogismo Continentis, & Incontinentis, sicut patet ex iis, quæ ex doctrina Aristotelis, & S. Thomæ retulimus disp. 3. §. v. num. 25. fol. 350. Et nihilominus syllogismus per se inferens operationem, solùm constat ex tribus, etiam in prædictis, vt constat ex relatis eodem loco.

2029

Maior, & minor syllogismi operatiui se habent, vt causa vniuersalis, & vt causa particularis, eidem vniuersali subordinata, ad inducendum effectum eiusdem particularis.

8 Præterea recole doctrinam Aristo. & D. Thomæ, relatam num. 26. fol. 119. præcedentis loci cit. Videlicet, quòd in syllogismo operabilium eam proportionem habent propositio vniuersalis, & propositiones singulares ad inducendam operationem hic, & nunc in singulari, in quã voluntas seipsam mouet, quam habet causa creata vniuersalis, & causa particularis, eidem vniuersali subordinata, ad inducendum effectum eiusdem particularis. Causa autem vniuersalis creata (vt docet D. Thomas verbis relatis disp. 2. §. 23. num. 69. fol. 278.) non producit effectum causæ particularis, sibi subordinatæ, nisi mediante eadem particulari, per quam influentia causæ vniuersalis transit, determinatur, & applicatur ad effectum eiusdem particularis. Sicut influentia virtutis artis per instrumentum transit, determinatur, & applicatur ad effectum, seu opus, quod fit per ipsum instrumentum, vt ex doctrina Aristot. & D. Thomæ probauimus disp. 2. à §. 8. & deinceps. Vnde, non existente causa particulari, causa vniuersalis quasi quiescit à productione talis effectus: sicut non existente virtute motiua in manibus artificis, virtus artis, quæ est in cõceptionibus intellectualibus eiusdem artificis, quasi quiescit ab illis operibus, quæ ab ipsa per manus fiunt. Causa etiam particularis, non existente sua causa vniuersali, cui in agendo subordinatur, non producit effectum suum. Sicut non existente cœli motu, (vt erit post diem Iudicij) qui est causa vniuersalis omnium alterationum, elementa, quæ eidem motui subordinãtur, vt causæ particulares, nõ habent alterationem. Vnde ignis, quantumcunque perfectus in suo calore, post diem iudicij non calefaciet, vt optimè concludit S. Doctor. Q. V. de Potentia art. 8.

2030

Opinio vniuersalis in syllogismo operatiuo, si non habet sibi subordinatã opinionem singularem quiescit, & non mouet voluntatẽ.

9 Sic ergo (inquiunt Arist. & D. Thomas, relati loc. cit.) res se habet circa propositiones syllogismi operatiui, per quem voluntas, volens finem, seipsam mouet, ad eligendum aliquid propter finem, seu ad aliquid liberè agendum propter eundem finem. Nam maior, scilicet, opinio, seu apprehensio formæ vniuersalis, quæ proponit bonitatem finis, in quem inclinatur voluntas, E.g. (exemplum est S. Thomæ loco cit.) *oportet filium honorare parentes*, se habet vt causa vniuersalis, quæ proponit, vt finem, honorem præstandum parentibus, sic in generali. Vnde, si non habet causam particularem sibi subordinatam, puta minorem, quæ proponat in singulari hic, & nunc, quòd hoc, nunc, oportet, seu conuenit agere ad præstandum honorem parentibus, seu (vt inquit D. Thomas) proponat, quòd *ego sum filius, & hunc honorem debeo nunc exhibere parenti*, non mouet voluntatem ad exhibendum hic, & nunc aliquam actionem in honorem parentum; sed est quiescens à tali motione. Et voluntas sistit in illa affectione, qua inclinatur, vt in finem, ad præstandum honorem parentibus. Estque sicut

Cœlum

Digitized by Google

Cœlum, motum ab intelligentia, cui si deficiat causa inferior particularis, (e. g. semen leonis immissum in leenam) desistit à generatione leonis, & quiescit in illo motu, quo mouetur ab Intelligentia.

2031 10 Minor vero, qua, E.g. dicitur: hic, & nunc, hæc actio est conueniens ad præstandum honorem parentibus, se habet vt causa particularis. Vnde mouet quidem; sed supposita maiori, cui tanquam causæ vniuersali debet subordinari. Et inde est, quòd ratio practica statim ac subordinat minorem maiori sui syllogismi, maior per minorem, subordinantem eidem maiori determinatam materiam, infert conclusionem, & inducit voluntatem in operationem illam singularem, quæ sibi subordinatur per minorem. Et minor quidem (vt diximus) infert conclusionem; sed supposita maiori explicante inclinationem voluntatis in finem, in cuius virtute ratio mouet, ad appetenda ea, quæ per minorem hic, & nunc subordinantur fini, dum apprehenduntur esse hic, & nunc conuenientia fini. Si autem apprehensio illa, quæ habetur per minorem, non subordinaretur maiori, proponenti appetitum finis, nec conclusionem inferret, nec operationem induceret. Esset que sicut causa inferior, cui deficit influētia superioris causæ. Et inde est, quòd ille, qui non desiderat sanitatem (quia fortè ei placet infirmitas) ac per hoc non habet in suo intellectu practico istud principium: *mihi agendum est id, quod conuenit sanitati*, quantumcunque apprehendat, aliquid esse conueniens sanitati, non mouetur ad illud agendum, vel eligendum. Inde est etiam, quòd ille, qui laborat vitio insensibilitatis circa delectationes venereas; ac per hoc non habet in suo intellectu practico istam apprehēsionem vniuersalem: actus venereus est delectabilis, & appetendus secundùm mensuram rationis; quantumcunque offeratur ei, hic, & nunc, actus venereus secundùm mensuram rationis, explicenturque minutiæ delectationis actus, non mouetur ad illum agrediendum, vel eligendum: sed potius mouetur ad fugam. Sicut, qui laborat vitio inappetentiæ, per hoc, quòd ei offertur cibus delitiosus, expliceturque eius delectabilitas, non prouocatur ad comedendum; sed mouetur ad nauseam.

Opinio singularis mouet voluntatem; sed vt subordinata vniuersali.

2032 11 Vlterius considerandum est, quòd voluntas in suo motu naturali habet duos terminos oppositos, puta: malum, & bonum. Naturaliter enim declinat à malo, & inclinatur in bonum. Vnde declinari à malo, sic in generali, & inclinari in bonum, sic in generali, non sunt duo motus contrarij: sed duo motus ordinati, qui reputari possunt veluti vnus motus naturalis. Sicut (suo tamen seruato discrimine) recedere à termino à quo, & accedere ad terminum ad quem, non sunt duo motus contrarij. Ex quo est, quòd apprehensio boni in communi, & apprehensio mali in communi, non repugnant esse simul in intellectu practico: sicut non repugnant esse simul in voluntate illi duo motus, quorum vno declinat à malo, & altero inclinatur in bonum. Verùm, sicut aliquid accedere ad aliquem determinatum locum, suæ naturæ conuenientem, & idem recedere ab eodem loco, sunt motus contrarij: sicut in graui accedere ad centrum, & recedere à centro sunt motus contrarij: ita voluntatem inclinari in aliquid determinatum, vt in bonum, & ab eodem declinare, vt à malo, sunt motus contrarij. Et inde est, quòd voluntas, inquantùm per formam apprehensam boni, & ex inclinatione, & appetitu, quem habet in bonum, inclinat seipsam in aliquod singulare, vt in bonum, & conueniens suo appetitui naturali, se habet, vt mouens contrarium ei, quòd gerit; dum per formam mali, & ex motu illo, quo declinat à malo, declinat seipsam ab eodem singulari, vt à malo. Nam sicut forma apprehensa boni, & forma apprehensa mali sunt contrariæ; non quidem, quantùm ad hoc, quòd simul apprehendantur ab eodem intellectu; sed quantùm ad hoc, quòd conueniant simul, & secundùm eandem rationem eidem singulari: ita mouens per formam boni, & mouens per formam mali, sunt contraria, & opposita, quatenus per easdem formas habent inducere contrarios motus circa idem singulare, hic, & nunc, &c.

Voluntas gerit vicē oppositorū agentium ratione formę apprehensæ boni, & formæ apprehensæ mali

2033 12 Amplius considerandum est, quòd principia rationis practicæ, quædam sunt naturalia, & vniuersalissima, spectantia ad naturalem habitum synderesis, vt, *Bonum est prosequendum: Malum fugiendum: Melius eligendum*. Et hæc sunt eadem in omnibus, vt potè per se nota, & explicantia affectiones naturales, & necessarias, quantùm ad specificationem actus. Nullus enim prosequitur miseriam, aut fugit bonum, aut desiderat eligere, quod est peius. Et licet humilis quandoque ex industria eligat, quod sibi videtur materialiter peius: hoc tamen sibi videtur melius, puta eligere, quod est materialiter deterius: vnde illud eligit sub ratione melioris. Ratio enim obiecti motus naturalis voluntatis imbibitur in omnibus actibus liberis. Vnde omnia appetimus sub ratione boni, & fugimus sub ratione mali, ac eli-

Principia rationis practicæ, quę dicuntur naturalia, & eadem apud omnes.

Digitized by Google

ac eligimus sub ratione melioris. Et ad hoc propositum considera verba S. Doctoris, explicantis Aristotelem, relata disp. 2. §. xi. num. 23. fol. 118. nempè: *Manifestum est enim, quòd homo, imitatur, ideſt, desiderat, id, quod est magis in bonitate, & id, quod est melius.*

2034 13 Quædam verò sunt minus vniuersalia, & acquisita. Et hæc tam in eodem diuersis temporibus, quam in diuersis eodem tempore, possunt esse diuersa, & contraria. Sunt enim hæc acquisita ex doctrina, exemplo, discursu proprio, & assuetudine, sicut acquiruntur habitus morales, siue boni, siue mali. Porrò habitus morales sunt quædam dispositiones firmatæ ex frequentatis actibus, in quos voluntas mouetur determinata, & inclinata ad vnum, per propriæ rationis iudicium, vt habes ex S. Thoma, relato disp. 1. §. 9. num. 5. fol. 107. Vnde sunt (vt eodem loco infert ipse S. Doctor) quædam dispositiones superinductæ, seu habituales inclinationes, tendentes per modum naturæ in id, quod quis consueuit: propter quod solet dici, quòd *consuetudo est altera natura.* Et ita tendunt in rem consuetam, vt in finem sibi proprium. Et inde est, quòd in intellectu practico habentis aliquem moralem habitum, correspõdet quædam existimatio, qua res consueta existimatur bona, tanquam finis, in quem naturaliter tendit ipse habitus. Quia *qualis vnusquisque est, talis & finis videtur ei*, vt habet Aristoteles 3. Ethi. apud D. Thomam lec. 13. in principio, quem ipsemet S. D. frequentissimè citat, vt q. 6. de Malo in corp. ar. vnici circa finem, & q. V. de Virtutibus ar. 2. in corp. & alibi sæpè. Et inde est, quòd Auaro apparet esse bonum absolutè, & non considerato ordine rationis, augere, & conseruare pecuniam: Liberali videtur bonum, eam rationabiliter dispensare: Magnifico videtur bonum, eam erogare sumptuosè, & sblendidè, secundùm magnitudinem sui status: Et Prodigo videtur bonum, eam in paruis occasionibus paruipendere, & prodigere. Ex quo est, quòd sicut sunt contrarij habitus morales, ita correspondent eis contrarij fines, & contrariæ existimationes in intellectu practico, quibus apparet, esse bonum id, quod est finis cuiuslibet habitus.

2035 14 Et idem accidit in illis, qui validè afficiuntur passionibus apperitus sensitiui. Passiones enim, licèt debiliores sint ad inclinandam voluntatem, quàm habitus acquisiti ex frequentatis actibus eiusdem voluntatis (vt optimè aduertit S. Doctor loc. cit ex q. 6. de Malo) attamen (vt hoc eodem loco, & alibi sæpè, docet ex Aristotele ipse S. D.) existens in aliqua passione, qualis ipse est per passionem, talis & finis videtur ei. Et inde est, quòd quandoque feruescente passione apparet bonum, quod, ea mitescente, existimatur malum. Sicut famelico apparet bonum, comedere, quod habenti nauseam apparet malum. Idque est experientia manifestum. Quare nota verba S. D. enumerantis modos, quibus solet occurrere, quòd voluntas feratur in id, quod sibi occurrit, secundùm vnam rationem potiùs, quàm secundùm aliam. Sic enim habet circa finem corp. q. 6. citatæ.

2036 15 *Quòd voluntas feratur in id, quod sibi offertur, magis secundùm hanc particularem conditionem, quam secundùm aliam, potest contingere tripliciter. Vno quidem modo, inquantùm vna præponderat; & tunc mouetur voluntas secundùm rationem, puta, cùm homo præeligit id, quod est vtile sanitati; eò quod est vtile voluptati. Alio modo, inquantùm cogitat de vna particulari circumstantia, & non de alia: & hoc contingit plerunque per aliquam occasionem exhibitam, vel ab exteriori, vel ab interiori, vt ei talis cogitatio occurrat. Tertio verò modo, contingit ex dispositione hominis. Quia secundùm Philosophum, qualis vnusquisque est, talis finis videtur ei. Vnde aliter mouetur ad aliquid voluntas irati, & voluntas quieti: quia non idem est conueniens vtrique. Sicut etiam aliter acceptatur cibus à sano, & ægro. Si ergo dispositio, per quam alicui videtur aliquid bonum, & conueniens, fuerit necessaria, & non subiacens voluntati, ex necessitate naturali voluntas præeligit illud, sicut omnes homines naturaliter desiderant esse, viuere, & intelligere. Si autem sit talis dispositio, quæ non sit naturalis; sed subiacens voluntati, puta, cùm aliquis disponitur per habitum, vel passionem ad hoc, quòd sibi videatur aliquid, vel bonum, vel malum in hoc particulari, non ex necessitate mouetur voluntas: quia poterit hanc dispositionem remouere, vt sibi non videatur aliquid sic: vt scilicet, cum aliquis quietat in se iram, vt non iudicet de aliquo tanquam iratus. Facilius tamen remouetur passio quàm habitus.*

2037 16 Ampliùs considerari debet, quòd secundùm diuersitatem nationum, statuũ, professionum, affectionum, condionum, consuetudinum, & similium, diuersimodè aliqua existimantur bona, vel mala, conuenientia, vel disconuenientia. Et inde diuersi, diuersa accipiunt principia agẽdorum, quæ in syllogismo agendorum assumũt, vt indubitata, & vt minimè in dubium ampliùs reuocanda. Explicemus hoc exemplis. Sunt aliquæ nationes, quæ nudæ incedunt: Vnde siue fœminæ, siue masculi non existimant malum, incouenies, & inuerecundum in die per plateas videri

Quædam sunt acquisita, & diuersa, & opposita in diuersis, & in eodem diuersis temporibus.

Habenti habitũ apparet esse bonũ, quod est finis habitus.

Idem accidit in habentibus passionem.

Verba Sancti Doctoris explicantis, vnde prouenit, quòd aliquid appetatur secundum hanc, & non illam rationem.

Enumerãtur quædã capita, ex quibus solent accipi principia agendorũ, vt indubitata.

Digitized by Google

videri nudas. In noſtris autem regionibus exiſtimatur hoc magnum malum, & inconueniens. Inde accipiunt, vt indubitatum principium. In die non eſſe incedendum ſine veſtibus per plateas: eius oppoſitum principium habent, qui nudi incedunt. Amplius in noſtris regionibus nobiles, & primates exiſtimant ſibi malum, & inconueniens commorari in tabernis ad comedendum, & ludendum. At vero vilibus operibus dediti non exiſtimant inconueniens, comedere, bibere, & digitorum ſorte ludere, pro calice bibendo, in tabernis. Præterea Principes, qui profitentur eſſe militiæ proceres, exiſtimant ſibi bonum, & conueniens, quòd exiſtimentur ab alijs ſuæ profeſſionis fortes, magnanimi, terribiles, impauidi, experti in armis &c. Malum verò, & inconueniens, quòd exiſtimentur imbecilles, pauidi, inexperti, &c. Et inde, quia, qui non acceptat bellum oblatum à pari, exiſtentibus paribus alijs circumſtantijs, exiſtimatur ab alijs ſuæ profeſſionis pauidus, vilis, &c. accipit vt principium indubitatum, bellum oblatum à pari &c. acceptãdum eſſe. At vero illi, qui prædictæ profeſſionis non ſunt, nec exiſtimant bonum, ſic videri ab hominibus, & exiſtimant malum exponere ſe periculo vitæ, & damnationis æternæ, ac incurrere pœnas perpetuæ infamiæ, excommunicationis &c. oppoſitum principium concipiunt, nempè, non eſſe acceptandum bellum &c. Ampliùs Iudeus, ex profeſſione ſuæ legis, exiſtimat bonum circuncidere filium octauo Die. Inde accipit, vt principium indubitatum. Puer circuncidendus eſt octauo Die. At vero Chriſtianus exiſtimat bonum, baptizare filium quàm primùm. Milites etiam ex profeſſione militiæ exiſtimant bonum obedire Duci ſecundùm ſigna ab eo ſibi data. Vnde accipiunt, vt principia indubitata, ad tale ſignum agrediendi ſunt hoſtes: ad hoc aliud arma deponenda &c. Et ſic in multis alijs.

2038 17 His conſideratis, facile eſt oſtendere euidentibus exemplis, in praxi occurrentibus illa tria, quæ in calce præcedentis §. propoſuimus.

Exemplũ, quo manifeſtatur primum. Primum quidem, puta, quòd agens liberum poteſt gerere vicem oppoſitorum agentium, ſeipſumque, vt gerit vicem vnius, impedire, prout gerit vicem alterius, apparet ſequenti exemplo. Pone Titium inuigilantem ad decentiam ſui ſtatus, cui in loco opportuno occurrat mulier pulchra, & deſiderabilis, offerens ſe illi, vt ea fruatur. Sed ille veniens in recognitionem ſui ſtatus, & iniuriæ, quam ſibi, propriæ vxori nobili, & Deo faceret, ſi alienæ ſuum corpus traderet, ſic diſcurreret. Nullum, quod eſt mihi malum, & inconueniens eſt proſequendum. Sed conſentire me huic mulieri eſt mihi malum, vt pote indecens meo ſtatui, fidelitati, quam debeo meæ vxori, & Deo. Ergo mihi non eſt conſentiendum &c. Et ſic reſponderet. Vade à me, non ſum ego tam vilis, quòd poſſim meo ſtatui, vxori, & Deo talem iniuriam facere. Et quantùm ad hoc accipe pro exemplo factum S. Ioſeph Gen. 39. qui dominæ ſuæ eum prouocanti ad dormiendum ſecum, non acquieuit, ſed *dixit ad eam, Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua: nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es. Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* Itaque, muliere ſe offerente ad actus delectabiles, venit in mentem S. Ioſephi malum, ſcilicet iniuria, infidelitas, ingratitudo, quam haberet in dominum ſuum: ac etiam offenſa, quam faceret Deo: & ſic videtur diſcurriſſe. Nullum, quod eſt mihi malum, & indecens, eſt proſequendum, ſeu, omne, quod eſt mihi malum, & indecens, eſt mihi fugiendum. Sed conſentire hic, & nunc huic mulieri eſt mihi malum, & indecens, vt pote quia ſic eſſem infidelis, proditor, & ingratus domino meo, ac offenſor diuinæ maieſtatis: ergo mihi non eſt conſentiendum; ſed fugiendum &c. Et per hunc diſcurſum intulit ſe in actum fugæ. Vnde *nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam; quomodo poſſum hoc malum facere?* &c.

Pone deinde alium, vel eundem Titium non inuigilantem ad ea, quæ ſunt rectæ rationis, ſed ad ea, quæ ſunt delectabilia ſenſui; ac per hoc, dum ei mulier ſe offert ad delectabilia ſenſui, non veniat in mentem dignitas proprij ſtatus, &c. Sed delectabilitas actus oblati, ex inopinata, & (vt ipſe exiſtimat) fœlici fortuna, ſibi conceſſi. Ideoque ſic diſcurrat: Omne delectabile bonum eſt acceptandũ; ſed actus hic, & nunc mihi oblatus, eſt bonum mihi delectabile, ergo eſt acceptandus. Et per hunc diſcurſum ſe impellat ad conſentiendum mulieri.

18 Iam enim vides, quòd voluntas Titij, ſe mouens, & determinans ad actionem ſingularem, hic, & nunc, ſibi occurrentem, per diuerſos diſcurſus rationis practicæ, gerit vicem oppoſitorum agentium, inquantùm ſe mouet per oppoſitas formas apprehenſas. Nam per alterum diſcurſum ſe mouet per formam apprehenſam mali ad fugam: per alterum verò, per formam apprehenſam boni ad proſe-

2039 *Applicatur exemplum ad propoſitũ.*

Digitized by Google

prosecutionem eiusdem actus oblati. Amplius, dum in eodem actu singulari oblato considerat illas rationes, secundùm quas, operari talem actum, est ipsi operanti disconueniens, & malum, & inde subordinat actionem sub forma mali; iam suo modo non dat locum, ac per hoc impedimentum præstat illi apprehensioni, qua, consideratis illis rationibus, sub quibus haberet rationem boni, veniret subordinanda bono apprehenso. Et inde est, quòd sicut consideratio malitiæ actionis impedit, ne talis actio subsumatur sub forma apprehensa boni: ita etiam impedit formam boni, ne procedat ad mouendam voluntatem ad prosecutionem actionis. Et ex consequenti voluntas, quæ per talem apprehensionem malitiæ habet rationem oppositi mouentis, præstat etiam impedimentum sibi ipsi (aliquo modo impropria est hæc locutio) ne per formam apprehensam boni, secundùm quam habet rationem alterius oppositi mouentis, se moueat ad prosecutionem actionis.

2040 19 Apparet hoc euidentiùs, si supponamus, Titium (qui per hunc posteriorem discursum se reduxit in actum consensus) animaduertere, dum appropinquat mulieri, eam habere defectum prouocantem ad nauseam, vel indicantem eam laborare morbo gallico, vel in proxima camera esse aliquos, vnde suspicatur sibi imminere proditionem ad mortem: vel etiam tunc, in se reuersum, recognoscere iniuriam, quam suæ nobilitati, propriæ vxori, consanguineis mulieris, & Deo faceret, si ad consumationem actus perueniret. Ex quo esset, quòd per primum discursum ex consideratione mali, & inconuenientis se moueret ad fugam. In hoc enim casu euidenter apparet, quòd voluntas per considerationem malorum, quibus coniungitur actio exercenda; ac etiam per discursum, quo per formam mali se moueret ad fugam, præstaret impedimentum sibi, ne perueniret ad consumationem illius actus, in quem à se ipsa induceretur; nisi sibi ipsi impedimentum præstaret, sibique resisteret per dictam considerationem malorum, dictumque discursum.

Exemplũ intentum magis explicans.

2041 20 Et inde apparet veritas doctrinæ S. Thomæ, à nobis relatæ §. 4 huius disp. nu. 20. fol. 496. qua docet, voluntatem posse impedimentum præstare illi causæ, quæ facit ipsam determinatè aliquid velle, seu, quæ ipsam determinatè mouet, seu determinat ad vnum, vel *remouendo illam considerationem, quæ inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet, quòd hoc, quod proponitur, vt bonum, secundùm aliquid non est bonum*. Id enim contingit, vt proposuimus in prædictis exemplis. Causa enim, quæ facit, voluntatem determinatè aliquid velle, seu quæ voluntatem mouet determinatè ad vnum, est forma apprehensa de singulari operabili per iudicium deliberatum, seu conclusum per syllogismum consilij, vt demonstrauimus disp. 2. §. 22. à num. 4 à fol. 253. huic autem causæ præstat impedimentum voluntas, se absentando ab illa consideratione, qua inducitur ad motum, vel diuertendo considerationem ad alia, vel ad oppositas rationes.

Apparet veritas doctrinæ D. Thomæ ex prædictis.

2042 21 Dixi in calce num. 18. quòd *impropria est locutio*, qua diximus: *voluntas præstat impedimentum sibi ipsi*, &c. Quia propriè loquendo, impedimentum, & resistentiam habet aliquid ab eo, quod est à se distinctum, seu diuersum; non autem à seipso. Vnde, sicut magis propriè loquimur, cùm dicimus: homo per rationem resistit, & impedimentum præstat sensualitati, vel sensualitas resistit, & impedimentum præstat rationi, secundùm illud Apost. Roman. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, quàm cùm dicimus: homo, secundùm quòd agit per sensualitatem, resistit sibi ipsi, secundùm quòd agit per rationem: licèt hoc etiam sit verum; minùs tamen propriè loquendo. Ita in proposito magis propriè loquimur, cùm dicimus: voluntas resistit, & impedimentum præstat vni apprehensioni, seu considerationi obiecti per oppositam apprehensionem, vel per applicationem cogitationis ad alia: & vna apprehensio resistit, præstatque impedimentum aliæ apprehensioni; quàm cùm dicimus: voluntas, prout mouet per vnam apprehensionem resistit sibi ipsi, prout mouet per aliam. Sed explicemus in praxi secundùm, ex quo hoc primum constabit euidentiùs.

Ratio, cur dictum sit, locutionẽ esse impropriam.

§. IX.

Exemplis ad sensum manifestis, in praxi occurrentibus. ac etiam ratione ex S. Thoma desumpta, manifestatur, qualiter, dari possit aliqua dispositio causarum in ordine ad actum futurum voluntatis, ex qua, supposito, quòd prædictæ causæ non sint impediendæ, possit esse infallibile, quòd voluntas procedet in determinatum actum liberum.

2043 1 SVpponimus doctrinam Aristotelis, & Angelici Præceptoris. puta, quòd ad iudicium, quo aliquid hìc, & nunc in singulari iudicatur conueni-

Ad iudicium singularis a-

Digitized by Google

gibbonie & nunc, sequitur actus appetitus cōformis iudicio.

ueniens, vel nociuum fini volito, sequitur per sequelam physicè necessariam actus voluntatis liber prosecutionis, vel fugæ, conformis iudicio. Et quantùm ad hoc vide, quæ aduersus Suarium diximus, adductis locis Aristotelis, & D. Thomæ, disp. 3. §. 3. a num. 5. ad 17. à fol. 326. & quæ diffusè scripsimus disp. 2. à §. 22. ad 24. à fol. 253. ad 284. quibus adde alia dicta disp. 3. toto puncto secundo à fol. 450. ad 474. vbi quatuor rationibus, quas censemus demonstratiuas, probauimus, actum imperij, seu iudicij practici inferentis voluntatem in actum, esse necessarium libertati eiusdem actus.

2044

Fundamētalis ratio nostri dicti.

2 His, & alijs adnotatis præcedenti §. suppositis, facile est ostēdere primū, nempè: dari circa volūtatem dispositionē causarum, quibus positis, & non impeditis, siue non impediendis, voluntas infallibiliter liberè faciet hoc, & non illud determinatè. Et ratio est; quia datur talis causarum dispositio in ratione practica volentis aliquem specialem finem, secundùm quam (si prædictæ causæ non impediantur) ratio practica infallibiliter iudicabit actionem in singulari in tali nunc, sibi occurrendam, esse conuenientem fini volito, eiusque omissionem esse eidem fini nociuam: vel è contra. Ex hoc autem, & ex præcedenti suppositio iam habetur hoc, quod intendimus.

2045

Experientia & ratione probatur.

3 Idque euidenti ratione demonstratur, & manifesta experientia conuincitur in omnibus ferè actionibus humani conuictus. Considera, quòd parentes catholici, nato sibi filio, & nullo existente impedimento, prorumpent in iudicium, quo in singulari tali tempore, & loco, iudicabunt sibi conueniens, procurare, vt suus filius baptizetur: & ex hoc iudicio inducentur ad volendum, & agendum liberè hoc ipsum, quod iudicabunt sibi cōuenire. Oportet ergo, quòd in omnibus istis detur aliqua causa, seu causarum dispositio, ex qua per se procedat, quòd omnes in tale iudicium prorumpent. Experimur enim, quòd omnes parentes, huius religionis professores, ad prædictum articulum peruenientes, in prædictum iudicium prorumpent, si nullum adsit impedimentum: & quòd, non existente impedimento, nullus alterius religionis, vt Iudeus, Turca, &c. in prædictum iudicium prorumpet. Oportet ergo quòd isti habeant, & illi careant aliqua causa, seu causarum dispositione, ex qua per se procedat, quòd isti, qui talem causam habent, & non illi, qui ea carent, prorumpent in prædictum iudicium. Non enim potest dici, quòd totum hoc sit à casu, & non ab aliqua causa per se. Quod enim inuenitur, vel non inuenitur, vt in pluribus, non est à casu, cui conuenit esse, vel non esse, vt in paucioribus; sed ab aliqua causa per se, cui per accidens, & à casu potest accidere impedimentum, vt per se constat. Amplius oportet, quòd talis causa, seu causarum dispositio, pertineat ad religionem catholicam. Nam parentes, qui eam non habent, vt Turcæ, Iudei, &c. in tale iudicium, vt in pluribus, non prorumpent: qui verò eam habent, vt in pluribus, in illud prorumpent: & non prorumperent, si eam non haberent.

2046

Dispositio causarum, ad quam non impeditam sequitur determinatus actus voluntatis, manifestatur.

4 Hæc autem causarū dispositio primordialiter alia esse non potest; nisi hæc, quam in quolibet parente catholico esse experimur. Ex vna enim parte catholici intendunt, vt finem, viuere catholicè: Et ex alia, qui sunt coniugati, habent istud iudicium vniuersale, seu scientiam practicam, nempe: oportet catholicè viuentes curare, vt sibi nati filij baptizentur quàm primùm. Ex his autem principijs, seu causis non impeditis, seu non impediendis, oportet, quòd catholicus aduertens, nato sibi filio, se tunc esse parentem, & illum filium, deueniat in iudicium singulare, quo tunc iudicabit, sibi conueniens esse, vt tunc procuret, natum sibi filium baptizari. Siquidem, si hæc ponantur simul, nempe, quòd quis intendat, vt finem, viuere catholicè: & quòd iudicet, parentes catholicè viuentes oportere curare, natum sibi filium baptizari quàm primum: & aduertat se esse hic & nunc parentem, & habere tunc natum filium: & insuper supponerentur, hæc omnia nullum habere impedimentum (quale haberent si prædictis apprehensionibus adiungeretur hæc alia, vel similis apprehensio, puta, quòd, si filium baptizaret, incideret in mortem, sibi minatam ab hostibus fidei, vel amitteret, substantiam, &c.) infallibiliter suo discursu concludet, se tunc oportere curare, vt hic suus filius baptizetur: & prædicto iudicio deliberato inducetur, ad liberè volendum, & agendum istud ipsum, quod tunc, & tali loco, iudicabit esse sibi, vt catholico, conueniens velle, & agere.

2047

Ratio secundæ experientiæ, dispositioque causarum.

5 Et inde habes, vnde scias, quòd, si princeps, vel alius nobilis (si tamen apprehensiones, & affectiones, quibus suas actiones regit, supponerentur nullum habitutas impedimentum) inuitaretur à nebulonibus ad ludendum secum digitorum sorte in tabernis, responsurus esset infallibiliter negatiuè, prouocandusque esset, vel ad iram, vel ad risum. Ratio est; quia, ex vna parte principes, & nobiles

Digitized by Google

habent affectum, quo intendunt, vt finem decentiam sui status: & ex alia, habent apprehensionem vniuersalem, qua iudicant esse suo statui indecens, & disconueniens, seu nociuum, admiscere se nebulonibus ad ludendum digitorum sorte in tabernis: esseque sibi iniurioſum, talem existimari à prædictis, quòd sibi possit conuenire ludus sortis digitorum cum ipsis. Ex his autem principijs, seu causis. (si supponuntur non impeditæ) nobilis est sic dispositus, vt, dato casu singulari, qui sub prædictis causis continetur, infallibiliter deliberabit, seu suo discursu practico concludet, quòd tunc in singulari actu sit sibi indecens, & suo statui nociuum ludere digitorum sorte cum nebulonibus: Et quòd prædicti prouocantes ad ludum, vel sint increpandi de temeritate, si hanc in illis aduertit, vel contemnendi tamquam simplices &c. Et inde ex hoc iudicio deliberato per consequentiã physicè necessariam inducetur ad volendum, & agendum hoc ipsum, quod sibi, vt tunc, iudicabit esse conueniens.

secunda experientiæ.

2048

Prædicta causarum dispositio qualiter impediri possit.

6 Diximus, *ex his causis, si supponerentur non impeditæ*; quia posset prædictis apprehensionibus adiungi apprehensio impediens, ex qua induceretur ad ludendum cum nebulonibus sorte digitorum. Qualis esset, si nobilis aduerteret se ab inimicis inquiri ad mortem, apprehenderetq; se fieri incognitum inimicis, si dictis nebulonibus ad ludendum se adiungeret. Hæc enim apprehensio, seu deliberatio, impediret priores apprehensiones, ne deuenirent ad concludendum, non esse sibi tunc ludendum cum prædictis: induceretque nobilem ad concludendum oppositum, nempe, tunc esse cum illis ludendum, ad faciendum se incognitum inimicis per illas actiones indignas suæ nobilitati. Sicut legimus de S. Rege Dauid, primo lib. Regum cap. 21. num. 13. qui (ne deprehenderetur esse, qui erat) à ministris Regis Achis captus, *immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam.* Et sic per dictas actiones, consuetas inueniri in hominibus insanis & stolidis suæque personæ indignas, reddidit se incognitum Regi Achis; ac per hoc, *Ait Achis ad seruos suos: vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret coram me?* &c. Et ita euasit incognitus, fuitque dimissus.

Exemplum ad propositum ex lib. 1. Regum. cap. 21.

2049

Dispositio causarum, & ratio

7 Amplius habes rationem, ob quam principes, & alij nobiles equites, si prouocabuntur à pari ad singulare certamen, vt plurimùm iudicabunt sibi conuenire, tunc acceptare illud, saltem externa specie: immo etiam (vt passim experimur) iudicabunt sibi hoc conuenire, non obstantibus regijs, ecclesiasticisque legibus, id illis arduis pœnis prohibentibus, & inde ex tali iudicio inducentur ad acceptandum duellum, prædictis legibus non obstantibus. Ratio est, quia per principia, & causas, ex quibus practicè discurrunt de agendis à se, sunt sic dispositi, vt si prædictæ causæ, seu principia non impedientur (quod rarò contingit) infallibiliter concludent: sibi conuenire tunc, quando illi offertur, acceptare duellum. Porrò isti ex vna parte existimant esse bonum sibi conueniens, agere vitam boni equitis, ac per hoc amant, vt finem proprium sui status, excellentiam, quæ est in bono equite. Ex alia vero parte, habent proprias leges, seu apprehensiones vniuersales, ab ipsismet inuentas, quibus explicant rationes spectantes ad bonum equitem, quas apprehensiones ipsi appellant rationes status, vulgò, *raggioni di stato*, quibus deinde vtuntur tamquam regulis, & principijs ad decidendum: An hoc, vel illud, hic, & nunc, sibi conueniat agere, vel non agere. Ex suppositione autem, quòd aliquis talis habebit prædictum appetitum finis non impediendum; ac etiam ex suppositione, quòd nulla occurret apprehensio validior ad impediendum illas apprehensiones vniuersales spectantes ad rationem talis finis, ne procedant in casu singulari de oblato duello ad concludendum, quod conuenit tali fini; infallibiliter concludet sibi conuenire acceptare duellum: & ex tali iudicio inducetur ad illud acceptandum. Amplius dicti nobiles equites prædictas regulas, seu apprehensiones vniuersales de agendis, sibi conuenientibus tamquam equitibus, approbant, & intendunt sibi conuenire, non obstantibus prohibitionibus regijs, & ecclesiasticis. Vnde gloriantur, tanquam de benè facto, de obseruatis legibus duelli, & existimant se fecisse id, quod, vt bono equiti, sibi conuenit, etiam si in duello non vincant; idque non obstantibus dictis legibus prohibentibus. Et inde est, quòd in casu singulari occurrente, qui hic, & nunc offertur, vt subest apprehensionibus à se excogitatis de bono equite, infallibiliter concludunt, quòd non obstantibus prohibitionibus, sibi acceptandum est tunc duellum.

2050

Non impediuntur equites ab acceptan-

8 Et inde est, quòd istæ apprehensiones, seu deliberationes, quibus iudicant, duellum esse contra leges regias, contra ecclesiasticas, habere coniunctas pœnas, esse peccatum &c. (etiamsi eas actu cogitent,

Digitized by Google

do duello, per hoc, quod iudicant esse contra leges, &c.

gitent, dum prouocantur ad duellum) non impediunt eos, quin duellum acceptent; nec eos reuocant ab acceptato. Ratio est, quia illas apprehensiones vniuersales, seu regulas spectantes ad bonum equitem, ex quibus deducunt in casu singulari, sibi conuenire, tunc acceptare duellum, conceperunt, & approbarunt; non obstantibus in contrarium legibus regijs &c.

2051

Ratio est, quia occlu serunt viã impedimẽtis.

9 Et inde etiam est, quòd rarò, & ferè nunquam continget, equites, sic dispositos, impediri, ne acceptent externa specie duellum oblatum. Ratio est, quia ipsimet per leges à se excogitatas, de statu equitum occluserunt viam ferè omnibus apprehensionibus, quibus possent impediri, ne duellum acceptarent in illis casibus, quibus ex suis regulis deducunt, sibi conuenire, acceptare duellum. Quare ad hoc, vt aliquis talis impediretur, ne offerendum sibi duellum à pari, & proportionato tempore, acceptaret externa specie, oporteret, vt ipse desisteret ab illo affectu viuendi secundùm mundanam excellentiam boni equitis; & ex consequenti desisteret, se gubernare per discursum, procedentem ex regulis excogitatis ex ratione talis finis, puta boni equitis. Ad hoc autem, vt ipse desisteret à prædicto affectu, oporteret, quòd ex aliquo superiori, & vniuersaliori principio deueniret in istam deliberationem, qua cõcludendo apprehenderet, esse sibi malum, & nociuum, velle gerere vitam secundùm mundanam excellentiam boni equitis: & hæc esset apprehensio impediens talem, ne acceptaret duellum. Nam prædicta apprehensio, seu deliberatio, excluderet, & suo modo extingueret illum affectum, quem eques habet ad gerendam vitam secundùm mundanam excellentiam boni equitis, prædictus autem affectus est veluti primum principium, ex quo deducitur ad concludendum sibi conuenire acceptare duellum. Vnde sicut aqua, infusa igni, impedit ignem ne comburat, extinguendo formam ignis, quæ est principiũ comburendi: ita prædicta apprehensio impedit equitem, ne deueniat ad acceptandum duellum, extinguendo in eo principium, vnde deducitur ad acceptandum. Sed veniamus ad expressiorem doctrinam S. Thomæ.

Apprehẽsio impedies equites ab acceptando duello, quæ esset.

2052

Quæ doctrina S. Thomæ cõgruit prædictis experientijs.

10 Nam, & prædictis experientijs, & rationibus pro eis à nobis adductis, congruit doctrina ipsius, qua sæpè docet, quòd habens aliquem habitum (siue virtutis, siue vitij) ex quo habet iam in sua electione habitualiter proximum finem, in quem tendit habitus, est sic per habitum dispositus, quòd si ei occurrit aliquid, quod secundùm suum iudicium est conueniens fini talis habitus, statim per deliberatam electionem fertur in illud, si ex aliqua maiori deliberatione, tunc sibi occurrente, non impediatur. Et ex hac doctrina deinde deducit, quòd, quia, ex vna parte, homo in peccato mortali existens est habitualiter auersus à Deo, & cõuersus ad creaturam, seu bonum proprium; & ex alia, sit impossibile, (attento ordinario rerum cursu, quem experimur) ista duo simul inueniri, nempe, quòd per longum tempus non occurrat homini sic dispositio aliquid, quod est conueniens prædicto fini, puta bono proprio, & repugnans bono diuino: & simul quòd per longum tempus, in quolibet occursu talis conuenientis ad finem, occurrat ei maior deliberatio, & aduertentia impediens eum, & refrenans ab impetu, quem habet ex habituali conuersione ad bonũ proprium, neglecto bono diuino: ideo est impossibile, quòd homo, in peccato mortali existens, vitet omnia peccata mortalia per longum tempus, licèt possit vitare singula. Quare nota, & expende singula discursus S. Doctoris, quo prædicta docet, q. 24. de Veritate art. 12. in corp. sic enim habet.

2053

Referũtur verba S. Thomæ ad propositã.

11 *Alio modo contingit aliquid in nobis, quasi repentè, ex inclinatione habitus. Vt enim Philosophus dicit in 3. Ethic. Fortioris est, in repentinis timoribus impauidum, & imperturbatum esse, quàm in præmanifestis. Ab habitu enim est magis operatio, quantò minùs est ex præmeditatione. Præmanifesta enim, idest, præcognita, aliquis præeliget ex ratione, & cognitione, sine habitu: sed repentina sunt secundùm habitum. Nec hoc est intelligendum, quòd operatio secundùm habitum virtutis* (& idem est de habitu vitij) *possit esse omninò absque deliberatione: cùm virtus sit habitus electiuus; sed quia habenti habitum* (nota) *est in eius electione finis determinatus. Vnde quandocunque aliquid occurrit, vt conueniens illi fini, statim eligitur, nisi aliqua attentiori, & maiori deliberatione impediatur* (notasti? sequitur.) *Homo autem, qui est in peccato mortali, habitualiter peccato inhæret. Quamuis enim non semper habeat habitum vitij; quia ex vno actu luxuriæ habitus non generatur: voluntas tamen peccantis, derelicto incommutabili bono, bono commutabili, quasi fini adhæsit. Et huiusmodi adhæsionis vis, & inclinatio in ea manet, quousque iteratò bono incommutabili, quasi fini, inhæreat. Et ideo, quando homini, sic dispositio* (nota sequentia) *occurrit aliquid faciendum, quod præcedenti inclinationi conueniat, repentè fertur in illud per electionem; nisi multa deliberatione seipsum cohibeat.* (notasti? sequitur)

Digitized by Google

Nec tamen per hoc, quòd sic repentè illud eligit, à peccato excusatur, quòd aliqua deliberatione indiget: (nota bene) *quia deliberatio illa sufficit ad peccatum mortale, qua perpenditur id, quod eligitur, esse peccatum mortale, & contra Deum. Ista autem deliberatio non sufficit ad retrahendum eum, qui est in peccato mortali* (& assignat huius rationem, considera eam; sequitur.) *Non enim retrahitur aliquis ab aliquo agendo, in quod inclinatur, nisi inquantùm illi proponitur, vt malum. Ille autem, qui bonum incommutabile repudiauit pro commutabili bono, non iam existimat, vt malum, à bono incommutabili auerti, in quo ratio peccati mortalis perficitur: vnde non retrahitur à peccando per hoc ipsum, quòd aduertit aliquid esse peccatum mortale: sed oportet vlterius in considerando procedere, quousque perueniatur ad aliquid, quòd non possit non existimare malum, sicut est miseria; vel aliquid huiusmodi. Vnde antequam tanta deliberatio fiat, quanta requiritur in homine sic disposito, ad vitandum peccatum mortale, præcedit consensus in peccatum mortale. Et ideo supposita adhæsione liberi arbitrij ad peccatum mortale, siue ad finem indebitum, non est in potestate eius, quòd vitet omnia peccata mortalia, quamuis vnumquodque possit vitare, si contra nitatur. Quia, & si hoc, vel illud vitauerit, adhibendo tantam deliberationem, quanta requiritur: non tamen potest facere, quin aliquando ante tantam deliberationem præueniat consensus in peccatum mortale. Cùm impossibile sit, hominem semper, vel diù in tanta vigilantia esse, quanta ad hoc requiritur, propter multa, in quibus mens hominis occupatur.* Hæc S. Doctor valde ad propositum nostrum expendenda, & consideranda.

2054 *Concluditur ex doctrina S. Thomæ, dari dispositionē causarum ad actum futurum liberum.*

12 Habes enim non solùm expressè id, quod præcipuè intendimus probare prædictis experientiis; sed etiam easdem rationes, quas pro eis assignauimus. Primum quidem per hoc, quòd docet, tùm quòd habens habitum, siue virtutis, siue vitij, est sic dispositus, vt si ei aliquid occurrat conueniens inclinationi habitus, repentè fertur in illud per electionem liberam; si nulla adsit deliberatio, seu apprehensio impediens: tùm quòd habitualiter conuersus ad commutabile bonum, relicto bono incommutabili, per peccatum mortale, est sic dispositus, vt si aliquid ei occurrat prædictæ inclinationi cōueniens, repentè fertur in illud per electionem liberam, quæ est peccatum mortale; nisi multa deliberatione seipsum cohibeat. Datur ergo secundùm D. Thomam dispositio circa voluntatem ex aliqua causa, in ordine ad aliquid sibi occurrendum, ex qua, nisi impediatur, infallibiliter fertur in determinatum actū liberum. Idque est, quod nos principaliter intendimus in hoc §. Secundum verò, seu rationem, expressit illis verbis: *Quia habenti habitum est in eius electione finis determinatus, quandocunque aliquid occurrit, conueniens illi fini, statim eligitur; nisi aliqua attentiori, & maiori deliberatione impediatur.* Quid clariùs pro tota nostra sententia dici potest? Hæc est nostra ratio toties allata in prædictis experientiis.

13 Immo etiam habes illam rationē, ob quam diximus num. 8. & 9. quòd equites non impediuntur ab acceptando duello illis apprehensionibus, quibus iudicant, duellum esse prohibitum, esse peccatum. &c. Illa enim ipsa est, qua probat S. Doctor quòd apprehensio ista, qua aliquid existimatur esse peccatum mortale, non refrenat, seu impedit ab eligendo illud, eum, qui aliàs per aliud peccatum mortale est conuersus ad bonum commutabile, relicto incommutabili. Expende rationem S. D. ab illis verbis. *Ista autem deliberatio non sufficit ad retrahendum eum, qui est in peccato mortali. Non enim retrahitur aliquis ab aliquo agendo* &c. & dignosces nos eandem rationem expressisse dictis num. 8. & 9. Vide quæ diximus disp. 3. §. 12. num. 12. & 13. fol. 474. de deliberatione perfecta, & imperfecta. Illa enim, quæ non sufficit est imperfecta.

2055 *Ratio, cur quandoque contrariæ apprehensiones non impediāt.*

14 Nec existimes, prædictam doctrinam in citato dumtaxat loco S. Præceptorem docuisse. Eandem enim, & ad idem propositum probandum habet 1.2. q. 109. ar. 8. in corp. sed distinctius, & per duas rationes 3. cont. gent. cap. 160. vbi conclusionem probandam sic proponit: *Etsi enim* (ille, scilicet, qui est in peccato mortali) *ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu particulari possit abstinere propria potestate: si tamen diu sibi relinquitur, in peccatum cadet, per quod gratia impedimentum præstatur.* Et hanc conclusionem probat primo, subdens. *Cùm enim mens hominis à statu rectitudinis declinauerit, manifestum est, quòd recessit ab ordine debiti finis. Illud igitur, quod deberet esse in affectu præcipuum, tanquam vltimus finis, efficitur minus dilectum illo, ad quod mens inordinatè conuersa est, sicut in vltimum finem. Quandocunque ergo occurrerit aliquid conueniens inordinato fini, repugnans fini debito, eligetur; nisi reducatur ad debitum ordinem, vt finem debitum omnibus præferat*, &c.

2056 *Alius locus S. D. ad propositum.*

15 Et circa hanc rationem expende, quòd S. D. expressè loquitur de homine in ordine ad actum electionis futurum, qui est peccatum mortale, & non potest esse, nisi liber. Et vult, quòd existēs in peccato mortali per hoc, quòd habet volūtatē qua plus diligit illud, in quod inordinatè declinauit, vt in vltimum finem, quàm verum

2057 *Inculcantur verba S. D. ad intentum.*

verum vltimum finem, sibi debitum, à quo recessit, est sic dispositus, *quòd quandocunque ei occurrerit aliquid conueniens inordinato fini, repugnans fini debito, eligetur*. Hæc est nostra sententia. Et aduerte, quòd, licet S. Doctor non addiderit ad ly *eligetur*, illam conditionem, quam addidit verbis relatis num. 11. nempe: *nisi aliqua attentiori, & maiori deliberatione impediatur: vel, nisi multa deliberatione seipsum cohibeat*; illa tamen est subintelligenda; vt aduertit Ferrariensis, respondens ad secundum dubium, quod ipsemet proposuit aduersus prædictam rationem, inquiens.

Intelligitur sub cõditione: nisi impediatur.

2058 16 *Ad secundum dubium respondetur, quòd illa propositio, [quandocunque occurrerit aliquid, conueniens inordinato fini, repugnans fini debito, eligetur] intelligenda est cum hac conditione, nisi homo seipsum multa deliberatione cohibeat, vt patet de Verit. q. allegata. Posuit autem eam S. Thomas hic absolutè; quia considerauit, quid secundùm se conuenit existenti in peccato secundùm illam inclinationem ad indebitum finem. Sibi enim conuenit secundùm se, vt quandocunque se obtulerit aliquid, inordinato fini conueniens, illud eligat. Si autem contingat non eligere, hoc est ex aliquo alio retrahente. Vbi aduertendum est, quòd, licèt is, qui ex illa habituali inclinatione ad indebitum finem peccat, aliquali deliberatione peccat, inquantùm iam est in eius electione determinatus finis, & perpendit id, quod eligitur, peccatum mortale esse: ista autem deliberatio non sufficit ad retrahendum hominem à peccato. Quia ille, qui, bono incommutabili repudiato, commutabili bono adhæsit, iam non existimat malum à bono incommutabili auerti. Sed requiritur tanta deliberatio, vt perueniat considerando ad aliquid, quod non possit non existimare malum: quæ si non adsit, homo in peccatum secundùm illam inclinationem fertur.* Nota hanc vltimam sententiam: *quæ si non adsit* &c. & euidenter percipies, docuisse Ferrariensem nostram ex S. Doctore sententiam. Sed audiamus secundam rationem S. Doctoris. Nam sequitur.

Verba Ferrariẽsis ad propositũ.

2059 17 *Præterea. Cum mens inclinata fuerit ad aliquid, non se habet æquàliter ad vtrunque oppositorum; sed magis ad illud, ad quod est inclinata. Illud autem, ad quod magis se habet, eligit; nisi per rationis discussionem ab eo quadam sollicitudine abducatur. Vnde & in repentinis signum interioris habitus præcipuè accipi potest. Non est autem possibile, mentem hominis continuè in ea vigilantia esse; vt per rationem discutiat, quidquid debet velle, vel agere: vnde consequitur, quòd mens aliquando eligit id, ad quod est inclinata, inclinatione manente. Et ita si inclinatio fuerit in peccatum, non stabit diu, quin peccet, impedimentum gratię præstans; nisi ad statum rectitudinis reducatur.* Hæc S. Doctor: quæ intentum huius §. egregiè illustrant, & probant. Quocirca expendamus fundamentales prædicti discursus propositiones, & ad rem nostram applicemus.

Secunda ratio S. Doctoris.

Expenditur, & inculcatur ad propositum prima fundamentalis propositio.

18 PRima igitur propositio, puta: *Cùm mens inclinata fuerit in aliquid, non se habet æqualiter ad vtrunque oppositorum; sed magis ad illud, ad quod est inclinata*, est euidens ex terminis, siue intelligatur de inclinatione habituali, siue actuali: & siue de eo, in quod inclinatur vt in finem, siue vt in medium ad finem; & siue de aliquo, sumpto in communi, siue in singulari. Vt ita sit euidenter verum, quòd mens inclinata, siue actu, siue habitu in bonum creatum, vt in finem, non se habet, siue actu, siue habitu, æqualiter ad vtrunque bonũ; sed magis ad creatum, quàm ad increatum. Et mens inclinata (siue actu, siue habitu) in bonum conueniens rationi, quod est hominis bonum, non se habet æqualiter ad vtrunque oppositorum, puta bonum conueniens rationi, & bonum disconueniens rationi, quod est hominis malum; sed magis ad id, quod est conueniens rationi. Similiter mens inclinata per habitum auaritiæ ad augendam pecuniam, non seruato ordine rationis, magis se habet ad augendam, quàm ad prodigendam, vel dispensandam pecuniam &c. 2060

Prima propositio est euidens ex terminis, & declaratur exemplis.

19 Ex hac autem propositione euidenter habetur, quòd mens inclinata actu, vel habitu in aliquem specialem finẽ; & ex consequenti inclinata in ea, quæ cõueniunt tali fini sic in confuso (iuxta verba S. Doctoris relata 9. præcedenti n. 3. fol. 531.) sit, ratione talis inclinationis effecta suo modo causa contingens, vt in pluribus. Nam hæc est diffinitio causæ contingentis, vt in pluribus: quæ, scilicet, magis se habet ad vnum, quàm ad oppositum. Sicut diffinitio causæ, æqualiter se habentis ad vtrunque, est quæ non magis se habet ad vnum, quàm ad oppositũ; vt patet ex verbis S. Thomæ relatis in hac disp. §. 5. num. 11. fol. 502. 2061

Mens, inclinata in aliquem finem, est suo modo causa contingens, vt in pluribus.

20 Subinde sequitur, quòd mens inclinata in aliquid non deficit ab effectu, in quem est inclinata, nisi ob aliquod impedimentum, quia hoc est de ratione causæ contingentis, vt in pluribus. Hęc enim de se est causa sufficiens: Et causa sufficiens est, ad quam de necessitate sequitur effectus, si nullum adsit impedimentum, vt patet ex his, quæ diximus in hac disp. 2062

Non deficit, ab effectu, nisi impediatur.

Digitized by Google

§. 4. à num. 17. ad 22. fol. 496. & §. 6. à nu. 2. à fol. 518.

2063 21 Sed debet hìc considerari discrimen inter causam liberam, ratione superadditæ inclinationis, effectam causam cõtingentem, vt in pluribus: & inter causam naturalem, quæ sic etiam est causa contingens. Nam naturalis habet inclinationem, seu determinationem ad reducendum effectum suum in esse, ex forma naturali, quam habet ab alio: defectum verò actionis, seu impedimentum habet etiam ab aliis causis, quæ non sunt in sua potestate. At vero inclinatio mentis, qua, vt in specialem finem, tendit in alterum ex oppositis, sequitur formam apprehensam per iudicium deliberatum, quo tale existimatur sibi conueniens. Importat enim, vel actum liberum voluntatis, qui est actualis, & formalis inclinatio eius, vel aliquid in ea relictum ex frequentatis actibus liberis, vt sunt habitus morales: vel relictum ex aliquo vno actu libero, quemadmodum est (secundùm D. Thomam verbis relatis num. 11. huius §.) inclinatio in bonum creatum, seu finem peruersum, relicta in voluntate ex vno actu peccati mortalis: vel, etsi non sit aliquid relictum, & causatum per actum liberum voluntatis (vt est inclinatio, quæ habetur per habitum infusum charitatis) requirit tamen (per se loquendo, & in voluntate capaci actuum liberorum) actum liberum, dum illud primò accipit voluntas; vnde, & per actum contrarium potest illud auferre, & á se reijcere. Actus autem liber voluntatis sequitur formam apprehensam per iudicium, existens in potestate mentis, scilicet, rationis, & voluntatis, vt ex dictis in multis locis huius Tractatus concluſimus disp. præcedenti §. x. num. 22. fol. 466. Et inde est, quòd inclinatio superaddita menti, qua voluntas inclinatur in alterum ex oppositis, est in potestate rationis, & voluntatis, seu in potestate eiusdem mentis. Vnde ipsa mens, tùm propter virtutes, collatiuam, & reflexiuam, quibus reflectens supra proprios actus, potest prius discussum, & determinatum, iterum discutere, & comparare ad plura, & alia diuersa, seipsamque inferre in oppositam determinationem: tùm propter vniuersalitatem principiorum agibilium, comprehendentiũ sub se vtrunque oppositorum, potest inclinationem, sibi superinductam, à se remouere, & sibi oppositam inclinationem inducere, eamque impedire, ne in actum procedat. Subinde fit, quòd inclinatio ista, qua mẽs inclinatur in aliquid, infert (occurrente, actu, in quem inclinat) ipsammet mentem in actum, supposito quòd per eandem mentem ex aliqua noua discussione, aduertentia, & collatione non impediatur, seu non fuerit appositum impedimentum eidem inclinationi.

Discrimen inter causam naturalem, & liberã, effectã causam contingẽtem, vt in pluribus

2064 22 Ex quibus apparet, quòd mens, effecta causa contingens, vt in pluribus, per inclinationem ad vnum sibi superadditam, differt à causa naturali contingenti per hoc, quòd ista producit certitudinaliter effectum sub conditione, si non impeditur ab aliis causis, quæ non sunt in potestate eiusdem causæ naturalis. At vero illa producit certitudinaliter effectum sub conditione, si ipsamet ex aliqua noua discussione, collatione, & aduertentia propriam inclinationem nõ impediat, seu à seipsa non impediatur. Et ex hoc est, quòd voluntas, etiam inclinata in vnum ex oppositis, ac effecta causa contingens, vt in pluribus, per aliquem habitum, vel aliquid simile habitui, procedit in actum (in quem inclinatur) vt causa libera, & vt habens illum in sua potestate agere, & non agere, ac eum impedire, & non impedire.

Voluntas effecta causa contingens, vt in pluribus, habet in sua potestate, suũ actum impedire, & nõ impedire.

Deducitur veritas secundæ propositionis: & inculcatur discursus S. Doctoris ad propositum.

2065 23 ATque ex his apparet veritas secundæ propositionis, putà: *Illud autem, ad quod mens magis se habet, eligit, nisi per rationis discussionem ab eo quadam sollicitudine abducatur.* Hæc enim idem significat cum illa illata num. præcedenti, nempe: *Voluntas, effecta causa contingens vt in pluribus, producit certitudinaliter actum, in quem inclinatur, si ex aliqua noua discussione à seipsa non impediatur.* Subinde apparet, S. Doctorem prædictis duabus propositionibus probauisse hoc ipsum, quod intendimus. Videlicet, quòd mens nostra (nomine mentis venit pars interior animæ, includens rationem, & voluntatem) inclinata in aliquem specialem finem (siue per habitum, siue per actum, formaliter, vel virtualiter perseuerantem) est sic dispositа, quòd si ei, in tali dispositione existenti, occurret id, in quod inclinatur, scilicet, id, quod secundùm suum iudicium conuenit fini, certitudinaliter eliget illud, seu procedet in illud actu prosecutionis libero; si non impediatur aliqua noua discussione negocij. Siquidem supponens S. Doctor, mentem nostram per actum peccati mortalis perseuerare habitualiter inclinatam in peruersum finem, & ex consequenti in id, quod conuenit tali fini, sic in confuso, assumit,

Propositio S. D. coincidit cum supra illata.

quòd

Digitized by Google

quòd mens, inclinata in aliquid, magis se habet ad illud, ad quod inclinatur: & quòd illud eliget, ad quod magis se habet, si per rationis discussionem ab eo quadam sollicitudine non abducatur. Et ex his deducit, quòd si menti, in ea dispositione existenti, occurret aliquid conueniens fini peruerso, elieget illud, & peccabit mortaliter, si non fuerit per rationis discussionem ab eo sollicitè abducta, ideſt, non impedita. Ecce nostram sententiam.

Corollarium generale ad propositum.

2066 24 ET inde à fortiori vniuersaliter deducimus quòd quilibet homo, quia (vt insinuauimus §. præcedenti num. 16.) attento proprio statu, professione, consuetudine, siue propria, siue totius regionis, propria complexione, & inclinatione, &c. habet aliquod speciale, quod prosequitur, vt proximum finem: & insuper attentis eisdem (vt eodem loco notauimus) quilibet, vt plurimum, habet in ratione practica aliquas rationes proprias, seu apprehensiones vniuersales de agendis, cõuenientibus suo cuiuslibet speciali fini, acquisitas, vel vniuersali existimatione hominum similis status, professionis, &c. vel ab ipsomet acquisitas, quibus existimat bonum esse sibi, talem vitam agere, easque, vt euidenter veras in praxi, promptas retinet in mente, vt secundùm ipsas se dirigat circa singularia occurrentia: ideo in ordine ad aliquas speciales actiones exercendas, vt plurimum, est sic dispositus, quòd si aliqua singularis actio ex illis, quæ formaliter continentur sub illis rationibus vniuersalibus, occurret simplex, & vt non habens sibi coniunctum aliquid, quod eam distrahat, & impediat à subordinatione ad illud principium vniuersale, infallibiliter procedet in eandem actionem singularem, quæ tùnc hìc, & nunc occurret.

Quilibet est sic dispositus, vt quædam agat infallibiliter, & liberè in quibusdam occurrentijs.

2067 25 Ratio est; quia, qui sic est dispositus, quòd liberè vult aliquem specialem finem, & insuper habet in ratione practica specialem apprehensionem vniuersalem, non à natura inditam, sed à se inuentam, dictantem, quòd talis actio vniuersaliter conuenit fini: eamque promptam retinet in mente, vt per ipsam se dirigat in casibus singularibus occurrendis, non posset, (occurrente singulari actione contenta sub vniuersali apprehensione) aliter impediri; nisi per hoc, quòd talis actio occurreret coniuncta cum priuatione maioris boni, vel cum aliquo, quod secundùm existimationem eius esset malum, ex quo coniuncto illa singularis actio distraheretur, seu impediretur sumi sub illa apprehensione vniuersali. Si ergo talis actio occurreret simplex, & vt non habens coniunctum malum, iam occurreret vt non habens impedimentum; & ex consequenti prædicta dispositio causarum esset non impedita: infallibiliter ergo procedet in effectum. Quoniam autem talis causarum dispositio est agentis liberi, vt ex dictis constat: ideo, qui sic est dispositus, procedet infallibiliter in actum liberum. Quia verò quilibet in ordine ad quasdam actiones est sic dispositus, ideo quilibet procedet infallibiliter in quasdam actiones, si non fuerit impeditus.

Ratio demonstrans intentum.

2068 26 Hinc est, quòd si, e.g. Archiepiscopus Panormitanus, vel huius Regni Inquisitor, aut Prorex, & similes accederent ad fores huius conuentus S. Zitæ, vel aliorum religiosorum: significarentque per ministros superiori Domus, se velle introire ad visenda ea, quæ consideratione digna habet domus; infallibiliter descendet superior, festinus, ac læto, & hilari vultu, ad eos introducendos, &c. Si tamen talis actio occurret (vt solet) nullum habens sibi coniunctum malum. Et ratio est, quam modo diximus. Superior enim domus ex vna parte habet, vt finem, agere conuenientia suo officio: ex alia verò habet promptam istam apprehensionem vniuersalem ex vsu, & praxi certissimam, nempe, quòd superiori Domus conuenit festinè descendere ad recipiendas læto, & hilari vultu prædictas personas. Et inde est, quòd, occurrente sibi prædicta receptione in singulari, nullum habente impedimentum ex coniunctione alicuius mali, non potest eam non sumere sub apprehensione vniuersali, & non concludere, tunc eam agendam esse. Et ex consequenti non potest, seu necesse habet, eam acceptare, & eligere liberè, suppositis prædictis dispositione.

Corollariũ manifestatur exemplis.

2069 27 Hinc est, quòd quilibet, si non habet impedimentum, mane se induit, vt procedat in publicũ, & nocte se expoliat, vt dormiat, si ex illis est, qui consueuerunt nudi, vel in lineis dormire. Hinc qui intendunt viuere vẽdendo quotidianas merces, vt venditores panis, frugum, vini, pannorum &c. quæ congregauerunt in apotecis, infallibiliter ibunt, vt ea vendant suis horis; & infallibiliter vendent, si accedes, & dabis pretium, & nulla aderit cogitatio impediens &c. Et ita in innumeris actionibus domesticis. Licèt enim prædictæ actiones liberè ab hominibus fiant: suppositis tamen dispositione voluntatis eorundem, certitudinaliter fient, si nulla in futurum aderit cogitatio impediens.

Alia exẽpla ad propositum.

Digitized by Google

pediens. Quòd autem hæc aderit, vel non aderit, scit, qui disponit omnia; ex quorum aliquo, vel aliquibus, siue coniunctis, siue diuisis; & siue per se, siue per accidens in ordine ad ipsa, talis cogitatio in nobis innascitur: qui etiam, siue per seipsum immediatè, siue per Angelos, quasdam speciales cogitationes immittit. Et inde est quòd dicta dispositio voluntatis nostræ in ordine ad actum liberum, nobis futurum, est, prout continetur sub ordine dispositionis diuinæ prouidentiæ, vel impedita, vel non impedita; & ex consequenti talis actus liber, posita dispositione diuinæ prouidentiæ, est in ordine ad nos, vel certitudinaliter futurus, vel certitudinaliter non futurus. Futurus quidem, si dicta dispositio voluntatis est in dispositione diuinæ prouidentiæ non impedita. Non futurus vero, si in eadem dispositione est impedita. Et dixi, *in ordine ad nos*; quia in ordine ad Deum, cuius mensura est æternitas, comprehendens omne tempus, se habet vt præsens. Sed transeamus ad tertium explicandum.

§. X.

Explicatur, qualiter, suppositâ diuinâ Prouidentia, disponente omnium causarum ordines, voluntas nostra possit esse via infallibilis ad proprios actus peccaminosos, salua immunitate Dei à causalitate peccati.

2070 *Inculcatur ratio difficultatis.*

1 HOC enim (vt innuimus in fine §. 7.) specialem habet difficultatem. Quia non videtur, posse explicari in sententia S. Thomæ, à nobis relata §. 1. num. 5. in resolutione difficultatis, & probata à §. 2. ad 5. à fol. 478. ad 498. qualiter actus peccati, per diuinam prouidentiam permissus, eueniat infallibiliter, Deo existente immuni à causalitate peccati. Itaut detur modus, & via, qua, diuina prouidentia permittente, procedat volũtas creata infallibiliter in actum peccati permissum; & nihilominus Deus sit immunis à causalitate peccati. Nam (vt concluſimus in hac disp. §. 4. num. 6. fol. 493.) causa prima vniuersalissima, comprehendens sub suo ordine omnes causas, per hoc habet modum, & viam perueniendi infallibiliter in effectum causæ cõtingentis, siue liberæ, siue non liberæ, quòd ipsa ordinat easdem causas ad suos effectus, efficiens, siue per seipsam immediatè, siue mediantibus alijs causis, omnem dispositionem, eisdem causis necessariam ad hoc, vt in proprios effectus procedant; & simul ipsa est, quæ disponit omnes alias causas, quæ eisdem causis possunt occurrere; Ex quo est, quòd necesse sit, vt ipsa eadem, quæ vult procedere in aliquos prædictarum causarum effectus, ita disponat alias causas, vt nulla sit, quæ absolutè, & simpliciter impediat illas ab illis effectibus, in quos vult per easdem procedere. At verò si secundùm hunc modum diceremus, quòd, suppositâ dispositione diuinæ prouidentiæ voluntas creata infallibiliter perueniret in actum peccaminosum permissum à Deo; Deus esset causa peccatorum, saltèm eorum, quæ habent imbibitam malitiam peccati, vt est actus blasphemiæ, infidelitatis, odij Dei, &c. etiam quantùm ad malitiam actus.

2071 *Manifestatur subsumptum.*

2 Hoc autem sic apparere videtur. Nam si Deus, per suam prouidentiam ex vna parte, ordinaret voluntatem creatam, eamque disponeret, vt prodiret in actum blasphemiæ &c. etiam quantùm ad substantiam actus: & ex alia, ita disponeret alias causas, vt nulla occurreret ad impediendum prædictum actum, talis actus esset per se intentus à diuina voluntate, saltèm quantùm ad solam substantiam actus; ac per hoc non esset intentus solùm occasionaliter, & ex suppositione defectus voluntatis creatæ, impedientis motum diuinum, nè perueniret ad perfectionem effectus, quem, quantùm est ex se, intendit, vt per se constat. Atqui, si Deus sic intenderet solam substantiam actus, nil prohiberet, quin in ipsum refunderetur deformitas actus, vt colligi potest ex ijs, quæ diximus 1. parte huius Trac. §. 12. nu. 4. & 5. fol. 57. coniunctis cum ijs quæ diximus eadem 1. p. §. 1. a num. 4. ad 8. & §. 4. à num. 7. ad 12. Inquantùm diximus, & probauimus, quòd, si Deus moueret voluntatem motu, qui, quantùm est ex se, intenderet solam substantiam actus; non verò actionem perfectam; non possemus rationabiliter eum seruare immunem à causalitate deformitatis peccati. Et quòd ad hoc, vt in Deum non refundatur defectus peccati, oportet, vt voluntas, ratione sui defectus, impedimentum prestet Deo mouenti, intendenti per suum motum actionem perfectam. Non ergo, secundùm prædictam sententiam S. Thomæ, habetur modus, & via, per quam, suppositâ dispositione diuinæ prouidentiæ, permittentis peccatũ, voluntas creata procedit infallibiliter in actum peccati permissum.

Que-

Quædam considerandæ pro dilucidatione veritatis.

2072 3 VT igitur (explicata veritate ex prima radice, & iuxta proprium loquendi modum) difficultas hæc simul cum multis alijs euanescat, considerari debet, quòd, suppositâ dispositione diuinæ prouidentiæ, aliter inuenitur certò futurus (in ordine tamen ad nos) actus bonus, seu honestus voluntatis creatæ: & aliter malus, seu peccatum, quantùm ad eius deformitatem. Nam honestus inuenitur certus certitudine ordinis causalitatis. Vtpote quia in præmeditatione, qua Deus sua altissima sapientia disponit perducere omnia in proprium finem secundùm congruentiam naturæ cuiuslibet, inuenitur, quòd ad eum habendum iuxta modũ naturæ voluntatis creatæ, sunt præparatæ, dispositæ, & ordinatæ causæ; quæ in ipsum procedunt: & quòd taliter est dispositus aliarum causarum occursus, quòd prædictæ causæ inueniuntur proportionatis adminiculis defectum earundem impedientibus, adiutæ, & seruatæ sine defectu. At verò peccatum, seu defectus actionis voluntariæ, inuenitur certus certitudine solius præscientiæ. Et hoc inquantùm Deus, sua altissima sapientia præmeditans (nostro modo loquendi) rationem gubernandi causas defectibiles, & videns, quòd ex conditione earundem causarum incidunt in eis ex congressu aliarum aliqui defectus, vult quosdam eorum impedire, seu non euenire, & inde præparat eisdem causis adminicula, quibus ijdem defectus impediuntur: quosdam verò non vult impedire; & inde, quantùm ad hos defectus, non præparat eisdem causis adminicula, quibus impedirentur, vnde ex consequenti finit, eas ex propria conditione deficere.

Suppositâ dispositione diuinæ prouidentiæ, aliter inuenitur certò futurus actus bonus, & aliter malus.

2073 4 In qua præmeditatione, vt vides, defectus actionum causarum defectibiliũ, qui in ordine ad nos sunt euenturi, continentur solùm vt præsciti, & non impediti. Non impediti autem per hoc dumtaxat, quòd per diuinam prouidentiam non præparantur adminicula impedientia defectus, sicut præparantur ijs, quos Deus vult impediri. Hoc autem, quod est, Deum non præparare adminicula ad impediendum defectus, non constituit Deũ prouidentem, vt defectus voluntariarum actionum, seu peccata, eueniant; Sed Deum sua prouidentia non præparantem ea adiutoria, & adminicula, quibus faceret, nè peccata euenirent.

Defectus actionum continentur in diuina prouidentia solùm vt præsciti, & nõ impediti.

Difficultatis resolutio.

2074 5 DIcendum est igitur, quòd per dispositionem diuinæ prouidentiæ aliter habetur via infallibilis ad actus liberos bonos voluntatis creatæ; & aliter ad malos. Illa est via prouidentiæ approbationis: ista prouidentiæ concessionis. Illa habetur per præparationem adminiculorum, quibus fit, quòd voluntas creata non deficiat ab actibus bonis, per diuinam prouidentiã intentis, & præfinitis. Ista habetur per non præparationem eorundem adminiculorum, concedendo, sinendo, non impediendo causas, per quas voluntas liberè procedit in actum peccati permissi, seu deficit ab actu bono, & incidit in actum malum.

Via ad actus bonos habetur per prouidentiã approbationis, secùs ad malos.

2075 6 Quare considera doctrinam Angelici Præceptoris, adnotatam à Ferrariensi lib. 3. con. gent. cap. 71. in dubio post septimam rationem, ex q. 5. de Veritate art. 4. in corp. vbi S. D. loquens de diuina prouidentia sic habet. *Neque tamen isti actus deficientes à recto ordine in rebus inferioribus omninò sunt extra ordinem prouidentiæ. Dupliciter enim aliquid subest ordini prouidentiæ. Vno modo, sicut ad quod aliquid ordinatur: alio modo sicut aliquid, quod ad aliud ordinatur. In ordine autem eorum, quæ sunt ad finem, omnia intermedia sunt finis, & ad finem, sicut dicitur in secundo Metaphy. Et ideo quidquid est in recto ordine prouidentiæ, cadit sub prouidentia, non solùm vt ordinatum ad aliud; sed sicut ad quod aliud ordinatur. Sed illud, quod exit à recto ordine, cadit sub prouidentia solùm secundùm quòd ordinatur ad aliud: non secundùm quòd aliquid ordinatur ad ipsum. Sicut actus virtutis generatiuæ, qua homo generat hominem perfectum in natura, est ordinatus à Deo ad aliquid aliud; scilicet, ad formam humanam: & ad ipsum ordinatur aliquid, scilicet vis generantis. Sed actus deficiens, quo interdum monstra generantur in natura, ordinantur quidem à Deo ad aliquam vtilitatem; sed ad hunc nihil aliud ordinatur: incidit enim ex defectu alicuius causæ. Et respectu primi est prouidentia approbationis: respectu secundi autem est prouidentia concessionis. Quos duos modos prouidentiæ Damascenus ponit in 2. lib.* Hæc S. D.

Valde notanda doctrina S. Thomæ ad propositũ.

2076 7 In quibus nota primò duplicem modum prouidentiæ diuinæ in resolutione insinuatum. Nota secũdo quòd ad actus deficientes, seu monstruosos, qualia sunt peccata (vt ex S. D. notauimus 1. p. huius Trac. §. 21. nu. 18. fol. 82.) nihil aliud ordinatur per prouidentiam; quia incidunt ex defectu alicuius causæ. Et inde accipe, quòd in ordine ad istos actus, qui per prouidentiam non approbantur; sed

Deducitur ex precedenti doctrina: per prouidentiam non præparari, & ordinari causas

Digitized by Google

ad actus malos, vt tales.

solùm conceduntur, non habemus in eadem prouidentia viam, qua in eos, vt tales, itur per causas, præparatas, & ordinatas, ad eosdem habendos: cùm nulla detur causa ordinata ad eos, vt tales sunt, & incidant ex defectu alicuius causæ. Quare via ad eos, vt tales, est, qua causæ conceditur casus, seu incidentia in defectum, ex quo prouenit defectus in actu, seu actione eiusdem causæ. Conceditur autem alicui causæ incidere in defectum per hoc, quòd in occursu ad alias causas, quæ per accidens in eam inducunt defectum, non inueniuntur sibi præparata adminicula, quæ ipsam protegunt, ne eam in defectum inducant. Via ergo, qua secundùm prouidentiã concessionis procedunt causæ secundæ in actum habentem defectum, seu in actum peccati, habetur per hoc, quod dictæ causæ, quæ permittuntur peccare, licèt habeant per prouidẽtiam preparata ea, per quæ quantùm est de se, & nisi impediantur procedunt in actus bonos; non tamen habent in congressu ad alias causas præparata adminicula, quæ ipsas adiuuant, & protegunt, nè aliæ causæ per accidens in eas defectum inducant. Ex quo est, quòd per accidens incidunt in defectum principij actiui, ex quo impediuntur procedere in actum consonũ fini, in quem, quantùm est ex se, sunt ordinatæ causæ, seu in actum bonum: & procedunt in actum fini dissonum, seu malum, & deficientem à fine debito actioni talium causarum. Quare oportet, quòd vniuersalissima prouidentia Dei, includens vtrunque prouidentiæ modum, approbationis scilicet, & concessionis, sic, secundùm modum nostrum intelligendi, explicanda sit.

Vterque modus prouidentiæ diuinæ, approbationis scilicet, & concessionis proponitur.

2077

Prouidentia diuina non excludit à toto suo effectu omnem defectum.

8 VIdelicet, quòd Deus (ad cuius prouidentiæ eminentissimam perfectionem spectat, vt à toto suo effectu non omninò excludat omnem defectum; sinatque aliquas causas defectibiles quandoque deficere in actionibus sibi conuenientibus, & incidere in monstruosas, vt his admissis moiorem bonitatem efficiat in toto suo effectu) excogitans, iuxta naturam vniuscuiusq; rationem ordinis rerum in finem (quæ est formalissimè prouidentia) includentem causarum omnium congressus singulares, in quibus per actiones suas pergunt in fines proprios, in quos per eandem prouidentiam ordinantur, præparat causis defectibilibus virtutem agendi defectibilem, per quam iuxta suæ naturæ conditionem eas ordinat in suos fines. Virtutem, inquam, defectibilem, in cuius defectum possunt incidere per accidens ex occursu, & congressu cum aliis causis. Per accidens, inquam, etiam in ordine ad causas occurrẽtes, quæ per se sunt ordinatæ non ad inducendum defectum in alijs; sed ad proprium producendum effectum, vt ad finem. Excogitans autem singulares congressus causarum, in primis in ordine ad illos effectus, seu actus, quos per aliquas causas contingentes, etiam liberas, vult habere voluntate antecedenti simul & sequenti, sic præparat, & ordinat omnia, quòd prædictæ causæ in ordine ad eosdẽ effectus, seu actiones, inueniantur opportunis adminiculis seruatæ sine defectu, & non impeditæ, vt in nostra resolutione huius disp. definiuimus, & (vt arbitramur) demonstrauimus à §. 1. ad 5.

Præparat quibusdã causis virtutem defectibilem.

Excogitatio ad actus bonos.

2078

Excogitatio, quæ permittuntur mali actus.

9 Ampliùs excogitat quosdam causarum congressus, in quibus aliqua, vel aliquæ, ob conditionem suæ defectibilitatis incidunt per accidens in defectum sui principij actiui, seu in debilitatem virtutis, & ex consequenti ob principium defectiuum prorumpunt per accidens in defectiuas, seu monstruosas actiones, & deficientes à fine sibi debito: & aliquæ non incidunt in defectum, nec prorumpunt in defectiuas actiones. Sciens, quòd, si in congressibus, quos excogitat causarum aliqua præpararet adminicula, adiuuantia illas, quæ incidunt per accidens in defectum, & in defectiuas actiones, impediret illarum accidentalem incidẽtiam in defectum: & quòd si illa adminicula, quæ præparat pro istis, quæ adiuuantur, nè deficiant, & nè incidant in defectum, non præpararet; istæ etiam inciderent in defectum. Et nihilominus, quia non vult illarum defectus impedire; sed permittere; istarum verò non vult permittere; sed impedire: ideo pro istis in congressu, quẽ excogitat causarum, præparat adminicula; pro illis verò non præparat: & sic sinuntur, permittuntur, non impediuntur incidere per accidens in defectum, & prodire per accidens in monstruosas actiones, quibus deficiunt à fine, sibi debito ob virtutem sui principij actiui, per quam ordinantur ad finem, & incidunt per accidens ob defectum principij actiui in actiones monstruosas deficientes à tali fine.

Scientia in Deo ordinante causas.

2079

Concluditur infallibilitas malorum

10 Quoniam autem, sicut extra totum ordinem diuinæ prouidentiæ nulla causa est, quæ possit occurrere ad impediendum causas, sub ipsa prouidentia cõprehensas, nè procedant in suos effectus:

ita

actuũ per viam concessionis.

ita etiam nulla est, quæ eis possit occurrere ad præstandum adminicula, ne decidant in defectus. Ideo sicut supposita diuina prouidentia habente modum approbationis, aliquæ causæ contingentes, & liberæ, quibus per eandem prouidentiam præparantur proportionata adminicula, ne impediantur in congressibus causarum à suis effectibus, infallibiliter procedunt in eosdem effectus. Ita supposita diuina prouidentia habente modum concessionis, aliquæ causæ, quibus eadem prouidentia non præparando adminicula in excogitatis congressibus aliarum causarum, finit, & concedit, eas incidere per accidens in defectum principij actiui, & ex eo in defectiuas actiones, infallibiliter eodem modo in eundem defectum, sui principij actiui, & ex tali defectu in defectiuas actiones procedent.

2080 11 Et sicut in ordine ad actus bonos, quos Deus vult habere per aliquam causam contingentem, etiam liberam, via infallibilis, est ipsamet causa contingens, non impedita in congressu causarũ, prout subest vniuersalissimo ordini prouidentiæ Dei (extra quem non est causa, quæ ad impediendum possit occurrere) præparãtis adminiculis, ne impediatur in eodem congressu causarum. Ita eadem causa contingens (non adiuta adminiculis in congressu causarum, excogitato per diuinam prouidentiam ad alios fines, in quo per accidens incidit in defectum virtutis actiuæ, & ex virtute actiua deficiente pergit per accidens in defectiuas actiones) prout subest prouidentiæ cõcessionis (extra cuius ordinem non est causa, quæ ad adiuuandum possit occurrere) non præparanti sibi adminicula, quibus impediretur incidere in defectum, est via infallibilis, qua ipsamet causa contingens procedit in actum peccati permissum.

Est eadem causa defectibilis nõ habens causas eã defendentes ab alijs inducentibus in eam defectum.

Soluuntur quædam dubitationes.

2081 12 PEtes hic, quid importat congressus causarum excogitatus à Deo per suam prouidentiam?

Congressus causarum est idem, quòd fatũ, in bona significatione acceptum.

Dicendum est, idem omninò, quòd fatum, in bona significatione acceptum. Quod (vt docet Boetius relatus à S. Thoma verbis allatis in hac disp. §. 1. num. 3. fol. 477.) importat artificiosam quandam texturam secundarum causarum, à summo artifice, & prouisore excogitatam. Et notanda sunt verba S. D. loc. cit. relata. nempe: *Et hoc est, quod Boetius dicit 4. de Consolatione, Siue famulantibus diuinæ prouidentiæ spiritibus, fatum exercetur, seu anima, seu tota inseruiente natura, siue cœlestium syderum motibus, seu angelica virtute, seu Demonum varia solertia, seu aliquibus eorum, seu omnibus, fatalis series texitur.* Fatum autem famulatu tot, & tam diuersarum causarum, mirabili ac sapientissimo artificio contextum, quamuis secundùm ipsas causas secundas consideratum sit mobile, defectibile, & fallibile; consideratum tamen secundùm quòd subest diuinæ prouidentiæ, immobilitatem, & infallibilitatem sortitur, vt ex eodem Boetio docet S. D. 1. p. q. 116. ar. 3.

13 Quoniam autem (verba sequentia sunt S. Thomæ relata loco prox. cit.) 2082 *Fatum sic acceptum, se habet ad diuinam prouidentiam sicut proprius eius effectus*: ideo oportet consequenter dicere, quòd sicut aliquid continetur sub diuina prouidentia, ita continetur sub fato. Actiones vero deficientes à debito fine, seu peccata, non continentur sub diuina prouidentia, inquãtùm aliquid ordinatur ad ipsa; cùm incidant ex defectu causæ, & sint solùm permissa, seu concessa; sed inquantùm ipsa ordinãtur ad alia. Oportet ergo, quòd eodem modo spectent ad fatum. Videlicet, non inquantùm fatalis series ordinatur ad inducenda peccata; quia etiam in serie fatali incidunt ex defectu causæ, & sunt solùm permissa, & concessa; sed inquantùm ipsa ordinantur ad alia in serie fatali contenta. lege verba Diui Thomæ relata num. 6. huius §. & applica ad propositum.

14 Petes secundò: quid importat illa scientia diuina, de qua loquimur num. 9. huius §. dum dicimus: *Sciens, quòd si in congressibus, quos excogitat,* &c? 2083

Scientia Dei in ordinandis causis vniuersi explicatur.

Dicendum, eam importare supereminentem sapientiam Dei practicam, (cuius proprium munus est ordinare, & excogitare ordinem) qua structuram sui vniuersi sapientissimè excogitans, prudenter, & scienter ordinat omnia in toto suo opere: ac per hoc, sciens quid vnicuique parti conueniat, siue per se, siue per accidens, per collationem ad alias: quidue, si aliter strueret secundùm has, vel illas partes, eisdem, vel alijs partibus conueniret: quidue, si aliquid adderet, vel minueret. Sicut sapiens Architectus excogitans structuram alicuius ædificij, conuenientem, e. g. Regiæ Maiestati, scienter ordinat, & disponit omnia: videlicet sciens, quòd, si aliter, siue in toto, siue in partibus disponeret, aliquid aliud suo ædificio, suisque partibus conueniret: & similiter, si aliquid adderet, vel minueret: Vnde & prudenter quandoque minuit, quandoque addit, quandoque diuersimodè ordinat, siue in vna, siue in

Digitized by Google

pluribus partibus, siue ad vitanda incommoda, siue ad augendas commoditates &c.

2084 15 Hæc autem non est scientia media, quam hactenùs sæpe à Deo excluſimus; sed est perfectiſſima, & comprehensiua cognitio ordinis totius vniuersi, seu totius diuini operis, quem Deus ipse per sapientiam rebus imponit, quatenus ratio talis ordinis, secundùm nostrum modum concipiendi, actualiter excogitatur, seu est in ipso excogitari, seu consideratur quasi in fieri, seu in ipso concipi, & excogitari. Idque illo pari modo, quo scientia Architecti, qua excogitat ordinem, seu formam sui ædificij, sciens quid vnicuique parti conuenit per ordinem ad alias partes, & ad totum: quidnè eisdem, vel alijs partibus; ac etiam toti ipsi conueniret, si aliter aliquid in eis disponeret, non est scientia media.

Non est scientia media.

2085 16 Iste autem ordo excogitatus à Deo in toto suo opere, seu vniuerso, est id, quod est in eo perfectiſſimum. Se habet enim ad illud, sicut se habet ad ædificium eius forma, quæ in recta dispositione, & ordinatione partium consistit, ex qua ordinatione consurgit, & subsistit: ita vt, si in toto, vel in parte talis ordo dissolueretur, corrueret pari modo ædificium, vt habes ex S. Thoma sæpissimè, vt lib. 2. cont. gen. cap. 39. ratione 5. & 6. Vbi nota illa verba. *Forma autem vniuersi consistit in distinctione, & ordine partium.* Et illa: *Optimum vniuersi consistit in ordine partium ipsius ad inuicem: per hunc enim ordinem vniuersum in sua totalitate constituitur, quæ est optimum ipsius.* Idque probat cap. 45. sequenti ex illo Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: & sic habet in fine capitis. *Cùm enim de singulis dixisset, quòd sunt bona; quia singula quidem sunt in suis naturis bona. Simul autem omnia valde bona, propter ordinem vniuersi, quæ est vltima, & nobilissima perfectio in rebus.* Quod etiam repetit lib. 3. cap. 64. ratione 8. inquiens: *Id, quod est maximè bonum in rebus creatis, est bonum ordinis vniuersi, quod est maximè perfectum, vt Philosophus dicit. Cui etiam consonat diuina Scriptura Gen. p. cùm dicit*: Vidit cuncta, *quæ fecerat, & erant valde bona.*

Ordo fatalis spectat ad formã, & ad id, quod est perfectissimũ in toto vniuersũ.

2086 17 In hoc ordine consistit secundùm Augustinum lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 13. pax omnium rerum, dùm inquit. *Pax omnium rerum tranquillitas ordinis. Ordo est, parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* De hoc ordine loquitur Boetius lib. 5. de Consolatione prosa prima in fine, dum de pluribus causis casualiter confluentibus in vnum effectum cõcludit: dicens. *Concurrere verò, atque confluere causas facit ordo ille, ineuitabili connexione procedens, qui, de prouidentiæ fonte descendens, cuncta suis locis, temporibusque disponit.* Et hæc sat sint de hoc puncto.

Augustini placitum circa ordinem vniuersi.

Insigne dictum Boetij.

PVNCTVM TERTIVM.
In quo

Responsio principalis quæsiti, & aliqua corollaria notatu digna, & his temporibus desiderata deducuntur.

2087 1 MAnifestata veritate nostræ resolutionis, quantùm ad causas liberas: ac excluſa, immò funditus euersa doctrina, quam machinatus est Suarius, simul cum sua scientia media, quæ veritati prædictæ resolutionis potuisset apud minus versatos aduersari, redimus ad manifestandam cohærentiam mirabilẽ doctrinæ S. Thomæ in nostro Tractatu sæpè allatam. Punctum autem præsens breuiter duobus §. §. absoluemus. In quorum altero (scilicet 11. sequenti) deducemus ex dictis; dicta nostra cohærere cum infallibili ordine diuinæ prouidentiæ: hominemque (quod ex nostris dictis sequitur) non solum posse; sed etiam de facto quandoque resistere motioni, vocationi, inspirationi, & instinctui diuino: immo etiam non solùm posse; sed etiam quandoque de facto abuti ad malũ motione, & instinctu Dei, quo mouetur in bonum.

In altero verò (scilicet §. 12.) deducemus: Deum per ipsam rationem conceptam ordinis suæ prouidentiæ, seu per illam excogitationem, qua per suam sapiẽtiam ordinem in suo vniuerso constituit, certò scire, vt in dicta conceptione, seu excogitatione incluſas, omnes illas propositiones conditionales de futuro contingenti, quas nobis reuelat. Vt est illa prolata à Christo Domino Matthei 11. 21. & Lucæ 10. 23. *Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis* (scilicet Corozaim, &, Bethsayda) *olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.*

§. XI.

Digitized by Google

§. XI.

Manifestatur, deduci ex dictis conclusionem responsiuam quæsito disputationis, puta: quæ aliàs in hoc Tractatu diximus, mirè cohærent cum infallibili ordine diuinæ prouidentiæ: & qualiter sit verum id, (quod etiam ex nostris dictis sequitur) puta: hominem posse, & quandoque de facto resistere motioni, instinctui, inspirationi, & vocationi Dei, secundùm illud Stephani actu 7. Vos semper Spiritui Sancto resistitis: *immo etiam posse, & multoties de facto ad malum abuti instinctu diuino, quo mouetur ad bonum.*

2088 *Manifestatur cõclusio responsiua quæsito disputationis.*

1 VEruntamen primum horum est plusquam manifestũ. Quę enim diximus, siue in prima parte Trac. siue tota disp. 2. propter hoc videbantur, vel obstare, vel cohærere non posse cum infallibilitate ordinis diuinæ prouidentiæ, quòd posuimus, & (vt in sententia S. Thomæ saltem arbitramur) demonstrauimus, motum primi mouentis, receptum in causis contingentibus, & liberis, esse, secundùm modum earum, defectibilem, & impedibilem ab effectu, ac in potestate voluntatis, quantùm ad vsum, quo per eum se mouet in hunc, vel illum actum: esseque quantùm est ex se, & prout est à Primo mouente, indeterminatum ad plures, & diuersos effectus, siue in genere, siue in specie, siue in individuo; determinarique per causas secundas ad prædictas differentias effectuũ; in causis etiam liberis determinari per iudicium proprium ad hunc, vel illum actũ hic, & nunc in singulari, vt docuimus citata disp. 2. At verò hæc minimè obstant infallibilitati ordinis diuinæ prouidentiæ. Quippè quia (vt demonstrauimus in hac disputatione) diuina sapientia per dispositionem, & ordinationem causarum, seu per prouidentiam ordinantem omnia, seu etiam imponentem ordinem omnibus in suo vniuerso contentis, habet viam perueniendi infallibiliter ad effectus causarum defectibilium, & liberarum, per ipsasmet causas defectibiles, & impedibiles, ac etiam per eas, quæ, vt liberæ, actus proprios habent in sua potestate. Nec oportet hìc aliquid addere.

2089 *Vtilitas doctrinæ S. Th.*

2 Secundum autem aliquantò diligẽtiùs ostendendum est. Etenim est velut quoddam insigne corollarium doctrinæ S. Thomæ in hoc Tractatu inculcatæ, ex quo apparet, non solùm vtilitas; sed etiam necessitas eius, ad faciliter intelligendum, benè sibi inuicem cohærere loca quædã, tùm D. Thomæ, tùm Patrum, tùm Sacræ Scripturæ, & Conciliorum: in quibus tamen conciliandis quamplures, tam prisci, quàm recentes, non modò, remigantes contra ventum, laborant; sed etiam periclitantur.

2090 *Naturalis appetitus beatitudinis, & instinctus naturalis voluntatis sunt vnus, & idẽ motus voluntatis.*

3 Vt clarè igitur procedamus, aduertè primò: quòd prædicta quatuor, puta: motus, quo mens nostra (nomine mentis venit pars interior animæ, includens voluntatem, & rationem) mouetur à Deo, vt ab eo mota se moueat, instinctus, inspiratio, & vocatio Dei, secundùm quandam nominum acceptionem, vnam, eandemque rem significant, sola ratione diuersam. Et quidem naturalis motus, seu appetitus voluntatis, quo ipsa voluntas appetit fœlicitatem, seu vltimum finem, quo voluntas mota à Deo, seipsam mouet in actus liberos, idem est, quòd naturalis instinctus eiusdem voluntatis. Vnde solemus dicere: voluntas naturali instinctu mouetur in bonum, seu fœlicitatem, &c. Et quantùm ad hoc nota verba S. D. 1. p. q. 19. ar. x. in corp. puta: *Dicendum, quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessario volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quòd volumus esse fœlices; Sed ad naturalem instinctum. Vnde & alia animalia, quæ naturali instinctu mouentur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moueri.* Hæc S. D. Vnde sicut in brutis appellamus naturalem instinctum, non solùm naturalem apprehensionem, qua iudicant aliquid esse sic, vel sic agendum; sed etiam motum ipsum appetitus, quo sic agere naturaliter appetunt: ac etiam operationes ipsas naturales, quæ sequuntur naturalem appetitum, qui sequitur naturalem apprehensionem. Ita vt in aranea conficiente telam, & in Ape, conficiente fauos, appellemus naturalem instinctum, non solùm iudicium naturale, quo, veluti quadam arte, illa iudicat, sic esse fila trahenda, tali motu pedum calcanda, tali motu liganda &c. & ista sic colligendam esse ceram, sic in cellulas redigendam &c. Sed etiam ipsum appetitum naturalem, quo tale opus conficere appetunt, ac etiam operationes ipsas, quibus idem opus conficiunt. Ita in homine appellamus naturalem instinctum, tùm apprehensionem illam, qua naturaliter iudicamus fœlicitatem esse appetendam, tùm motum ipsum voluntatis, quo eandem fœlicitatem optamus.

2091 *Motus voluntatis naturalis pertinent*

4 Isti autem motus, videlicet apprehensionis boni, seu fœlicitatis, & appetitus eiusdem, spectant ad generalem instinctum mentis humanæ: & ad eos reducuntur omnes apprehensiones absolutæ, quibus

ad generalem instinctum.

quibus apprehendimus, vt nobis conueniens, id, quod est absolutè bonum homini, vt viuere, cognoscere verum, &c. ac etiam omnes actus indeliberati voluntatis, sequentes prædictas apprehensiones; & quibus in prædicta apprehensa naturaliter ferimur, vt desiderium viuendi, & cognoscendi verum, fuga mortis, &c. Dixi autem, *de eo, quod est absolutè bonum homini*, vt innuerem, dari in natura corrupta quasdam apprehensiones absolutas (vt videre est apud D. Thomã à nobis relatum disp. 1. §. xi. num. 19. fol. 117.) quibus apprehendimus de repente, vt conuenientia, quæ spectant ad sensualitatem, ad quas sequuntur actus indeliberati appetitus, vt est delectatio indeliberata, &c. qui sunt peccata venialia. Hi autem instinctus non possunt spectare ad instinctum naturalem, quem habemus à Deo; qui naturam integram constituit, & cuius instinctus sunt boni, & tendunt in bonum. Vnde tales motus indeliberati dici possunt instinctus naturæ vitiatæ, per peccatum primi parentis. Idque inquantùm mens nostra, quasi infecta per consortium, quod habet ad sensualitatem sibi rebellem, quandoque, nulla facta collatione, & discursu, & non considerata repugnantia ad rationem, apprehendit vt conueniens, & agendum, quod est sensualitati cõueniens, vt habes ex S. Thoma loc. prox. cit. relato.

Motus indeliberati & peccaminosi sensualitatis possunt dici instinctus naturæ vitiatæ.

2092

5 Quoniam autẽ (vt habes ex S. Thoma 1. 2. q. 9. ar. 6. ad 3. à nobis relato 1. p. Trac. 5. 5. num. 8. fol. 38.) non solùm, *Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum; sed interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum; sicut in his, quos moueo per gratiam.* Ideo non solùm appellamus diuinum instinctum illum generalem motum, qui, vt consequens naturam voluntatis, est eidem voluntati immissus à Deo, vt ab auctore naturæ eiusdem voluntatis; sed etiam illum, quem, vt specialis motor eidem voluntati immittit, mouens eam in aliquod speciale bonum. Et ita in voluntate præter illum generalem instinctum Dei, quo mouetur, & inclinatur in bonum commune, dantur interdum aliqui speciales, quibus inclinatur à Deo vt à motore speciali in aliquod determinatum bonum. Sicut etiam in intellectu practico præter illum generalem instinctum, seu iudicium naturale ei immissum à Deo, vt ab auctore naturæ, quo ipse intellectus naturaliter iudicat, bonũ esse appetendum, dantur quandoque speciales aliquæ apprehensiones, immissæ ei à Deo specialiter inspirante, illuminante, & mouente, quibus apprehendit aliquid speciale, vel esse bonum, & prosequendum, vel esse malum, & fugiendum. Prò his vide loca S. Thomæ, quæ modo infra vel referemus, vel, vt à nobis relata, citabimus.

Præter instinctus generales, dantur instinctus speciales in nostram mẽtem immissis à Deo.

2093

6 Nota secundò, quòd inspiratio, & vocatio Dei, sumptæ, non pro ipsa actione Dei inspirantis, & vocantis; sed pro eo, quod recipit mens nostra, quæ vocatur, & cui fit inspiratio, seu passiuè acceptæ, important sæpè hos speciales instinctus. Quocirca considera verba S. Thomæ in 4. dist. 17. q. 1. art. 1. quæstiũcula 2. in corp. vbi inquit. *Dicendum, quòd vocatio est duplex, quædam exterior, vt quæ fit per prædicatorem, & hæc non est iustificatio, sed disponit ad eam: quædam verò interior. Et hæc quandoque quidem non pertingit ad finem suum ex vocati defectu: & hæc vocatio nihil aliud est, quàm aliquis instinctus, vel motus ad bonum à Deo immissus: & hæc etiam vocatio non est idem, quod iustificatio, sed via ad illam. Quandoque autem pertingit ad finem, quandò scilicet aliquis audit vocantem, & venit ad Christum, vt dicitur Ioannis 6. Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Et hæc vocatio idem est, quòd iustificatio secundùm substantiam; sed differt ratione. Quia vocatio dicitur secundùm quòd per infusionem gratiæ, & auxilium, homo à peccato retrahitur; sed iustificatio respicit terminum ad quem, scilicet prædictæ rectitudinis statum. Et sic vocatio sumitur Rom. 8. vt patet per gloss. Auxilium enim, quod, fidei nos vocando, Deus præstat, est gratia, quæ facit fidem per dilectionem operari.* &c.

Vocatio Dei importat quosdã speciales diuinos instinctus.

Locus S. D. ad propositum.

2094

7 Super prædictum autem locum ad Rom. lec. 6. sic habet S. D. *Primum autem, in quo incipit prædestinatio impleri, est vocatio hominis. Quæ quidem est duplex: vna exterior, quæ fit ore prædicatoris,* &c. *Alia verò vocatio est interior, quæ nihil aliud est, quàm quidam mentis instinctus, quo cor hominis mouetur à Deo ad assentiendum his, quæ sunt fidei, vel virtutis,* &c. *Et hæc vocatio est necessaria, quia cor nostrum non se ad Deum conuerteret; nisi Deus nos ad se traheret: Ioan. 6. Nemo potest venire ad me; nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* &c. *Et etiam hæc vocatio est efficax in prædestinatis: quia huiusmodi vocationi assentiunt: Ioan. 6. Omnis, qui audit à Patre meo, & didicit, venit ad me.* Hæc D. Thomas, quæ dicendis deseruiunt.

Alius locus S. D. ad idem.

2095

8 Interim considera, quòd secundùm S. D. *vocatio interior nihil aliud est, quàm quidam mentis instinctus, quo cor hominis mouetur à Deo ad assentiendum his, quæ sunt fidei, vel virtutis.* Et ita ex omnibus locis, supra relatis, simul collectis, intelligere possumus, quòd hæc tria, scilicet: motio Dei specia-

Motus mẽtis nostræ à Deo specialiter immissus, instinctus

Digitized by Google

Specialis, & vocatio Dei idem significat.

specialis, sumpta passiuè pro motu, quo mens specialiter mouetur à Deo in aliquod particulare bonum: instinctus Dei specialis; & vocatio Dei, significant vnam & eandem rem.

2096

Cur dicitur motus mentis.

9 Quæ dicitur motus mentis, inquantùm est eius operatio, quæ est actus perfecti, puta aliqua apprehensio, vel appetitus specialis boni, seu actus quidam apprehendendi, vel volendi aliquod determinatum bonum: secundùm quòd ipsummet intelligere, & velle, sunt ipsi motus mentis, vt docet S. Doctor sæpissimè, citans Aristotelem 3. de Anima tex. 28. apud eundem D. Thomam lec. 12. lit. tex. a, seu in principio lectionis, vbi S. D. expositionem primæ partis textus concludit, dicens: *Ideo iste motus simpliciter est alter à motu physico. Et huiusmodi motus dicitur propriè, operatio, vt sentire, & intelligere & velle.* Et ita in innumeris penè locis; vbi citat eundem locum Aristotelis, & inter alios 1. 2. q. 109. ar. 1. in principio corp.

2097

Cur dicitur instinctus Dei.

10 Dicitur instinctus Dei, inquantùm est motus, menti principaliter, vt à speciali motore, immissus à Deo, quo mens veluti ab alio acta, & directa tendit in illud particulare bonum. Sicut (suo seruato discrimine) motus lapidis deorsum dicitur instinctus ei immissus ab auctore naturæ, seu generante, quo ab eodem auctore naturæ, agitur, & dirigitur in finem, vbi quiescit: & motus in signum impressus sagittæ à sagittante, dicitur instinctus sagittantis, à quo ipsa sagitta agitur, & dirigitur in signum: & motus naturales brutorum animalium, consequentes apprehensiones naturales, dicuntur instinctus auctoris naturæ, à quo per dictas apprehensiones naturales, aguntur, & diriguntur in finem, sibi naturaliter conuenientem, quem licèt cognoscant; non tamen à seipsis diriguntur in finem. Vnde D. Thomas ad Romanos 8. lec. 3. ad illa verba: *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*, ait subiungit: *ideſt reguntur sicut à quodam ductore, & directore: quod quidem in nobis facit Spiritus Sanctus, inquantùm illuminat nos interiùs, quid facere debeamus. psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me, &c. Sed quia ille, qui ducitur, ex seipso non operatur: homo autem spiritualis non tantùm instruitur à Spiritu Sancto, quid agere debeat; sed etiã cor eius à Spiritu Sancto mouetur: ideo plùs intelligendum est in hoc, quod dicitur [quicunque Spiritu Dei aguntur] Illa enim agi dicuntur, quæ quodam superiori instinctu mouentur. Vnde de brutis dicimus, quòd non agunt, sed aguntur: quia à natura mouentur; & non ex proprio motu ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis, non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum, secundùm illud Esa: 59. Cùm venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Dei cogit. Et Luc. 4. Quod Christus agebatur à Spiritu in deserto. Non tamen per hoc excluditur, quin viri spirituales per voluntatem & liberum arbitrium operentur: quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrij Spiritus Sanctus in eis causat, secundùm illud Philip. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.*

Verba S. Thomæ ad propositum.

11 Ita D. Thomas, in quibus (seruato discrimine inter exempla, & rem de qua agimus, quantùm ad hoc, quòd in illis instinctus non potest esse actus liber: in hac vero potest esse actus liberi arbitrij) optimè explicat, qualiter motus voluntatis, etiam liberi, in quos eam mouet Spiritus Sanctus, vt specialis motor, dicantur instinctus eiusdem Spiritus Sancti; eisque hominem agi, moueri, & dirigi à Spiritu Sancto, principaliter mentem humanam inducente, seu instigante in dictos actus.

2098

Instinctus Dei specialis potest esse actus liber.

12 Sed hìc notari debet, quòd motus liberi arbitrij in bonum speciale dicitur instinctus Spiritus Sancti non solùm propter hoc, quòd ex speciali cogitatione, & affectu, interiùs immissis, mentem mouet in electionem illius specialis boni; sed maximè propter hoc, quòd per talẽ motum ducit mentem humanam præter eius intentionem in aliquod aliud speciale bonum, spectans ad effectum Spiritus Sancti ab ipsa non excogitatum. E. g. Audit quis, quòd de repente, dùm alia cogitabat, cor suum sibi dictat: vade nunc ad ecclesiam ad sacrum audiendum, seu (& idem significat) bonum est tibi nunc ire ad ecclesiam ad audiendum sacrum. Et ille assumpto principio vniuersali: omne bonum est prosequendum, & subsumpto hoc (quod interius cor dictat) sed bonum est mihi nunc ire ad ecclesiam ad audiendum sacrum, statim deliberat ire, & it, nil aliud cogitans, quàm assistere sacrificio. At Ecclesiam ingrediens, præter eius intentionem, inuenit pium prædicatorẽ, actu concionantem verbis, cor suũ emollientibus, & compungentibus ad conuersionem: quem tamen Spiritus Sanctus ei præparauit, ac per illam liberam electionem audiendi sacrum illuc eum transmisit; vt per verba prædicatoris conuerteret. In hoc facto clarè apparet, quòd motus ille liberi arbitrij, puta, electio audiendi Sacrum, quatenùs mens per eum præter suam intentionem ducitur à Spiritu Sancto ad audiendam concionem, per quã ab ipso Spiritu Sancto mens ipsa emollitur, & conuertitur, est instinctus Spiritus

2099

Ratio cur actus liber dicitur instinctus.

Sancti

Sancti intendentis totum hoc factum. Et inde est, quòd iste talis, dum percipit inopinatam sui cordis mutationem, qua odit mundana, quæ priùs diligebat, & amat diuina, quæ priùs non cogitabat; in eamque se inductum fuisse per illam voluntatem audiendi sacrum; cogitur exclamare: fuit instinctus Spiritus Sancti ista voluntas; qui per eam præter meam intentionem ad audiendam concionem, per quam voluit me conuertere, transmisit. Sit ipse benedictus, &c.

2100 *Exemplũ ad propositum.*

13 Sic poterat exclamare ille Aethiops eunuchus Candacis Reginæ. Hic enim (vt legitur Actor. 8.) veniens adorare in Ierusalem, & rediens, occurrentem sibi Philippum inuitauit, vt ascenderet in currum suum: eumque rogauit, vt prophetiam Isaiæ sibi exponeret: & inde instructus de fide Christi, & baptizatus fuit à Philippo. Poterat, inquam, exclamare. Benedictus Deus. Fuit instinctus Spiritus Sancti quòd venerim adorare; quòd rediens sanctum eius Apostolum inuitauerim, vt ascenderet in currum meum: quòd ipsum interrogauerim, vt exponeret prophetiã. fuit, inquam, instinctus Spiritus Sancti prædictas electiones in me operantis, qui per hasce meas electiones præter meã intentionem perduxit me, vt per Apostolum suum reciperem fidem Christi, & baptizarer, quod nunquam cogitaueram meis illis electionibus.

2101 *Actus liber dicitur instinctus Spiritus Sancti quatenus præter intentionem ducit in effectum Spiritus Sancti.*

14 Et inde vniuersaliter concludo, quòd, licèt liberæ electiones mentis nostræ, inquantùm tendunt in id, quod ipsa mens cogitat, dũ eligit, (secundũ quam rationem dictæ electiones sunt à nobis) videantur quodammodo deflectere à propria ratione illius motus, qui appellatur instinctus alterius, illo modo, quo motus animalium brutorum dicitur instinctus naturæ: inquantùm tamen per illas mens ipsa præter suam intentionem ducitur à Spiritu Sancto in id, quod non ipsa, sed Spiritus Sanctus cogitat, dum eligit, retinent veram, & propriam rationem instinctus Spiritus Sancti.

2102 *Probatur auctoritate Aristotelis, & D. Thomæ.*

15 Cognouit veritatem hanc Aristoteles, scientiarum Prodigium: & ex ipso mirabile Aquinatis ingenium. Aristoteles quidem, inquantùm (agens de bona fortuna, prout est de illis, quæ præter intentionem nostram benè nobis eueniunt, Deo nos gubernante in eligendis rebus, quibus per accidens sunt coniuncta bona) docet (vt eum explicat S. D. relatus à nobis disp. 3. §. 6. num. 42. fol. 372.) *quòd his, qui mouentur per instinctum diuinum, non expedit consiliari secundùm rationem humanam, sed quòd sequantur interiorem instinctum; quia mouentur à meliori principio, quàm sit ratio humana.* Et inde concludit (verba sequentia sunt Aristotelis, ibidem relata) *quòd species fœlicitatis duæ sunt* (idest, species bonæ, & fœlicis fortunæ) *Altera diuina: ideoque, qui fœlix est* (idest fortunatus ex diuina gubernatione) *numine adiutum aliquid fecisse dicunt. Is autem est, qui aliquid iuxta impetum diuinum facit.* Ita Gentilis. Et loquitur, vt per se constat, de his, quæ liberè iste talis facit. Nõ poterat meliùs eloqui Christianus. Quantùm verò ad D. Thomam, vide, quæ docet lib. 3. cont. gen. cap. 92. de homine, qui fortunatus dicitur ex hoc, quòd, *ex diuina operatione inclinante, inclinatur eius voluntas ad aliquid eligendum, sibi vtile, cuius rationem ignorat.* Et lege ipsum à prædictis verbis, vsque ad illa: *Quia verò fortuita sunt.* Sed reuertamur ad rem.

2103 *Cur dicitur vocatio.*

16 Nam dicitur vocatio, inquantùm per dictum motum mens nostra retrahitur à vanis cogitationibus, & desiderijs huius seculi, per quæ diffluens, à Deo elõgatur: & reducitur ad cogitandum, appetendum, & desiderandum ea, quæ sunt spiritus, per quæ procedens ad Deum reuertitur, & accedit.

Cur dicitur inspiratio.

Tandem dicitur inspiratio (passiuè accipiendo inspirationem, pro motu scilicet inspirato) inquantùm est operatio tendens, & spectans ad vitam spiritualem. Vitæ enim proprium est inspirari: vnde de vita naturali dicitur Gen. 2. 7. *Inspiranit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Et de vita spirituali dicitur Ecclesiastici 4. 12. *Sapientia filijs suis vitam inspirat.*

2104 *Conclusio probanda.*

17 Dicimus modo in hoc §. haberi ex dictis, quòd nos (absolutè loquendo) non solùm possumus; sed etiam de facto quandoque resistimus diuinis instinctibus, seu motibus, in mentem nostram immissis à Deo, vt à speciali motore: ac etiam, quòd quandoque de facto abutimur ad malum, non solùm generali instinctu Dei, quo (saltem virtualiter) abutitur omnis peccans; sed etiam quibusdam exspecialibus. Et dicimus: *absolutè loquendo:* quia loquendo de eis prout subsunt infallibili ordini diuinæ prouidentiæ, vel seruantis eos sine defectu, vel permittentis eos deficere per defectum voluntatis nostræ, dicendum est de eis, sicut diximus de omnibus causis contingentibus; tàm in §. 1. à num. 4. quàm in §. x. à num. 5.

2105 *Diuini instinctus spectantes ad intellectum sunt*

18 Igitur prædicti diuini instinctus, seu motus, & motiones, vel spectant ad intellectum, & important apprehensiones, seu existimationes alicuius specialis boni prosequendi, vel mali vitandi, immissas in mentem nostram à Deo mediãtibus

immissi immediatè per Angelos.

tibus Angelis: Et dico mediantibus Angelis; quia vt docet S.D. Sæpè, & præsertim lib. 3. cont. gen. cap. 91. & 92. mens nostra quantùm ad intellectum subordinatur Angelis, sicut corpora inferiora quantùm ad motus naturales subordinantur corporibus cœlestibus: vnde sicut omnes motus corporum inferiorum dispensat Deus mediantibus corporibus cœlestibus, ita motus intellectuales nostrarum inferiorum mentium ad illuminationem spectantes dispensat Deus per mentes superiorum spirituum, & immediatè per Angelum Custodem: Et hinc est quòd S. Doctor loco proximè cit. hominem directum illuminationibus Angelicis ad apprehendenda ea eligenda, quibus sunt per accidens coniuncta vtilia eligenti, appellat hominem benè fortunatum ex custodia Angelica, seu hominem benè custoditū.

Spectantes ad voluntatem immittuntur immediatè à Deo.

Vel spectant ad voluntatem, & important, vel speciales affectiones, seu inclinationes in aliquod bonum speciale, vel auersiones ab aliquo speciali malo, quod est contra bonum rationis, & legis diuinæ in nostram voluntatem immissas immediatè à Deo.

2106

Ratio ad propositum ex D. Thoma.

19 Et dico, *immediatè à Deo*; quia in ordine ad dictos motus voluntatis non datur aliquod creatum, quod sit mouens medium. Voluntas enim non mouetur, vt ab agente reducente ipsam in suum proprium motum, seu inferente illi suum proprium actum, nisi à seipsa, vt à mouente proximo, & à Deo vt à mouente primo, vt concludit sæpissimè S. Doctor & inter alia q. 7. de Malo ar. 3. circa finem corp. his verbis: *Relinquitur ergò, quòd causa perficiens, & propria voluntarij actus sit solùm id, quod operatur interiùs. Hoc autem nihil aliud esse potest, quàm ipsa voluntas, sicut causa secunda, & Deus sicut causa prima. Cuius ratio est. Quia actus voluntatis nihil aliud est, quam inclinatio quædam voluntatis in volitum: Sicut & appetitus naturalis nihil est aliud, quam inclinatio naturæ, ad aliquid. Inclinatio autem naturæ est à forma naturali, & ab eo, quod dedit formam. Vnde dicitur, quòd motus ignis sursum, est ab eius leuitate, & à generante, quod talem formam creauit. Sic ergo motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo, qui est voluntatis causa, qui solus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare potest, in quodcunque voluerit.* Quibus adde verba S.D. relata 1. p. Trac. §. 6. num. 18. & 19. fol. 40. Voluntas autem in prædictos actus, seu inclinationes, & affectiones, non mouetur à seipsa propriè loquendo. Licèt enim sint ab ipsa vt à principio eliciente, secundùm quem modum est ab ipsa voluntate generalis instinctus, quo fertur, in beatitudinem, seu fœlicitatem in communi: non tamen sunt ab ipsa sicut à reducente seipsam in prædictos actus, illo modo, quo, dùm ex voluntate finis reducit seipsam in actum appetendi ea, quæ sunt ad finem. Et quantùm ad hoc vide, quæ diximus loco proximè cit. Sed §. 5. per totum à fol. 36. Est ergo, quantùm ad prædictos actus voluntas mota à Deo immediatè, ideſt, nullo alio mouente mediante, vt loco proximè cit. ex doctrina ipsius S. Thomæ concluſimus.

20 Et quidem istæ speciales affectiones, seu inclinationes, in aliquod speciale bonum, vel auersiones ab aliquo speciali malo, immissæ a Deo in nostram voluntatem, seu diuini instinctus (absolutè & per se loquendo) sunt actus indeliberati: Sicut etiam apprehensiones immissæ in mentem nostram à Deo per Angelos, non sunt deliberationes, sed iudicia absoluta, repræsentantia, aliquid esse bonum absolutè: cùm non sint inuentæ ab intellectu nostro applicato ad inueniendum quid sit agendum ex voluntate finis; Sed ab extra immissæ. Et dixi: *absolutè, & per se loquendo*: quia aliter dicendum est, si supra prædictas inclinationes, & apprehensiones accedat aduertentia rationis, illasque suo iudicio non repellat. Hac enim accedente, incipiunt esse deliberatæ & liberæ. Idque non solùm est experientia manifestum in omnibus alijs actibus voluntatis indeliberatis, quos subitos, seu repentinos dicimus; sed etiam est verum de ipso instinctu generali, seu appetitu boni vniuersalis, seu beatitudinis in communi, qui potest esse actus liber, quantùm ad exercitium actus, & reflectente ratione supra proprios actus, voluntas potest illum à se repellere, vt docet S. Doctor qu. 6. de Malo in corp. ar. vnici, & ad septimum his verbis. *Bonum perfectum, quod est beatitudo, quod voluntas non potest non velle, ita scilicet, quòd velit eius oppositum; potest tamen non velle actu: quia potest auertere cogitationem beatitudinis, inquantùm mouet intellectum ad suum actum. Et quantùm ad hoc nec ipsam beatitudinem ex necessitate vult. Sicut etiam aliquis non ex necessitate calefieret, si posset calidum à se repellere, cùm vellet.*

2107

Explicatur qualiter instinctus voluntatis immissi à Deo possunt esse actus indeliberati & liberi.

2108

Probatur intentum quantùm ad abusum diuini instinctus.

21 Itaque prædicti diuini instinctus, seu inspirationes, motiones, vocationes, &c. important recensitas operationes intellectus, & voluntatis, menti nostræ immissas à Deo. At verò ex dictis constat, quòd voluntas nostra, absolutè loquendo, quandoque omnibus prædictis resistit, repellendo eas à se: & quòd quibusdam earum abutitur etiam ad malum. Ergo, Et hæc quidem minor, quantùm ad

Digitized by Google

hoc vltimum (quod est maius) expressè asseritur, immò & demonstratur à S. Thoma adductis pluribus locis Scripturæ, ac etiam expresso testimonio Augustini, verbis relatis in 1. p. huius Trac. §. 15. num. 25. fol. 68. & præsertim illis: *Et similiter Deus, quantùm est de se instigat homines ad bonum, puta Regem ad defendendum iura Regni sui, vel ad puniendum rebelles; sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundùm malitiam cordis sui. Et hoc patet Isai. 10. vbi dicitur ad Assur. Ad gentem fallacem mittam eum, contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia &c. Et post; Ipse autem non sic arbitrabitur: & cor eius non ita æstimabit; sed ad conterendum erit cor eius. Et hoc modo circa Pharaonem accidit; quia cùm à Deo excitaretur ad regni sui tutelã, abusus est hac excitatione in crudelitatem.* Quid clarius?

Confirmatur. Idque etiam deducitur euidenter ex his, quæ diximus eodem 1. p. Trac. à §. 5. ad 13. explicantes modum, quo voluntas mota à Deo generali instinctu in bonum commune, seu (vt loquitur D. Thomas ibidem §. 5. num. 8. relatus) *vniuersali motione in vniuersale obiectum voluntatis, sine qua vniuersali motione homo non potest aliquid velle*, mouet seipsam in actum peccati. Sicut enim instinctu isto generali mens nostra mouetur à Deo in bonum; & tamen voluntas peccans eo abutitur ad malum: ita instinctu aliquo speciali Dei in bonum *malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui*, vt docet S. Doctor.

2109 22 Quantùm verò ad primum (puta, quòd mens nostra potest resistere. & quãdoque resistit prædictis instinctibus, seu motionibus specialibus expellendo eos à se) eadem minor constare potest ex quampluribus, quæ in decursu huius disputationis stabiliuimus, præsertim ex iis, quæ ex S. Doctore retulimus §. 2. à num. 3. ad 15. à fol. 479. quibus docet, quòd infallibilis ordo diuinę prædestinationis habetur ex pluribus beneficijs, seu adminiculis, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem, quorum quodlibet est contingens, defectibile, & impedibile ab effectu per ipsam nostram voluntatem. Certum est autem, quòd inter dicta beneficia, & adminicula connumerantur prædicti diuini instinctus. Amplius §. 4. à num. 18. ad 21. fol. 496. retulimus quædam alia S. D. loca, quibus docet voluntatem nostram esse liberam; quia potest resistere illis causis, quæ ipsam determinant ad vnum, seu per quas ipsa à seipsa determinatur ad vnum, vel auertendo cogitationem, vel considerando oppositum. Et iam etiam certum est, quòd prædicti instinctus ad prædictas causas spectant. Potest ergo voluntas nostra

Manifestatur constare ex dictis, mentem nostram quandoq; abijcere à se diuinos instinctus, & speciales motiones.

resistere prædictis instinctibus auertendo cogitationem, & considerando oppositas rationes.

2110 23 Idque apparet; quia licèt prædicti instinctus sint immissi à Deo, siue immediatè, siue mediantibus Angelis; habet tamen mens nostra apprehensiones, & affectiones contrarias prædictis instinctibus. Mens ergo nostra reflectens supra proprios actus potest per affectiones, & apprehensiones contrarias gerere vicem oppositi agentis, & per eas excludere instinctus immissos à Deo, vt concluſimus §. 8. num. 20. fol. 536. Sicut, licèt aliquod animal esset creatum à Deo (vt fuit Adã, Eua, & alia animalia, quando creatus fuit Mũdus) quia tamen ipsum esset tale, quòd posset ab alio agente naturali corrumpi, inferendo in illud contrarias dispositiones; ideo posset occidi, & corrumpi ab aliis causis naturalibus: quemadmodum poterat Adam occidere aliquod animal ex creatis à Deo, eoque vti in cibum.

Probatur ratione naturali, & manifesto exemplo.

2111 24 Et ratio fundamentalis est, quia prædictæ speciales motiones, recipiuntur in nostra mente secũdùm modum ipsius. Ipsa autem, quia libera est, hunc modum habet, dum est in hac vita, nempe: quòd nullum habet actum necessarium, ita vt reflectens super eum non possit ipsum à se excludere; prædicti ergo instinctus, in mẽtem nostram immissi à Deo, hunc modum habent. Potest ergo ipsa mens, super dictos instinctus reflectens, illos à se excludere, & ita resistere illis. Idque (vt sæpè aduertimus) absolutè loquendo, & attenta natura talis motionis in nostra mente receptæ. Hinc D. Thomas Quodlib. 1. art. 7. ad secundum sic habet: *Ad secundum dicendum, quòd Deus mouet omnia secundùm modum eorum: & ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate: à creatura autem rationali cum libertate, propter hoc quòd virtus rationalis se habet ad opposita. Et ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quòd tamen potest huic motioni resistere.* Quid clarius?

Probatur alia ratione fundamentali, & confirmatur auctoritate D. Thomæ.

2112 25 Et quidem (vt sic vanas Recentium distinctiones de potentia antecedente, & sequente, excludamus) non solùm posse resistere; sed etiam ipsum actuale resistere tribuit menti nostræ S. Doctor in ordine ad prædictas istas speciales motiones, & instinctus. Quare nota dubium, eiusque resolutionem, quòd proponit S. Doctor lec. 6. in cap. 15. Ioan. lit. tex. d, scilicet, ad illa verba: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: inquit enim. *Secunda quæstio est de veritate conditionalis. Vtrum, scilicet, si Christus non feciſſet in eis opera, quæ nemo alius fecit, immu-*

Excluditur vana quorundã distinctio ex expresso loco S. Doctoris.

Digitized by Google

immunes essent à peccato infidelitatis? Responsio. Dicendum. Si nos loquamur de quibuscunque miraculis, haberent excusationem, si in eis facta non fuissent per Christum. Nullus enim potest ad Christum venire, per fidem; nisi tractus, supra 6. nemo potest venire ad me; nisi Pater, qui misit me traxerit eum. Et ideo Cant. 1. dicit Sponsa. Trahe me post te, &c. Vnde si nullus esset, qui eos traxisset ad fidem excusabiles essent de infidelitate. Sed est attendendum, quòd Christus attrahit verbo, signis visibilibus, scilicet monendo, & instigando interiùs corda: Prouerb: 21. Cor Regis in manu Dei. Est ergo opus Dei instinctus interior ad benè agendum, (Nota benè) *Et qui ei resistunt peccant: alias frustra dixisset Stephanus Act: 7. Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Et Isai. 50. Dominus aperuit mihi aurem, scilicet cordis: Ego autem non contradico. Est ergo hoc, quod Dominus dicit, (Si opera non fecissem in eis &c.) intelligendum non solùm de visibilibus; sed etiam de interiori instinctu, & attractu doctrinę, quæ quidem, si in eis non fecisset peccatum non haberent.*

2113 *Confirmatur auctoritate Cõcilij Sinonensis.*

26 Hanc ipsam sententiam, modumque discurrendi ex Scriptura obseruat Concilium Prouinciale Senonense cap. 15. de libero arbitrio dum concludit: *Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit*, &c. Et subdit. *Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, spiritum ne extinguerent, si diuinis inspirationibus homines ineuitabiliter raperentur.*

2114 *Res intenta concluditur definita de fide.*

27 Et inde ex dictis conclude mirabilem cohærentiam doctrinæ S. Thomæ hactenus in hac disp. explicatam, eiusque ad fidem ipsam miram consonantiam. Nam hoc, nempe, quòd mens nostra quandoque resistit internis instinctibus, seu motionibus, iam tandem, definitum est de fide ab Innocentio X. in Constitutione, qua declarantur, & definiuntur quinque propositiones in materia fidei anno 1653. Procedens enim ad damnandam secundam ex propositionibus, sic inquit. *Secundam: Interiori gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Nomine autem interioris gratiæ veniunt prædicti speciales interni diuini instinctus, seu motiones, vt per se constat.

Verba cõstitutionis Innocentij.

Verba Cõcilij Tridentini.

Conclude etiam qualiter benè cohæreat doctrina S. Thomæ à nobis proposita cum diffinitionibus Concilij Tridentini. Sess. 6. de Iustificatione tùm cap. 5. dum concludit: *Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, quippè qui illam abijcere potest.* Tum can. 4. sequenti dum diffinit *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, &c. posse dissentire si velit.*

Soluitur notanda obiectio: ac conciliantur loca Scripturæ, & Patrum, ex doctrina S. Thomæ.

28 Dices locus illæ Scripturæ Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*, quo vtitur S. Doctor ad suam cõfirmandam sententiam verbis relatis nu. 25. non videtur cohærere cum alijs eiusdem Scripturæ locis. Dicitur enim Esther. 13. *Domine non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Et ad Romanos 9. dicitur *Voluntati eius* (scilicet Dei) *quis resistet?* Ampliùs Boetius lib. 3. de Consolatione Prosa 12. circa medium concludit, vt rationibus naturalibus demonstratum: *Non est igitur aliquid, quod summo huic bono* (scilicet Deo) *vel velit, vel possit obsistere.* Præterea Augustinus lib. de Correptione, & gratia ad Valentinum cap. 14. aliquanto post principium ponit, & probat sequentem conclusionem, inquiens. *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in Cælo, & in Terra omnia, quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse, quod vult: Quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, dum vult, facit.* Quæ verba retulimus 1. p. huius Tract. §. 1. num. 5. fol. 2. Assumptum autem, quo conclusionem probat, puta: *quandoquidem etiam de ipsis*, &c. probat euidentissimè innumeris ferè locis, & exemplis Scripturæ.

2115 *Inculcatur difficultas ex variis locis Scripturæ.*

29 Respondemus, quòd prædictæ, & similes auctoritates, quibus sacra Scriptura abundat, mirè coherent in doctrina S. Thomæ in hoc Tractatu, & præsertim in hac disp proposita. Vnde per hoc ipsum apparet vtilitas, & mira coherentia doctrinæ eiusdem S. Doctoris. Qdandoquidem (vt cæpimus dicere in 1. p. huius Trac. §. x. num. 5. fol. 52. & §. 12. num. 3. fol. §6. Disp. 2. §. 2. num. 11. prope finem fol. 146. & diffusè explicuimus in hac disp. §. 3. à num. 10. ad 13. fol. 486.) Ordo diuinæ prouidentiæ, per sapientiam excogitatus, potest dupliciter considerari: vno modo in sua vniuersalitate, & inquantùm est vniuersalissima dispositio comprehendens, & includens in se omnes ordines causarum, simul sumptos. Alio modo in particulari, secundùm, scilicet, hanc, vel illam specialem causam, seu, (vt loquitur D. Thomas 1. p. q. 103. ar. 8. in corp.) *ordo diuinæ sapientiæ dupliciter potest considerari: vno modo in generali, secundùm, scilicet, quòd procedit à causa gubernatiua totius. Alio modo in speciali, secundùm quòd progreditur à causa particulari.* Et quidem si primo modo consi-

2116 *Soluitur ex doctrina in hoc tractatu sæpiùs inculcata, relato alio loco euidentissimo S. Doctoris.*

Digitized by Google

deretur, nihil est, quod possit tali ordini reniti, vel resistere. Vnde subiungit S. Doctor. *Primo igitur modo nihil contranititur ordini diuinæ gubernationis.* &c. Et hoc modo verificantur loca scripturæ, & Patrum secundo loco relata. At verò si accipiatur secundo modo, sic, sicut vna causa particularis resistit, & contranitur alteri causæ particulari, sic nos dicimur resistere, niti, & agere contra Deum, inquantùm resistimus, nitimur, & agimus contra aliquam causam particularem ordinatam à Deo ad hoc, vt per illam reuertamur ad ipsum, vel permaneamus in ipso. Et inde ipse S. Doctor eodem loco ad primum argumẽtum, quo sibi obiecit, vt infra: *Videtur, quòd aliquid possit reniti contra ordinem gubernationis diuinæ. Dicitur enim Isaiæ 3. lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum,* Respondet: *Ad primum dicendum, quòd dicuntur aliqui, vel cogitare, vel loqui, vel agere contra Deum, non quia totaliter renitantur ordini diuinæ gubernationis; quia etiam peccatores intendunt aliquod bonum; sed quia contranituntur cuidam determinato bono, quod est eis conueniens secundùm suam naturam, aut statum.* Quia igitur internus instinctus, seu motio mentis nostræ ad bonum, de quo loquimur, est quidam particularis impulsus, seu quoddam particulare bonum, quod attribuitur Spiritui Sancto: ideo, qui resistit, & renititur huic particulari bono, dicitur resistere Spiritui Sancto. Vnde S. Doctor hunc locum Scripturæ non ad hoc adduxit, vt probaret nos posse absolutè, & simpliciter, seu generaliter resistere Spiritui Sancto; sed vt probaret, nos posse resistere instinctui interiori, qui attribuitur Spiritui Sancto, & cui, cum resistimus, peccamus, agendo contra hoc speciale bonum. Et hæc satis sint de hoc §. Alias obiectiones vide puncto quarto.

§. XII.

Ostenditur sequi ex dictis, Deum per ipsam rationem ordinis præconcepti, seu excogitati per suam sapientiam in suo toto vniuerso, certò scire, vt in ipsa Conceptione, & excogitatione ordinis inclusas, omnes propositiones conditionales ab ipso Deo reuelatas, de futuro cõtingenti. Vt est illa. Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent. Matth. XI. & Luca IX.

2117

Primum, quod supponimus in hoc corollario, est veritas propositionum reuelatarum.

1 HOC est aliud corollarium notatu dignissimum, & ad sedandas Recentium dissentiones scitu necessarium, quod habetur ex doctrina S. Thomæ in hac disp. proposita duabus resolutionibus: altera §. 2. num. 5. & altera §. x. num. 5. & in explicatione eiusdem à num. 8. ad 12. & à 14. ad 16. Porrò supponimus, propositiones prædictas, á Deo reuelatas, esse veras: remque, per eas significatam, ita esse, sicut pronunciatur: ac etiam ab ipso Deo certissima cognitione cognosci. Intendimus autem explicare, qualiter ex doctrina S.-D. à nobis proposita habeatur, quòd propria radix, ex qua prouenit, quòd ita sit res significata per dictas propositiones, est ratio ordinis rerum per diuinam sapientiam præconcepti, seu ipsa ratio diuinæ prouidentiæ: & quòd eadem ratio sit proprium medium in quo, & per quod talia futura contingentia cognoscuntur à Deo.

2118

Eius explicatio est vtilis resolutionibus huius Tractatus.

2 Idque erit quampluribus in hoc Tractatu ex doctrina D. Thomæ stabilitis proficuum. Nam posset fortè alicui videri, prædicta loca Scripturæ astruere scientiam mediam vsurpatam à Molina, Suario, aliisque Patribus Societatis, qui prædicta loca ad eam adstruendam inculcant; quam tamen nos sæpè reiecimus vt falsam, eiusque obiectum, ad quod cognoscendum est introducta à prædictis Recẽtibus in suas Scholas, implicare contradictionem, vt concluſimus in hac disp. §. 5. num. 61. fol. 516. & probauimus §. 6. à nu. 13. ad 20. à fol. 521. Corollarium autem hoc, quod manifestare intendimus, istud, quod posset alicui videri, euidenter excludit.

2119

Probatur, ex dictis constare, quòd omnes propositiones cõditionales spectantes secundùm existimationem Mediscientiantium ad obiectum suæ scientiæ mediæ, sũt falsæ.

3 Et inde (antequam ad rem veniamus) aduerte, quòd ex hac ipsa doctrina S. Thomæ loco proximè cit. allata euidenter habetur, esse determinatè falsas in sensu, quo à Mediscientiantibus pronunciantur, propositiones omnes conditionales, quibus enunciant, quòd voluntas aliqua creata hoc liberè faceret, vel non faceret, si in his, vel illis circumstantijs constitueretur. Nam (vt §. 5. huius disp. num. 62. diximus) ipsi in sequenti sensu intendunt prædictas propositiones esse determinatè veras, vel falsas, videlicet: Si talis voluntas poneretur in his circumstantijs, ipsa existens ad vtrumlibet, & non determinata ad alteram partem per suæ rationis iudicium, seu imperium, seu nullo sibi adiuncto determinãte ad alteram partem, liberè procederet in hanc partem, seu hoc determinatè faceret. At verò omnes similes propositiones sunt impossibiles, & falsæ in sententia S. Thomæ, ponentis (vt patet ex dictis tota disp. 1.) esse principium necessarium, & demonstratum, quòd *Ab eo, quod est ad vtrumlibet nulla sequitur actio; nisi per aliquid, quod determinat ad vnum.* Idque in causa libera, seu voluntate, demonstra-

monstrauimus esse propriæ rationis iudicium, seu imperium. Vide loca cit. num. præcedenti, præsertim §. 6. huius disp. nu. 19. Vera autem propositio in nostra, D. Thomæ, & Aristotelis sententia esset ista: *Qualibet voluntas creata in quibusuis alijs circumstantijs collecetur, illud determinatè liberè aget, in quod inclinabitur per propriæ rationis iudicium*. Sicut etiam esset ista: *Quælibet voluntas creata; nisi determinabitur ad aliquid per propriæ rationis iudicium, nil liberè aget, in quibusuis alijs circumstantijs collocetur*.

2120 *Secundò, quod supponimus ex doctrina S. Thomæ.*

4 Aduerte secundò, nos supponere cum D. Thoma, Alberto Magno, Boetio, alijsque Peripateticis (quorum meminimus in hac disp. §. 5. à num. 1. ad 5. fol. 500.) sententiam Aristotelis, qua lib. primo Periher. apud eundem S. Thomam lec. 13. & 14. concludit: in singularibus futuris contingentibus neutram propositionum contradictoriarum, definitè acceptam, esse determinatè veram, vel falsam. Idque; quia aliàs sequeretur euerti liberum arbitrium, omnesque scientias morales. Vt patet ex his, quæ, relato commentario S. Thomæ, diximus disp. 1. §. 11. a num. 5. ad 8. fol. 122.

2121 *Tertium, quod ex eadem doctrina supponimus.*

5 Supponimus etiam cum eodem S. Thoma, tùm eodem loco, scilicet lec. 14. in primum lib. Periher. tùm alibi sæpè, quòd licèt prædictæ propositiones definitè acceptæ (vt diximus) determinatam veritatem, vel falsitatem non habeãt, loquendo absolutè, & secundùm se, seu attenta natura effectuum significatorum per eas, qui sunt effectus futuri contingenter; ac per hoc non sunt determinati ad esse, vel ad non esse, quantùm est ex natura sua, qua tales sunt per ordinem ad suas proprias causas proximas. Attamen, quoniam tales effectus ex proprijs causis proximis contingenter futuri, si considerentur per ordinem ad causam altissimam, seu communissimam rerum omnium, tàm necessariarum, quàm contingentium, puta, Deum, habent determinationem: & hoc inquantùm ipse Deus per decreta suæ prouidentiæ (quibus est causa prædictorum effectuum contingentium, & liberorum, non solùm quantùm ad hoc, quòd tali determinato tempore sint; sed etiam quantùm ad hoc, quòd contingenter, vel liberè sint) est determinatus ad constituendum illos, siue in esse, siue in non esse, vt docet S. Doctor de Veritate q. 8. ar. 12. in corp. verbis relatis disp. 1. §. 6. num. 10. & expensis num. 11. fol. 98, puta, illis. *Omnes autem huiusmodi effectus* (scilicet, qui procedunt ex causis contingentibus, & liberis) *qualescunque sint eorum causæ proximæ; tamen in causa prima omnes sunt determinati*; Ideo prædictæ propositiones, si per eas quasi per quandam translationem intendatur significari id, quod habent prædicti effectus contingenter, & liberè futuri, prout sunt in causa prima determinati, habent, sic acceptæ, determinatam veritatem, vel falsitatem.

2122 *Excluditur tacita obiectio.*

6 Nec tamen per hoc sequitur, vel euerti liberum arbitrium, vel tolli contingentiam à talibus effectibus, vt benè Aristoteles id inferebat ex definita veritate, & falsitate prædictarum propositionum, acceptarum secundum priorem significationem, quæ est propria earum significatio. Et ratio est. Quia veritas definita propositionis, quæ desumitur ex natura rei, supponit determinationem in natura rei, & ex consequenti necessitatem absolutam, quæ opponitur libertati, & contingentiæ effectuum, vt patet ex ijs, quæ ex Aristotele, Anselmo, Boetio, & D. Thoma diximus in hac disp. §. 5. num. 11. 22. 23. 24. & 25. à fol. 502. At verò definita veritas, vel falsitas propositionum de futuris contingentibus, quæ desumitur ex sola determinatione, quam dicti effectus habent in prima causa, in qua sunt determinati non solùm quantùm adhoc, quòd sint; sed etiam quantùm adhoc, quòd contingenter, & liberè sint à suis causis proximis, non supponit determinationem in natura rei, & ex consequenti nec necessitatem absolutam, oppositam contingentiæ, & libertati. Vide dicta locis proximè citatis.

2123 *Inculcatur ex dictis puncto difficultatis.*

7 Atque ex his apparet difficultatis punctus, quem in hoc §. dissoluere intendimus. Etenim ex eo, quod supponimus, non inueniri determinatam veritatem, vel falsitatem in propositionibus singularibus de futuris contingentibus, attenta natura rei significatæ per dictas propositiones: oportet nos consequenter asserere, quòd propositiones reuelatæ, de quibus loquimur, attenta natura rei significatæ, non sint determinatè veræ, vel falsæ. Ex eo verò, quòd ex alia parte etiam supponimus, prædictas propositiones reuelatas esse determinatè veras; oportet nos consequenter asserere, quòd significatum prædictarum propositionum, quod in sua natura est indeterminatum, habeat determinationem in causa vniuersalissima. Quod qualiter verum sit, debemus in hoc §. ex dictis nostris concludere, & explicare.

2124 *Recensetur quida mo-*

8 Et quidem, quantùm ad istum punctum, non latent nos inextricabiles quæstiones, quibus premuntur Recentes. Porrò

dus dicendi Recentium, in quo inextricabilibus premuntur difficultatibus.

rò qui motui Primi mouentis imponunt munus determinandi, & infallibiliter applicandi, seu inducendi causas contingentes, & liberas in determinatos actus, post frequentes disputationes, habitas cum Mediscientiantibus, ad hoc deuenerunt (paucis tamen exceptis, quos referunt Salmaticenses Trac. 3. disp. 9. num. 9.) vt dicerent, quòd actus liberi arbitrij, qui dicitur esse sub aliqua conditione futurus, qualis est, qui significatur hac propositione, *si in Tyro, & Sidone facta fuissent signa, quæ facta sunt in eis, qui erant Corozaim, pœnitentiam egissent*, habet determinationem in decreto Dei, quo ab æterno voluit hoc conditionatum, nempe, quòd Tyrij, & Sidonij pœnitentiam agant, si fiant in eis signa, quæ fient Corozaim &c. Et idem dixerunt de omnibus alijs, non solùm reuelatis in sacra scriptura, de quibus nos loquimur; sed etiã imaginabilibus à quolibet intellectu, etiam Diuino; & tùm de habentibus conditionem habentem aliqualem connexionem, & ordinem ad actum futurum, tùm de omninò disparatis, & nullam habentibus connexionem, secundùm quem modum sunt infinitiès infinita, etiam pro quolibet instanti singulari. Vnde, inquiunt, diffiniuit Deus, quòd si ego, qui nunc scribo, vellem dormire, Turca, qui non ambulat, ambularet, & hic piscis si saltaret in aquis, ego vellem cantare, Franciscus vellet sumere potionem, Angelus vellet inspirare bonum custodito, Diabolus talis vellet talem tentationem fugerere tali homini, & hanc aliam tali, &c. quorum omnium, nec conditio, nec futurum ponetur in hoc instanti. Coguntur autem concedere hanc decretorum infinitiès multiplicatam infinitatem; quia quod concedunt vni, non possunt alijs, de quibus est eadem ratio, denegare. Vt patet ex ijs, quæ lato calamo docent Salmaticenses tota disp. 9. proximè cit. præsertim num. 63. At verò Mediscientiantes, vt ostenderent otiosam, vanam, ac per hoc Deo repugnantem prædictam multitudinem decretorum, penè innumeras dubitationes coacerauere. Vt videre est apud Suarium parte 2. de Diuina gratia, proleg. de *Scientia*, *quã Deus habet de liberis actibus sub conditione futuris*. cap. 8. & 9. à fol. 36. ad 47.

2125

Modus dicendi Caramuelis.

9 Nec etiam nos latet modus, quem, datis sex Theorematibus, proponit Ioannes Caramuel in Theologia morali fundamentali num. CLVI. scilicet 156. quatenus dicit, quòd ea solùm futura libera conditionata habent determinationem, quæ necessariò, & infallibiliter inferuntur ex absolutè futuris; & quòd talia sunt ea, quæ sunt in Sacra Scriptura reuelata: quæ proindè cognoscuntur à Deo cognitis futuris absolutis. Cætera verò, quæ non inferuntur necessariò ex absolutè futuris, sunt indeterminata; propositionesque ea significantes non habent determinatam veritatem, vel falsitatem. Qui quidem dicendi modus qualiter veritatem contineat, vel non contineat, ex dicendis patebit. Veniamus ad rem.

Proponitur intentum.

10 ITaque intendimus, quòd prædicta libera conditionata futura, à Deo reuelata, quorum, quia nunquam adimpletur conditio, sunt absolutè non futura, habent determinationem in Deo; non quidem in excogitatis à Recentibus decretis, quæ scilicet, creduntur esse in Deo, vt merè, & purè terminata ad faciendum, vt voluntas creata efficiat determinatos actus liberos sub illa conditione, nunquam adimplenda, seu quam ipse Deus vult, nunquam adimpleri: Sed in ipsa ratione diuinæ prouidentiæ, seu in conceptu diuinæ mentis per diuinam sapientiam inuento, quo ordinat omnes causas in vniuerso, vt per eas, sic ordinatas, earum seruata natura, perueniat in effectus, quos vult, & eo modo, quo vult, eos esse. 2126

Conclusio probanda

Probatur ex doctrina resolutionum huius disputationis.

11 NAM, hoc ipso, quòd (vt diximus in nostris resolutionibus in principio huius §. citatis) per hoc Deus habet, quòd indefectibiliter procedit per causas defectibiles contingentes, & liberas, in effectus earum; quòd per suam sapientiam disponens, & ordinans causas omnes vniuersi, sic causarum temperet occursus, interponendo adiuuantia, & impedientia, vt causas defectibiles, quorum vult effectus, seruet sine defectu: iam inde habetur, quod, si ex aliqua serie causarum auferretur aliqua ex causis, seu adminiculis, vel ei adderetur alia, tollens, vel impediens effectum alicuius ex causis, seriei, variaretur talis seriei dispositio: & ille sequeretur effectus, qui esset seriei proportionatus, illo dempto, vel addito. Ergo, eo ipso, quòd in ratione diuinæ prouidentiæ (vt diximus) habetur diffinita dispositio, & ordinatio causarum in ordine ad actum liberum, quem Deus vult habere per voluntatem creatam, & qui de facto est nobis futurus; iam habetur in ipsa ratione diuinæ prouidentiæ fundamentum, 2127

Probatur ex illa radice, vnde habetur infallibilitas in ordine diuinæ prouidentiæ.

Digitized by Google

mentum, & determinatio, propter quam est verum, quòd, si aliqua ex illis causis, quas Deus excogitauit in dispositione causarũ, ad habendum talem actum liberum voluntatis creatæ, non esset; talis actus, qui de facto est futurus, non esset futurus: & quòd si aliqua alia causa, quæ non est in serie excogitata à Deo ad talem actum, adderetur tali seriei, sequeretur alius actus proportionatus tali seriei, habẽti tale additum. Vtraque consequentia est euidens.

2128 12 Vt autem eam videas, considera exemplum, quo aliquoties (ad aliud intentum) vtitur D. Thomas: & supponit fundamentum nostræ sententiæ euidentissimum. Videlicet, quòd fatum, in bona significatione acceptum, importat ordinem causarum creatarum, descendentem tanquam à forma exemplari, quam in re explicat, à ratione ordinis diuinæ prouidentiæ. Et pro hac re vide, quæ ex Boetio, & Angelico Præceptore diximus §.1.huius disp.num.2. & 3. fol.477. & §.x. num. 12. 13. & 17. fol. 547. Pone ergo ex vna parte, quòd Deus (siue approbando, siue concedendo) sic disposuerit causas, vt per eas peruenirent ad hoc, quòd quatuor latrones (in quibus aliàs permiserat immane odium contra alios duos homines propter grauem iniuriam ab ipsis receptam) fugientes ministros iustitiæ, peruenirent sitientes ad fontem aliquem, vt ibi quiescerent. Pone deinde ex alia parte, quòd sic etiam disposuerit causas, vt per eas peruenirent ad hoc, vt illi duo homines, contra quos latrones habent immane odium, inuitati ab amico, vt secum comederent in loco non multum distante à fonte, vnus, quem Deus per hanc viam vellet in manus inimicorum immittere, sitiret, & eadem hora vellet ire ad fontem: alius verò, quem Deus vellet per hanc aliam viam præseruare, ne in manus inimicorum incideret, non sitiret, nolletque ire ad fontem. Vnde illo pergente ad fontem, vt biberet, & isto manente domi, ille incideret in manus inimicorum, & occideretur; iste verò præseruaretur. Causis autem sic existentibus in diuinæ prouidentiæ ratione ordinatis, vt prædicto fatali ordine expressimus; iam haberemus, quòd verè possemus dicere: Si latrones voluissent fugere ministros iustitiæ per viam diuersam ab illa, quæ eos duxit ad fontem, noluissent occidere inimicos. Similiter esset verum: Si latrones noluissent morari illa hora circa fontem, & statim discessissent, non habuissent voluntatem occidendi inimicum. Ampliùs esset verum: Si illi duo inuitati ab amico ad comedendum noluissent ire, & comedendo vnus non sitiret, & sitiendo noluisset ire ad fontem, & volens ire, iuisset sociatus decem viris armatis, & ministris iustitiæ, latrones non habuissent voluntatem eum occidendi. Ampliùs esset verum: Si ille qui domi mansit, iuisset illa hora solus ad fontem, latrones habuissent voluntatem eum occidendi, seu eum occidissent. 2129

Manifestatur euidentissimo exẽplo.

Quæ propositiones essent veræ ratione ordinis diuinæ prouidentiæ, positi in dicto exemplo.

13 Et ratio horum omnium est, quã nos pro nostra conclusione adduximus. Causæ enim per diuinam prouidentiam ordinatæ ad effectus, habent effectus suos iuxta naturam propriam vniuscuiusque, seu seruato ordine, quem ex sua natura habent ad ipsos. Vnde causæ contingentes, si non habent impedimentum, habent effectus suos; si verò illud habent, siue simpliciter, siue secundùm quid; non habent effectus suos, siue simpliciter, siue secundùm quid: seu talem effectum habent, qualis eis conuenit, posito illo impedimento. Ex quo fit, quòd, quia voluntas occidendi inimicum in latronibus, ex duobus principijs procederet, nempe, ex odio, & ex casuali occursu inimicorũ loco, & tempore proportionato ad sumẽdam vltionem iniuriæ receptæ: ideo est, quòd si ab illa serie causarum, prædicto modo ordinatarum per diuinam prouidentiam, poneretur aliquid auferri, (quod tamen, posita immutabilitate diuinæ prouidentiæ, esset absolutè non auferendum) ex quo dependet aliquod ex dictis principijs; poneretur ex consequenti auferri effectus prædictorum principiorum, puta: quòd latrones haberent voluntatem occidendi inimicos. Et similiter, si aliquid poneretur addi prædictæ seriei (quod etiam absolutè non esset addendum, posita immutabilitate diuinæ prouidentiæ) ex quo sequitur, quòd latronibus habentibus odium veniat casualis occursus inimicorum in loco, & tempore, apto ad exercendam vindictam &c. poneretur ex consequenti in latronibus prædictus effectus, puta; voluntas ad sumendam vindictam. 2130

Ratio veritatis dictarũ propositionum explicatur

Applicatur ratio ad propositum.

14 Quoniam autem, si poneretur, quòd ille (quem domi posuimus mansisse) iuisset ad fontem illa hora, qua erant ibi latrones, erga ipsum habentes odium; poneretur ex consequenti, quòd latrones, habentes odium, haberent casualem occursum inimici in loco, & tempore, apto ad sumendam vindictam &c. ideo esset verum, quòd si ille (quem posuimus mansisse domi) iuisset ad fontem, latrones eum occidissent. Quod tamen absolutè non esset futurum; sicut absolutè non esset ponenda conditio. Similiter, quia si poneretur, vel quòd latrones non iuissent

ad

Digitized by Google

ad fontem, vel quòd ibi non morati fuissent, vel quòd inimici tunc non veniſſent, &c. tolleretur caſualis occurſus inimicorum in loco apto &c. ideo tolleretur ex conſequenti prædictus effectus, puta, quòd latrones voluiſſent vlciſci, & occidere, &c. Et idem eueniret ſi poneretur aliquid, vel tollens odium à latronibus, vel reddens ineptum tempus, & locum ad exercendam vindictam. Vt ſi poneretur, quòd, dum latronum inimici irent ad fontem, latrones, fulgure de cœlo cadente conterriti, ceſſarent ab odio; vel ſi, illis euntibus ad fontem, audiretur tuba miniſtrorum iuſtitiæ, ſeu armorum Capitanei, & ſimilium, quibus tempus redderetur ineptum ad exercendam vindictam.

2131 15 Ex quibus omnibus apparet primò hoc, quod intendimus probare, nempe, quòd ſuppoſita ratione vniuerſaliſſimi ordinis diuinæ prouidentiæ, comprehendente ſub ſe cauſas omnes actuum liberorum creatæ voluntatis; ſequitur euidenter, quòd aliquis actus noſtri liberi arbitrii, qui ex ordine eiusdem prouidentiæ eſt abſolutè non futurus, eſſet futurus, ſi aliquid, quod non eſt in ipſa ratione prouidentiæ, poneretur eſſe: quod quia abſolutè non eſt ponendum in eſſe; talis actus noſtri liberi arbitrij eſt abſolutè non futurus.

Concluditur intentum.

2132 16 Apparet ſecundò, quòd ad hoc, vt actus aliquis creati arbitrij, qui abſolutè non eſt futurus, ſit ſub conditione (quæ non eſt ponenda in eſſe) futurus; vel è cõtra, actus futurus ſit eodem modo non futurus; & ita ſub conditione ſciatur futurus, vel non futurus; non oportet ponere in Deo decreta illa conditionata, excogitata à recentibus. Et ratio eſt; quia, exiſtente diſpoſitione cauſarum per diuinam prouidentiam ordinatarum, illa illatio, & conſecutio, importata per propoſitionem conditionalem, qua ex eo, quòd ponitur, dicitur ſequi, actum voluntatis eſſe futurum, vel non futurum, attenditur ſecundùm naturam ipſarum cauſarũ diſpoſitarum. Vnde eſt neceſſaria, ratione cauſarum, quæ ſic, vel ſic, ſunt ordinatæ in diuina prouidentia.

Ex dictis deducitur ratio, cur non ſint ponenda decreta excogitata à Recẽtibus.

2133 17 Sicut ſi ponceremus, quòd extra ianuam domus inhabitatæ ſic ſint ordinata, & ſituata corpora, vt propè ianuam eſſet ignis, poſt ignem aqua, poſt aquam nix; non requireretur decretum ad veritatem huius conditionalis: Si quis egrederetur ex hac domo, eſſet primo calefaciẽdus, poſtea humectandus, tertiò infrigidandus. Nam facta ſuppoſitione ſingularis egreſſionis (quæ tamen non eſt ponenda in re, cùm domus ſit inhabitata) è domo, habente ſic ante ianuam ſituata, & ordinata corpora alteratiua; illa conſecutio ſucceſſiua alterationum eſſet neceſſaria, ratione naturæ cauſarum, ſic extra domum ordinatarum. Sic in propoſito. Nã exiſtente per diuinam ſapientiam excogitata ab æterno diſpoſitione, ſeu ratione ordinis cauſarum omnium vniuerſi, ſi deinde poneretur, quòd aliquid, quod nunquam erit, eſſet hoc loco, tempore, &c. tunc, quòd, hoc poſito, iſtud eueniret infallibiliter, vel illud, haberetur ex ipſa natura cauſarum, quæ ſic ſunt ordinatæ, & quaſi in ſuo vniuerſo ſituatæ perimmutabilem diuinam prouidentiam. Nã iſtæ ſimul cum illo, quod ponitur, talem haberent effectum. Sicut patet in exemplo allato. Nam quòd ille (quem poſuimus manſiſſe domi) ſi fuiſſet ad fontem, incidiſſet in manus latronum, qui ex diuina diſpoſitione fuiſſent circa fontem, non eſset ex aliquo ſpeciali decreto exiſtente in Deo circa tale conditionatum; ſed ex ipſa natura rerum exiſtentium in loco; inquantùm illi eſsent in loco fontis, & iſte iret ad locum fontis. Et ſimiliter quòd iſti eum occidiſsent, eſset ex ipſa natura cauſarum; inquantùm habentes odium, & opportunam occaſionem vindicandi iniuriam, infallibiliter deuenirent in iudicium ſingulare, quo iudicarent, in tali opportunitate eum eſse occidendum. Vt patet ex doctrina, & exemplis ex D. Thoma allatis §. 9. per totum. Denique apparet, qualiter modus propoſitus à Caramuele haberet veritatem, ſi ſecundùm prædicta intelligeretur. Sed veniamus ad loca Scripturæ in particulari.

2134 18 Porrò locus, quem poſuimus in principio huius §. *Si in Tyro & Sidone*. &c. habet veritatem, inquantùm ex diuina prouidentia cauſæ fuerant ſic diſpoſitæ circa Tyrios, & Sidonios; vt non fuerint in eis permiſsa illa vitia, quæ erant in ciuibus Corozaim, & Bethſaidæ, ex quibus iſti reddebantur duri, & ceci; tùm ad recipiendas diuinas inſpirationes, tum ad conſideranda miracula, & facta Chriſti Domini oſtendentia ipſum eſse Meſſiam, promiſsum Patribus. Vnde abutebantur inſtinctibus diuinis ad malum, erantque ex illis, de quibus dicebat Stephanus Act. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Quare Tyri & Sidonij erant per cauſas, ex diuina prouidentia ordinatas, cuſtoditi ſine iſtis vitijs; ac per hoc erant ſic præparati, vt ſi prædictis cauſis adderentur illa, quæ Chriſtus Dominus faciebat ciuibus Corozaim & Bethſaidæ, ipſi Tyri, & Sidonij, attenta natura cauſarum ordinatarum ad inducendum ipſos ad penitentiam; eam egiſ-

Secundum doctrinam exẽpli verificatur locus Scripturæ, poſiti in principio §.

ſent

Digitized by Google

sent in cilicio, & cinere. Idque illo simili modo verificatur, sicut num. præcedenti diximus esse verum, quòd si ille (quem posuimus mansisse domi) iuisset ad fontem, latrones eum occidissent. Inquantùm, scilicet, latrones erant sic dispositi, quòd si prædictæ dispositioni adderetur casualis occursus inimici loco, & tempore opportuno, oporteret (attenta natura causarum, quibus erant dispositi ad operandum) eos deuenire in actum occidendi inimicum. Num dices, prædictum huius loci sensum nulla esse auctoritate firmatum?

2135 19 Accipe igitur Augustinum, apertissimè prædictum locum sic intelligentè. lib. 2. *De Prædestinatione Sanctorum*, qui est *De bono perseuerantiæ*. cap. 14. aliquantò post principium. Vbi sic habet, *Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Cæteri autem vbi, nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti sunt, & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam vt crederent non erat eis datum; etiam vndè crederent est negatum.* Nota benè præcedentem sententiam: & adhuc accuratiùs nota sequentem: nam subdit ad nostrum propositum. *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant: & tamen si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent.* Notasti? sequitur. *In eadem perditionis massa relicti sunt Iudei, qui non potuerunt credere, factis in conspectu suo tam magnis, clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit Euangelium, dicens; Cum autem tanta signa feciſſet coram eis, non crediderunt in eum, vt sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit. Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Et ideo non poterant credere; quia iterum dixit Isaias: Excecauit oculos eorum, & indurauit cor illorum, ne videant oculis; nec intelligant corde, & conuertantur, & sanem illos.* Ex quibus infert. Nota bene. *Non erant ergo sic excecati oculi; nec sic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum; quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa, vidissent.* Ita Augustinus. Peream, si dilucidiùs, aut meliùs potuisset nostram sententiam explicare.

Confirmatur expressò loco Sancti Augustini.

2136 20 Iam enim vides, quòd sicut circa ciues Corozaim, & Bethsaidæ, in causas permissas à Deo, puta in illa vitia, quibus habebant mentis oculos excæcatos, & cor induratum, refundit, quòd, habitis tam magnis beneficijs à Christo, inducentibus eos ad pœnitentiam, eam non egerunt: Ita in oppositas causas, puta, in Tyriorum, & Sidoniorum bonam dispositionem, factam in eis à Deo, per quam (diuina eos prouidentia custodiente) non habebant mentis cæcitatem, & duritiem cordis, refundit, quòd pœnitentiam egissent, si in ipsis factæ fuissent virtutes, quæ à Christo Domino factæ sunt in alijs Ciuitatibus. 2137

Inculcatur ad propositum.

21 Sed pro prædicta veritate intelligenda, debent hic notari duo, Vnum est, quòd per virtutes factas à Christo in prædictis ciuitatibus, non solùm veniunt externa miracula, & exterior Christi prædicatio; sed etiam interiores diuini instinctus, quibus corda ciuium instigabat ad credendum, & ad bonum pœnitentiæ agendum. vt optimè docet S. Thomas, à nobis relatus in hac disp. §. xi. num. 25. lege iterum.

Diuini instinctus veniunt sub significato virtutum factarum à Christo.

22 Alterum est, quòd prædicti diuini instinctus (vt constat ex dictis eodem §. a num. 22. ad 25.) sunt sicut omnes aliæ causæ contingentes, quæ si non habent impedimentum, infallibiliter habent effectum, ad quem de se sunt ordinatæ. Et inde euidenter inferes, quòd quia interiores instinctus, & motiones, quibus Christus instigauit corda ciuium Corozaim, & Bethsaidæ ad credendum, & pœnitentiam agendum, habuerunt in eis impedimentum obcæcationis, & duritiei cordis, permissum à Deo, quòd non habuissent, si in Tyrijs, & Sidonijs facti fuissent; quia, scilicet, in istis non permiserat Deus talem obcæcationem, & duritiem cordis: ideo isti infallibiliter pœnitentiam egissent, si in eis facti fuissent. 2138

Diuini instinctus sunt impedibiles sicut aliæ causæ contingentes.

23 Simili omninò modo verificantur omnia alia loca scripturæ, quæ afferunt Recentes, suis tamen seruatis causis. Vnde quod affertur ex 1. Regum cap. 23. vbi Dominus reuelauit, quòd, si Dauid mansisset Ceilæ, esset illuc descensurus Saul, & Ceilitæ essent Sauli Dauidem tradituri, veritatem habet in ipsa ratione ordinis causarum, in qua erant causæ tendentes in tales effectus, quæ non erant aliter impediendæ; nisi per hoc, quòd Dauid recessit. Quare si remansisset, ille causæ fuissent non impeditæ, & infallibiliter induxissent tales effectus. 2139

Eodemmodo verificãtur alia loca scripturæ, vt est illud 1. Regum cap. 23.

24 Porrò prædicto cap. sic historiam refert sacer Textus. *Nunciatum est autem Sauli, quòd venisset Dauid in Ceilam: & ait Saul. Tradidit eum Deus in manus meas, concluſusque est, ingressus vrbem, in qua portæ, & seræ sunt. Et præcepit omni populo, vt ad pu-* 2140

Verba sacri textus.

Digitized by Google

gnam descenderet in Ceilam, & obsideret Dauid, & viros eius. Quod cùm Dauid resciſſet, quia præpararet ei Saul clàm malum, dixit ad Abiathar ſacerdotem, applica ephod. Et ait Dauid: Domine Deus Iſrael &c. Si deſcendet Saul ſicut audiuit ſeruus tuus? &c. indica ſeruo tuo. Et ait Dominus: Deſcendet. Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui ſunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus. Tradent. Surrexit ergo Dauid, & viri eius quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila hùc, atque illùc vagabantur incerti. Nunciatumque eſt Sauli, quòd fugiſſet Dauid de Ceila, & ſaluatus eſſet: quamobrem diſſimulauit exire.

2141 *Incul cantur verba Scripturæ ad propoſitum.*

25 In quibus, vt vides, iam erant determinatæ cauſæ ad inducendum deſcenſum Saulis in Ceilam; quæ tamen fuerunt impeditæ per Dauidis egreſſum è Ceila, ſcitum à Saule. Si ergo Dauid non fuiſſet egreſſus, iam tales cauſæ, prout ſubſunt ordini diuinæ prouidentiæ, explicati per hiſtoriam, remanſiſſent non impeditæ. In tali ergo hypotheſi, attenta natura cauſarum contingentium non impeditarum, infallibiliter Saul deſcenſurus fuiſſet in Ceilam. Ampliùs, cauſæ inducentes Ceilitas ad tradendum Dauidem Sauli, erant, affectus Rectorum Ciuitatis ad maieſtatem regiam Saulis, & iudicium vniuerſale, quod habebant, puta: quòd non eſſet ciuitas exponenda periculo pro defenſione priuati in præiudicium Regis irati venientis cum toto populo. Facta autem hypotheſi, quòd Dauid non fuiſſet egreſſus, prædictæ cauſæ, prout erant ſub ordine diuinæ prouidentiæ, nullum habuiſſent impedimentum, cum de facto fuerint impeditæ per egreſſum Dauidis. In tali ergo hypotheſi, attenta natura cauſarum in diuina prouidentia non impeditarum, infallibiliter Ceilitæ tradidiſſent Dauidem Sauli. Quare conſidera, quòd ita Dauid per hoc, quòd receſſit è Ceila, fuit ſeruatus, ne incideret in manus Saulis: ſicut in exemplo, quod in principio huius §. poſuimus, ille per hoc, quòd manſit Domi, fuiſſet ſeruatus, ne occideretur à latronibus. Vnde ſicut in illo exemplo fuiſſet verum: Si ille, qui domi manſit, iuiſſet ad fontem, occiſus fuiſſet à latronibus: ita eſt verum hìc: Si Dauid, qui è Ceila receſſit, manſiſſet Ceilæ, captus fuiſſet à Saule.

2142 *Verificatur alius Scripturæ locus.*

26 Denique illud ex cap. 4. Sapientiæ. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius: aut ne fictio deciperet animam illius*, intellectum, prout videtur ſignificare, quòd, ſi talis raptus non fuiſſet, ſeu vixiſſet, malitia infallibiliter fuiſſet mutatura intellectum eius, & fictio deceptura animam illius; ac per hoc *raptus eſt, ne malitia mutaret*, &c. veritatem habet in ipſa excogitatione ordinis cauſarum per diuinam prouidentiam, ſiue approbationis, ſiue conceſſionis.

2143 *Manifeſtatur intentum.*

27 Vt hoc videas, conſidera duo. Vnum eſt, quod §. 10. tàm in reſolutione, quàm in eius explicatione à num. 5. ad 12. à fol. 545. ſtabiliuimus: nempe, quòd Deus, excogitans ordines, congreſſioneſque cauſarum, in quibusdam congreſſibus, attenta natura earundem cauſarum, permittit incidere aliquod peccatum: in quibusdam verò congreſſibus, earundem cauſarum attenta natura, peccati alicuius incurſionem non permittit. Alterum eſt, quòd ſicut circa vitam alicuius hominis aliquando ſic res ſua prouidentia diſponit, vt licèt eum permittat pro aliquo tempore cadere in peccatum aliquod; ipſum tamen ſeruat in vita, vt per cauſas, quas etiam ipſe Deus in eadem ſua prouidentia diſponit, alio tempore reducat ad gratiam, in eaque conſeruet. Ita quandoque circa vitam alterius, quem per cauſas ſua prouidentia diſpoſitas reducit ad gratiam, ſic rem diffinit, vt ſtatim acquiſita gratia moriatur: ſic autem diffinit quandoque, vt per mortem impedimentum præſtet quibusdam cauſis in ipſo exiſtentibus, à quibus (adiunctis alijs in diuina prouidentia diſpoſitis ad alios fines, quæ cum eis; ſi viueret, deberent habere congreſſum) induceretur in malitiam propriæ voluntatis; ac per hoc ſic diffinit, ne per ea, quæ in ſua prouidentia continentur, permittat eum peccare. Si ergo viueret, per ea, quæ ſunt in diuina prouidentia, permitteretur peccare, & ſic malitia mutaret intellectum eius &c. Nec ſanè, poſitis iis quæ cit. §. diximus, aliqua difficultas circa hoc eſſe poteſt. Tranſeamus ad quartum, & vltimum punctum.

PVNCTVM QVARTVM.
In quo.

Dubia reſidua, & obiectiones ſoluuntur.

2144 AD hoc punctum ſpectare poſſunt, tùm ea argumenta, quæ magno numero congerunt Mediſcientiantes, vt probent; quòd ſi ſecludatur à Deo ſcientia media, ſeu ſcientia futurorum ſub conditione, ſecundùm modum, ab ipſis explicatum, & à nobis reprobatum, non poteſt Deus per ſuam prouidentiam habere infallibilem ordinem ad effectus, ſeu actus voluntatis creatæ, niſi excluſa ab illis libertate: tùm ea, quæ afferunt oppoſitæ claſſis Doctores, vt probent neceſſitatem motionis

haben-

Digitized by Google

habentis munus inducendi infallibiliter causas liberas in actus suos. Verùm hæc posteriora, siue ab auctoritate, siue à ratione desumpta funditùs euertimus, & contra auctores suos inculcauimus Disp. 2. toto puncto 3. scilicet à §. 3. ad 9. à fol. 147. ad 187. & §. 26. à fol. 301. ad 312. Solùm videtur excidisse aliquod medium extraneum, quo quidam crediderunt, quæstionem trahi posse ad singulare donum perseuerantiæ. Priora verò sumus funditus euersuri tùm in Tractatu de illo principio, *omne, quod mouetur, mouetur ab alio*. tùm in Trac. *De necessitate præcedente, & sequente secundùm mentẽ D. Anselmi*, quos tractatus simul cum alijs secundus tomus comprehendet. Solùm hìc prætereundum non videtur, breuiter saltèm tangere præcipuum, immo vnicum Aduersariorum fundamentum, illiusque solutionem indicare, remittendo lectores ad dicenda in alijs tractatibus. Quare punctum hunc duobus §. §. absoluemus. Et in sequenti mediscientiantium fundamentum: in postremo verò, quod spectat ad donum perseuerantiæ perstringemus.

§. XIII.

Fundamentum vnicum existimantium, necessarium esse Deo scientiam mediam ad hoc, vt possit prouidentiam habere de actibus liberis voluntatis creatæ, proponitur, & diruitur.

2145 *Proponitur fundamentalis difficultas Mediscientiantium.*

1 ISTud autem contra resoluta à nobis in hac disputatione circa infallibilitatem ordinis diuinæ prouidentiæ, sic vrgeri potest. Si secluſa scientia media Deus, vt causa vniuersalissima, comprehendens sub suo ordine omnes causas, haberet per suam prouidentiam, ordinationemque causarum infallibilem ordinem ad omnes actus, quos vult habere per quamlibet voluntatem creatam; oporteret asserere: Deum per decreta suæ voluntatis, præfinitionesque suæ prouidentiæ esse causam infallibilem, antecedentem vsum libertatis nostræ voluntatis in ordine ad omnes actus eiusdem voluntatis. Atquì si Deus prædicto modo esset causa in ordine ad actus nostræ voluntatis, omnes tales actus euenirent ex illa antecedenti necessitate, de qua docet Anselmus, quòd excludit ab effectibus contingentiam, & libertatem. Omnes ergo actus nostræ voluntatis essent necessarij, & expertes libertate. Et ex consequenti ordo fatalis causarum, ex diuina prouidentia proueniens, esset fatum illud prohibitum, & in mala significatione acceptum; imponens scilicet necessitatem.

2 Consequentia maioris patet. Quia (vt inquit Vasquez. 1. p. disp. 99. cap. 7. nu. 44.) secluſa scientia media, qua Deus sciret, quid faceret ex se voluntas creata, si in his, vel illis circumstantijs constitueretur, nullus datur modus, quo vsus libertatis possit aliquo modo supponi, saltem vt scitus, ad decreta, & prouidentiam Dei. Dei ergo prouidentia, & decreta erunt omninò absoluta, & præsupposita ad vsum libertatis; & consequenter causa antecedens inferens per consequentiam necessariam, & infallibilem ipsummet vsum. 2146 *Probatur Maior.*

3 Minor verò vnanimi voto scriptorum Societatis existimatur asserta ab Anselmo, putant enim ipsum docuisse, quòd id est necessarium, necessitate formaliter præcedente, quæ repugnat contingentiæ, & libertati, quod sequitur per sequelam necessariam ex quauis causa, vel suppositione antecedenti vsum libertatis. Hinc Ruiz de Scientia disp. 34. sec 1. num. 1. loquens de necessitate, quam Anselmus vocat præcedentem, sic discurrit. *Necessitas antecedens est, quæ prouenit ex suppositione antecedenti. Suppositio antecedens est illa, cuius existentia nullo modo dependet ex vsu nostræ libertatis; neque fuit vnquam in potestate nostra illam ad se adducere; vel illam à se arcere. Insuper ex tali suppositione per illationem simpliciter necessariam sequitur noster actus; ita vt in sensu composito impossibile sit suppositionem ponere sine actu.* Et idem in re (licèt non ijsdem verbis) inuenies passim apud Alios. Vt apud Suarium parte prima de Diuina gratia prolegom. 1. cap. 6. à num. 7. & alibi, & specialiter tota parte 2. frequentissimè. Fasolum 1. p. q. 14. ar. 13. num. 390. versu. *Argu. octauo*, & num. 397. & sæpè alibi. Vasquium, seu Vasquez. 1. p. q. 14. ar. 13. disp. 68. cap. 4. in principio. Vbi sic ait. 2147 *Minorem asserunt vnanimiter Mediscientiantes.* *Verba Ruiz describentis necessitatẽ præcedentem Anselmi.*

4 *Primo notanda est doctrina quædam Anselmi lib. de concordia præscientiæ & prædestinationis cap. 1. cuius meminit Albertus in 1. dist. 38. ar. 4. Riccardus ibidem q vlt. Alex. 1. p. q. 24. m. 5. Holcot. in 2. q. 2. art. 9. circa finem q. Vuald. tom. 1. lib. 1. cap. 25. & 28. & paucis indicauit Boetius lib. 5. de Consolatione prosa 4. &c. Ait itaque Anselmus duplicem esse necessitatem, qua res aliqua dicitur esse, aut fore necessariò; vna est antecedens, seu præcedens: altera est sequens, aut consequens. Necessitas præcedens nascitur ex causa, quæ præcedit effectum, & facit ipsum necessariò esse. Hac necessitate, ait Anselmus, in crastinum orietur Sol. Quoniam causa ad illum effectum necessariò mouet. Subiungit: cùm de hac necessitate* 2148 *Verba Vasquij imponentis eandem doctrinã Anselmo.*

Digitized by Google

sermo est, sic nos debere loqui; Res eris, quia necesse est eam fore; hoc est, quia causa aliud facere non potest. Verùm disp. 89. cap. 10. n. 94. iterũ explicat prædictam necessitatem ex mente Anselmi (vt ipse ait) & sic habet: *Nam, vt ipse* (ideſt Anselmus) *docet, opus. de concord. liberi arbitrij, & prædestinationis cap. 1, Alia est necessitas præcedens; alia verò consequens. Præcedens est, quæ nostram præuenit libertatem: hæc est, quæ nascitur ex aliquo, quod ita nostram præcedit libertatem, vt illum pani, aut non pani, non pendeat ex nobis; veluti quòd crastina Die sol oriatur, vel quid simile.* In quibus, vt vides, describit necessitatem præcedẽtem Anselmi illo prorsus modo, quo Ruiz relatus num. præcedenti.

2149 5 Et inde ex prædicta ratione necessitatis antecedentis prædictis verbis descripta, quam imponit Anselmo, infert ipsemet Vasquez disp. 99. sequenti cap. 3. quòd nec D. Thomas, nec alii Scholastici antiquiores (scilicet, qui præcesserunt Scriptores Societatis, vt patet ex verbis statim referendis) satisfecerunt difficultati propositæ ab hæreticis, inferentibus ex diuina voluntate, & prouidentia, euerti liberum arbitrium. Mira res; quam non credidissem; nisi legissem. Sic enim habet.

Ex ijs, quæ imponit Anselmo, infert, D. Thomam, & Scholasticos non soluisse Argumenta hæreticorum.

Antiquiores Scholastici alio modo hanc difficultatem dissoluere conantur. Dicunt itaque, Dei voluntatem, & prouidentiam tantæ virtutis, & efficaciæ esse, vt licet ei nulla potentia, & libertas creata resistere valeat: omnes tamen causas, quibus cooperatur, suauiter moueat, & iuxta cuiusque naturam, aut necessariò, aut liberè ad operandum impellat. Quia non solùm operatur, quod vult; sed modum etiam, quem vult in cooperando tenet; & per varias causas varios quoque producit effectus. Ita respondet propositæ difficultati S. Thomas sup. q. 19. art. 8. & quæst. 22. art. 4. Durandus in 1. dist. 46. quæst. 1. num. 7. Dionisius Cartusianus dist. 39. q. 1. Capreolus dist. 45. q. 1. conclusione 5. Ferrariensis 1. cont. gen. cap. 85. Oriedo opus. de concordia liberi arbitrij & prædestinationis 2. parte cap. 3. ad 1. Quorum quidem doctrina nonnullis Theologis mirum in modum probatur; atque ex ea cum D. Thoma locis citatis inferunt: contingentiam, & libertatem operationum nostrarum in liberum solum arbitrium non esse reducendam; sed etiam in Deum, tanquam in primam, & præcipuam causam contingentiæ, propter eximiam illius virtutem, & excellentiam; ne dicamus effectus liberos, & contingentes præter Dei voluntatem euenire. Et parum infra sic subsequitur.

2150 6 *Verum hoc asserere non satis est, vt propositam difficultatẽ diluamus, & hæreticis obloquentibus ora præcludamus. Nam quòd Dei voluntas infinitæ virtutis sit, atque infinitæ sapientiæ dirigatur, non satis videtur vt possit, aut sciat nostram voluntatem liberè mouere; si id possibile non est, quando neque potentia eius, neque sapientia id, quod impossibile est, valet attingere. Porrò autem impossibile esse, posito decreto Dei, liberè moueri nostram voluntatem probari videtur hac ratione. Si Dei præfinitio nostram voluntatem præcedit, & semel posita, mutari non potest, neque per vllam nostram potentiam ab effectu impediri, efficitur, vt nostra libertas ei resistere, aut contra illam operari nequeat. Quo ergo modo, suppositâ præfinitione Dei, liberè mouebitur libertate contradictionis, & contrarietatis?*

Discursus Vasquez probantis.

D. Thomã non satisfecisse hæreticis.

7 Refert deinde sententiam Theologorum, *qui Doctrinam D. Thomæ & antiquorum Theologorum sic putant intelligendam; vt Deus ab æterno præfinierit singulas nostras operationes: eiusque præfinitio fuerit prior ordine causa nostra determinatione, & cooperatione; quia, nulla habita ratione illius, ex se Deus singula opera nostra decreuit.* 2151

8 Et posteà sic subiungit: *Hinc igitur crescit difficultas. Ex hac enim opinione, hoc modo intellecta, sequitur in nostris operibus necessitas ex suppositione, quæ libertati nostræ omninò aduersatur; tametsi non sequatur necessitas absoluta, & ex natura rei. Necessitatem verò, quæ ladat libertatem, non esse concedendam iam supra notauimus. Neque enim solùm de fide est liberum arbitrium ex se, & natura liberum esse; verum etiam ita semper liberum manere, vt à nulla extrinseca causa ladatur. Quare cùm aliquam necessitatem concedimus, talis esse debet, quæ eius libertatem illesam omninò seruet. Ex prædicta verò sententia sequi nostræ libertatis impedimentum, quod ipsam omninò tollat, non difficulter probatur. Reuocanda tamen est in memoriam doctrina illa Anselmi, opus. de Concord. liberi arbitrij, & prædestinationis cap. 1. quam adduximus disp. 68. cap. 4. & sæpiùs à nobis inculcata est; nempe, vno ex duobus modis aliquem effectum necessariò esse futurum, aut necessitate præcedenti, aut necessitate sequenti. Præcedens necessitas est, quæ prouenit ex causa, aut ex aliquo, quod præcedit effectum, quo posito, non potest effectus non sequi. Sequens verò necessitas est, quæ sequitur effectum ipsum.* Et ex hac doctrina deinde argumentatur, vt probet D. Thomã, alioſque Scholasticos antiquiores vinci, & concludi argumentis hæreticorum. 2152

Discursus alius quo ex doctrina imposita Anselmo impugnat Thomistas.

Subita euersio dicti fundamenti.

9 REspondemus concedendo maiorem. Deum enim per suam voluntatem, & prouidentiam esse causam antecedentem vsum ipsum nostræ libertatis, in ordine ad omnes omninò actus nostræ voluntatis, supposuimus quidem in principio huius tractatus, & hoc supposito 2153

Respondetur principali argumento.

Digitized by Google

posito, difficultatem in hoc tractatu propositam resoluimus. Illud autem adeo verum existimamus, vt & esse demonstratum vera ratione naturali à D. Thoma; & esse etiam de fide tenendum contra Pelagium cum eodem D. Thoma, & Augustino firmissimè teneamus. Vt ostendemus in Tractatu de illo principio: *Omne, quod mouetur, mouetur ab alio*, quem secundus Tomus inter alios comprehendet. Si autem aliquid huius ex his, quæ diximus in hoc tractatu, videre desideras, lege quæ scripsimus ex D. Thoma disp. 3. §. 6. à num. 32. ad 47. à fol. 369. ad 375, vbi S. Doctor pluries affert errorem Pelagij, illumque impugnat ratione desumpta ab Aristotele, qua etiam probat vsum gratiæ esse in nobis à Deo. Et inde, si perspexeris, quòd negantes, Deum esse causam antecedentem vsum nostræ libertatis, repugnant ei, quod per se concludit ratio Aristotelis, qua vtitur D. Thomas ad cōfutandum errorem Pelagij, concludo, quòd (saltem in sententia Sancti Thomæ) asserunt aliquid spectans ad errorem pelagianum.

Itaque maiorem concedimus: minorem verò negamus, quam esse falsam demonstrat ratio S. Thomæ verbis relatis in hac disp. §. 5. num. 24. fol. 506, vt expendimus eodem §. num. 35. fol. 509. Ad eius autem probationem positam num. 3. respondemus sequenti conclusione, quæ.

Conclusio ad nihilum redigens prædictum aduersariorum fundamentum.

2154 10 Dicimus esse falsum, & confictum à doctoribus relatis nu. 3. & 4. huius §. inueniri in Anselmo ea, quæ eidem Anselmo tribuūt verba Ruiz, & Vasquez, ibidem relata. Eorum enim, quibus necessitatem precedentem describunt, nec verbum inuenitur in Anselmo: suntque euidenter falsa; ac non solùm sibi inuicem repugnant; sed etiam ipsismet assertoribus, qui quandoque coacti sunt contra seipsos veritatem fateri. Doctrina autem Anselmi alia satis diuersa est, verissima, & euidentissima, quam docuerunt Aristoteles, Boetius, Albertus Magnus, D. Thomas, Augustinus, Omnesque Peripatetici, & Theologi Scholastici, etiam ipsi Aduersarij. Porrò Anselmus diuidens necessitatem in eam, quam appellat præcedentem, & in eam, quam appellat sequentem, illud idem intellexit, quod Boetius, Albertus, D. Thomas, & omnes Scholastici, dum ex doctrina Aristotelis diuidunt necessitatem in eam, quā appellant simplicem, seu absolutam: & in eam, quam appellant necessitatem secundum quid, seu conditionis, & suppositionis. Vel in eam, quam nominant necessitatem consequentis; & eam, quam dicunt necessitatem consequentiæ. Vel in necessitatem ex natura rei; & necessitatem ex suppositione. 2155

11 Hac conclusione euacuamus fundamentum vnicum, & singulare aduersariorum. Vt inde dignoscant, quàm inanis sit machina, qua contra Scholasticos antiquiores, & expresè contra D. Thomam, putat Vasquez, soluere difficultatem obiectam ab hæreticis, quando nullum, & fictitium habet suum singulare, & vnicum fundamentum. Ex quo hæretici deberent Vasquio gratias agere, quando tantùm exagerat eorum difficultatem, vt insolutam dicat à D. Thoma, aliisque Scholasticis: ipse vero responsionē exhibet innixus scientiæ mediæ, quæ etiam omni caret fundamento, vt suprà euidenter probauimus. *Hæretici debēt Vasquio gratias agere.*

Et quidem conclusionem hanc quoad omnes partes diffusè, & dilucidè ostendemus in Tractatu. De *necessitate præcedente, & sequente secundum mentem* D. *Anselmi*, quem dabimus in secundo tomo. Hic quasi per transennam breuiter eam probabimus ex ijs, quæ docent, & afferunt ipsimet Aduersarij: & afferendo breuiter in medium puram doctrinam Anselmi.

Habet autem duas principales partes, quarum prima negat inueniri in Anselmo id, quod Recentes relati dicunt de necessitate præcedenti. Secunda vero affirmat id, quod in eo inuenitur. Et quidem prima sequitur ex secunda. Ad hanc autem ostendendam, considera doctrinā, quam ex Patribus Societatis non inferioris notæ affert Fasolus 1. p. q. 14. art. 13. dub. 2. num. 24. fol. 85. in impressione lugdunensi. Sic enim habet. *Conclusio habet duas partes.* 2156

12 *Duplex igitur* (nota singula) *cum omnibus Theologis ex Aristotele, Boetio, & Anselmo, necessitas distinguitur, vt videre est apud Alensem, & Albertum locis citatis* (num. scilicet præcedenti 23. & quantùm ad Alensem. 1. part. q. 24. membro 4. ad 3. Quātùm ad Albertum 1. dist. 38. art. 4. initio corp. referentis Boetium. Et in summa tract. 15. q. 61. membro 5. ad 6.) *S. Thomam 1. dist. 38. q. 1. ar. 5. ad 3. Et de Veritate. q. 24. ar. 1. ad 13. & lib. 1. cont. gen. cap. 67. fin. & in hac 1. par. q. 19. ar. 8. ad 1. & 3. Aegidium 1. dist. 38. parte 3. q. 1. ar. 3. ad 8. Durandum 1. dist. 38. q. 3. num. 22. Capreolum, q. 1. ar. 1. ad argumenta contra 4. concl. §. vnde ad melius, & diligenter explicat Vasquez hic disp. 68. cap. 4. Prima tollens libertatem, & ab eisdem variè* *Secundam partem cōclusionis probat Fasolus.* *Verba Fasoli.*

riè nominatur. Necessitas absoluta, & per se, & secundùm naturam propriam in se consideratam: Necessitas antecedens: necessitas naturæ rei, quæ sequitur rem in se: necessitas consequentis: necessitas simpliciter, seu simplex. Nota diligenter, Docet enim vnam eandemque necessitatem significari prædictis varijs nominibus. Sequitur. *Secunda non tollens libertatem*, & variè *etiam nominatur*. Nota etiam circa hanc necessitatem, differentiam esse de solo nomine. *Necessitas conditionalis, seu conditionata, seu conditionis: necessitas consequens, seu sequens rei positionem: necessitas suppositionis, seu positionis: necessitas ordinis: necessitas consequentiæ, siue in consequendo: necessitas secundùm quid. Primam esse definiunt, eorum, quæ habent causam immutabiliter, vt Solem oriri cras.* Ita *Alensis citato membro 4. & c. Diligentius Albertus in summa tract. 15. q. 61. membro 5.* Verba sequentia sunt Alberti. *Necessitas consequentis, sicut quando consequens secundùm esse, & causam, sequitur ad antecedens secundùm esse. Sicut omne animal rationale mortale est homo; Et hoc est animal rationale mortale. Sequitur de necessitate absoluta, quòd hoc est homo. Vel secundùm causam: Si Sol mouetur in circulo de necessitate ad orientem, veniente cras circulo, necesse est, Solem oriri cras. & membro 8* Nota sequentia verba Alberti. *Necessitas absoluta, quam Anselmus vocat antecedentem* (Notasti?) *est ex causis proximis ad effectum ordinatis* (nota ly proximis) *Sicut Solem oriri cras, & decollatum interire.*

2157 *Necessitas non nocēs libertati, qualiter diffinitur.*

13 Sufficerent hæc ad rem nostram; sed ad maiorem dilucidationem, nota qualiter dicat diffiniri à Doctoribus necessitatem sequentem. Nam subdit. *Secundam verò diffiniunt esse illam, quam non propria facit natura, sed conditionis adiectio.* Ita *Albertus ex Boetio cit. art. 4.* Verbis, scilicet, à nobis relatis in hac disp. §. 5. num. 23. fol. 505. sequitur. *Et paulò post ex Anselmo; Quæ sequitur habitudinem rei potiùs ex hoc, quòd sic, vel sic ponitur, quàm rem in se. Sed explicatiùs in summa membro quinto. Necessitas consequentiæ est, quando posito aliquo non necessario secundum se, ad positionem illius sequitur aliud non per necesitatem antecedentis; sed quia oppositum consequentis non potest stare cum antecedente. Et est exemplum Boetij. Sicut si ego video te ambulare, tu de necesitate ambulas; quia si detur, quòd tu non ambulas, sequitur, quòd ego video te non ambulare: & hoc interimit positionem antecedentis. Positum enim fuit, quòd ego video te ambulare.* Circa prædicta verba Alberti nota primā propositionem, puta ly, *posito aliquo non necessario secundùm se*; ac etiam ly *non per necesitatem antecedentis*. Hoc enim requiritur, vt necessitas, quæ sequitur, sit solius consequentiæ; & non consequentis. Itaut, quoties id, quod ponitur, non est necessarium secundùm se: toties id, quod sequitur est necessarium necesitate solius consequentiæ: non verò consequentis, quantùm est ex vi talis positionis. His consideratis ex Fasolo, veniamus ad rem.

Probatur Conclusio quoad omnes partes.

14 Porrò iam habemus probatam ex relatis verbis Fasoli secundam principalem partem nostræ conclusionis. Videlicet, quòd idem intellexit Anselmus, diuidens necessitatem in præcedentem, & sequentem, quod Aristoteles, Boetius, D. Thomas, & alij Scholastici, dum necessitatem diuidunt in absolutam, seu simplicem, & in eam, quæ dicitur secundùm quid, seu conditionis, & suppositionis: Vel in necessitatem consequentis, & consequentiæ; vel in necessitatem ex natura rei secundùm se consideratæ, & necessitatem, ex conditione, seu suppositione: Itaut vna, & eadem necessitas veniat his varijs nominibus, puta: Necessitas præcedens: necessitas absoluta, seu simplex: necessitas ex natura rei secundùm se consideratæ: necessitas consequentis. 2158 *Ex doctrina relata à Fasolo remanet probata se cūda pars conclusionis.*

15 Ex hac autē sequitur primò, quòd Vasquez coniunxit contradictoria simul verbis relatis num. 8. huius §. dum dixit; quòd ex doctrina D. Thomæ ponentis, *quòd Deus ab æterno præfinierit singulas nostras operationes, eiusque præfinitio fuerit prior ordine causæ nostra determinatione, & cooperatione, sequitur in operibus nostris necessitas ex suppositione, quæ libertati nostræ omninò aduersatur; tametsi non sequatur necessitas absoluta & ex natura rei.* Peto enim, quæ est ista necessitas ex suppositione, quæ libertati nostræ omninò aduersatur? Respondet Vasquez verbis eodem num. 8. relatis; quòd est necessitas præcedens secundùm Anselmum. Ecce duplicem contradictionem. Nam dicit, quòd non sequitur necessitas absoluta, & ex natura rei; & sequitur necessitas quam Anselmus vocat præcedentem: cùm tamen necessitas absoluta, & necessitas præcedens Anselmi non differant nisi solo nomine, vt constat ex Alberto relato à Fasolo. Ampliùs dicit, quòd necessitas, quæ sequitur in actionibus nostris, ex doctrina D. Thomæ, est necessitas ex suppositione; & simul, quòd sit illa necessitas, quæ ab Anselmo vocatur præcedens, cùm tamen hæc sit necessitas absoluta: illam verò, quæ est ex suppositione Anselmus appellat sequentem. 2159 *Ex dicta doctrina sequitur, Vasquium dixisse cōtradictoria simul.*

Vide

Digitized by Google

2160 16 Vide ergo quid tentat ſummittere in doctrinam Anſelmi Vaſquez, id, quod paſſim docent Patres Societatis, nempe, dari duplicem neceſſitatem ſuppoſitionis, quarum neutra eſt abſoluta, & ex natura rei: alteram, quæ non excludit contingentiam, & libertatem: alteram verò, quæ eam excludit. Falſum eſt hoc; nec ſomniatum ab Anſelmo. Eſt merè confictum ab his doctoribus. Vt enim inquit D. Thomas, à nobis relatus in hac diſp. §. 5. num. 24. fol. 506. Neceſſitas abſoluta repugnat contingentiæ: non verò aliqua neceſsitas ex ſola ſuppoſitione, vt ex dicendis euidenter conſtabit.

falsò intendit Vaſquius imponere Anſelmo, dari duplicem neceſſitatē meræ ſuppoſitionis.

Vaſquius conquæritur, deliraſſe Faſolum, ipſumque conuincit, probauiſſe falſam communem Patrum Societatis opinionem.

2161 17 SED dicet hic Vaſquius Faſolo, Faſole deliras, dum prædicta fateris. An non vides, quòd ſi hæc, quæ de neceſſitate præcedente, & ſequente D. Anſelmi fateris, tantaque doctorum auctoritate corroboras, admittantur, tota doctrina, qua Deum eſſe cauſam antecedentem noſtri liberi conſenſus communiter denegamus, euaneſcit? Reſponde ſi vales: ſic argumentor. Eadem neceſſitas eſt (vt fateris) quam Anſelmus vocat præcedentem, & quam Ariſtoteles, Boetius, D. Thomas, Albertus, & Scholaſtici vocant abſolutam, & ex natura rei ſecundùm ſe conſideratæ. Quod ergo non eſt neceſſarium neceſſitate abſoluta, & ex natura rei ſecundùm ſe conſideratæ, non eſt neceſſarium neceſſitate præcedenti Anſelmi, excludente libertatem ſecundùm eundem Anſelmum. At verò euidens eſt, quòd liberum noſtrum arbitrium conſentire, ſuppoſito decreto abſoluto, quo Deus vellet illud conſentire, non eſt neceſſarium neceſſitate abſoluta, & ex natura ipſiuſmet liberi arbitrij ſecūdùm ſe conſiderati. Ergo liberum noſtrum arbitrium conſentire, ſuppoſito decreto abſoluto, quo Deus vellet illud conſentire, non eſt neceſſarium neceſſitate præcedente Anſelmi excludente libertatem. Euaneſcit ergo vnicum principium, quo mouemur ad denegandum, Deum eſſe per ſua decreta abſoluta cauſam præcedentem vſum noſtræ libertatis. Quid reſpondebis mi Faſole? Deliras. Dele, quod ſcribis.

Prædicta doctrina Faſoli deſtruit fundamentum negantiū, Deum eſſe cauſam antecedētem vſum noſtræ libertatis.

2162 18 Ampliùs fateris, quòd eadem neceſſitas, quæ non nocet libertati, eſt, quam Anſelmus vocat ſequentem, & Boetius conditionis. Inſuper quòd hæc benè definitur à Boetio, verbis relatis ab Alberto: *quam non propria facit natura, ſed conditionis adiectio*. Sub his propoſitionibus, quas fateris, ſubſumo. Sed neceſſitas, qua neceſſe eſt, liberum noſtrum arbitrium conſentire, poſito, quòd ipſum conſentire ſit volitum à Deo decreto abſoluto, eſt neceſſitas, quam non propria facit natura liberi arbitrij, ſed illa adiectio conditionis, qua ponitur, ipſum conſentire eſſe volitum à Deo decreto abſoluto. Ergo neceſſitas, qua neceſſe eſt, liberum noſtrum arbitrium conſentire, poſito &c. eſt neceſſitas ſequens, quæ non nocet libertati. Quid reſpondebis Faſole? Num dices argumentum, non concludere, quia eſt in ſecunda figura ex puris affirmatiuis? Sed vanum effugium. Nam propoſitio Boetij eſt diffinitio, & poteſt ſic formari: Omnis neceſſitas, quam non propria facit natura; ſed conditionis adiectio, eſt neceſſitas ſequens, quæ non nocet libertati: ex hac autem propoſitione argumentum conſurgit in modo Darij. Quid reſpondebis? Deliras, dele, quod ſcribis.

Ex eadem ſequitur: neceſſitatē ex poſitione diuini decreti eſſe ſequentem.

19 Ampliùs fateris, quòd eadem neceſſitas, quæ non deſtruit libertatem, ſignificatur ab Anſelmo, Boetio. D. Thoma, Alberto, & aliis Scholaſticis his varijs nominibus, puta: *Neceſſitas conditionalis, ſeu conditionis; neceſſitas conſequens, ſeu ſequens rei poſitionem, neceſſitas conſequentiæ.* &c. Præterea ſubiungis, quòd hanc Albertus deſcribit *explicatius in ſumma tract. 15. q. 61. membro 5.* inquiens. *Neceſsitas conſequentiæ, quando poſito aliquo non neceſſario ſecundùm ſe, ad poſitionem illius ſequitur aliud, non per neceſsitatem antecedentis, ſed quia oppoſitum conſequentis non poteſt ſtare cum antecedente*. Sub his dictis ſubſumo: Sed neceſſitas, qua neceſſe eſt voluntatem noſtram liberè conſentire, & ſe determinare in hanc determinatam partem, poſito, quòd Deus velit abſoluto decreto, quòd voluntas noſtra liberè conſentiat, & ſe determinet in talem partem, eſt qua poſito aliquo non neceſſario ſecundùm ſe, ſequitur voluntatem noſtram conſentire, & ſe determinare in talem partem, non per neceſſitatem, quæ ſecundùm ſe ſit in antecedente; ſed quia oppoſitum conſequentis non poteſt ſtare cum antecedente. Neceſſitas ergo, qua neceſſe eſt voluntatem noſtram conſentire &c. poſito, quòd Deus velit decreto abſoluto, quòd ipſa conſentiat &c. eſt neceſsitas conſequentiæ, quam Anſelmus appellat ſequentem, quæ non deſtruit libertatem. Quid reſpondebis Faſole mi? Num negabis minorem; ac per hoc dices, quòd,

2163 *Idem probatur alio diſcurſu.*

Deum

Digitized by Google

Deum velle absoluto decreto, voluntatem nostram consentire, est secundum se necessarium? Hoc sanè est falsum, & ducit adhæresim, puta, ad excludendam à diuina voluntate libertatem. Est ergo necessarium ex sola suppositione. Necessitas autem ex sola suppositione in causa non infert necessitatem absolutam, quæ (vt fateris) appellatur ab Anselmo præcedens, & excludit libertatem; sed affert solam necessitatem consequentiæ, quæ (vt fateris) appellatur ab Anselmo necessitas sequens, quæ non excludit libertatem. Lege D. Thomam. lib. p. cont. gent. cap. 85. ratione 4. vbi habet: *Necessitas ex suppositione in causa, non potest concludere necessitatem absolutam in effectu. Deus autem vult aliquid in creatura, non necessitate absoluta; sed solùm necessitate, quæ est ex suppositione. Ex voluntate igitur diuina non potest concludi in rebus creatis necessitas absoluta.* Si igitur necessitas absoluta est, quam Anselmus vocat præcedentem, iam habes à D. Thoma probatum, quòd ex Diuina voluntate non potest concludi in rebus creatis necessitas præcedens. Quid respondebis Fasole? Dele maiorem, quam fateris. Deliras.

Necessitas ex sola suppositione in causa infert necessitatem solius consequētiæ: non verò consequentis.

2164 20 Ampliùs, sic argumentor. Si necessitas, quam appellat Anselmus præcedentem, esset illa, quam Boetius, Albertus, D. Thomas, & alij scholastici appellant absolutam, & ex natura rei secūdùm se consideratæ, tunc sequitur, quòd communis Patrum nostræ Societatis diffinitio, qua dicimus, quòd, *Necessitas præcedens est* (verba sunt ipsiusmet Vasquez relata num. 4. huius §.) *quæ nostram præuenit libertatem: hoc est, quæ nascitur ex aliquo, quod ita nostram præcedit libertatem, vt illud poni, aut non poni non pendeat ex nobis*, esset diffinitio necessitatis absolutæ & ex natura rei secundùm se consideratæ. Num ergo ita insanimus Fasole mi, vt credamus, prædictis nostris verbis significari istā necessitatē? An non videmus, quod inde sequitur, quòd, exceptis actibus liberis, omnia alia euenirent ex necessitate absoluta, & ex natura rei secundum se consideratæ? Et ita, quòd ignis comburat, vel non comburat, vento flante, vel aqua de Cœlo descendente, quòd piscis saltet in aquis, quòd lupus hac, vel illa hora veniat ad oues, & similia, essent necessaria necessitate absoluta, & ex natura rei secundum se consideratæ. Siquidem causæ, ex quibus prædicti effectus eueniunt, nec sunt in nostra potestate eas ponere, vel non ponere: nec, ipsis positis, est in nostra potestate eas impedire, vel non impedire, & ipsis positis, & non impeditis ab alijs causis, ex necessitate sequuntur. Vide ergo, quid sequitur, si ponamus, illis nostris verbis significari, vel diffiniri necessitatem absolutam, hoc nempe, quòd non daretur aliquis alius effectus contingens, nisi liber. Potestne hoc concedi mi Fasole? Habemus contra nos totam philosophiam. Dele, quod scribis, Deliras.

Probatur, Patres Societatis malè diffiniisse necessitatē præcedentem.

Responsio Fasoli, qua conqueritur, inductum se fuisse ad talia proferenda ab ipsomet Vasquio, ipsumque Vasquium conuincit ex ipso Vasquio.

21 SED vtique respondebit Vasquio Fasolus. Iniustè me reprehendis: teipsum inculpa. Meipsum contra te ex teipso defendam. Quæ docui, à te didici: & quod tibi principaliter tantùm displicet, ex te ipso probabo: idque authoritate doctorum, ad quos me transmisisti. 2165

Probatur Fasolum ad veritatem asserēdam contra Vasquium, seipsum, alioſque P. P. Societatis, inductum fuisse ab ipso Vasquio.

Audi igitur verba tua, quibus, vt me instrueres de necessitate præcedente Anselmi, rem incepisti 1. p. d. 68. cap. 4. *Primò notanda est doctrina quædam Anselmi, cuius meminit Albertus in 1. dist. 38. ar. 4. & paucis indicauit Boetius lib. 5. de consolatione* &c. Veniens ergo ad hunc locum Alberti, in eo Boetium, & Anselmum etiam inueni: & sic legi (quod refero, vt videas, an tu contra me: an ego contra te iustam querimoniam habeam) *An præscientia Dei imponat rebus necessitatem.* Iste est titulus Articuli, quem resoluit sic dicens. *Solutio huius difficultatis sumenda est ex Boetio, & Anselmo. Boetius determinans eam dicit sic.* [*Respondebo nanque, idem futurum, cùm ad diuinam notionem refertur, necessarium: cùm verò in sua natura perpenditur, liberum prorsus, atque absolutum, videri. Duæ sunt etenim necessitates: vna simplex, veluti, quod necesse est homines esse mortales: altera conditionis, vt si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quòd enim quis nouit, id esse aliter, quàm notum est, nequit. Sed hæc conditio minimè secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura; sed conditionis adiectio*] *Et infra*: [*Hæc igitur futura, ad intuitum relata diuinum, necessaria sunt per conditionem diuinæ notionis: per se verò considerata, ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt.*] *Redit ergo solutio Boetij ad hoc, quod si intelligatur necessitas conditionis, quòd tunc verè sunt istæ: Quod Deus præuidit de necessitate eueniet: Si Deus præsciuit hunc peccaturum, de necessitate peccabit. Si autem intelligatur necessitas absoluta, & per se, & secundum naturam propriam, in se consideratam, tunc falsa sunt omnia. Hoc intendit dicere Anselmus per*

Doctrina Alberti citata à Vasquio.

alia

Digitized by Google

alia verba, sic dicens. Necessariò omne futurum est futurum; sed necessitate sequente, quæ nihil esse cogit. Cùm futurum dicitur de re, non semper est necessaria, qnamuis sit futura. Redit ergo ad hoc, quòd est quædam necessitas naturæ rei, & hæc sequitur rem in se. Nota qualiter explicuit necessitatem præcedentem Anselmi. Deinde nota qualiter explicat sequentem; nam subdit. *Quædam autem est positionis, quæ est sequens rem ex hoc, quòd sic, vel sic ponitur, futura, vel non futura. Et illa, quæ sequitur habitudinem rei potiùs, quàm rem, nihil dicitur cogere. Ad idem redit, quod dicunt magistri, quòd est necessitas consequentis, & necessitas consequentiæ; Et conceditur benè, quòd Dei præscientia causat consequentiæ necessitatem; Sed non consequentis.* Hæc legi.

2166 22 Tu mihi dixisti; & ista sunt verba tua: *Notanda est doctrina quædam Anselmi, cuius meminit Albertus in p. dist. 38. ar. 4.* Iam totum retuli art. 4. Dic mihi cuius doctrinæ Anselmi meminit Albertus? Num dixit: Anselmus docet dari duplicem necessitatem suppositionis: alteram destruẽtem libertatem: alteram verò non destruentem? penitùs nihil de hoc. Sed dixit, quòd Anselmus in soluenda difficultate circa concordiam præscientiæ Dei cum libero arbitrio dicit illud idem, quod Boetius; sed alijs verbis: vnde dixit: *Hoc intendit dicere Anselmus per alia verba.* Solutio ergo Boetij per distinctionem necessitatis in simplicem, seu absolutam, & conditionis, differt in solis verbis ab illa Anselmi per suam distinctionem necessitatis. Ampliùs dic, quibus verbis meminit Albertus illius diuisionis necessitatis in præcedentem, & sequentem? tu dicis, quòd de prædicta diuisione meminit Albertus in hoc articulo. Dic ergo quibus verbis? Num dices aliud, quàm illis, quibus expressit illud, ad quod redit responsio Anselmi? Illa autem sunt: *Redit ergo solutio ad hoc, quod est quædam necessitas rei, & hæc sequitur rem in se: quædam autem est positionis, quæ est sequens rem ex hoc, quòd sic vel sic ponitur.* Si ergo misisti me ad Albertum, vt discerem distinctionem Anselmi in præcedentem, & sequentem: & verba Alberti quibus prædictam distinctionem refert sunt prædicta, cur me reprehendis, & dicis mihi, *deliras, dele, quod scribis*, quando illud ipsum scribo, quod in Alberto inuenio, ad quem me misisti? Inculpa teipsum, qui tuam, nostrorumque Societatis Patrum volens munire opinionem, illa citasti, quæ (vt contra me argumentaris) illam pertrahunt in ruinam.

P. Ioseph de Vita de Princ. Pecc.

Vasquius conuincitur, citasse pro se contrariã suæ sententiæ.

Probatur secunda pars nostræ conclusionis ex ipsa vera doctrina Anselmi relata a Vasquio.

23 REdeamus modò ad rem. Iam enim ex rationibus, quibus, ex persona Vasquij reprehendimus Fasolum, apparet, quòd ex secunda parte nostræ conclusionis, quam fatetur Fasolus, vt asserta m à quampluribus doctoribus, & præsertim ab Alberto, sequitur euidenter prima eiusdem nostræ conclusionis pars. Quare si constaret quòd hoc, quod fatetur Fasolus, est verè secundùm mentem Anselmi; ita quidem, vt ex verbis eius constaret, quòd nomine necessitatis præcedentis, seu antecedentis, intellexit eam, quã Boetius, D. Thomas, & alij scholastici ex Aristotele appellant simplicem, seu absolutam, seu ex natura rei secundùm se consideratæ, haberemus totam nostram conclusionem demonstratam. Hoc ergo demonstrandum est. 2167

24 Istud autem euidenter apparet, si primò consideramus rationem, ob quam necessitatem istam, quæ est ex natura rei secundùm se consideratæ, & vtique euidenter repugnat libertati, appellat Aristoteles, & ex eo Boetius, & alij, simplicem, seu absolutam: & deinde consideramus rationem, ob quam illam necessitatem, quam Anselmus dicit repugnare libertati, appellat antecedentem. Nam si inuenimus, quod vni, &, eidem conuenit illa ratio, ob quam necessitas, repugnans libertati, appellatur ab Aristotele simplex seu absoluta: ob quam ab Anselmo appellatur præcedens, seu antecedens, iam habemus, quod vna, & eadem necessitas est, quam Aristoteles appellat, simplicem, & absolutam; & quam Anselmus appellat antecedentem. 2168

Proponitur, unde constare possit, idem intellexisse Anselmum, & Aristotelem.

25 Et quidem euidens est, & constat ex verbis Aristotelis, & D. Thomæ relatis in hac disp. §. 5. num. 22. fol. 505. quòd necessitas, quæ est ex natura rei secundùm se consideratæ, appellatur necessitas simplex, & absoluta, inquantùm significatur per propositionẽ, in qua de subiecto simpliciter, & absolutè, ideſt, sine aliquo addito accidentali accepto, affirmatur, vel negatur aliquid necessariò, vt cùm dico homo necessariò est animal: Cœlum necessariò mouetur. Sol necessariò eclipsabitur: homo necessariò est mortalis, vel homo necessariò morietur. Et nil refert si dicamus, hominem esse animal necesse est, & sic de alijs, quia semper ly necesse est, affirmatur de aliquo absolutè, simpliciter, seu sine aliquo addito accepto. Et idem 2169

Cur necessitas ex natura rei appellatur ab Aristotele absoluta, seu simplex.

Digitized by Google

est in propositionibus negatiuis. Vt cùm dico homo necessariò non est lapis. Cœlũ necessariò non cessat moueri. Quoties igitur simpliciter & absolutè ideſt, sine aliquo addito accidẽtali, verè de aliquo affirmatur vel negatur aliquid necessariò, toties talis necessitas appellatur simplex, & absoluta, & hæc oritur ex ipsa natura rei secundùm se consideratæ.

2170 26 At verò illa necessitas, quę non potest affirmari de aliquo absolutè, simpliciter, & sine aliquo addito accidẽtali, sed solùm ex tali addito, quod fit subiecto, appellatur non absoluta necessitas, sed secundùm quid & ex conditione, seu sub conditione illius additi. Vt si dico: Petrus, dum est, necessariò est. Non enim possum verè dicere: Petrus necessariò est, qua propositione diceretur Petrus simpliciter, & absolutè, quòd est ex necessitate, sed solùm sub isto addito, *dum est*: & ideo ista appellatur ab Aristotele, & ex eo ab alijs, necessitas conditionis, & secundùm quid. Et idem est in istis propositionibus: Petrus currens necessariò mouetur; Petrus albus necessariò disgregat visum; vel Petrus albus necessariò est albus. Non enim possumus dicere. Petrus necessariò mouetur: Petrus necessariò disgregat visum: Petrus necessariò est albus. Et sunt veræ cum illo addito, ac per hoc important necessitatem conditionis, vnde equipollent istis propositionibus. Petrus dum currit, vel si currit, necessariò mouetur; Petrus si est albus, necessariò disgregat visum. Petrus si est albus, vel dum est albus necessariò est albus. Et idem accidit in omni propositione, cuius subiectum est aliquid concretum accidentale, & per eã affirmatur aliquid inesse, vel non inesse subiecto necessariò ratione formæ accidentalis implicatæ in illo concreto accidentali, quod ponitur propositionis subiectum. Vt cum dico volans necessariò mouetur, & sic de alijs.

Cur alia necessitas appellatur non simplex, secundum quid, & ex conditione.

2171 27 Quare considera verba Aristotelis, commentarijque D. Thomæ loc. cit. relata: & adde commentarium Boetij, qui ad ista verba Aristotelis, quæ refert S. Doctor lec. 15. lib. 1. Periherm. puta. *Igitur esse, quod est, quando est: & non esse, quod non est, quando non est, necesse est. Sed non omne, quod est, necesse est esse: nec omne, quod non est, necesse est non esse. Non enim idem est: Omne, quod est, necessariò esse, quando est: & simpliciter esse ex necessitate. Similiter autem & in eo, quod non est.* Sic subiungit in editione secunda lib. 1. de interpretatione.

Textus Arist. de necessitate cõditionata, & absoluta.

Commentarij Boetij.

Duplex modus necessitatis ostenditur. Vnus, qui cum alicuius accidentis necessitate proponitur; alter, qui simplici prædicatione profertur. Vt cum dicimus: Solem moueri necesse est. Non enim, quia nunc mouetur; sed quia nunquam non mouebitur; idcirco in Solis motu necessitas venit. Alter verò qui cum conditione dicitur, talis est. Vt cùm dicimus: Socratem sedere necesse est, cùm sedet; & non sedere necesse est, cùm non sedet. Nam cum idem in eodem tempore sedere, & non sedere non possit; quicunque sedet non potest non sedere tunc, cùm sedet. Igitur sedere necesse est. Ergo tunc, quando quis sedet, eum sedere necesse est. Fieri enim non potest, vt cùm sedet non sedeat. Rursus quando quis non sedet, tunc cùm non sedet, non sedere eum necesse est. Non enim potest idem sedere, & non sedere. Et potest esse ista cum conditione necessitas. Vt cum sedet aliquis, tunc, cùm sedet, ex necessitate sedeat: & cum non sedit, tunc, cùm non sedet, ex necessitate non sedeat. Sed ista, cum conditione, quæ proponitur, necessitas, non illam simplicem secum trahit. Non enim quicunque sedet, simpliciter eum sedere necesse est; sed cum adiectione ea, quæ est, tunc cùm sedet. Sicut Solem dicimus necesse est moueri; nec hoc addimus, vt Solem moueri necesse sit, cùm mouetur. Sed simpliciter dicimus; Solem moueri necesse est. Et hæc necessitas simpliciter de Sole dicta veritatem in oratione perficiet. At verò illa, quæ cum conditione dicitur, vt cùm dicimus: Socratem sedere necesse est, tunc, cùm sedet; id, quod ponimus, tunc, cùm sedet, & hanc conditionem temporis, si à propositione diuidamus, de tota propositione veritas perit. Non enim possumus dicere; quoniam ex necessitate Socrates sedet. Potest enim non sedere. Habet enim quandam conuenientiam, & cognationem potestas Socratis sicut ad sedendum, sic etiam ad non sedendum. Ergo id, quod dicimus: Ex necessitate Socratem sedere, tunc, cùm sedet, ad accidens respicientes proponimus. Nam quando accidit Socrati sedere, & eo tempore, quo accidit, ei non accidisse non potest. Sic enim fiet, vt vna res & accidat vno, eodemque tempore, & non accidat, quod est impossibile. Idcirco accidens eius inspicientes dicimus: necesse est sedere, sed non simpliciter, sed tunc, cùm sedet. Hæc Boetius.

2172 28 In quibus, vt vides, necessitatem illam, quæ communiter vocari solet, necessitas ex natura rei secundùm se consideratæ, appellat Aristoteles simplicem, seu absolutam; quia significatur per propositionem, qua simpliciter, ideſt, nullo adiuncto addito accidentali, dicitur: aliquid esse ex necessitate. Illam verò, quæ non potest explicari per talem propositionem; sed solùm per eam, qua, aliqua addita conditione accidentali, dicitur, aliquid esse ex necessitate, appellat non simplicem, & lib. 2. physic. tex. 87. *suppositionis* seu (vt eam nominat Boetius) ex conditione, seu conditionis. Et hanc vocant

Inculcatur prædicta doctrina ad propositum.

Digitized by Google

Qualiter sit diffinienda necessitas absoluta, & ex, quæ dicitur conditionis attenta nominũ ethimologia.

cant D. Thomas, & alij, suppositionis, solius consequentiæ, & secundùm quid. Vnde necessitas ex natura rei, attẽta ethimologia huius nominis, quo vocatur simplex, seu absoluta, sic deberet describi: *est, qua aliquid simpliciter dicitur esse ex necessitate.* Necessitas verò conditionis, seu suppositionis sic: *est, qua aliquid, non nisi addita conditione accidentali, dicitur esse ex necessitate.*

Qualiter attenta re.

Dixi *attenta ethimologia huius nominis, simplex*, &c. quia attenta re, sic deberet diffiniri ista necessitas, quæ vocatur simplex; *est, quam propria facit natura.* Illa verò, quæ appellatur conditionis, deberet diffiniri sic: *est, quam non propria facit natura; sed conditionis adiectio.* Vt patet ex verbis Boetij relatis fol. 505. num. 23.

2173 29 Verùm hic considera, quòd aliquando vnam, eandemque rem varijs nominibus nominamus propter varias proprietates, seu conditiones, quibus designari potest. Sicut eandem rem significamus nomine *vestis*, & *indumenti*. Sed indumentum dicimus; quia quasi in ipsum ingredimur: vestem verò, quia ea velamur. Vt notat Calepinus verbis, *induo*, & *vestis*.

Cur vna res quandoque varijs nominibus appellatur.

2174 30 Nunc ergo veniamus ad rem; ac videamus: An simile accidat in his varijs nominibus, puta ex vna parte: necessitas simplex, seu absoluta, necessitas antecedens: & ex alia parte, necessitas conditionis, seu suppositionis: necessitas sequens, &c. Itaut, illud significauerit Aristoteles nomine necessitatis simplicis, seu absolutæ, quod Anselmus nomine necessitatis antecedentis, seu præcedentis; & illud Aristoteles nomine necessitatis conditionis, seu suppositionis, quod Anselmus nomine necessitatis sequentis. Idque propter diuersos modos, quibus dictæ necessitates significantur per propositiones.

Quid videndum sit.

Considerãda ad propositum ostendendũ.

Vt quod intendimus dicere percipias, considera discrimen inter has duas propositiones hypotheticas causales: puta. *Quia necesse est cælum moueri; mouetur. Quia cælum mouetur; necesse est ipsum moueri.* Similiter inter has duas: *Quia necesse est te loqui; loqueris. Quia loqueris; necesse est, te loqui.* Considera primò. Quòd propositio hypothetica causalis constat ex duabus cathegoricis, coniunctis per illam particulam causalem, *quia*, quarum illa, cui apponitur particula, *quia*, dicitur antecedens; altera verò dicitur consequens. Vnde siue dicas: *Quia necesse est, cælum moueri; mouetur*: siue, *Cælum mouetur; quia necesse est, ipsum moueri*, pars antecedens semper est: ly, *Quia necesse est Cælum moueri*.

2175 31 Considera secundò, quòd in propositione hypothetica causali, pars antecedens habet rationem causæ in ordine ad sequentẽ. Considera tertiò, quòd quælibet prædictarum propositionum hypotheticarum habet vnam partem, quæ est cathegorica de ineſſe, explicans scilicet, quòd res sit, vel non sit: alteram verò partem, quæ est cathegorica de modo necesse, explicans scilicet, necessitatem dicti prædictæ cathegoricæ. Cum hac tamen differentia, quòd in vna modus explicans necessitatem est in parte antecedente; in altera verò in parte sequente. Ex quo est, quòd quando necessitas est in parte antecedente, habet rationem causæ in ordine ad illam de ineſſe, qua dicitur, quòd res est, vel non est. Quando verò necessitas est in parte sequente ad illam, quæ est de ineſſe, hæc, quæ est de ineſſe, habet rationem causæ in ordine ad illam, quæ dicit necessitatem esse. Et tandem fit, quòd necessitas illa, quæ explicatur per propositionem hypoteticam, habentem modum necessitatis in parte antecedente, possit appellari necessitas antecedens: illa verò, quæ explicatur per propositionem, habẽtem necessitatis modum in parte sequente, possit appellari necessitas sequens.

Considerãdum secundum, & tertium.

Ratio in forma demonstrans propositum.

2176 32 HIS consideratis, sic, quod intendimus, demonstratur. Certum est, quòd, si ex vna parte, Anselmus nomine necessitatis antecedentis, seu præcedentis intelligeret eam, quæ significatur per propositionem hypotheticam causalem, in qua modus significans necessitatem est in parte antecedenti: per necessitatem verò sequentem intelligeret illam, quæ significatur per hypotheticam habentem modum necessitatis in parte sequenti: Et ex alia parte, propositio habens modum necessitatis in parte antecedente, significaret illam eandem necessitatem, quam significat propositio, qua, secundùm Aristotelem, Boetium, &c. aliquid simpliciter, & absolutè dicitur esse ex necessitate: Propositio verò habens modum necessitatis in parte sequente, significaret illam eandem necessitatem, quam secundùm Boetium ex Aristotele significat propositio, qua non absolutè, & simpliciter, sed solùm ex aliquo addito, seu conditione adiecta, dicitur, quòd aliquid est ex necessitate; iam euidens esset, quòd necessitas, quam appellat Anselmus præcedentem, seu antecedentem, esset illa, quam Aristoteles, Boetius, D. Thomas, & alij appellant simplicem, seu absolutam:

Probatur intentum.

Digitized by Google

est in propositionibus negatiuis. Vt cùm dico homo necessariò non est lapis. Cœlũ necessariò non cessat moueri. Quoties igitur simpliciter & absolutè, ideſt, sine aliquo addito accidẽtali, verè de aliquo affirmatur vel negatur aliquid necessariò, toties talis necessitas appellatur simplex, & absoluta, & hæc oritur ex ipsa natura rei secundùm se consideratæ.

2170 26 At verò illa necessitas, quę non potest affirmari de aliquo absolutè, simpliciter, & sine aliquo addito accidẽtali, sed solùm ex tali addito, quod fit subiecto, appellatur non absoluta necessitas, sed secundùm quid & ex conditione, seu sub conditione illius additi. Vt si dico: Petrus, dum est, necessariò est. Non enim possum verè dicere: Petrus necessariò est, qua propositione diceretur Petrus simpliciter, & absolutè, quòd est ex necessitate, sed solùm sub isto addito, *dum est*: & ideo ista appellatur ab Aristotele, & ex eo ab alijs, necessitas conditionis, & secundùm quid. Et idem est in istis propositionibus: Petrus currens necessariò mouetur; Petrus albus necessariò disgregat visum; vel Petrus albus necessariò est albus. Non enim possumus dicere. Petrus necessariò mouetur: Petrus necessariò disgregat visum; Petrus necessariò est albus. Et sunt veræ cum illo addito, ac per hoc important necessitatem conditionis, vnde equivalent istis propositionibus. Petrus dum currit, vel si currit, necessariò mouetur; Petrus si est albus, necessariò disgregat visum. Petrus si est albus, vel dum est albus necessario est albus. Et idem accidit in omni propositione, cuius subiectum est aliquid concretum accidentale, & per eã affirmatur aliquid inesse, vel non inesse subiecto necessariò ratione formæ accidentalis implicatæ in illo concreto accidentali, quod ponitur propositionis subiectum. Vt cum dico volans necessariò mouetur, & sic de alijs.

Cur alia necessitas appellatur non simplex, secundum quid, & ex conditione.

2171 27 Quare considera verba Aristotelis, commentariique D. Thomæ loc. cit. relata: & adde commentarium Boetij, qui ad ista verba Aristotelis, quæ refert S. Doctor lec. 15. lib. 1. Periherm. puta. *Igitur esse, quod est, quando est: & non esse, quod non est, quando non est, necesse est. Sed non omne, quod est, necesse est esse: nec omne, quod non est, necesse est non esse. Non enim idem est: Omne, quod est, necessariò esse, quando est: & simpliciter esse ex necessitate. Similiter autem & in eo, quod non est.* Sic subiungit in editione secunda lib. 1. de interpretatione.

Textus Arist. de necessitate cõditionata, & absoluta.

Commentariũ Boetij.

Duplex modus necessitatis ostenditur. Vnus, qui cum alicuius accidentis necessitate proponitur; alter, qui simplici prædicatione profertur. Vt cum dicimus: Solem moueri necesse est. Non enim, quia nunc mouetur; sed quia nunquam non mouebitur; idcirco in Solis motu necessitas venit. Alter verò qui cum conditione dicitur, talis est. Vt cùm dicimus: Socratem sedere necesse est, cùm sedet; & non sedere necesse est, cùm non sedet. Nam cum idem in eodem tempore sedere, & non sedere non possit; quicunque sedet non potest non sedere tunc, cùm sedet. Igitur sedere necesse est. Ergo tunc, quando quis sedet, eum sedere necesse est. Fieri enim non potest, vt cùm sedet non sedeat. Rursus quando quis non sedet, tunc cùm non sedet, non sedere eum necesse est. Non enim potest idem sedere, & non sedere. Et potest esse ista cum conditione necessitas. Vt cum sedet aliquis, tunc, cùm sedet, ex necessitate sedeat: & cum non sedit, tunc, cùm non sedet, ex necessitate non sedeat. Sed ista, cum conditione, quæ proponitur, necessitas, non illam simplicem secum trahit. Non enim quicunque sedet, simpliciter eum sedere necesse est; sed cum adiectione ea, qua est, tunc cùm sedet. Sicut Solem dicimus necesse est moueri; nec hoc addimus, vt Solem moueri necesse sit, cùm mouetur. Sed simpliciter dicimus; Solem moueri necesse est. Et hæc necessitas simpliciter de Sole dicta veritatem in oratione perficiet. At verò illa, quæ cum conditione dicitur, vt cùm dicimus: Socratem sedere necesse est, tunc, cùm sedet; id, quod ponimus, tunc, cùm sedet, & hanc conditionem temporis, si à propositione diuidamus, de tota propositione veritas perit. Non enim possumus dicere; quoniam ex necessitate Socrates sedet. Potest enim non sedere. Habet enim quandam conuenientiam, & cognationem potestas Socratis sicut ad sedendum, sic etiam ad non sedendum. Ergo id, quod dicimus: Ex necessitate Socratem sedere, tunc, cùm sedet, ad accidens respicientes proponimus. Nam quando accidit Socrati sedere, & eo tempore, quo accidit, ei non accidisse non potest. Sic enim fiet, vt vna res & accidat vno, eodemque tempore, & non accidat, quod est impossibile. Ideirco accidens eius inspicientes dicimus; necesse est sedere, sed non simpliciter, sed tunc, cùm sedet. Hæc Boetius,

2172 28 In quibus, vt vides, necessitatem illam, quæ communiter vocari solet, necessitas ex natura rei secundùm se consideratæ, appellat Aristoteles simplicem, seu absolutam; quia significatur per propositionem, qua simpliciter, ideſt, nullo adiuncto addito accidentali, dicitur: aliquid esse ex necessitate. Illam verò, quæ non potest explicari per talem propositionem; sed solùm per eam, qua, aliqua addita conditione accidentali, dicitur, aliquid esse ex necessitate, appellat non simplicem, & lib. 2. phylic. tex. 87. *suppositionis* seu (vt eam nominat Boetius) ex conditione, seu conditionis. Et hanc vocant

Inculcatur prædicta doctrina ad propositum.

Digitized by Google

Qualiter sit diffinienda necessitas absoluta, & ex, quæ dicitur conditionis attenta nominũ ethimologia.

cant D. Thomas, & alij, suppositionis, solius consequentiæ, & secundùm quid. Vnde necessitas ex natura rei, attẽta ethimologia huius nominis, quo vocatur simplex, seu absoluta, sic deberet describi: *est, qua aliquid simpliciter dicitur esse ex necessitate.* Necessitas verò conditionis, seu suppositionis sic: *est, qua aliquid, non nisi addita conditione accidentali, dicitur esse ex necessitate.*

Qualiter attenta re.

Dixi *attenta ethimologia huius nominis, simplex*, &c. quia attenta re, sic deberet diffiniri ista necessitas, quæ vocatur simplex: *est, quam propria facit natura.* Illa verò, quæ appellatur conditionis, deberet diffiniri sic: *est, quam non propria facit natura; sed conditionis adiectio.* Vt patet ex verbis Boetij relatis fol. 505. num. 23.

2173 29 Verùm hic considera, quòd aliquando vnam, eandemque rem varijs nominibus nominamus propter varias proprietates, seu conditiones, quibus designari potest. Sicut eandem rem significamus nomine *vestis*, & *indumenti*. Sed indumentum dicimus; quia quasi in ipsum ingredimur: vestem verò, quia ea velamur. Vt notat Calepinus verbis, *induo*, & *vestis*.

Cur vna res quandoque varijs nominibus appellatur.

2174 30 Nunc ergo veniamus ad rem; ac videamus: An simile accidat in his varijs nominibus, puta ex vna parte: necessitas simplex, seu absoluta, necessitas antecedens: & ex alia parte, necessitas conditionis, seu suppositionis: necessitas sequens, &c. Itaut, illud significauerit Aristoteles nomine necessitatis simplicis, seu absolutæ, quod Anselmus nomine necessitatis antecedentis, seu præcedentis: & illud Aristoteles nomine necessitatis conditionis, seu suppositionis, quod Anselmus nomine necessitatis sequentis. Idque propter diuersos modos, quibus dictæ necessitates significantur per propositiones.

Quid videndum sit.

Considerãda ad propositum ostendendũ.

Vt quod intendimus dicere percipias, considera discrimen inter has duas propositiones hypotheticas causales: puta. *Quia necesse est cælum moueri, mouetur. Quia cælum mouetur, necesse est ipsum moueri.* Similiter inter has duas: *Quia necesse est te loqui, loqueris. Quia loqueris, necesse est, te loqui.* Considera primò. Quòd propositio hypothetica causalis constat ex duabus cathegoricis, coniunctis per illam particulam causalem, *quia*, quarum illa, cui apponitur particula, *quia*, dicitur antecedens; altera verò dicitur consequens. Vnde siue dicas: *Quia necesse est, cælum moueris, mouetur*: siue, *Cælum mouetur, quia necesse est, ipsum moueri*, pars antecedens semper est: ly, *Quia necesse est Cælum moueri.*

2175 31 Considera secundò, quòd in propositione hypothetica causali, pars antecedens habet rationem causæ in ordine ad sequentẽ. Considera tertiò, quòd quælibet prædictarum propositionum hypotheticarum habet vnam partem, quæ est cathegorica de inesse, explicans scilicet, quòd res sit, vel non sit: alteram verò partem, quæ est cathegorica de modo necesse, explicans scilicet, necessitatem dicti prædictæ cathegoricæ. Cum hac tamen differentia, quòd in vna modus explicans necessitatem est in parte antecedente; in altera verò in parte sequente. Ex quo est, quòd quando necessitas est in parte antecedente, habet rationem causæ in ordine ad illam de inesse, qua dicitur, quòd res est, vel non est. Quando verò necessitas est in parte sequente ad illam, quæ est de inesse, hæc, quæ est de inesse, habet rationem causæ in ordine ad illam, quæ dicit necessitatem esse. Et tandem fit, quòd necessitas illa, quæ explicatur per propositionem hypoteticam, habentem modum necessitatis in parte antecedente, possit appellari necessitas antecedens: illa verò, quæ explicatur per propositionem, habẽtem necessitatis modum in parte sequente, possit appellari necessitas sequens.

Considerãdum secundum, & tertium.

Ratio in forma demonstrans propositum.

32 HIS consideratis, sic, quod intendimus, demonstratur. Certum est, quòd, si ex vna parte, Anselmus nomine necessitatis antecedentis, seu præcedentis intelligeret eam, quæ significatur per propositionem hypotheticam causalem, in qua modus significans necessitatem est in parte antecedenti: per necessitatem verò sequentem intelligeret illam, quæ significatur per hypotheticam habentem modum necessitatis in parte sequenti: Et ex alia parte, propositio habens modum necessitatis in parte antecedente, significaret illam eandem necessitatem, quam significat propositio, qua, secundùm Aristotelem, Boetium, &c. aliquid simpliciter, & absolutè dicitur esse ex necessitate: Propositio verò habens modum necessitatis in parte sequente, significaret illam eandem necessitatem, quam secundùm Boetium ex Aristotele significat propositio, qua non absolutè, & simpliciter, sed solùm ex aliquo addito, seu conditione adiecta, dicitur, quòd aliquid est ex necessitate; iam euidens esset, quòd necessitas, quam appellat Anselmus præcedentem, seu antecedentem, esset illa, quam Aristoteles, Boetius, D. Thomas, & alij appellant simplicem, seu absolutam:

2176 *Probatur intentum.*

Digitized by Google

tam: & necessitas sequens Anselmi, esset illa, quam Boetius, & alij ex Aristotele appellant conditionis, seu suppositionis. Atqui certum est, & euidens, tùm quòd Anselmus nomine necessitatis præcedentis intelligit eam, quæ significatur per propositionem hypotheticam causalem, in qua modus necessitatis est in parte antecedente; & nomine sequentis intelligit eam, quæ significatur per propositionem habentem modum necessitatis in parte sequente; tùm quòd eandem necessitatem significat propositio habens modum necessitatis in parte antecedenti, quam significat propositio, qua simpliciter, & absolutè dicitur, aliquid esse ex necessitate; & quòd eandem necessitatem significat propositio habens modum necessitatis in parte sequente, quam propositio, quæ ex conditione addita, seu supposito adiuncto, dicitur, quòd aliquid est ex necessitate. Ergo necessitas, quam appellat Anselmus antecedentem, est illa, quam Aristoteles appellat simplicem, seu absolutam: illa verò, quam Anselmus appellat sequentem, est, quam Boetius, & alij ex Aristotele appellant conditionis, seu suppositionis.

2177 33 Huius discursus maior est euidens ex terminis. Minor verò quantùm ad primam partem constat ex verbis ipsius Anselmi, quibus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 18. explicans præcedentem, & sequentem necessitatem, sic habet. *Est nanque necessitas præcedens, quæ causa est, vt sit res; & est necessitas sequens, quam res facit. Præcedens, & efficiens necessitas est, cùm dicitur; Cœlum voluit, quia necesse est, vt voluatur. Sequens verò, & quæ nil efficit, sed sic est, cùm dico; te ex necessitate loqui, quia loqueris. Cùm enim hoc dico, significo: nihil facere posse, vt dum loqueris non loquaris; non quòd aliquid te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis, conditionis cogit cælum volui; te autem nulla necessitas facit loqui. Sed vbicunque est præcedens necessitas, est & sequens; non autem vbi sequens, ibi statim & præcedens. Possumus nanque dicere: necesse est cœlum volui, quia voluitur; sed non similiter est verum: idcirco te loqui; quia necesse est, vt loquaris. Ista sequens necessitas currit per omnia tempora, hoc modo: Quicquid fuit, necesse est fuisse; quicquid est, necesse est esse: quicquid futurum est, necesse est futurum esse. Hæc est illa necessitas, quæ vt tractat Aristoteles de propositionibus singularibus, & futuris, videtur vtrumlibet destruere; & omnia esse ex necessitate astruere.* Ita Anselmus.

Verba Anselmi, quibus probatur Minor.

Deducitur prima pars minoris; ac etiam diffinitiones Anselmi necessitatis præcedentis, & sequentis, quantùm ad ethimologiam nominis.

2178 34 EX quibus in primis habes euidenter primam partem minoris, puta: quòd Anselmus nomine necessitatis præcedentis intelligit eam, quæ significatur per propositionem causalem, habentem modum necessitatis, seu necessitatem in parte antecedente, in illa scilicet, cui coniungitur particula causalis, *quia*, & quæ se habet; vt causa in ordine ad aliam partem, qua dicitur, quòd res ita est, & cui, vt consequenti solet adiungi particula consecutiua, *idcirco*, vel *ideo* vt cùm dico; idcirco Cœlum voluitur; quia necesse est, vt voluatur: Idcirco tu loqueris; quia necesse est, vt loquaris, licèt hæc sit falsa. Nomine verò necessitatis sequentis intelligit eam, quæ significatur per causalem habentem necessitatem in parte consequenti, vt cum dicimus: Idcirco necesse est te loqui; quia loqueris. Etenim per hoc probat, quòd vbicunque est necessitas præcedens, est etiam ibi sequens: quia vbi est vera propositio, in qua modalis de necessario præcedit ad illam de simplici inhærentia; est etiam vera alia propositio, in qua illa de simplici inhærentia, præcedit ad illam de necessario. Vnde quia de Cælo verum est dicere: idcirco cœlum voluitur, quia necesse est vt voluatur; est etiam de Cœlo verum dicere; Quia cœlum voluitur, necesse est, ipsum volui. Et similiter per hoc probat, quòd non semper vbi est necessitas sequens, est etiam præcedens, quia quandoque est vera illa propositio, in qua necessitas est in parte consequente; non autem est vera alia propositio, in qua necessitas est in parte antecedenti. Existente enim vera hac propositione; *necesse est te loqui; quia loqueris*; *non similiter*, inquit, verum est; *Idcirco te loqui; quia necesse est vt loquaris.*

Ineulcatur prædicta doctrina ad propositum.

2179 35 Quare quemadmodum Aristoteles distinctionem necessitatis simplicis, seu absolutæ, ab ea, quæ est ex aliquo addito, quæ dicitur necessitas conditionis, accipit ex hoc, quòd aliud significat propositio, qua simpliciter, & sine addito dicitur, quòd aliquid est ex necessitate: & aliud significat propositio, qua aliquid dicitur esse ex necessitate, addendo, *dum est*: Ita Anselmus ex hoc accipit distinctionem necessitatis præcedentis à sequenti, quòd aliud significat ly *necesse est*, in propositione causali, in qua est in parte ante-

Cur aliqua necessitas appellatur antecedēs, & aliqua consequēs.

Digitized by Google

antecedenti, ab eo quod significat, quando est in parte sequenti. Nam quando ponitur in parte sequenti, significat: nil facere posse, vt idem simul sit, & non sit: cùm autem ponitur in parte antecedenti, significat violentiam, seu coactionem (his terminis significat vim inimpedibilem, qua ex naturalibus principijs res astringitur ad ita esse) vnde dicit, quòd ly *necesse est* in ista propositione: *Cœlum volvitur; quia necesse est, vt voluatur*, significat *violentiam naturalis conditionis*, quæ *cogit cœlum volui*: At verò in ista alia, cùm dico: *te ex necessitate loqui, quia loqueris*, significat: *nihil facere posse, vt, dum loqueris, non loquaris: non quòd aliquid te cogat ad loquendum*.

2180 36 Et inde potes intelligere, qualiter vtranque necessitatem benè descripserit Anselmus, quantùm ad ethimologiam nominis. Etenim, quia pars antecedens propositionis causalis, illa scilicet, cui coniungitur dictio causalis *quia*, se habet (vt sæpe diximus) vt causa in ordine ad partem sequentem; inde fit, quòd quando necessitas ponitur in parte antecedente ad aliam, quæ simpliciter dicit, quòd res est; necessitas se habeat, vt causa, & vt faciens, vt res sit, seu rem esse. Et inde benè dixit Anselmus: *Est namque necessitas præcedens, quæ causa est, vt sit res*. At verò, quando necessitas est in parte sequente, ad aliam, quæ dicit, quòd res est; ista, quæ dicit, quòd res est, se habeat, vt causa, & vt faciens, in ordine ad illam, quæ dicit necessitatem esse: Et inde benè subiunxit Anselmus: *Et est necessitas sequens, quam res facit*, seu, vt parum supra dixit; Necessitas sequens est, quando, *Rem esse, facit necessitatem esse*. Ex hoc enim, quòd res est, dicitur esse ex necessitate: vt postea subiungit: & patet in ista propositione: necesse est te loqui; quia loqueris. Ex eo enim, quia loqueris, est in te necessitas loquendi: cùm non possis simul loqui, & non loqui.

Necessitas antecedēs, & necessitas sequēs qualiter diffiniendę attenta no minum ethimologia

Probatur secunda pars minoris.

2181 37 Secunda autem pars minoris, puta: *quòd eandem necessitatem significat propositio, habens modum necessitatis in parte antecedenti, quam significat propositio, qua simpliciter, seu absolutè, dicitur aliquid esse ex necessitate: Et eandem necessitatem significat secundùm Anselmum propositio, habens modum necessitatis in parte sequenti, quam secundùm Aristotelem propositio, qua ex conditione addita dicitur, aliquid esse ex necessitate* patet etiam ex verbis proximè relatis Anselmi, si conferantur cum verbis Aristotelis, & Boetij relatis num. 27. huius §. ac etiam cum verbis D. Thomæ relatis in hac disp. §. 5. num. 22. fol. 505.

38 Et quidem hæc pars minoris duas etiam habet partes: alteram circa propositiones importantes necessitatem absolutam, seu simplicem, & necessitatem antecedentem: Alteram verò circa propositiones importantes, necessitatem conditionis, & necessitatem sequentem. Accipe igitur (vt sic rem incipiamus ex hac secunda parte) propositionem Anselmi importantem necessitatem sequentem: illa est *cum dico: te ex necessitate loqui; quia loqueris*. Accipe deindè propositionem Boetij importantem necessitatem conditionis, seu non simplicem Aristotelis, puta: *Qui sedet, necesse est sedere tunc, cum sedet*. Postea interroga Anselmum, quid significat sua propositio? Respondet. *Cum hoc dico, significo: nihil facere posse, vt dum loqueris, non loquaris*. Interroga deinde Boetium, & D. Thomam, quid significat illa propositio: *Qui sedet, necesse est sedere, tunc, cum sedet*, & vniuersaliter: *Quod est, necesse est esse tunc, quando est*? Respondet Boetius, quod significat: *Fieri non potest, vt cum sedet non sedeat*. Respondet D. Thomas; *Quòd est, impossibile est, non esse tunc, quando est*. Ecce vnum idenque significatum! Num dices, quod ly *nihil facere potest*, vt loquitur Anselmus: ly *fieri non potest*. vt loquitur Boetius, ly *impossibile est*, vt loquitur D. Thomas, significant diuersa? Vnam ergo, eandemque necessitatem, quæ (vt habet D. Thomas relatus loc. proximè cit.) *fundatur super hoc principium: Impossibile est idem simul esse, & non esse* significat secundùm Anselmum propositio habēs modum necessitatis in parte sequente, ex qua necessitas appellatur sequens, & propositio, qua ex conditione accidentali addita dicitur aliquid esse ex necessitate, ex qua necessitas appellatur conditionis, seu suppositionis. Et differentia sola est in ratione impositionis nominis, Nam Anselmus tali necessitati imposuit nomen ex hoc, quòd significatur per propositionem causalem habentem modum necessitatis in parte sequenti ad aliam de simplici inhærentia, qua dicitur, quòd res est. Aristoteles verò, & Boetius ex hoc, quòd significatur, non per propositionem, qua simpliciter dicitur aliquid ex necessitate; sed solùm, qua ex conditione adiecta dicitur esse ex necessitate.

2182 *Secunda pars minoris manifestatur, quantùm ad posteriorem partem.*

Nec sanè quantùm ad istam partem potest esse, vel aliqualis, dubitatio, quando hoc, quod probare intendimus, fatetur expresè verbis relatis ipsemet Anselmus,

Digitized by Google

mus, dicens de hac sua necessitate sequente. *Hæc est illa necessitas, qua vt tractat Aristoteles de propositionibus singularibus, & futuris*, &c. locus enim Aristotelis est, quem retulimus num. 27. huius §. puta, *Igitur esse quod est, quando est, & non esse, quod non est, quando non est, necesse est*, in quo euidenter proponit necessitatem conditionis, seu suppositionis, vt habes ex Boetio, & D. Thoma.

2183 39 Altera verò pars (ad quam tandem reducitur pondus nostræ conclusionis ad euertendos aduersarios, ac ad defendendum Anselmum à falsa doctrina sibi imposita ab his Recentibus, sub qua absconduntur) puta: quòd eandem necessitatem significat tùm propositio habens modum necessitatis in parte antecedente, tùm propositio, qua simpliciter aliquid dicitur esse ex necessitate, est euidentissima. Nam quoties modus necessitatis ponitur in parte antecedente secundùm Anselmũ, toties assumitur illa propositio, qua secundùm Aristotelem, aliquid simpliciter dicitur esse ex necessitate. Quando enim sic dicitur: Cœlum mouetur; quia necesse est Cœlum moueri; Tunc ista propositio: necesse est cœlum moueri, est illa propositio qua simpliciter dicitur cœlum moueri ex necessitate. Et ita in omnibus alijs. Vt cùm dico: *Hoc est; quia hoc necesse est esse*; Ista propositio; *Hoc necesse est esse*, est illa, qua simpliciter, hoc dicitur esse ex necessitate. Vt patet ex verbis Aristotelis, Boetij, & D. Thomæ locis supra relatis. Sicut ergo necessitas, quæ explicatur per propositionem, qua aliquid dicitur simpliciter esse ex necessitate, (ex quo talis necessitas appellatur simplex, seu absoluta) est necessitas ex natura rei: ita illa, quæ explicatur per modum necessitatis, positum in parte antecedente propositionis causalis, ex quo appellatur antecedens. Cùm pars ista antecedens, habens modum necessitatis, sit illa ipsissima propositio, qua secundùm Aristotelem aliquid dicitur esse simpliciter ex necessitate. Et differentia inter Anselmum, & Aristotelem consistit in ratione impositionis nominis. Nam Aristoteles imposuit nomen ex hoc, quòd significatur per modum necessitatis positum in propositione simplici; ille verò ex hoc, quòd significatur per modum necessitatis positum in propositione causali in parte antecedente ad illam de inesse.

Manifestatur, quantum ad primam.

2184 40 Est autem hic maximè considerandum, quòd illud, vnde habet efficaciam præcedens discursus ad conuincendos aduersarios, confitentur ipsimet aduersarij, quamuis etiam sit euidentissimum. Istud autem est, quòd secundùm Anselmum quoties aliquid conuenit alicui necessariò necessitate præcedente, toties debet esse vera propositio causalis, qua dicitur, quòd aliquid est tale; quia necesse est, ipsum esse tale. Vt si Sol mouetur necessariò necessitate antecedente, debet verè dici: Sol mouetur, quia Solem moueri necesse est. Et si Solem oriri cras, est necessarium necessitate præcedenti, debet verè dici; Sol cras oritur; quia necesse est, vt Sol cras oriatur. Ita vt quoties non possit sic formari propositio, necessitas non possit esse præcedens; Vnde quia rectè dici non potest: tu loqueris; quia necesse est, vt loquaris; ideo, quòd tu loqueris, non potest esse necessarium necessitate præcedente. Hoc autem, ipsa euidentia facti, confitentur ipsi Aduersarij, & inter eos Vasquius verbis relatis in hoc §. num. 4. puta; *Subiungit*, scilicet Anselmus, *cùm de hac necessitate* præcedente *sermo est, sic nos debere loqui, Res erit; quia necesse est eam fore.*

Radicem veritatis præcedentis discursus fatentur aduersarij.

Quædam notabilia ad conuincendos Aduersarios; & ad defendendum Anselmum ab eorum impositis.

2185 41 Denique, vt defendas Anselmum ab ijs, quæ ei falsò imponunt Aduersarij, nota primò. Quòd necessitas illa, quæ appellatur absoluta & (vt probauimus) illa est, quam vocat Anselmus præcedentem, prout inuenitur in rebus creatis, diffinitur à D. Thoma lib. 2. Physic. lec. 15. in princ. & lib. 2. contr. gen. cap. 29. quòd est, *quæ dependet ex causis prioribus in esse*, seu præcedentibus in esse. Vnde in priori loco sic habet, *Sciendum est, quod necessitas, quæ dependet ex causis prioribus, est necessitas absoluta. Vt patet ex necessario, quod dependet ex materia* &c. *Similiter autem quod habet necessitatem ex causa formali* &c. *Et similiter quod habet necessitatem ex causa efficiente, est necessarium absolutè. Sicut necessarium est esse alternationem nocis, & Diei propter motum Solis*. In posteriore vero si habet. *Inuenitur autem & alius necessitatis modus in rerum natura, secundùm quòd aliquid dicitur necessarium absolutè: quæ quidem necessitas dependet ex causis prioribus in esse, sicut ex principijs essentialibus, & causis efficientibus.*

Diffinitio necessitatis absolutæ à D. Thoma tradita cõuenit necessitati præcedenti.

2186 42 Nota secundò: quòd quamuis Aduersarij aliquas finxerint, & suo modo accommodauerint diffinitiones, illasque falsò iniecerint in necessitatem, quam appellat Anselmus præcedentem; conueniunt tamen omnes in hoc, quòd prædicta diffinitio D. Thomæ conuenit necessitati

Mediocriter tiantes cõcedunt prædictam diffinitionem

conuenire necessitati prædictæ.

Punctus principalis, in quo P.P. Societatis recedunt à doctrina S. Th. explicatur.

Necessitas absoluta quæ est ex causa efficiente, est ab ea, quæ est necessaria necessitate naturæ.

Diuina voluntas est causa effectus necessarij in quantùm agit per causas necessarias: & agit effectus contingentes, si agit per causas cõtingentes.

sitati præcedenti, vt patet ex verbis Vasquij relatis in hoc §. num. 4 illis scilicet. *Necessitas præcedens nascitur, ex causa, quæ præcedit effectum, & facit ipsum necessariò esse.* Veruntamen à S. Thoma principaliter recedunt in hoc, quòd S. Doctor sentit, quòd, quantùm ad causas efficientes, necessitas ista dependet indispensabiliter à causa agente ex necessitate naturæ, seu à causa creata, quæ deficere, & impediri non potest ab effectu: itaut effectus illi, qui procedunt à Deo nulla mediante causa creata ordinata ad agendum ex necessitate naturæ, non possint habere prædictam necessitatem ex causa agente: Vt patet loco cit. ex lib. 2. con. gent. vbi post verba supra cit. hoc ipsum declarat. Vnde Albertus magnus relatus in hoc §. num. 12. fol. 566. docuit, quòd *Necessitas absoluta, quam vocat Anselmus antecedentem, est ex causis proximis ad effectum ordinatis.* Et inde consequenter docet S. Doctor (vt patet ex verbis eius, quæ retulimus contra Fasolum disp. 1. §. 12. num. 40. fol. 132.) quòd cùm voluntas (seu etiam prouidentia diuina, de qua est eadem ratio) non sit causa agens ex necessitate naturæ; sed inquãtùm vult, & disponit, non potest connumerari inter causas agentes ex quarum necessitate procedit ista necessitas in effectus. Sed debet considerari, vt existens supra, & extra omnes ordines entium, & causarum vniuersi, seu supra, & extra totum vniuersum, diffundens in ipsum omnes gradus, & differentias entis: omniaque causarum genera, & modos, instituens in eo aliquas causas agentes ex necessitate naturæ, & aliquas contingentes, & liberas: Vt sic agens per causas necessarias, producat effectus necessarios, desumentes istam conditionem necessitatis ex necessitate suæ causæ proximæ: & agens per causas contingentes, & liberas, producat effectus contingentes, & liberos, habentes istam conditionem libertatis, & contingentiæ, ex contingentia, & libertate suæ causæ proximæ. Ex quo fit, quòd, si Deus, ex vna parte, per suam voluntatem & prouidentiam vult, & disponit habere per causas contingentes, & liberas, effectus contingentes, & liberos: & ex alia parte, voluntas, & prouidentia diuina non possunt deficere ab effectibus volitis, & dispositis, sequitur necessariò, quòd Deus per suam voluntatem, & prouidentiam habebit per causas contingentes, & liberas, effectus contingentes & liberos. Nam aliàs, si tales effectus non haberet per tales causas, ipsa diuina voluntas, & prouidentia deficerent ab effectibus volitis, & dispositis, vt ipse S. Doctor sæpissimè concludit. Et videri possunt verba ipsius relata in hac disp. §. 2. num. 1. fol. 479. & loca cit. §. 1. num. 1. fol. 476.

43 At verò Patres Societatis, vt possint negare Deum esse per suam voluntatem, & prouidentiam, causam antecedentem vsum nostræ libertatis, contendunt communiter, quòd necessitas, quam appellat Anselmus antecedentem (quæ excludit libertatem) quantùm ad causas efficientes, non dependet necessariò ex causa agente ex necessitate naturæ; sed sufficit ei, quòd causa efficiens præcedat, & sit tantæ efficaciæ, vt non possit ab effectu deficere. Et ita contendunt, quòd secundùm mentem Anselmi Diuina voluntas, quæ non vult aliquid in creaturis ex necessitate naturæ; sed tamen non potest deficere ab effectu, quem vult, per hoc ipsum, quòd non potest deficere, & impediri ab effectibus, debet connumerari inter causas, ex cuius necessitate, quam habet ad inferendum effectum, quem ipsa vult, procedat in effectum necessitas tollens libertatem, quam Anselmus vocat præcedentem. Et ita concludunt quòd doctrina S. Thomæ supra relata stare non potest cum doctrina Anselmi tradita lib. de concordia Prædestinationis, & liberi Arbitrij. Et quòd constituit in Deo actum voluntatis sibi ipsi repugnantem, dum in eo ponit volitionem absolutam, qua vult per causas liberas agere actum liberum. Quia volitio absoluta excludit libertatem, & sic vult per id, quod excludit libertatem à nostra voluntate, agere actum liberum eiusdem voluntatis. 2187

Doctrina P.P. Societatis cõtra D. Thomã

44 Sed Diuus Thomas prædictam suam doctrinam didicit ab Anselmo ex hoc ipso loco, quem isti citant, vnde tantùm abest, quòd doctrina D. Thomæ stare non possit cum doctrina Anselmi tradita in lib. *de concordia præscientiæ & prædestinationis*, quòd Anselmus ipsam ad verbum docuerit in eodem lib. Vbi postquã probauit, diuinam præscientiam concordare cum libero arbitrio, subiungit sequens notabile, inquiens. 2188

D. Thomas suam doctrinam accepit ab Anselmo, docente eã ad verbũ.

45 *Notandum quippe est, quòd sicut necesse non est, Deum velle, quod vult; ita necesse non est in multis, velle hominem, quod vult. Et similiter necesse est esse quicquid Deus vult, ita necesse est esse, quod vult homo in his, quæ Deus ita subdit humanæ naturæ, & voluntati, vt si vult, fiat, si non vult, non fiat. Quoniam enim, quod Deus vult, non potest non esse: cùm vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum sequi voluntatem; tunc necesse est, voluntatem esse liberam, & esse, quod vult.* Ecce doctrinam D. Thomæ ab Anselmo nõ modò assertam, sed etiã probatam illa eadem ratione, qua sæpe S. D. vtitur. Modò 2189

Verba Anselmi docentis doctrinã D. Thomæ.

Digitized by Google

2190 46 Modò ergo accedant hùc prædicti Patres,& considerent discursum Anselmi, illumq;componant cum suis doctrinis; vt inde certificentur, se ,in negando,Deum esse per suam voluntatem,& prouidentiã causam antecedentem vsum nostræ libertatis,non fuisse fundatos in doctrina Anselmi; sed in alia illi contraria, ab ipsis adinuenta, & falsò imposita Anselmo.

2191 47 Cõsiderent igitur,quòd Anselmus in prędicto discursu supponit duas propositiones spectantes ad voluntatem diuinã, quas vult consimiliter verificari,sicut aliæ duæ spectantes ad voluntatem humanã, Prima est. *Sicut necesse non est, Deum velle, quod vult:ita necesse non est in multis, velle hominem, quod vult.* Et hìc dignoscant, quòd necessitas, quæ in dictis propositionibus denegatur,est absoluta,seu præcedens.Secunda est. *Similiter necesse est esse, quidquid Deus vult:ita necesse est esse quod vult homo in his,quæ Deus ita subdit humanæ naturæ, & voluntati,vt si vult,fiat:si non vult,non fiat.* quale maximè est ipsum liberè velle,& nolle, quod ita est in hominis potestate, vt si vult,ipsum velle fit,si non vult, ipsum nõ fit.Et hìc interrogamus prædictos Patres; Quæ necessitas conceditur prædictis propositionibus? Non vtiquæ dicent,concedi necessitatem antecedentẽ; quia sic, quod homo vellet, vt existens sub suæ voluntatis potestate, necesse esset esse necessitate præcedente; & ita necessitas præcedens libertati non repugnaret. Oportet ergo, quòd necessitas,quę conceditur, si necessitas sequens.Ista ergo propositiq. *Necesse est esse,quidquid Deus vult,* est vera necessitate sequẽte; sicut ista: necesse est esse,quod homo vult,vt existens sub suæ voluntatis potestate.Ecce initium erroris.Ecce quod attentant prædicti Patres falsò imponere Anselmo.Nempe,quòd necessitas,qua dicitur, aliquid necesse esse ex hoc, quòd Deus illud vult, sit necessitas præcedens excludens libertatem. Falsum est hoc, inquit Anselmus.Quia *similiter necesse est esse quidquid Deus vult;* sicut *necesse est esse, quod vult homo in his, quæ sunt in suæ voluntatis potestate.* Et inde optimè ex eo, quòd id, *quod Deus vult,non potest non esse*, seu necesse est esse,necessitate sequẽte,& illo modo, quo necesse est esse,quod homo liberè vult,infert,quòd *cùm vult,hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum* (idest velle, vel nolle *sequi voluntatẽ, tunc necesse est* (eadem,scilicet,necessitate sequente) *voluntatem esse liberam,& esse,quod vult.* Ecce,quòd ex sententia Anselmi non repugnant in Deo isti actus voluntatis;puta,quo *vult hominis voluntatem nulla cogi,vel prohiberi necessitate ad volendum,vel nõ volendum:* & simul, quo *vult effectum*,puta,velle vel nolle *sequi voluntatem.* Et inde considerẽt,cur non repugnat. Nam hoc ideo est,quia istæ secũdus actus,quo scilicet vult,quòd velle,vel nolle,seu effectus,ipsius voluntatis, sequatur voluntatem,non infert, hominem cogi,vel prohiberi necessitate ad volendum, vel nõ volendũ,vt putant prædicti Patres.

Inculcatur prædictus discursus Anselmi contra Patres Societatis.

Initium, vnde incipit error Patrũ Societatis explicatur, quem intendunt imponere Anselmo.

48 Deniq;considerent conclusionem, 2192 nempe,*tunc necesse est, voluntatem esse liberã, & esse, quod vult*, idest, quòd effectus, seu velle,vel nolle sequatur voluntatem. Hæc enim propositio significat magis explicitè;*tunc necesse est, quòd voluntas sit libera, habens scilicet in sua potestate velle, & nolle,agere & non agere,producere effectum,& non producere:& quòd effectus,seu velle, vel nolle producatur à voluntate.* Ex hoc ergo, quòd posita volitione, seu decreto diuinæ voluntatis, quo vult effectum sequi voluntatem, necesse est, quòd talis effectus producatur à voluntate,nõ sequitur, quòd talis effectus non sit in potestate voluntatis, illum producere,vel non producere(vt magnificans argumentum hæreticorũ concludit Vasquius verbis relatis in hoc §.nu 6.fol.564.) quia vtrunq;vult Deus,& vtrunq;est eadẽ necessitate consequentiæ necessarium,nẽpe, quòd voluntas sit libera; & habens in sua potestate agere,& non agere,producere effectũ,& non producere,& simul quòd producat, & agat illum effectum, quem Deus vult,eam agere,& producere.Et hæc satis sint in hoc §. ad ostendendum, quasi per transennam, quòd Patres Societatis, dum patenter negãt, Deum esse per suam prouidentiã,suæq; voluntatis decreta causam antecedẽtem vsum nostræ libertatis, non fundantur in doctrina Anselmi;sed in ea,quam ipsi imponunt quidem,sed repugnat eidem Anselmo. Cæterum argumẽta,quibus ipsi conuincuntur, soluemus in tractatu speciali in principio huius puncti cit.vbi ostẽdemus,nullum ab ipsis adduci pro sua sententia, quod D. Thomas non proposuerit contra suam, illudq, non soluerit,& tali euidẽtia euacuauerit, vt solutionem suam nõ reddiderit demonstratã.

§. XIV.

Excluditur falsa existimatio quorundam, Recentium circa donum perseuerantiæ, & explicatur vera sententia ex doctrina Augustini, & Angelici Præceptoris.

1 QVidam Recentes nomine doni 2193 perseuerãtiæ cõceperunt qualitatem quandã impressam animæ nostræ à Deo,quæ vi propria efficaciter efficit,vt anima accedat per affectum charitatis ad Deum,ita vt ab eo nunquam recedat per peccatum vsq,ad finem vitæ.Vnde Magister Hieronimus Viues lib. primo de Primatu diuinæ libertatis disp. 6. dist: prima num.

Quid intelligunt quidã Recentes nomine doni Perseuerantiæ.

Digitized by Google

nu. 14. fol. 122. existimat Augustinum docere: *Donum perseuerantiæ esse qualitatem, inhærentem prædestinato, quæ vi sua efficit, quòd homo accedat ad Deum: & nunquam recedat à Deo.* Dicunt deinde, quòd ista qualitas nō est aliquis habitus infusus, quales sunt gratia sanctificans, virtutes theologicæ, & dona Spiritus Sancti, qui omnes sunt habitus amissibiles per peccatum: sed est quædam qualitas inamissibilis, & alterius rationis ab habitibus infusis, per quam Deus efficit, vt homo in accepta gratia, & habitibus infusis permaneat, ab eisq; nulla tentatione recedat per peccatum. Lege totum citatum numerum quartūdecimum.

Verùm quoniam, ex vna parte, prædicta existimatio multis capitibus remanet reiecta ex dictis in hoc tractatu: & ex alia parte aliqui Thomistæ audita voce doni perseuerantiæ in prædictum conceptum deueniunt; ideo ad eosdem Thomistas informandos oportet in calce huius disputationis breuiter aperire ex manifesta sententia Sanctorum Augustini, & Thomæ, relata ab eisdem Recentibus, quos in hoc §. reijcimus, quid importat donum perseuerātiæ, & qualiter, quæ de prædicto dono dicuntur ab Augustino, rectè cohereant cum doctrina S. Thomæ in hoc Tractatu proposita. Ad hoc autem explicandum.

2194 2 Dicendum est. Donum perseuerantiæ vsque ad finem vitæ (de quo doctrinam habet Concilium Tridentinū sess. 6. cap. 13. & pro quo citat illud Matthei 24. n. 13. *Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.*) importat ipsammet perseuerantiam, permanentiam, persistentiam, cōtinuationem, acceptæ sanctitatis vsq; ad finem vitæ: seu ipsummet perseuerare, permanere, persistere, continuare in sanctitate accepta vsq; ad finem vitæ: itaut non solum habeamus à Deo gratis donatam ipsā sanctitatem; sed etiā habeamus à Deo gratis donatum hoc ipsum, quòd perseueramus, permanemus, continuamus liberè in accepta sanctitate vsq; ad finem vitæ. In quantùm scilicet Deus gratis, & nullo existente in nobis merito, ex quo nobis debeatur perseuerātia, sic nos per suam gratuitam voluntatem, & prouidentiā gubernat, quòd in sanctitate, quam ipsemet nobis gratis donauit, conseruet nos vsq; ad finem vitæ, efficiendo, vt nos perseueranter stemus liberè in sanctitate, & non recedamus à Deo. Vt ita hoc ipsum, quòd nos liberè perseueramus continuando statum sanctitatis, & non recedendo à Deo vsq; ad finem vitæ, sit ipsum donum Dei, donatū nobis vltra sanctitatem. cùm multis donetur sanctitas, quibus non donatur permanere, & stare in ea vsq; finem vitæ.

2195 3 Probatur auctoritatibus Augustini; quas afferunt ipsimet Doctores, qui nomē doni perseuerantiæ transtulerunt ad significandam qualitatem. In primis Aluarez lib. 10. disp. 105. n. 4. affert auctoritatē Augustini ex lib. de correptione, & gratia cap. 12. incipiens ab illis verbis: *Primo itaq; homini,* &c. vbi Augustinus habet. *Itemq; adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit: & aliud, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus viuere; nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit, vt viuat, qui mori noluerit. Ergo adiutorium alimentorum est, sine quo non fit non quo fit, vt viuamus. At verò beatitudo, quam habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim, non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Qua propter hoc adiutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo continuò fit beatus; & si data non fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt, vt homo viuat; sed tamen sine illis nō potest viuere. Primo itaq; homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei, per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur; sed tale, vt eis* (nota) *perseuerantia ipsa donetur: non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint; verum etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* Quid clarius? Dic quid addere debuisset Augustinus, vt significaret id, quod nostro hoc dicto expressimus? Expende exemplum. Nam sic perseuerantia est donum, quo, qui illud accipit fit finaliter perseuerans, sicut beatitudo est donum, quo, qui illud accipit, fit beatus. Beatitudine autem, quisquis eam habet, fit formaliter beatus. Ita ergo & perseuerantia is, cui datur, fit formaliter perseuerans. Ita vt hoc ipsum, quòd quis in iustitia, & sanctitate accepta perseueret, sit Donum.

2196 4 Euidentiùs patet hoc ex ratione, qua probat ipse Augustinus perseuerantiam in iustitia, & sanctitate accepta, esse donum Dei. Id enim cap. 2. lib. de dono perseuerantiæ, cuius verba refert citatus Hieronimus Viues disp. 6. num. 6. probat: quia ex vna parte id, quod poscimus à Deo, donatur nobis à Deo, & est donum eius: & ex alia omnes iusti, & sancti in hac vita postulant à Deo in oratione Dominica, vt perseuerent & permaneant in iustitia accepta: ex quibus sequitur, quòd, vt iusti, & sancti in hac vita perseuerent, & permaneāt in accepta iustitia, donetur eis à Deo, & sit donum eius. Si ergo id quod poscimus est Donum Dei: & nos hoc petimus dari nobis à Deo, puta: vt non recedamus,

Probatur expresso loco Augustini.

Primum dictum explicans, quid veniat nomine doni perseuerantiæ

Confirmatur ex ratione, qua vtitur ipse Augustinus.

Digitized by Google

damus, seu non cadamus ab accepta iustitia; sed firmiter in ea maneamus, cõtinuemus, perseueremus, &c. Hoc ergo ipsum est donum Dei, puta, quòd nõ recedimus, quòd non cadimus à iustitia accepta, quòd in ea firmiter manemus, quòd in ea continuamus, quòd in ea perseueramus &c. Lege totũ dictum caput secundum Augustini, & euidentiùs tibi cõstabit quàm nos explicare possemus, hoc, quod intẽdimus.

2197 5 Amplius euidentissimè patet ex doctrina, quam refert idem Hieronimus eadem disp. n. 9. qua Augustinus probat, donum perseuerantiæ vsq; ad finem vitæ amitti non posse. Illa enim non nisi de perseuerantia, prout importat continuationẽ, conseruationem, & persistentiam in sanctitate vsq; ad finem vitæ, verificari potest. Sic enim habet cap. 6. dicti libri de Dono perseuerantiæ.

Confirmatur ex ratione, qua Augustinus probat perseuer. tiam vsq; in finem amitti non posse.

Sed nolunt (vt scribitis) isti fratres, ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel supplicitèr emereri, vel amitti contumaciter possit: vbi quid dicant parùm diligenter attendite. De illa enim perseuerantia loquimur, qua perseueratur vsq; in finem, quæ si data est, perseueratum est vsq; in finem: si autem non est perseueratum vsq; in finẽ, non est data, quod iam & superius satis egimus. Non itaq; dicant homines, perseuerantiam cuiquam datam vsq; in finem; nisi cum ipse venerit finis, & perseueraſſe, cui data est, repertus fuerit vsq; in finem. Siste hìc parumper. Iam enim vides, prædicta verificari dumtaxat de perseuerantia, formaliter sumpta prout importat continuationem, perdurationem, seu conseruationem propriæ sanctitatis vsque ad finem.

2198 6 Etenim de illa qualitate excogitata à modernis, à qua, vt à causa efficiẽte procedit (vt ipsi existimant) quòd quis in accepta sanctitate perseueret vsq; ad finem vitæ, quæ deberet dici perseuerantia causaliter, verificari minimè possunt. Siquidẽ talis qualitas secundùm suos assertores ad hoc datur, vt efficiat, quòd ille, cui datur, in sanctitate, quam accipit, e.g. hodie, permaneat vsq; ad finem vitę, qui erit, e.g. crastina die, post mensem, post annũ. Oportet ergo, vt talis qualitas detur hodie, ad hoc vt efficiat, vt iste, qui hodie accepit sanctitatem, in ea permaneat vsq; ad finem vitæ, qui erit die crastina, vel post mẽsem: quia causa efficiens debet esse tunc, quando incipit causare suum effectum: & ista qualitas incipit ab hodie, ad efficiendum, vt iste permaneat in sanctitate ab hodie, vsq; ad finem vitæ. Oportet igitur, vt ista qualitas sit data antequam perseueratum sit, & antequam peruentum sit ad finem, per totum illud tempus, quod est inter acceptã gratiam, & finem. Falsæ ergo sunt de ista qualitate illæ duæ propositiones. *quæ si data est, perseueratum est vsq; in finem; si autem nõ est perseueratum, non est data.* Similiter falsa esset illa propositio. *Non itaq; dicant homines, perseuerantiam cuiquam datam vsq; in finem; nisi cùm ipse venerit finis, & perseueraſſe, cui data est repertus fuerit.* Siquidem, si donum perseuerantiæ esset ista qualitas, quæ efficeret, vt ille, cui datur, permaneat in sanctitate, quam accepit hodie, eamq; non deserat vsq; ad finem vitæ, qui erit crastina die, vel post mensem, non solùm homines, sed Deus ipse diceret, donum perseuerãdi, seu ad perseuerandum vsq; ad finem, se dare, & dedisse, antequam venerit finis, & antequam repertus fuerit perseueraſſe, cui datum est. Quia Deus ipse (vt volunt prædicti Recentes) imprimendo homini hoc donum, seu istam qualitatem, per ipsam tanquam per suum instrumentum efficit, vt talis homo permaneat, & persistat in sanctitate à die acceptæ sanctitatis vsq; ad finem vitæ. Sed redeamus ad verba Augustini, nam sic immediatè subiungit, vt prædictam conclusionem probet.

7 *Dicimus quippè castum, quem nouimus castum, siue sit, siue non sit in eadẽ castitate mãsurus, & si quid aliud diuini muneris habeat, quod teneri, & amitti potest, dicimus eum habere, quandocunq; habet & si amiserit, dicimus habuisse; Perseuerantiam verò vsq; in finem, quoniam non habet quisquam; nisi qui perseuerauerit vsq; in finem; multi eam possunt habere, nullus amittere. Neq; enim metuendum est, ne fortè cùm perseuerauerit homo vsq; in finem, aliqua in eo mala volũtas oriatur, ne perseueret vsq; in finẽ. Hoc ergo donũ suppliciter emereri potest; sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cùm enim perseuerauerit quisq; vsq; in finẽ, neq; hoc donum potest amittere nec alia, quæ poterat ante finem. Quomodo enim potest amitti, per quod fit, vt non amittatur, etiam quod posses amitti?* Ecce totum discursum Augustini.

In quo, vt vides, inamissibilitatem doni perseuerantiæ ante finem vitæ probat, nõ quidẽ ex efficacia, quã donũ habet ad faciẽdũ perseuerare effectiuè, sed ex ipsa ratione perseuerantiæ formaliter acceptæ, prout importat durationem, & continuationem in sanctitate vsq; ad finem vitæ, Quod euidẽtiùs patet, si prædictus discursus proponatur sub forma syllogistica. sic enim procedit.

2199 8 Illud diuini muneris, seu illud donũ potest ab homine amitti, quod est tale, quòd, si homo illud amittit, potest dici illud habuisse. Sed perseuerantia vsq; in finẽ non est donum tale, quòd, si homo illud amittit, potest dici illud habuisse. Ergo perseuerantia non est donum tale, quòd possit ab homine amitti. Maiorem manifestat in omni dono quod potest ab homine teneri, & amitti. Minorẽ probat ex euidenti

Ratio Augustini in forma.

contra-

Digitized by Google

contradictione. Nã sic, qui amittit perseuerantiam vsq; ad finẽ, dici posset, habuisse perseuerantiam vsq; in finem, cum tamen perseuerantiam vsq; in finem non habeat, nisi, qui perseuerauerit vsque in finem, ac per hoc non amiserit perseuerantiam.

2200 9 Confirmat. Quia Donũ Dei homo amittit per hoc, quòd exorta in eo mala voluntate, per eam facit, vt donũ Dei non sit in illo. At si quis perseuerauerit vsq; in finem, impossibile est, quòd in eo exoriatur mala voluntas efficiens vt non perseueret vsq; in finem. Ergo homo nõ potest amittere perseuerantiam vsque in finem.

Confirmatur secundò.

2201 10 Confirmat 2. Quia id, quo formaliter fit, vt non amittatur, seu non possit amitti, quod ante finem poterat amitti, impossibile est, quòd possit amitti, seu, quomodo poterit amitti? Sed perseuerantia vsq; in finem est, qua formaliter fit, vt non amittatur, seu non possit amitti, quòd ante finem poterat amitti. Ergo perseuerantia vsq; in finem impossibile est, quòd possit amitti, seu, quomodo poterit amitti?

Confirmatio.

In quibus iam apparet, quòd ex euidẽti repugnantia, & contradictione, quæ est inter perseuerantiam, seu ipsum perseuerare vsq; in finẽ formaliter sumptum, & inter eandẽ, seu idẽ amittere ante finẽ, probat donũ perseuerantię amitti nõ posse: ac per hoc prædictũ donũ est ipsummet perseuerare, seu perseuerantia formaliter accepta.

2202 11 Aduerte tamen circa verba Augustini proximè relata, puta illa: *Hoc ergo donũ suppliciter emereri potest* &c. quòd illa vox, *emereri*, non sumitur strictè, & propriè, & prout significat meritũ siue condigni, siue congrui; sed largè, & impropriè, prout significat idem, quòd, impetrari. Et sensus est. Hoc donum suppliciter impetrari potest &c. Hoc enim donum non cadit sub merito, siue congrui, siue condigni, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 114. ar. 9. potest tamẽ orationibus impetrari, vt eodẽ loco ad p. docet ex eodem Augustino ipse S. D.

Aduertendum pro intelligẽda doctrina Augustini.

2203 12 Dices. Quãuis sit verum, quòd Augustinus prædictis locis loquatur de ipsa perseuerantia vsq; in finem formaliter sũpta; ac de ea, sic accepta, probet, amitti nõ posse: attamen deindè id ipsum probat ex maxima potentia, qua Deus potest humanas volũtates de malo in bonum conuertere, ac dirigere secundùm sibi placitum gressum: & ita efficere, ne præstent tentationibus consensum, per quem possent amittere perseuerantiam vsq; in finẽ. Porrò Augustinus post discursum supra relatum affert responsionem, quæ sibi posset exhiberi, subdens. *Sed ne forte dicatur nobis, vsq; in finem perseuerantiam non amitti quidẽ, cum data fuerit, ideſt, cùm perseueratum fuerit vsq; in finem: sed tunc amitti quodammodo, quãdo agit homo per contumaciam, vt ad eã peruenire non possit. Sicut dicimus, hominem, qui non perseuerauerit vsq; in finem, amisisse vitã æternam, vel regnum Dei, non quod iam acceperat, & habebat, sed quod acciperet, & haberet si perseueraſſet.* Deinde admittit illud, quod supponit prædicta responsio, & sic subiungit. *Verborum controuersias auferamus: & nõnulla, etiam quæ non habentur; sed haberi sperantur, posse dicamus amitti.* Subinde assumit probãdum contra datam responsionẽ, quòd ille, cui Deus donat, vel donare vult perseuerantiam vsq; in finem, nec etiã per hoc amittet perseuerantiam, quòd *aliquid agit per contumaciam, vt ad eam peruenire non possit.* & sic subiungit.

Locus Augustini ad propositũ.

13 *Dicat mibi quisquis audet, vtram Deus dare non possit, quod à se posci imperauit? Hoc certè, qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperauit autem Deus, vt ei sancti eius dicant orantes: Ne nos inferas in tentationem. Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit, vel dignus sit perseuerantiam sanctitatis amittere. At enim volũtate sua quisq; deserit Deũ, vt meritò deseratur à Deo. Quis hoc negauerit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat. Et si exaudimur, vtiq; non fit, quia Deus non permittit vt fiat. Nihil enim fit, nisi quod, aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est, & à malo in bonũ flectere voluntates, & in lapsum pronas conuertere; ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustra dicitur: Deus tu conuertens vi-uificabis nos,* &c. quæ nos retulimus prima parte huius Trac. §. 4. n. 72. fol. 29. vbi ea leges. Ecce probandũ assumit, quòd quãuis sit verissimum, & nullus negare possit, quòd quisquã sua libera voluntate deserit peccando Deũ, vt meritò deseratur à Deo; nihilominus etiam verũ est, quòd omnis, cui Deus dat, seu dare vult perseuerantiã (qualis est, quẽ exaudit poscentem, ne inferatur in tentationem) nec etiam per proprię voluntatis contumaciam deserit Deũ. Idq; probat ex amplissima potestate diuinæ virtutis, ex qua est, quòd nihil fit, nisi quod, aut Deus ipse facit, aut fieri ipse permittit: & quod potens est à malo in bonũ flectere voluntates & in lapsũ pronas cõuertere; ac dirigere in sibi placitũ gressũ. Ex quo euidenter sequitur, quòd, si quis petit, vt Deus nõ permittat, vt per proprię liberæ volũtatis contumaciã deserat Deũ: Et Deus illum exaudit (vt accidit, cũ vult ei donare perseuerantiam) vtiq; Deus non permittet. Et si Deus nõ permittit; iste talis ex consequenti non deseret Deum per propriæ libertatis cõtumaciam. Et ex hoc sequitur, quòd etsi verissimũ sit; quẽquam sua propria libera volũtate deserere Deũ: verum nihilominus est: nullũ, cui dat, vel dare vult perseuerãtiam in sanctitate vsq; 2204

in

Digitized by Google

in finem, deserere Deum ante finem per propriæ voluntatis contumaciam, ita vt non perueniat cum sanctitate ad finem.

2205 14 Optimè. Fatemur hos omnia prædicta; sed quid inde? Fatemur, Deũ per suã voluntatem, & prouidentiã gratuitam esse efficacissimam causam antecedentem vsũ nostræ libertatis; ac etiam efficientẽ, vt homines, quosquos vult permaneant in sanctitate accepta, ab eaq; non recedant vsq; ad finem vitæ. Num propterea, vel perseuerare ipsum, seu perseuerantia ipsa, nõ erit Dei donũ. Vel ad hoc, quòd Deus per suam voluntatẽ & gratuitam prouidentiã efficiat, vt homo perseueret, oportebit eidem homini imprimere qualitatem illã, à Recẽtibus excogitatã, & appellatam causaliter perseuerantiam, quæ scilicet durans à die sanctitatis acceptæ vsq; ad finẽ vitæ, efficeret, vt homo in sanctitate permaneret, ab eaq; non recederet per totum illud tempus, quod interest inter acceptam sanctitatem, & finem? Quis hæc deducet?

Ex doctrina prædicta non infertur aliquid contra nostrã sententiã.

2206 15 Porrò quantùm ad hoc, euidentissima est sententia S. Thomæ expressa verbis, à nobis relatis in hac disp. §. 2. à n. 1. ad 15. à fol. 478. ad 482. qua docet, quòd Deus sua voluntate, prædestinatione, & gubernatione efficit, vt liberum arbitriũ hominis prædestinati *certitudinaliter non deficiat à cõsecutione salutis* (quod idẽ est, ac quòd perseueret in sanctitate vsq; ad finẽ vitæ) præparando, & dispensando eidem prædestinato aliqua adminicula, seu beneficia cõtingentia, & impedibilia (quæ locis citatis ipse S. Doctor genericè enumerat) sic tamen præparata, & disposita per diuinã sapientiam, vt sint seruata ex occursu causarum non impedita: quibus fit, vt liberũ arbitrium, cùm possit deficere, non deficiat. Quod quidẽ nos in rebus naturalibus explicuimus exẽplo, quo quis, aliquibus adminiculis adhibitis, seruat lumen candelæ tota nocte inextinctũ. Etenim proportionali; sed multò excellentiori modo Deus, aliquibus beneficijs, seu adminiculis adhibitis, & diuersimodè in diuersis, seruat sanctitatem hominis vsq; ad finem vitæ. Nec oportet ibidem dictis aliquid addere.

Proponitur doctrina Sancti Doctoris.

16 Dixi: *& diuersimodè in diuersis*; quia non omnibus eisdem beneficijs, seu causis medijs largitur hoc donum, scilicet perseuerantiam. Nam aliquibus per hoc solùm quòd præparat eis per causas naturales mortem habendam statim post actum cõtritionis, quo ipsum sanctificat, vt cũ quis exiens nunc motus à Deo, in actũ contritionis, statim morte repentina corripitur. Aliquibus pueris Baptizatis per hoc, quòd præparat eis per causas naturales mortem antequam perueniant ad vsum rationis. Notauit hos duos modos August. lib. de dono Perseuerantiæ cap. 17. inquiens. *Videte iam à veritate quàm sit alienum, negare donum Dei esse perseuerantiam vsq; in finem huius vitæ: cùm vitæ huic, quando voluerit, ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseuerare vsq; in finem. Sed mirabilior, & fidelibus euidentior largitas bonitatis Dei est, quòd etiam paruulis, quibus obedientia non est illius ætatis, vt detur, datur hæc gratia.*

2207 *Explicantur modi, quibus Deus largitur perseuerantiã ex Augustino & D. Thoma.*

Aliquibus verò per hoc, quòd per diuinam prouidentiam post susceptam sanctitatem præparat eis, quæ non auertunt, sed prouocant, & inducunt ad permanendum in sanctitate. In alijs denique alijs modis. Vnde sancti poscentes in oratione dominica perseuerantiam, petunt externũ auxilium Dei per suam prouidentiam exterius gubernãtis, vt aduertit S. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 155. inquiens. *Sciendum tamen est, quòd cum ille, qui gratiam habet, petat à Deo, vt perseueret in bono: sicut liberum arbitrium non sufficit ad istum effectum, qui est, perseuerare in bono, sine exteriori Dei auxilio: ita nec ad hoc sufficit aliquis habitus nobis infusus*, &c. Et *ideo cum dicimus, hominem indigere ad perseuerandum finaliter auxilio gratiæ, non intelligimus, quòd super gratiam habitualem prius infusam ad benè operandum, alia desuper infundatur ad perseuerandũ.* Notauisti? Sed adhuc nota; nam sequitur. *Sed intelligimus, quòd habitis omnibus habitibus gratuitis, adhuc indiget homo diuinæ prouidentiæ auxilio exterius gubernantis.* & hæc satis sint de hac quæstione, & toto tractatu. Sit Deus benedictus.

Omnia committimus correctioni S. R. Ecclesiæ.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google